UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Theologiæ Moralis

Moure, Antonio Fernandes de

Coloniæ Agrippinæ

urn:nbn:de:hbz:466:1-40934

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2234.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EXAMEN THEOLOGIÆ MORALIS, MEDVLLAM OMNIVM CASVVM Conſcientiæ complectens.

EX SS. THEOLOGIA, VTROQVE Iure, nec non grauiſſimis Caſuum ſcriptoribus depromptum.

Collegij Societ. JESV Ladiborna a 1633

Authore ANTONIO FERNANDES de Moure, Theologo & Concionatore Bracharenſi.

QVÆ HVIC NOVISSIMÆ EDITIONI acceſſerint, vide pagina ſequenti.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Petri Henningij.

ANNO M.DC.XXVIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Huic nouißimæ Editioni acceſſerunt vtiliſſimi Tractatuli ex probatiſſimis Autoribus excerpti.

1 Breuis inſtructio pro Confeſsionibus excipiendis

2 Tractatus breuis de modo quo gerere ſe debet Sacerdos cum agonizante, ſeu moribundo.

3 Modus concionandi ac Theologiæ ſtudendi.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO,
DOCTISSIMO CLARISSIMO Q.
Viro ac Domino,

D. OTTONI GEREON DE GVTMANNIS, EX Sobernheim,

ARCHIEPISCOPO CYRENENSI,
SS. Theologiæ Doctori,

SERENISSIMI AC REVERENDISSIMI *Archiepiscopi Colonienſis, S. Romani Imperij Principis Electoris, Bauariæ, VVeſtphaliæ, & Angariæ Ducis, & Sedis Apoſtolicæ Legati nati &c. Conſiliario, ac per Ciuitatem & Diœceſin Colonienſem in Pontificalibus Vicario Generalis, Metropolitanæ & Archidiaconalium Collegiatarum B.M.V. ad Gradus Colonienſis, & S. Martini Embricenſis Eccleſiarum, reſpectiuè Præpoſito, Decano, & Presbytero Canonico Capitulari, Archidiacono Vltraiectenſi, Tremonenſi & Hammonenſi: D. meo Clementiſſimo, &c.*

NOn hominum tantùm, ſed librorum quoque eſſe velut quoſdam genios, vſus docet & experientia. Id ego in hoc ipſo libro experior: qui à me quartùm iam excuſus, & Reuer. V. nomini inſcriptus, obuijs quaſi vlnis & auidiſsimis SS. Theologiæ ſtudioſorum, atque etiam Doctorum manibus hactenus fuit exceptus. Spero autem eo nomine V. R. vel tandem fore gratiorem, quod publica iam quaſi omnium

censura sit approbatus; certe non paucis ob idipsum gratum fuisse non dubito, quod R. V. cui dicatus à me est, atque iterum dicatur, nomen præscriptum gerat. Et sane cui potius inscribere debuerim, aut adhuc debeam, caussam reperio nullam. Si professionem spectem; Theologus es; eiusque summus Mystes: si dignitatem, pro Serenissimo Principe Archiepiscopo & Elector Pontificalia administras: si eruditionem; paucos habes qui tecum comparari possint: si pietatem; vix inueniet Momus ipse quod reprehendere possit. Vt cæteras virtutes Tuas taceam, Liberalitatem, Modestiam, Humanitatem: tum illas quibus tam ciuilis quam Spiritualis Respublica administratur, Iustitiam, Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam: plane vt Clerus à Te creatus, in Te vno satis exempli habeat quod imitetur.

Quantopere verò doctrina quæ libello hoc traditur sit vtilis ac necessaria, omnes sciunt. Vbi enim, quæso, vllus inueniatur animarum Pastor aut Curio, vt vulgò vocant, cui non casus eiusmodi, præsens remedium postulantes, aliquando, immò sæpenumerò offerantur? In quibus tanto cautius est procedendum quanto periculosius in vtramque partem erratur. Nimirum nec remisse nimis procedendum, vt veniæ facilitas peccandi licentiam; nec nimis strictè, vt rigor desperationem pariat. Et Deum immortalem, quot & quam præstantium Theologorum, immò cuius non in hoc desudauit labor? In manibus passim omnium versantur si non nimis, saltim satis multa

tis multi'ea de re scripti libri & libelli. Sed ad præsentem redeo.

Qui quum tam feliciter exierit, vt quod suprà dicere cepi, mihi recudēdus esset: iterum ille ipse ad R. V. patrocinium confugiendum sibi duxit, humiliter petens, vt ne eo indignum se iudices, sed lucis Tuæ gratiam, ad propinquos & remotos abituro, impertias. Mihi quidem gratius nihil fieri posset, quam si gratum tibi hoc quidquid est, esse intelligam. Vale Reuerendissime in Christo Pater ac Domine, & nobis ac toti Ecclesiæ diu perenna. Coloniæ Agrippinæ, prid. Cal. Apr. 1628.

R. V. D.

Addictißimus

Petrus Henningius, Bibliopola
& ciuis Colonienſis.

ILLVSTRIS. AC REVERENDIS. D.D. ALEXIO DE MENESES

INDIARVM QVONDAM PRIMATI, & Pro Rege Gubernatori, nunc Hiſpaniarum Primati, & Bracharæ Auguſtæ Domino.

ANTONIVS FERNANDEZ de MOVRE æternam optat fœlicitatem.

Pictorum ſtudium eſt cum primum imagines proforibus appendunt, eas in bono lumine collocare, vt ita argutiæ vultus, elegantia capilli, oris venuſtas, ſuperciliorum maieſtas, oculorum nitor, colorum ſuauitas perſpicue appareant, & iure merito, nam defectu luminis litura potius, quam pictura conſpicitur. Eadem mihi cura fuit, Præſul ampliſsime, hanc meam nauigantis animæ topographiam præ omnium oculis collocaturo, nimirum bonum lumen quærere: te facem vidi ex remotiſsimis Indorum regionibus fulgentiſsimam lucem longe, lateque diffundere. Nec mirum, è viuis pleniſque fontibus hauſiſti. Mitto Ordonhios, Sanxios, Dionyſios, Fernandos, Henricos, & alios plures Legionis, Iberiæ, atque Luſitaniæ Reges, è quibus ducis originem genuina progenies, venio ad caput propinquius Dominum D. Alexium de Meneſes parëtem tuum, qui ſuis præclarè geſtis tripartitum orbem colluſtrauit. Quis enim numerando, poterit recenſere bella, quæ pene puer geſsit in Libia ſub duce, cognomento magno, Domino Ioanne de Meneſes auunculo ſuo, germano fratre comitis de Cantanhede Domini Petri parentis ſui, vbi teneros pueritiæ annos militari duritie firmans ad robur, quo multis (omnibus dixerim, ni verbo eſſet inuidia) ducibus anteiuit, multa geſsit, confirmata ætate

ætate digna, regnante inuicto Emanuele, vt videre licet apud eiusdem chronica Regis. Inde rediens in Lusitaniam præfectus classis nauigauit in Indiam, ibique adolescentiam litans militiæ, Tocolaum (Nostrates Malacam dicunt) missus gubernator Proregis titulo, & potentia, tot inimicorum naues cæpit, tot fluctibus submersit, vt nullæ penitus immensa illa maria deinceps multos annos nauigauerint. Enim vero ea tanti ducis formidine perculsi hostes iacebant humi, vt nec animum erigere, nondum vires resumere amplius auderent, sicuti legere est in Indicis titulis, & catalogis. Bis in Proregum abscessu Indicarum rerum curam sustinuit, semel absente Lupo Suario (qui Alfonso Albuquercio succesit) dum Malabaricum fretum classe lustrauit, iterum Dominico Lopesio de Sequeira. Sapius Cotriaram missus (Nostrates appellant Cocinium) naues in regnum nauigaturas strenuè fabricauit, armamentis, ministrisque instruxit, nauigationi parauit, armato milite muniuit, cibariis refecit, opibus farsit. Exhaustis adolescentiæ viribus Asiaticis præliis patriam repetit victorijs clarus, opimis hostium spolijs onustus, atque secundo vento nauim sibi traditam ad portum patrium fæliciter perduxit. Nondum nauis situm, & pædorem nauigationis exterserat, quando in Africam mittitur, clarissimorum regni Ducum præsidio tunc munitam, vt munitiones illas inuiseret, renouaret, reficeret. Rebus Africæ aptè compositis ad Carolum Imperatorem V. legatus mittitur, multisque annis, quibus legatione functus est, in expeditionibus omnibus, ac prælijs plurimis Carolo hæsit, gladio districto. Quis præterea numerando recensere poterit amplissimos honores, ad quos Lusitaniæ, Hispaniaque Regum

munificentia diuinitus est euectus. In primis Mariæ Principis filiæ Ioannis Regis Tertij domus curam susce-pit, quamiam coniugem Philippi Hispaniæ Regis in Hispaniam proficiscentem comitatus, apud eandem Reginam idem, quod in Lusitania munus obiuit, cum tamen eodem tempore clarissimus Albæ Dux Principis esset œconomus. Eo tamen amoris nodo Reges deuinxit in munere, eo apud omnes virtutum splendore coruscabat, vt nato Carolo Principe ex Maria, & rogante Philippo patre Carolum imperatorem parentem, quem vellet Imperator eligi in patrinum Principis nepotis sui, responderit, D. Alexium de Meneses œconomum Reginæ, & ita iussus, & in cognationem regiam adscitus Carolum Principem à sacro fonte suscepit. Quam quidem cognationem tanti semper fecit Philippus, vt præ oculis haberet perpetuo, Te ipsum appello locupletissimum testem, Præsul amplissime. Accessisti ad scorialium, cum adhuc monachus esses, allocuturus Regem, Salutationem Rex anteuertit, misit D. Christophorum de Moura, qui te suo nomine salutaret, diceretque se gaudere te saluum, & incolumem peruenisse, tenerique desiderio te videndi filium compatris sui, quæ verba te coram iterum Rex præ dulcedine repetijt. Cum verò emortua Maria coniuge Philippus ad mitigandum dolorem in solitudinem secederet, curam Principis Caroli, totiusque domus administrationem Alexio reliquit, paruit ille, Principem aluit, & erudiuit, atque in comitiis Pinsiæ habitis regno tradidit, in Lusitaniamque redijt. Eo tamen erga Pædagogum Carolus Princeps amore flagrabat, vt ad explendum desiderium, singulis annis ei per nuntios non sine opulentis donis salutem plurimam impertiuerit, Sed vt ad rem ipsam & scopum

pum huius scriptionis veniam, Tibi ego tam illustribus orto natalibus, librum hunc dico, dedico, consecro. Multo quidem mihi, Praesul amplissime, sudore stetit, eam ex tot autoribus concinnare, noctes sæpè traduxi insomnes, annos integros libris incubui, vt mille casuum tricas, centum nodis intricatas, extricarem, atque difficillimo quæstionum labyrintho, cæca regens filo Doctorum vestigia, exitum inuenirem. Hoc vnum pretium, vna hæc merces à te in Dei opt. max. gloriam, eiusque Beatissimæ Genetricis laudem collustrari oculorum radijs erunt illi sagittæ potentis acutæ in corda inimicorum. æternum vale. Brachara Augustæ. vndecimo Kal. Decemb. Præsentationi B. Virginis Mariæ dicato die.

SAt cito, si sat bene, Dictum Catonis, vt cautè tenes Lector optime, vsurpatum augustè ab Augusto Principe, teste Tranquillo in actis eius: difficile notu antiquitatum ignaris; certum peritis, eo tantum significasse Imperatorem, quidquid bene celeriter faciendum. Qui adeo sic semper celer, vt præcipitem appellauerit Lucanus in Pharsalicis. *Sit subitum, quodcunque paras; sed Cæsar in omnia præceps.* Annis aliquot, sed paucis tamen præ materiarum pondere, opus absolui: grauitatem rerum celer agilitate superaui, diu noctuque, æstu, geluque vrebar cum Iacobo, recedebatque somnus ab oculis meis. Neque lassitudinem vnquam labor perpes peperit animo: imo ea mens deliciabatur dulcedine operi insudando, vt otiando mæreret, gauderet laborando, docta diligere triturам, loqui liceat cum Osea Vate. Imo cum Phœnice Aquilæ interroganti respondente apud D. Cyrillum in quadripartito Apologetico *li. 3. ca. 24.* Cur se traderet incendio, *quia in hoc igne*, inquit, *non doleo, sed delector, dum in generationem alterius totam me ipsam effundo*: nimirum cuncta sua beneficia, non sine magna delectatione liberalis natura communicat. Nam cum digestum cibum stomachus donauit, delectatur: omnis enim donatio liberalis cum iucunditate est cordis, vt verbis vtar Cyrilli.

Moralis Theologiæ paradisiacum ortum in qua-

quatuor diuisi areolas: iure merito quadripartitum dixeris opus. Fruticum seriem in quincũcem deduxi, vt varietate rerum, & perspicua distinctione lectitantium animi oblectarentur. In prima decem Decalogi præcepta: In secunda Ecclesiæ scita: In tertia à Christo Domino instituta sacramenta: In quarta tum in communi, tum in singulari peccata capitalia inuenies simul cum pietis operibus.

Communi semper hæreo sensui, ni oppositum euidens suadeat ratio. Præbe fidem non fucatę assentantium gloriolæ, sed verè studentium seruire vtilitati proposui, & proinde clarè potius, & planè aliquando, quam purè, & latinè loquor, memor dicti D. Augustino familiaris teste Senensi Bibliothecæ. 4. *Malo me reprehẽdant grammatici, quam non intelligant populi.* Votis faueto, & Munus, quodcunque illud est, amanter accipito, aliud paro, fortè accuratius, faxit Deus, in commune bonum, vt prodeat, vita superstite, salute comite, Ipsus te beet.

APPRO-

APPROBATIO.

DE mandato Illustrissimi Domini Episcopi, Domini Petri de Castillo Generalis Inquisitoris sanctissimi officij, qua potui cura, ac diligentia librum hunc reuidi, atque examinaui, cuius titulus est *Examen moralis Theologiæ*, Auctor Licentiatus Antonius Fernandez de Moure Concionator Bracharensis, & meritum opus duxi, quod in lucem edatur, tale quidem, *quale maius de hoc argumento nunquam vidi*. Nam præterquam quod nihil catholicæ doctrinæ aduersarium vllo pacto defert, spero fore, vt magnæ vtilitati omnibus examen moralis Theologię subituris, quinimo, & facturis illud sit. Datum Olysipponæ, die 20. Nouembris, anni 1610.

Doctor Frater Antonius Freyre.

VIstas as Informaçomes prodesse imprimir este liuro de casos, assi como vay, & depois de Impresso tornea este Conselho pera se conferir, & dar licença pera Correr, & sem ella nam carrera. Em Lisboa 14. de Feuereyro de 612.

O Bispo de N. Bartholameu D' afonsequa
Ruy Pirez. Da Veiga. Antonio Dias Cardoso.

CAPITA

CAPITA PARTIS PRIMÆ.

Cap. 1. DE numero præceptorum Decalogi, & loco vbi continentur. pag. 1
Cap. 2. De præcepto de diligendo Deo. 3
Cap. 3. De præcepto de diligendo proximo. 6
Cap. 4. De primo Decalogi præcepto. 27
Cap. 5. De secundo Decalogi præcepto. 40
Cap. 6. De Voto. 54
Cap. 7. De tertio Decalogi præcepto. 81
Cap. 8. De quarto Decalogi præcepto. 85
Cap. 9. De quinto Decalogi præcepto. 88
Cap. 10. De sexto Decalogi præcepto. 99
Cap. 11. De septimo Decalogi præcepto. ibid.
Cap. 12. De restitutione in communi. 101
Cap. 13. De restitutione in singulari. 115
Cap. 14. De restitutione circa bona corporis. 126
Cap. 15. De restitutione circa bona fortunæ. 161
Cap. 16. De obligatione restituendi donationem. 198
Cap. 17. De testamentis & codicillis. 228
Cap. 18. De furto & rapina. 243
Cap. 19. De octauo Decalogi præcepto. 253
Cap. 20. De Detractione. 291
Cap. 21 De nono Decalogi præcepto. 294
Cap. 22. De decimo Decalogi præcepto. 295

Capita partis Secundæ.

Cap. 1. De lege humana. pag. 296
Cap. 2. De potestate condendi leges humanas. 300
Cap. 3. De vi coactiua legum humanarum quoad forum externum. 303

Cap. 4.

Cap. 4. De obligatione legum humanarum, quo ad forum internum. 309
Cap. 5. De obligatione legum humanarum quo ad culpam. 320
Cap. 6. De obligatione legum humanarum quo ad personas. 327
Cap. 7. De reuocatione priuilegiorum. 332
Cap. 8 De quinque Ecclesiæ præceptis. 333
Cap. 9. De Excommunicatione. 351
Cap. 10 De Irregularitate. 381
Cap. 11. De suspensione quid sit? 408
Cap. 12. De Interdicto. 412
Cap. 13. De cessatione à Diuinis. 419
Cap. 14. De Degradatione. 423

Capita partis Tertiæ.

Cap. 1. De Sacramentis in genere. pag. 429
Cap. 2. De Sacramento Baptismi. 442
Cap. 3 De Sacramento Confirmationis. 460
Cap. 4. De Sacramento sacrosanctæ Eucharistiæ. 465
Cap. 5. De nomine & auctore Missæ. 480
Cap. 6. De materia Sacramenti Pœnitentiæ. 508
Cap. 7. De Indulgentijs. 603
Cap. 8. De Purgatorio. 621
Cap. 9. De Etymologia huius nominis Bulla Cruciata. 632
Cap. 10. De Sacramento extremæ Vnctionis. 669
Cap. 11. De Sacramento Ordinis. 675
Cap. 12. De horis Canonicis, seu diurno officio sacerdotum. 685
Cap. 13. De Beneficijs. 694
Cap. 14. De Simonia. 703

Cap.15. De Sacramento Matrimonij. 720
Cap.16. De impedimentis ad matrimonium contrahendum. 722
Cap.17. De Sponsalibus, & Denuntiationibus. 781
Cap.18. De Matrimonio, quatenus est Sacramentum. 798
Cap.19. De polygamia, libello repudij, & vsu matrimonij. 808
Cap.20 De vsu Matrimonij, seu de debito cõiugali. 818

Capita partis Quartæ.

Cap.1. De peccato in communi. pag.828
Cap.2. de septem peccatis capitalibus. 840
Cap.3. de peccatis diuersorum statuum. 858
Cap.4. De peccatis Beneficiariorum & beneficij collatorum. 864
Cap.5. De cauponum peccatis. 867
Cap.6 De peccatis Delatoris. 893
Cap.7. De episcoporum peccatis. 897
Cap.8. De Fiscalium peccatis. 907
Cap.9. De Hæreticorum peccatis. 912
Cap.10. De Iudicum peccatis. 915
Cap.11. De peccatis locantium domos. 925
Cap.12. De Mercatorum peccatis. 932
Cap.13. De nouitiorum peccatis. 945
Cap.14. De Oppositorum in concursu beneficij peccatis. 950
Cap.15. De prædicatorum peccatis. 956
Cap.16. De Regum peccatis. 976
Cap.17. De Sacerdotum peccatis. 984
Cap.18. De Testium peccatis. 988
Cap.19. De Viduarum peccatis. 990
Cap.20. De operibus misericordiæ. 991

ELENCHVS OPERIS.

PARS PRIMA continet duo communissima principia de diligendo Deo, & proximo.

Insuper decem Decalogi præcepta: atque materias omnes, quæ circa illa Doctores agitare solent.

PARS SECVNDA continet quinque Ecclesiæ mandata. Insuper censuras, & pœnas Ecclesiasticas.

PARS TERTIA continet septem Ecclesiæ Sacramenta, & materias, quæ circa illa tractari solent.

PARS QVARTA continet materias peccatorum, tam in communi, quam in singulari circa diuersos personarum status alphabetico ordine distinctas.

Ad calcem operis de operibus agitur Misericordiæ.

INDICES DVO VTILISSIMI, vnus Capitum, alter rerum & materiarum omnium, ordine alphabetico.

EXAMEN

EXAMINIS THEOLOGIÆ MORALIS PARS PRIMA.

IN QVA DVO COMMVNISSIMA PRINCIPIA NATVRALIA DE diligendo Deo & proximo, atque decem Decalogi præcepta continentur.

CAPVT PRIMVM.

De numero præceptorum Decalogi, & loco vbi continentur. §. 1.

1 *QVot sunt Decalogi præcepta.*
2 *Vbi continentur.*
3 *Suntne naturalia, an positiua diuina.*
4 *Quale peccatum est illa transgredi.*
5 *Quando quis dicatur transgredi præceptum ex contemptu.*
6 *An præter hæc præcepta dentur alia naturalia.*
7 *Quæ sunt præcipua.*
8 *Cur in Decalogo non sunt adnumerata.*

QVÆSTIO 1. *Vt à facilioribus ad difficiliora progrediamur rogo inprimis, quot sunt Decalogi præcepta?* RESP. Decem sunt.

2. QVÆST. *Quæ in parte diuina pagina continentur?* RESP. Capite quidem *Exod. 20.*

1 *Non habebis deos alienos coram me.*
2 *Non assumes nomen Dei tui in vanum.*
3 *Memento vt diem sabbathi sanctifices.*
4 *Honora patrem tuum, & matrem tuam.*
5 *Non occides.*

6 *Non mœchaberis.*
7 *No furtum facies.*
8 *Non loqueris contra proximum tuũ falsum testimonium.*
9 *Non concupisces vxorem proximi tui.*
10 *Non desiderabis domum proximi tui, non seruum, nõ ancillam, non bouem, non asinum, non omnia, quæ illius sunt.*

3 QVÆST. *Suntne præcepta hæc naturalia, an positiua diuina?* RESP. Sunt naturalia. Tertium excipias, quo ad sabbathi, vel alterius diei sanctificationem. Quamuis enim ex iure naturali, Deum certo die colere teneamur, determinatio tamen talis diei, vel fuit ex præcepto diuino positiuo, vt in veteri lege sabbathi sanctificatio, vel est ex præcepto positiuo Ecclesiastico, vt modo obseruantia Dominicę, aliorũq; quos colimus sanctis dicatos.

4 QVÆST. *Quale peccatum est transgressio præcepti ex istis?* RESP. Mortale, nisi vna trium causarum id excusset: *Prima*, defectus deliberationis. *Secunda*, defectus pleni iudicij. *Tertia*, materiæ paruitas, & exiguitas. Dũmodo ad hanc materiæ paruitatem non accedat contemptus: cõtemptus enim cuiuslibet præcepti etiam sub veniali tantum obligantis lethale peccatum est, vt cum Doctorum communi sensu docet Nauar. *cap.* 23. *nu.* 25. Quamobrem, qui ex contemptu transgreditur præceptum in materia graui, ex se obligans ad mortale, duo mortalia committit, vnum contemptus, alterum transgressionis præcepti, necessario in confessione explicanda.

5 QVÆST. *Quando dicitur aliquis transgredi præceptum ex contemptu?* RESP. Quando quis ea præcise ratione vult transgredi præceptum, vel non subijci, aut non obedire, vt ipsi præcepto, vel præcipiẽti nõ obediat, hoc est, transgreditur præceptum, non præcipue propter concupiscentiam, aut iram, aut fragilitatem, aut aliam rationem, sed dedita opera, vt faciat contra legem, & ordinationem præcipientis, ita explicat D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *ar.* 9. *ad* 3. Quem contemptum adeo grauem culpam censuit Caiet. vt 2. 2. *q.* 106. *ar.* 2. affirmet esse peccatum mortale Christianum agere contra Christi Domini consilia (ad quæ non tenetur) ea præcise ratione, vt faciat contra tale consilium.

6 QVÆST. *Præter hæc præcepta naturalia in Decalogo, cõtenta*

tenta, sutne alia præcepta naturalia? RESP. Sunt. Veruntamen, vel in istis implicite continentur, vel ad illa facillime reducuntur.

7 QVÆST. *Quæ sũt præcipua?* RESP. Duo. *Primum.* Diliges Dominum Deum tuum. *Secundum.* Diliges proximum tuum sicut teipsum.

8 QVÆST. *Cur in Decalogo non sunt adnumerata?* RESP. Quia sunt prima principia naturalia, quæ naturæ ductu ostenduntur. Hinc facile colliges toto cœlo aberrare eos, qui arbitrantur primum Decalogi præceptum esse de diligendo Deo. Est enim opinio contra textum *Exod.* 20. cuius hæc sunt ipsamet verba (*Non habebis Deos coram me*) quibus quidem verbis solum peccatum superstitionis, & idololatriæ, quod est contrarium religionis, latriæque virtuti, prohibetur.

9 QVÆST. *Extricabis ne difficiliores tricas horum præceptorum?* RESP. Agam pro virili: vellem tamen, si tibi arridet, vt prius de duobus illis communissimis naturæ principijs, dilectione nimirum Dei, & proximi me interroges:

CAPVT II.

De præcepto de diligendo Deo. §. 1.

1 *Quo pacto Deus est à nobis diligendus.*
2 *Quid sibi velint verba hæc, ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima.*
3 *An teneamur Deum diligere intensiue.*
4 *Non est opus esse in perpetuo actu diuini amoris.*
5 *Quando obligat hoc præceptum sub mortali.*
6 *Quando tenetur quis habere contritionem.*
7 *Quæ culpa est Deum amare propter præmiũ.*

1 QVÆSTIO. *Quo pacto est à nobis Deus optimus maximus diligendus?* RESP. Diligendus, vt ipse nos docuit, nam in Deu. *cap.* 6. ita præcipit. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota fortitudine tua.* Mat. 22. *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Marc. 12. *Diliges Dominum Deũ*

tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.

2 QVÆST. *Quid sibi volunt hæc verba, & quod interpretamentum habent?* RESP. Ex toto corde tuo, id est, ex tota mētis intentione, ex tota mente, id est, ex toto intellectu, ex tota anima, id est, ex toto affectu, ex tota fortitudine, id est, per omnia externa opera. Hoc est denique Deum diligere propter se, eique seruire, tam interiori, quam exteriori obsequio.

3 QVÆST. *Tenemurne Deum summè diligere super omnia intensiue, an, vt aiunt, appretiatiue?* RESP. Tenemur solum appretiatiue, hoc est, vt eum, eiusque amorem pluris, quam aliquam creaturam, æstimemus, & propter illius amorem potius eligamus mortem oppetere, quam ipsum, vel corde, vel verbo, vel opere mortaliter peccando, negare, cum requirimur.

4 QVÆST. *Estne opus, vt perpetuo simus in actu diuini amoris?* RESP. Minime, hoc enim in hac vita fieri nequit, quæ cibo, somno, labore, negotijsque alijs necessarijs interrumpitur. Verisimile tamen est ex diuino priuilegio soli Beatissimæ Virgini Mariæ fuisse concessum nunquam huiusmodi actum interrupisse. Ita aperte deducitur ex Suarij doctrina. 3. *p. disput.* 18. *sect.* 2. *in q.* 38. *art.* 4. tradit eam Albertus Magnus *lib. de Beata Virg. cap.* 176. 177. 197. vbi dicit nouum priuilegium Virginis fuisse, quia quolibet tempore meruit: refert, & approbat D. Anton. 4. *p. tit.* 15. *cap.* 20. §. 6. idem tenet Bernar. de Busto. 4. *p. serm.* 9. §. *vlt.* affirmans non esse dubitandum, quin Beata Virgo à primo rationis vsus instanti, vsque ad suum felicissimum transitum semper fuerit in actu merendi. Clarius Canisius *lib.* 5. *cap.* 5. Cuius vita, inquit, iugis, & continua quædam fuit contemplatio.

Dupliciter intelligi potest conclusio: vel te tempore quo Beata Virgo vigilabat, atque de eo certa est, vt claret ex Ambros. *lib.* 2. *de virginibus ad initium.* vel de tempore, quo dormiebat, atque de eo est verisimilis. Ita docet Bernard. Senens. *serm* 51. *ar.* 1. asserens Beatam Virginem, cum dormiebat, in altiori fuisse contemplatione, quam fuerit quiuis alius, dum vigilaret. Atque de ea exponit illud Hierem. 1. *virgam vigilantem ego video.* & il-

lud

lud Cantic. 5 *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quæ verba elegenter exponit Rupertus *lib. 5. in Cantica, prope initium*, vbi inter alia ista Multarum quoq; animarum fuit, & est non solum secundum similitudinem, otio sancto dormire, id est, à terrenis curis vacare, & in corde vigilare: verum etiam eodem modo, quo & Iacob dormiuit, secundum corpus dormire, & secundum animum cœlestia videre, sed tu, ô cœlum Dei, vnica sedes Domini, in vtroque vigilandi modo cunctis mortalibus longe eminentior extitisti, longe studiosior ad contemplandum eum, in quem desiderant Angeli prospicere. Probatur ratione. Quod priuilegium alijs concessum est, non est Beatissimæ Virgini denegandum, atqui iuxta D. Augustin. 5. *Contra Iulian. cap. 9.* hominibus in innocentiæ statu concessum est, & iuxta Senensem alijs, ergo Beatæ Virgini.

5 QVÆST. *Quando obligat hoc præceptum sub mortali?*
RESP. Res est magnopere controuersa, quia cum hoc præceptum affirmatiuum sit, non pro quocunque tempore obligat. Scot. 3. *sent. d.* 27 *q.* 3. arbitratur obligare omnibus festiuis diebus, sed est sententia dura, & sine fundamento asserta. Alij existimant obligare solum in hora mortis, sed est sententia nimis laxa. S. Thom. 1. 2. *qu.* 89. art. 6. existimat obligare, cum quis primo ad vsum rationis perfecte accedit, ac proinde teneri talem referre omnia sua in Deum summe dilectum, sed est opinio nimis stricta difficillimaque obseruatu, neque timorati viri de ea curant. Sot. 2. *d. Iust. q.* 3. *art.* 10. putat obligari hominem ad hoc præceptum, quando à Deo recipit aliquod notabile beneficium: & quando liberatur ab aliquo grauissimo malo, verum hoc saluberrimum est consilium, non præceptum. Obligat igitur hoc præceptum solum pro eo tempore, in quo homines obligantur ad habendam contritionem, quæ quidem haberi non potest (communiter loquendo) absque Dei dilectione super omnia.

6 QVÆST. *Quando tenetur quis habere contritionem?*
RESP. Tenetur, cum adest mortis periculum. Cum administraturus est, vel recepturus aliquod sacramentum. Cum actum ordinis solemniter facturus, vt cantaturus

turus Epistolam cum manipulo, & Euangelium cum stola, vel quamuis aliam actionem officio, ordiniq; solemniter annexam, si habet conscientiam mortalis culpę, & caret copia confessarij.

7 QVÆST. *Quæ culpa Deum offendit, qui Deum amat præcise, quia ab eo accipit, vel sperat fore, vt accipiat bona, seu spiritualia, seu temporalia?* RESP. Mortaliter. Nau. *cap.* 11. *n.* 20. vnde explicandũ est Cõcil. Trident. *sess.* 6. Canone 26. & 31. cum ait esse hæreticum eum, qui asserit, peccatum esse virtutis actus exercere propter retributionem, secũdario, & minus principaliter, minoris scilicet faciendo præmium, & remunerationem, quam Deum remuneratorem.

CAPVT III.

De præcepto de diligendo proximo. §. 1.

1 *Quis intelligitur nomine proximi.*
2 *Circa quæ tenemur proximum diligere.*

1 QVÆSTIO. *In primis quæro ex te, quem intelligis nomine proximi?* RESP. Intelligo omnem illum qui nobiscum potest particeps esse eiusdem supernaturalis finis, ac beatitudinis. Quoniam vero talis est omnis homo viuẽs, siue iustus sit, siue peccator: seu fidelis, seu infidelis: aut amicus, aut inimicus: (siquidem omnes hi ex diuino gratiæ decreto ad æternam felicitatem ordinantur) omnis talis proximus est.

2 QVÆST. *Circa quæ tenemur proximum diligere?* RESP. Circa quatuor præcipue. 1. Circa necessitatem vitæ spiritualis. 2. Circa necessitatem vitæ corporalis. 3. Circa necessitatem rei familiaris. 4. Circa communia beneficia.

Quo pacto proximus est diligendus in necessitate vitæ spiritualis. §. 1.

1 Quo

1 *Quo pacto proximus est diligendus circa necessitates spirituales.*

2 *Quo cum nostro detrimento.*

3 *Quæ est extrema necessitas, quæ grauis.*

1 QVÆSTIO. *In necessitate vitæ spiritualis ad quid tenemur?* RESP. Tenemur inprimis omnibus velle beatitudinem æternam, non positiue, sed vt aiunt, negatiue, hoc est, nulli optare beatitudinis priuationem. Talis enim priuationis voluntas mortale peccatum est contra præceptum istud.

Tenetur deinde proximo spiritualiter indigenti succurrere ad bona gratiæ & gloriæ.

Exemplo res erit manifesta. Est aliquis in mortis articulo, quem scio non esse confessum, nec habere copiam confessarij, habere vero conscientiam mortalis culpæ, ac proinde esse in periculo damnationis æternæ, ni illi opem feram, vocando confessarium, aut illum audiendo; si confessarius sim, teneor sub mortali eius inopiæ auxiliari.

2 QVÆST. *Quo cum detrimento succurrentis obligat charitatis præceptum circa proximum spiritualiter periclitantem?* RESP. Extreme periclitanti spiritualiter proximo quilibet tenetur succurrere cum quouis dispendio, etiam vitæ corporalis, si sibi probabile est profuturum auxilium, claret ex 1. Ioann. 3. *Debemus pro fratribus animas ponere.* Quem locum diuini Interpretes, sacrique Doctores de vita corporali propria, pro spirituali proximi ponenda intelligunt. Ast grauiter periclitanti spiritualiter proximo, tenetur quis succurrere quando potest, cum paruo honoris, reiue familiaris detrimento: non vero cum non potest sine harum rerum magna iactura. Extra necessitatem extremam, tenentur etiam succurrere grauiter spiritualiter periclitanti, quibus ex officio incumbit spirituali saluti aliorum prouidere, etiam cum propriæ vitæ periculo. Hinc colliges non posse Curatum fugere tempore pestis, & relinquere oues sine sacramentis, licet certo sciat se fore pestilentia inficiendum,

dum. Colliges itidem non posse Episcopum fugere tempore hæresis, & relinquere oues deceptoribus, licet districtus gladius capiti immineat, sed teneri ponere animam pro ouibus suis.

3 QVÆST *Quæ est extrema necessitas? Quæ grauis?* RESP. Extrema necessitas est, cum non supperit aliud auxilium, nisi meum, vt cum quis est inter infideles eodem errore periturus, nisi illum doceam veritatem quam solus calleo. Grauis necessitas est, cum aliud est auxilium, sed qui illud præstare possunt, nolunt. Vt cum vir nobilis propter inopiam vult filias prostituere, quam leuare alij diuites possent, sed abnuunt.

DE PRÆCEPTO FRAternæ correctionis. §. 3.

1 *Quale est præceptum fraternæ correctionis.*
2 *Quod peccatum est transgredi hoc præceptum.*
3 *Quas personas obligat hoc præceptum.*
4 *Quæ peccata cadunt sub hoc præcepto.*
5 *Vtrum nonnulla peccata venialia cadant sub hoc præcepto.*
6 *Quæ conditiones requiruntur vt obliget hoc præceptum.*
7 *Non licet peccata secreta proximi inquirere animo corrigendi ea.*
8 *Per quæ media licet prælatis inquirere subditorum vitia.*
9 *Quid potest confessarius circa correctionem peccati cogniti in confessione.*
10 *Eritne sanum petere licentiam à pœnitente pro corrigendo complice peccati confessi.*
11 *Si talem facultatem petat confessarius, estne illi concedenda.*

12 *Quæ*

12 Quæ est secunda conditio necessaria ad inducendam obligationem corrigendi.

13 Quamuis nõ detur spes emendæ delinquentis, sed sola euitatio in posterum damni ex peccato emanantis, teneor proximum corrigere.

14 Quæ est tertia conditio ad inducendam obligationem corrigendi proximi.

15 Quando potest differri correctio, cum iam fieri possit.

16 Quando licita est permissio noui peccati ad copiosiorem correctionem.

17 Quæ est quarta cõditio requisita ad obligationem correctionis.

18 Qui obligantur ad correctionem.

19 An subditus possit fraterne corrigere prælatum secreto.

20 An possit publice.

21 Obligatne hoc præceptum peccatorem circa peccatum, in quo idem ipse est.

22 Quis est ordo fraternæ correctionis.

23 Estne talis ordo in præcepto.

24 Quot actibus constat fraterna correctio.

25 An adhibenda sit secreta monitio circa publica peccata.

26 Quot sunt adhibendi testes.

27 Qui sunt adhibendi testes.

28 Cui facienda est denunciatio.

29 Ecclesiæ nomine qui intelligantur.

30 Si Papa delinquat, cui facienda est denunciatio.

31 Quomodo facienda est denunciatio.

32 Quomodo se gerere prælatus debet cum fraterne denunciatis de crimine secreto.

33 *Quomodo se gerere debet cum eisdem de crimine publico.*

34 *Ad quid tenetur fraterne denunciatus.*

35 *Quis ordo seruandus circa hæresi infectos.*

36 *Quid dicendum de ordine correctionis fraternæ circa eos, qui renunciarunt iuri famæ.*

8 QVÆSTIO. *Quoniam ad spiritualem profectum non leniter conducit fraterna correctio, locus videtur suo iure postulare, vt ea statim te interrogem. Quæle igitur est præceptum fraternæ correctionis?* RESP. Naturale in primis, constat Ecclesiast. decimo septimo. *Vnicuique mandauit Deus de proximo suo:* Nam si iuxta illud Deus iubet *Deuteronom.* 12. reducere ouem, aut bouem proximi errantem, multo magis eodem naturali iure præcipimur ipsum errantem proximum ab errore reuocare. Enimuero teste Philosopho 9. *Ethicor.* quanto mores præstant pecunijs, tanto maius auxilium ferendum in moribus, quam in diuitijs. Est etiam præceptum positiuum diuinum, latum à Christo Domino. Matth. 1. 8. *Corripe eum.* Et ideò illud vocat Innocent. *cap. Nouit. de iudic.* præceptum dominicum, & *cap. Ex iuncto, de hæreticis,* regulam Euangelicam. Quod temerarie negauit Angles *in* 4. *quæst. de correct. dubit.* 1. contra Innocent. supra, & Anacletum *cap. Tam sacerdos,* 24. *quæst.* 3. Promulgatum fuit à D. Paulo. 1. *ad Thessalon.* 5. & *ad Gal.* 6. *Si frater præoccupatus fuerit, &cat. Corripite inquietos.*

2 QVÆST. *Quod peccatum est transgressio huius præcepti?* RESP. Ex suo genere mortale. Ita definitur *capit. Consentientis dist.* 38. *cap. Facientu. dist.* 86. Probatur ex pœna mortis exposita Roman. 1. *Digni sunt morte non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus.* Consentire vero, inquit Glossa, est tacere, cum possis arguere. Probatur ratione, quoniam sub mortali tenemnr succurrere proximo extreme, aut grauiter corporaliter indigenti, vt iam dixi, Ergo multo magis indigenti spiritualiter. Nam, vt inquit Gregor. *homil.* 6. *in Euangel.* plus est

mentem

mentem in æternum victuram pabulo verbi reficere, quam ventrem perituræ carnis terreno pane saturare.

3 QVÆST. *Quæ personæ cadunt sub correctionem fraternam?* RESP. Licet fraternæ correctionis præceptum, eiusque ordo exprimatur à Deo in solis fidelibus, tamen obligat nos circa omnes, etiam infideles, quo ad ordinem possibilem, nimirum, vt corrigamus eos intra nos & ipsos solos: deinde vt non emendatis adhibeamus vnum, aut alterum testem &c.

4 QVÆST. *Quæ peccata sunt materia fraternæ correctionis?* RESP. Omnia, & sola mortalia sunt materia necessaria, siue ex malitia commissa, siue ex ignorantia, vincibili, aut inuincibili: siue corrigenti iniuriosa, aut non: siue præterita, nondum emendata, aut futura. Dixi sola materia, quia finis correctionis fraternæ est lucratio fratris: non dicimur vero lucrari, nisi perditum. Denique quia pœna correcti, & non emendati supponit peccatum graue: scilicet, sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus. Denique quia peccata venialia sunt obuia, & proinde si de ijs teneremur inuicem nos corrigere, esset præceptum nimis oneroſum, difficile, ac penitus impossibile. Nam tertio quoque verbo, vt aiunt, adhibenda foret admonitio, & correctio. Dixi ex malitia, siue ex ignorantia inuincibili: Quoniam licet non peccet, qui delinquit, ille tamen cuius ex officio interest ignorantis instructio, vel qui videt notabile damnum tertij, aut ipsius peccantis inaduertenter inde emanare, aut scandalum, aut notabilem irreuerentiam Dei, tenetur emendare, obuiamque procedere Dei, atque proximi offensionibus. Ad hanc ignorantiam inuincibilem de offensa Dei reducitur ignorantia inuincibilis de medio aliquo necessario ad salutem, de cuius admonitione tenemur, vt tenemur periculo salutis æternæ auxiliari.

5 QVÆST. *Dixisti sola peccata mortalia esse materiam necessariam huius præcepti, suntne etiam aliqua venialia?* RESP. Sunt quidem: nulla enim tam communis regula est, quæ exceptionem non patiatur.

Sunt

Sunt igitur in *triplici* euentu. Nimirum *Primo*, si proxime disponant ad mortale. Probatur facile, quoniam vnusquisque sub mortali tenetur eripere proximum à periculo peccandi mortaliter: sed tale est peccatum veniale proxime disponens ad mortale inaduertenter cõmissum, ergo, &c. Talis esset incauta adolescentis cum suspectis fœminis consuetudo, aut cum viris flagitiosæ vitæ familiaritas.

Secundo, si inducat prauam consuetudinem in profitentibus perfectionem: & ideo peccat mortaliter prælatus religionis, qui licentiam venialiter peccandi religiosorum non emendat, aut conniuet non castigando notabilem regularum violationem ad nullam etiam culpam obligantium. Ratio est, quia cum secundum D. Thom. 2.2.*q* 186.*art.* 1. religiosa vita exercitium sit virtutis, iuxta illud: *Iustorum semita quasi lux splendescens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Prouerb. 4. & illud: *Ibunt de virtute, in virtutem*, &c. Psalm. 83. Hæc profusa venialiter peccandi audacia cedit in notabile detrimentum religiosæ disciplinæ, quam sartam tectam custodire tenetur ex officio. Vnde colliges, non solum obligare ex charitate, sed etiam ex iustitia. Enim vero si bona tẽporalia religionis profuse dissipari permittat, contra iustitiam peccat mortaliter, vt docet D. Thom. 2.2. *q.* 43. *art.* 8. ergo multo magis peccabit, si sinat dissipari bona spiritualia. *Denique* si peccatum veniale vergat in detrimentum notabile proximi, aut scandalum, quod non aduertat peccator. Ideo D. Paul. D. Petrum reprehendit. Gal. 2. ob solum peccatum veniale, vt Doctores ostendunt, eo loco, quod nimirum gentes inaduertenter offenderet.

6 QVAEST. *Quæ requiruntur conditiones, vt obliget hoc præceptum?* RESP. Quatuor, *Prima* peccati cognitio: hæc vero debet esse moraliter certa. Probatur ex verbis Christi. *Si peccauerit in te frater tuus*, hoc est, coram te: alioqui magna irrogatur proximo iniuria, si innocens esset. Si tamen peccatum esset grauissimum, aut cederet in damnum tertij, & multo magis si cederet in damnum commune, licet ex probabilibus solum coniecturis erueretur, licite posset corrigi à prælato, qui pastor tenetur

de

de gregis damno, etiam dubio prouidere. Numquam tamen satis est habita notitia ex confessione, quia grauissima sacramento fieret offensio.

7 QVÆST. *Possumus ne fratrum peccata inquirere ad corrigendum?* RESP. Peccatum mortale est ex suo genere id inquirere, ita D. Thom. *in 4. d. 19. quæst. 2.* constat ex capit. 24. Prouerbiorum. *Ne quæras impietatem in domo iusti*, hoc est, habiti, vt iusti, & innocentis. Probatur ratione, quia notabilis proximo infertur iniuria, propter inustam infamiam. Certum tamen est, quod prælatus, quatenus pater spiritualis est, potest, & interdum tenetur rationem viuendi subditorum ad paternè corrigendum inquirere, ita Sot. *de tegendo secr memb. 2. q. 3. circa 3. conclusion.* Adrian. *in 4 quæst. de cor frat.* ad secundum probatur ex *cap. Quamuis de reg iur.* vbi dicitur nullam esse pastoris excusationem, si lupus comedat oues, & pastor nesciat, & propterea prælati in scriptura appellantur speculatores, vigiles, custodes, qui reddituri sunt rationem de ouibus sibi commissis. Idem dicendum de patribus carnalibus erga filiorum mores cognoscendos, & magistris circa discipulos, pædagogis circa alumnos.

8 QVÆST. *Quæ media possunt adhibere prælati ad cognoscendam vitæ rationem subditorum?* RESP. Possunt adhibere animaduersores, qui, quæ domi publice fiunt, deferant. Possunt generalem facere inquisitionem, de nemine in singulari testes interrogando, nisi tales sint probabiles coniecturæ, vt in singulari iam aliquis fama laboret incerta. Possunt loca secreta subditorum penetrare, & perscrutari, & quæ apud illos geruntur introspicere. Idem dicendum de patre, de pædagogo, de magistro, ac alijs, qui paternam curam de aliquo susceperunt, prout magis, minusve, vt patres habentur.

9 QVÆST. *Quid potest confessarius de peccato in confessione cognito circa complicis correctionem?* RESP. contra sacramentale sigillum facit confessarius, si ex peccato per confessionem cognito procedat ad externam correctionem pœnitentis complicis tertiæve personæ. Quin etiam licet prælatus ex eadem notitia cautior reddi possit, non tamen procedet ad inquisitionem, explorationemve crimi-

ve criminis. Hæc veritas manifesta est ex doctrina de sigillo confessionis, ad quod tenemur, tam naturali, quam diuino positiuo iure, cuius fractio acerbissimis pœnis coercenda decernitur, *cap. Omnis vtriusque, de pœnit. & remiss. cap. Sacerdos de pœnitent. dist.* 7. Sub sigillo vero sunt non solum pœnitentis crimina, sed complicis, & tertiæ etiam personæ, occasione confessionis sacerdoti, vt Deo detecta. Ita Doctores communiter cum Pal. *in* 4. *dist* 21. *quæst* 3 Ledesm. 2. 4. *quæst.* 10. *art.* 5. Sot. *de reg. sec. membro* 3. *quæst.* 4. & in speciali de prælato tenet Henr. *lib.* 3. *de pœn. cap.* 25. §. 2. cum multis, quos refert: Verum de licentia pœnitentis potest confessarius ad huiusmodi correctionem procedere, vt communis docet opinio *in* 4. *distinct.* 21. Bonau. Palud. Nau. *capit. Sacerdos numer.* 151. cum alijs, sed de hac re latius in suo loco.

10. QVÆST. *Estne hæc facultas à pœnitente exigenda?* RESP. Nequaquam petenda est: quia non est medium proportionatum, cum ex se ordinatum sit ad solum ipsius pœnitentis spirituale bonum, & plerumque sequitur scandalum pusillorum, & fit onerosum sacramentum.

11. QVÆST. *Estne à pœnitente concedenda?* Minime, quia vt plurimum non cedit in bonum, imò in calumniam confessarij, & onus sacramenti. Illam vero in nullo euentu tenetur pœnitens concedere, imò potius communis est sensus, vt videbimus, posse eum dimidiare confessionem, ne complicem prodat.

12. QVÆST: *Quæ est secunda conditio?* RESP. Spes emendæ: nam vt ait Diu. Paul. 1. ad Corinth. 9. *debet, qui arat, in spe arare*: si enim nulla sit spes, *nolite*, inquit Christus Matth. septimo: *dare sanctum canibus*, vt Gloss. locum interpretatur. Probatur, quia correctio fraterna tendit in bonum fratris, vt in finem, ergo eo cessante, saltem quo ad spem, omittenda est Multo minus adhibenda est correctio, cum intelligitur ob futura. Ita nos admonet sapiens Prouerbior. 9. *Noli arguere derisorem.* confirmatur, quia nulla lex obligat, etiam in singulari, cum illius finis cessat contrariæ, id est, cum ex eius obligatione sequitur oppositum fini intento. Si tamen spes sit tantum cum probabili dubio, & necessitas

detur

detur extrema, vt cum periclitatur morti vicinus de animi salute, nisi conteratur: licet, inquam, ego dubitem, an correctio sit profutura, teneor admonere: nam medicus in periculo vitæ corporalis tenetur adhibere remedia, quamquam probabilia.

13 QVÆST. *Non datur spes emendæ propriæ peccantis, datur tamen spes euitandi damni aliorum ab eo emanantis. exempli causa, edocet hæresim quis rudem plebem: si admonuero, ipse non emendabitur, impedietur tamen hæreticè incendij conflagratio, teneor ne corrigere?* RESP. Teneor sane: Ita omnes.

14 QVÆST *Quæ est tertia conditio?* RESP. Opportunitas temporis. Prou. 25. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.*

15 QVÆST. *Possumne opportuno tempore prætermisso in opportunius, aut æque opportunum tempus correctionem differre?* RESP. Si ex dilatione correctionis non sequitur nouum peccatum, sed tantum diuturnior mora in eodem peccato, speratur vero resurrectio copiosior, & firmior, bene potest correctio differri.

16 QVÆST. *Possumne permittere aliquem labi in peccatum, vt postea corrigam, & emendatior resurgat?* RESP. Quando probabiliter credo fratrem non emendandum mea correctione, aut iterum relapsurum, nisi permittatur cadere in nouum peccatum, licite possum permittere eius lapsum, vt postea confusus, atque conuictus omnino emendetur. Est multorum, quos refert, & sequitur Nau. *in Sum. capit. 24. numer.* 13. hisce verbis. *Aliquando est meritorium differre correctionem cuiuspiam, quousque in maius delabatur, quo aptius correctus emendetur ab vtroque.* Probatur, quia medicus corporalis interdum sinit morbum ingrauescere, vt postea melius grauiori morbo medeatur, ergo idem licebit medico spirituali.

17 QVÆST. *Quæ est quarta conditio?* RESP. Commoditas corrigentis, vt scilicet corrigens possit absque suo damno corrigere. Sed quoniam huiusmodi doctrina latius patet, dicam membratim. Dico igitur *primum*. Præceptum correctionis obligat sub mortali, etiam priuatas personas cum periculo cuiusuis detrimenti

cor-

corporalis etiam vitæ, quando proximus ea indiget extreme, aut grauissima est necessitas communitatis, v. g. si hæresis in populo disseminetur, aut periclitetur grauiter religio Christiana. Prima pars probatur ex 1. Ioan. 3. *Debemus pro fratribus animas ponere.* Probatur secundo, quia pars potius toti, quam sibijpsi obligatur. Dico *Secundo.* Sub mortali tenemur graui proximorum necessitati per fraternam correctionem subuenire, cum aliquātulo corporali detrimento; quoniam iuxta ordinem charitatis bona proximi spiritualia nostris temporalibus præferre iubemur. Dico *tertio.* Prælati spirituales, vt Episcopi, Parochi, alijue ex officio animarum curam gerentes, grauibus subditorum necessitatibus per hanc correctionem opitulari tenentur, cum quolibet temporalium bonorū, vitæ quoque periculo, claret ex Ioanne 10. *Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis.*

18 QVÆST. *Qui obligantur ad hanc correctionem?* RESP. Præcipue prælati Ecclesiastici. Ita definitur *cap. Quamuis, de reg. iur.* Quia vero prælatus *duplicem* personam agit, *vnam* vt particularis est, *alteram*, vt persona communis, *triplici* correctione pollet, *fraterna*; vt frater, ac alij subditi, *iudiciali*, vt errorum vindex, quo ad externum forum, *paterna*, vt pater quo ad forum internum: atque de hac paterna correctione loquitur citati capitis decisio.

19 QVÆST. *Potestne subditus fraterne corrigere prælatum?* RESP. Potest, & tenetur secreto, modestè, & reuerenter. Ita definitur, *cap. Sicut 2. quæst. 7* vbi sic D. Greg. *Sicut laudabile est, & discretum reuerentiam, & honorem præbere prioribus, ita rectitudinis, & Dei timoris, si quæ in eis sunt, quæ correctione egeant, nulla dissimulatione postponere.* Obstare videtur D. Paul. 1. ad Tim 5. *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra, vt patrem.* Verumtamen solam voluit cohibere supercilioſam frontem subditorum erga maiores in increpando.

20 QVÆST. *Dixisti (secreto) si peccatum sit publicum, nonne possunt, & debent concionatores publice etiam prælatum reprehendere?* RESP. Si prælatorum peccatum nullo modo vergeat in damnum aliorum, scandalum nimirum pusillorum, & licentiam liberius salutis curam abijciendi, quan-

di, quantumuis publicum sit, peccatum est eos nominatim reprehendere. Ita decernitur, *cap. Præsert. sacerdos, & cap. Oues 6. quæst 1. epist. 2. Anacleti & 2. Auaristi, & Fabiani.* Probatur facile, quoniam ex huiusmodi reprehensione solus oritur prælatorum conuentus erga subditos. Si tamen Prælatorum peccata in notabile subditorũ detrimentum vergant, maiorum exemplo se se in vitijs tuentium, si moniti non resipiscant publice sunt reprehẽdendi, quamuis non eorum, subditorum tamen speretur emẽda & spiritualis prouentus. Probatur *ex 22. adGal.* vbi Paulus restitit in faciem Petro propter scandalizantium vtilitatem, vt aduertit D. Tho. *in 4. d. 19. 2. q. ar. 2.* Probatur exemplo *Ezechielis 13. & 22. & 24.* qui acerrime inuehitur in sacerdotes. Isai. ca. 1 qui dixit, *Audite Principes Sodomorum,* & Baptistæ *Ioan. 3.* qui Pharisæos vocauit *genimina viperarum:* Denique Christi Domini facto, qui passim digito indicabat scribarum vitia: Obijcientibus vero Apostolis *Matth. 15.* Offendi his concionibus Pharisæos, respondit: *Sinite eos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Idem suadet ratio, quia multitudinis salus præferenda est prælatorum famæ. Oportet tamen hac in re concionatores non esse præcipites in reprehendendo, neq; inani gloria popularis auræ; his obiurgationibus arridentes duci se sinant.

21 QVAEST. *Tenetur ne correctionis præcepto peccator, maxime circa peccatum in quo ipse est?* RESP. Tenetur, quoniã nemini sua malitia prodesse debet vt excusetur à naturali præcepto, quale est fraternæ correctionis. Hoc intellige quando peccatum est occultum, nam si propalam sit, scandalum gignitur non profectus, cui dicitur: *Hypocrita eijce prius trabem de oculo tuo, &c.* Credo equidem talem peccatorem ex hoc præcepto teneri in meliorem frugem se recipere, vt cum externo pœnitudinis signo correctionem adhibeat. Quia aliter huic præcepto ex parte sua satisfacere nequit.

22 QVAEST. *Quis ordo seruandus est in fraterna correctione?* RESP. Quem docuit Christus Dominus. Matt. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum; si te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium testium, stet omne verbum.*

Quod si non audierit, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus

23 QVÆST. *Estne hic ordo in præcepto?* RESP. Non solum est in præcepto positiuo diuino à Christo Domino promulgato, *Matt.* 18. secundum Theologorum interpretamentum, cum D. Tho. *in 4. d. 19. quæ. 2. ar 3. Aug. epist. 109. Basil. in reg. de long. ca. 46. Greg. lib. Epist. 4. epist. 82. Hieron. ad ca. 8. Matthæi*, atque Canonistarum cum Innocentio, *ca. Nouit. cap. Si peccauit. de iudic.* Sed etiã in præcepto naturali, quod nos edocet proximum corrigere cum minori detrimento illius famæ, & honoris, quo possumus.

24 QVÆST. *Quot actibus constat fraterna correctio?* RESP. Quinque. *Primus* est admonitio secreta. *Corripe eum inter te & ipsum solum. Secundus*, vnius, duorumve testium inductio, *adhibe tecum vnum, aut duos testes. Tertius*, denunciatio facta Ecclesiæ. *dic Ecclesiæ. Quartus*, Ecclesiæ reprehensio. Hinc supponit factum Christus Dominus, cum dicit: *Si Ecclesiam non audierit. Quintus*, compulsio ab Ecclesia per censuras, & pœnas, sit tibi, tanquam Ethnicus, & Publicanus. In quo progressu prior actus semper antecedere debet posteriorem, ex præcepto famæ conseruandæ proximi.

25 QVAST. *Circa publica peccata estne adhibenda secreta monitio?* RESP. Ex præcepto minime, sed prætermissis admonitione secreta, & testium inductione licitè denunciantur prælato. Patet *ex 1. ad Timoth. 5. Peccantes coram omnibus argue. Quem locum intelligit Concil. Trident. sess. 24. ca. 8.* de peccatis publicis. Probatur, quia hic ordo seruari debet ad famam proximi conseruandam, hæc autem per peccati publicitatem deperdita est, ergo, &c. Deinde quia hæc peccata denunciari possunt prælato, vt iudici, ergo multo magis, vt patri.

26 QVAEST. *Quot sunt adhibendi testes?* RESP. Quamquam Christus Dominus vnum, aut duos adhibendos docuit, si tamen non sufficiant, & ex plurium adiunctione speretur correctionis fructus, plures adhiberi possunt.

27 QVAEST. *Qui sunt adhibendi testes?* RESP. Scientes peccatum, si ipsi iudicentur idonei, qui si non fuerint, adhibendi sunt inscij, quantumuis peccatum occul-

tum

tum sit, quidquid repugnet Durand. *in 4. dist. 19. quæst. 4.* *Hen. quodlib. 9. art. 18.* *Altisiod lib 3. Sum. tract. 25. ca 2.* Nam quamuis videatur per insciorum testium cognitionem fama illius auferri, aufertur in maiorem eius vtilitatem, per medium iuxta diuinam dispositionem ordinatum ad fructus animæ.

28 QVÆST. *Cui facienda est denunciatio?* RESP. Ecclesiæ.

29 QVÆST. *Ecclesiæ nomine qui intelliguntur?* RESP. Prælati, & quuis alij legitimi superiores, vt parentes, magistri, domini, & similes. Ita Innocent. *ca. Nouit. de iud.* Chrysost. *ad cap. 18. Matth.* & approbat communis vsus fidelium.

30 QVÆST. *Si Papa delinquat, cui facienda est denunciatio?* RESP. Si casum excipias hæresis (quod omen Deus auertat) circa reliqua delicta, facienda est ipsi, vt Ecclesiæ præsidi. Ita Bellarm. *lib. 2. de concil. cap. vlt. ad 2.*

31 QVÆST. *Quomodo facienda est denunciatio?* RESP. Si peccatum sit occultum, non proficientibus duobus primis remedijs, admonitione scilicet secreta, & testium adiunctione, denunciandum est prælato, vt patri, & nullo modo vt iudici, quamuis cognitum sit sub quouis secreto naturali, vel etiam iuramento non detegendi: quoniam secretum, aut iuramentum non obligat de re non facienda, quam ex præcepto facere tenemur, tenemur vero fraternæ correctionis ordinem seruare: dummodo cognitum sit extra confessionem, & viam ad confitendum. Ita Sot. *qu 5. art. lib. 5. de iust.* cum multis, quos citat. Probatur, quia hæc denunciatio est pars fraternæ correctionis, finis vero correctionis fraternæ, est vtilitas peccatoris denunciati, non pœna.

32 QVÆST. *Quomodo se gerere prælatus debet, cum fraterne denunciatis de crimine secreto?* RESP. Potest illos paterne interrogare ad criminis notitiam certius habendam. Potest aperius increpare: Potest secretis pœnis, & moderatis punire, vt pater: non tamen manifestis, & duris, vt iudex. Potest contumacem, & negantem excommunicare coram denunciante, & testibus, vt decernitur *capit. Nouit. de iudic.* Nullo tamen modo potest

eos publica pœnitentia, & infamia detegere; quia prælatus tenetur consulere famę delinquentis, vt quiuis alius, nisi tam graue esset peccatum, vt in illius pœnam iuste priuaretur delinquens bono famæ. Quod tamen rarissime contingit, excepto peccato hæresis, alijsque grauissimis redundantibus in perniciem communem.

33 QVAEST. *Quomodo se gerere debet prælatus cum fraterne denunciatis de crimine publico?* RESP. Cum fraterne denunciatis de crimine publico, aut occulto vergente in damnum commune, potest se genere vt iudex, ac proinde manifesta, & famosa peccata potest inquirere, notoria punire. Ita Conc. Trident. *sess. 24. cap. 8. de refor.* & patet, quia denuncians tale crimen potest, & aliquando tenetur denunciare, vt iudici ad impedienda communia dãna, ergo, ipse prælatus potest procedere, vt iudex.

Quæres, quod sit peccatum publicum, manifestum, notorium, famosum. *Notorium, & publicum* est, vel publicitate facti, quando scilicet ita est propalam crimen, vt nulla tergiuersatione celari possit: vel publicitate iuris, quando scilicet per iudicem fuit conuictum. *Manifestum* est, quod publice diuulgatum, fama orta à scientibus aliqua tergiuersatione negari potest. *Famosum* est, quod publice scitur ex indicijs verisimilibus per infamiam. Infamia vero definitur communis locutio ex verisimilibus coniecturis surgens, habitis à viris timoratis, non leuibus, ac maleuolis.

34 QVAEST. *Ad quid tenetur fraterne denunciatus?* RESP. Si subditus sciat se esse fraterne delatum, tenetur detegere crimen prælato, vt patri, minime vero, vt iudici. Probatur, quoniam prælatus per fraternam denunciationem non habet ius interrogandi iuridice, sed paterne; ergo nec denunciatus tenetur se detegere vt iudici, sed vt patri. Qui se intelligat prælatum ex propria reuelatione processuruum, vt iudicem, potest amphibologia vti, & crimen occultum negare. Ita Sot. *5. de iust. quæst. 6. art. 2. & de secret. teg. qu. 4.*

35 QVAEST. *Quis ordo seruãdus circa hæresi infectos?* RESP. Si denunciator hæreticum admonere potest, & certus est secretam admonitionem profuturam, nullumq; fidei, & Ecclesiæ detrimentum futurum, illicitum est occultum

hære-

hæreticum ad iudicem deferre. Ita D.Tho.2.2.*q.*33. *art.*1. & reliqui omnes Theologi, teſte *Sot. de ſecr.teg.memb.*2.*q.* 4. *&l.*5.*de iuſt.q.*5.*ar.*1. conſentiunt canoniſtæ, quos affert *Nau.c.Nouit & c.inter verba.* Ita deniq; decreuit D.*Paul.* 3.*ad Tit.Hæreticum hominem*, inquit, *poſt vnam, vel alteram correctionem deuita.*

Probatur ratione, quia nulla tunc ſubeſt rationabilis cauſa, propter quam hic ordo omitti debeat: nam ea eſſet, vel peccantis, vel Eccleſiæ bonum, hoc vero in noſtro caſu potius per ſecretam correctionem, quam per denũciationem acquiritur. Quoniam vero rara eſt moraliter certa hæc per ſecretam monitionem ſpes emendæ in hæreticis ex malitia, quin potius cautiores redduntur ad ſibi, alijſq; occultius nocendum, ſtatim ſunt denunciandi. In qua præſumptione Inquiſitorum edicta nituntur, quæ indiſtincte iubent hæreticos denunciare. Quod de hęreſi dixi, dico etiam de peccato quolibet, in commune damnum redundante, quod ſi per ſecretam monitionem corrigendum non ſperetur, ſtatim eſt deferendum. In primis, quia commune bonum famæ delinquentis anteponendum. Deinde, quia cum delinquens ſit aggreſſor, repelli poteſt cum damno ipſius, vt conſtabit ex propria materia ad quintum Decalogi præceptum. Idem dicendum eſt de peccato vergente in damnum tertij, iuxta eaſdem rationes.

36 QVÆST. *Quid dicendum de ordine correctionis circa eos qui renunciant iuri famæ?* RESP. Dico *primo*, In ſtatu perfectionis, quem religioſi profitentur, poſſunt ſinguli profeſſores, imo & vniuerſus ordo renunciare naturali, & Euangelico fraternæ correctionis progreſſui. Probatur, quia iſte proceſſus ſeruandus eſt, ne lædatur alterius fama: ſed vnuſquiſque dominus eſt ſuæ famæ, ſaltem in perfectionis finem, ergo, &c. Quamobrẽ falſo dixit *Bannes.*2.2.*q.*33.*art.*8.*dub* 2.*ad* 7. non eſſe expediens, vt tota communitas renunciet ordini correctionis fraternæ. Dico *ſecundo*, Prædicta renunciatio fieri intelligenda eſt circa denunciationem faciendam Prælato, vt patri, nequaquam vt iudici. Aperte deduci videtur ex naturali æquitate, quæ oſtendit neminem ſui, tam acerbum vindicem extitiſſe, vt iſti iuri pluſquam ad ſpiritua-

ritualem profectum renunciauerit. Dico *tertio* Huic iuri nunquam fuit renunciatum circa peccata dicti, aut facti contra eum prælatum, cui fit denunciatio: hæc enim huic prælato denunciare, peccatum susurrationis est, vt docet D. Thom. *in 4. dist. 9. quæst. 3. artic. 1. & 2. Susurro vero, & bilinguis* Ecclesiast. 28. *maledictus.* Facienda igitur est huiusmodi denunciatio alij superiori, non eidem, de quo detractum est. Dico *quarto.* Huic iuri renunciato non obstat secretum naturale, etiam iuramento assertum. Quantumuis enim quis promiserit secretum, non tenetur illud hac in re seruaer, quoniam non valet iuramentum factum de non seruanda regula perfectionis, qualis est, quæ hanc denunciationem iubet.

Quo pacto proximus est diligendus circa vitam corporalem. §. 4.

1 *Quantum diligere tenemur proximum necessitate vitæ corporalis.*

2 *An quis pro seruanda proximi vita, possit suam amittere.*

1 QVÆSTIO *Quomodo, & quantum diligere debemus proximum in necessitate vitæ corporalis?* RESP. Quamquam in spiritualibus potius nos diligere, quam proximum tenemur, in corporalibus tamen minime; atque ita exponere possumus nostram vitam corporalem, pro vita corporali proximi. Ita communis opinio.

Dico igitur. Extreme proximo constituto in temporalis vitæ discrimine, tenemur etiam cum dispendio graui rei familiaris succurrere. Verbi gratia. Est quis inter fideles occidendus, nisi reddat centum aureos, adest, qui eos habet, tenetur eos offerre, vt innocens liberetur à morte. Hinc colliges eum, qui scit aliquem iniuste damnari ad mortem, nisi ferat testimonium innocentiæ, teneri illud ferre, etiam si iter facere nequeat, nisi cum magna expensarum iactura. In graui necessitate, vitæ solum

tæ ſolum tenemur ſuccurrere, cum poſſumus, abſque notabili detrimento rei familiaris.

2 QVAEST. *Poteſtne quis ſuccurrere proximo extreme periclitanti de vita corporali cum propria vitæ diſpendio?* RESP. Poteſt, & eſt actus bonus, & meritorius. Verbi gratia. Sunt duo in mari, non ſuppetit, niſi vna tabula ad ſalutem, quæ duos non capit, poſſum proximo illam relinquere; refert Bannes. 2. 2. *qu.* 26. *art.* 4. Hoc tamen intellige, niſi perſona ſit publica, ex qua dependet bonum commune, nam ſi talis tabulam habeat, grauiter peccat eam dando. Si non habeat, alter, qui habet, relinquere illi tenetur, Probatur facile, quia commune bonum anteponendum eſt cuiuis particulari.

Quo pacto proximus eſt diligendus circa rem familiarem. §. 5.

1 *Quantum diligere tenemur proximum in neceſſitate rei familiaris.*

1 QVAEST. *In neceſſitate rei familiaris proximi ad quid tenemur?* RESP. Proximo conſtituto in extrema rei familiaris penuria, tenemur ſuccurrere, etiam ex neceſſarijs ad ſtatum. Proximo in graui rei familiaris inopia conſtituto ſolum tenemur ſuccurrere, ex ſuperfluis ad ſtatum.

Quo pacto diligendus eſt proximus circa communia beneficia. §. 6.

1 *Quantum tenemur diligere proximum circa beneficia communia.*

1 QVÆSTIO. *Quid circa communia beneficia dicendum putas?* RESP. Proximo, etiam inimico, non poſſumus ſubtrahere communia beneficia,

in quibus habet cum alijs eandem causam, & rationem. V.g Salutas hos in coronide, propter quos transis, debes etiam salutare proximum inimicum. Facis eleemosynas publicas, quibus suis pauperibus accedentibus, quia distributor es bonorum communium, non potes eleemosynam proximo pauperi denegare, quia inimico. Fundis preces pro omnibus istius vrbis, aut Regni, aut loci, non potes non pro inimico orare.

Quo pacto inimici diligendi. §. 7.

1 *Quæ signa amoris ostendere tenemur inimico.*
2 *An teneamur inimico remittere iniuriam.*
3 *An liceat aliquando odisse inimicum.*
4 *An liceat proximo malum exoptare.*

1 QVÆST. *Quæ charitatis signa inimico sunt ostenda?* RESP. Particularia beneficia, quæ solent amicis exhiberi, vt familiares collocutiones, non tenetur quis inimicis exhibere. Ac proinde semoto scandalo, non tenetur eos alloqui, quamuis antea sæpe sæpius familiariter alloqueretur. Neque item munuscula mittere, quæ mittere solebat.

2 QVÆST. *Tenemurne inimicis iniuriam remittere?* RESP. Tenemur quoad odium, & animi exulcerationē, non tamen quoad satisfactionem: ita quod amoto odio personæ potest zelo iustitiæ exigi satisfactio, vsque ad suspendium. Ita D. Thom. 2.2. *quæ. 25. art. 8. & 9. & cum eo Nau. in sum. cap. 14. num. 25.*

3 QVÆST. *Potestne aliquando inimicus odio haberi?* RESP. Nequaquam ratione personæ; potest vero ratione improborum morum, ita vt non personam, sed morum improbitatem detestemur. Sic regius Vates de seipso fatetur: *Inimicos odio habui. Psal. 118.*

4 QVÆST. *Possumus aliquando proximo malum exoptare?* RESP. Ob spirituale bonum possumus proximo desiderare corporale malum, vt infirmitatem corporis ad salutem animæ ex ea prouenientem. Item ob spiri-

ſpirituale bonum aliorum licet alterius mortẽ expetere, vt mortem hæretici, veneno hæreſum alios inficiẽtis, ne peſtis longius ſerpat. Item zelo iuſtitiæ poſſumus deſiderare malefactorum punitionem, vt criminibus via intercludatur.

De amore parentum erga filios ſuos. §. 8.

I *Quibus in rebus tenentur parentes oſtendere amorem filijs.*

QVÆSTIO. *Circa quæ tenentur parentes oſtendere amorem filijs?* RESP. Circa *quatuor*. In primis circa congruam ſuſtentationem: tenentur enim ſub mortali illos, etiam naturales, & ſpurios alere, cum poſſunt. Quamobrem peccat grauiter, qui ægrotum filium ad hoſpitale domum remittit: aut paruulum ad oſtia ciuitatis exponit, aut ſinit ſtipem oſtiatim corrogare. Ita Sylu. *verbo filij.* §. 21. Mol. *de primog* 1. *cap.* 15. *nu.* 53. Gutier. *lib.* 1. *pract. q.* 109. *Secundo.* Circa legitimæ conſeruationem, nam peccat grauiter filiorum legitimam notabiliter minuendo gratuitis donationibus, aut fictis oneroſis contractibus, qui re vera ſunt donationes, vt docet Iaſon. *L. ex hoc iur. ff.* Poteſt tamen illam minuere donationibus remuneratorijs, & contractibus veris oneroſis. Remuneratio vero non conſiſtit in indiuiſibili, ſed potius vera gratitudo donum excedit remuneratione, vt adnotauit D. Tho. 2. 2. *q.* 106. art. 6. *ad* 3. 1. *Tertio.* Circa ſpiritualia, & ideo peccant non eos edocendo Chriſtianam doctrinam; non eos cogendo ſeruare Dei præcepta, & Eccleſiæ; non eos à prauis conſuetudinibus, & peccandi occaſionibus amouendo. Et ideo quotieſcunque filij peccant, vel ſuntin periculo peccandi propter parentũ incuriam, toties parentes peccant. *Quarto.* Circa correctionis pœnas, eas enim ita tenentur moderari, vt non inferant notabile nocumentum, nam illud inferendo, vel ex odio puniendo, charitatem lædunt, vt alij. Moderatam vero pœnam infligere poſſunt, non ſolum ad euitan-

dum futurum peccatum, sed etiam ad puniendum præteritum.

De amore filiorum erga parentes. §. 9.

1 *Quãdo peccat filius contra præceptum de diligendis parentibus.*

2 *An filio potius, quam parenti teneatur filius succurrere.*

3 *An potius patri, quam matri teneatur filius succurrere.*

1 QVÆSTIO. *Quando peccat filius contra præceptum de diligendis parentibus?* RESP. In primis quando eos ita dure, & supercilioſa fronte alloquitur, vt videatur odisse. Ita Angel. *verb. filius, num.* 30. *Sylu. verb. filij* §. 22. Secundo, quando illis in magna neceſſitate conſtitutis non auxiliatur, cum poteſt. Neque eum excuſat, quod pater alere vitam poſſit per ſordidam artem, quam callet, cum ſui ſtatuſque dedecore. Probatur aperte, quia parentum, & filiorum amor mutuis conditionibus exercetur, ſed parens filio in tali neceſſitate conſtituto tenetur ſuccurrere, ergo & filius parenti. Quod ita verum eſt, vt peccet mortaliter filius, ſi patre in tali neceſſitate relicto religionem ingrediatur, teneaturque egredi, ſi aliter illi mederi non poteſt. Si vero illa neceſſitas poſt religionis ingreſſum euenit, quamuis egredi non teneatur, ſuccurrere tamen tenetur. Auctores pro hac ſententia afferam ad 2. Decalogi præceptum.

2 QVÆST. *Cui tenetur filius ſuccurrere, parenti an filio?* RESP. Si vterque in extrema neceſſitate fuerit, potius parenti, quam filio. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 26 *art.* 9. *ad* 3. quia maius bonum à parentibus accepit, quam à filijs. Si autem neceſſitas ſit infra extremam, potius filio, quam parenti. Ita Roder. *cum alijs cap.* 14. *n.* 9.

3 QVÆST. *Patre, & matre in æquali neceſſitate conſtitutis, cui eorum tenetur filius ſuccurrere, cum ambobus non poteſt?* RESP. Illi, à quo maiora beneficia, & amoris ſigna accepit: Ita D. Thom. & Bannes citato loco *art.* 10.

Si

Si vero ab vtroque æqua beneficia accepit, prius patri, quam matri.

Qui manifestè peccent contra hoc præceptum. §. 10.

1 *Qui peccent contra præceptum de diligendo proximo.*

1 QVÆSTIO. *Qui manifeste peccat contra hoc præceptum?* RESP. Qui proximum excludit à communicatione generalium orationum, quas pro communi fundit, vt notat D. Thom. 1.2. *q.* 83. *art* 8. Qui res suas corporales antefert bonis proximi spiritualibus. Qui proximum non reprehendit, cum debet, vel de eo non denunciat ad bonum commune Reipublicæ, vel particulare ipsius, aut tertij innocentis, vt dixi in materia correctionis fraternæ. Qui ob offensam odio, & rancore illum prosequitur. Qui potens impedire, ne alius mortaliter peccet sine proprio incommodo, dedecore, & verecundia, non impedit. Qui suo consilio, fauore, aut ope, causa alij est peccādi mortaliter. Qui non vitat scandalum passiuum proximi, cum potest absque notabili proprio detrimento, veluti occasionem, in qua fœmina turpiter adametur, & similes.

CAPVT IV.

De primo Decalogi præcepto. §. 1.

Non habebis Deos alienos coram me.

1 *Quibus actibus Deum colimus.*

1 QVÆSTIO. *Quibus actibus Deum colimus?* RESP. Tribus, fide, spe, charitate, virtutibus Theologicis, & religione virtute morali: de singulis roga, paratus enim sum respondere.

De

De Fide. §. 2.

1 *Quid sit fides.*
2 *An sit necessaria externa manifestatio fidei.*
3 *Quo tempore facienda est fidei confessio.*
4 *An Christianus à tyranno comprehensus licite fugere possit.*
5 *An liceat Christiano comprehenso corrumpere custodes largitionibus ad vitam seruandam.*
6 *Quæ actiones sunt contra confessionem fidei.*
7 *An sit contra confessionem fidei vti vestibus infidelium.*
8 *An liceat Christiano non vti veste, quam infidelis rex gestare præcipit in signum fidei.*
9 *Vtrum ex præcepto confitendæ fidei teneatur Christianus illud signum gestare.*
10 *Non manet excommunicatus à bulla Cœnæ, qui animo credens, exterius fidem negauit.*
11 *Quotuplex est fides.*
12 *De quibus tenemur habere explicitam fidem.*

1 QVÆSTIO. *Quid est fides?* RESP. Est assensus intellectus circa ea, quæ per Spiritum sanctum Ecclesiæ reuelata sunt, quatenus à Spiritu sancto sunt. Ex hac definitione sequitur materiam fidei esse omnia, quæ in scripturis Canonicis continentur, & quæ per traditiones Apostolicas vniuersales conseruantur, & quæ in Concilijs generalibus, & particularibus à Sede Apostolica confirmatis determinantur, & quæ à Romano Pontifice, vt tali, definiuntur: similiter, quod vnanimi consensu omnes sancti Doctores dicunt: & omnia etiam, quæ ex aliquo horum per argumentum infallibile deducuntur.

2 QVÆST. *Estne huius fidei interna manifestatio externa ad colendum Deum aliquando necessaria?* RESP. Maxime. Constat ex D. Paul. ad Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam,*

stitiam, ore autem confessio fit ad salutem, & ex Christo Domino Matthæi 10. *Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo* ita D. Thom. 2.2. q 2,3. *art.* 2. *Tertul. in Scopiaco* aduersus Gnosticos. Oppositumque asseruerunt hæretici Helchesaitæ, teste Eusebio *lib.* 6. *hist. cap.* 31. Niceph. *lib.* 5. *cap.* 28. Vnde D. Chrysosto. *homil* 25 *in Matt.* Radix confessionis fides est cordis, confessio autem fructus est fidei: nec valet ergo confessio oris sine fide cordis, nec fides cordis sine confessione oris. Ita decerniturin *Concil. Nicen. Arelat.* & alijs.

3 QVÆST. *Quo tempore faciendæ est fidei confessio?* RESP. In primis cum Christianus interrogatur de Deo, quem colit, publica authoritate. Nam si priuata alicuius particularis hominis rogetur, potest dissimulare veritatem, dummodo taciturnitas non innuat erubescentiam cultus, vel negationem Dei non ostendat, nec scandalum sequatur & periculũ aliorũ deficiendi à fide. Cum enim aliquis videt, ex sua taciturnitate alios fideles trahi in errorem, tenetur etiam cum vitæ amissione fidem manifestare. ita Gratian. *cap. Existimat cap. Non solum, cap. Nolite*, late ostendit. Vnde *Aug.* ibidem citatus, *si times*, inquit, *mortem carnis tuæ, mortem dabis animæ tuæ.* Dummodo etiam vtilitas spiritualis proximi non impediatur. Quando enim quis cernit alios errore teneri, quẽ deponent, si ab ipso fiat fidei manifestatio, tenetur illam manifestare. Pudor vero, timor, erubescentia, aut saltem quædam mentis tergiuersatio satis innuitur, cum Christianus à iudice publice interrogatus, tacet. Si tamen iudex interroget, non vt fidem persequatur ac detestetur, sed quia falso arbitratur Christianos homines esse perditis moribus, & sceleratis, non solum tacere Christianus potest, sed amphibologice inficiari, se esse Christianum, quia tunc, vt aduertit D. Thom. *ad cap.* 10. *ad Heb. lect.* 2. nulla fidei irrogatur iniuria.

4 QVÆST. *Potestne Christianus à tyranno comprehensus vitæ propriæ consulere per fugam?* RESP. Pars affirmans omnino asserenda. Ita nos docuit Christus Dominus. *Exemplo* vt constat *ex Matth.* 2. 12. 14. *ex. Ioan.* 8. 11. *Luc.* 4. quæ loca expendit *Aug. epist.* 180. *ad Honoratum Cyprian.* tum *lib. de lapsis*, tum *epist.* 56. *& Athan. in Apolog.* Deinde docuit

docuit *verbo* Matthæi 10. *Cum vos persequentur in ista Ciuitate, fugite in aliam.* Docuere Apostoli fugiendo, *constat Act. 7. & 12.* item *ex 2. Corinth. 11.* & ideo Tertulliani librum de fuga oppositum asserentis appellat Nicephorus *lib. 4 hist. cap. 12. & D Hieronym. in Cathol. script.* scripturã aduersus Ecclesiam. Ratio Cypriani est optima, vt refertur *an. 9. ad* citatum *librum Tertullia. de fuga.* Quisquis, in Christo manens, recedit, non fidem negat, sed tempus expectat. Quæ verba permissionem, præceptum, & consilium continent, si diuersorum locorum, temporis, personarum, & circumstantiarum ratio habeatur. Nam si non sit euidens periculum negandi fidem, permissio est condolens humanæ infirmitati. Si vero adsit tale periculum, præceptum est, quia vnusquisque tenetur fugere spiritualem interitum, si vero ex ea fuga speratur magnus Ecclesiæ prouentus, consilium est, quia vtile commune meo antefero, cum martytij gloriam propercipiendo Ecclesiæ fructu vberiori omitto. In quo vltimo euentu præceptum est, si nullus supereſſet Ecclesiæ Doctor & fautor, præter me, tunc enim tenerer vitæ per fugam consulere.

5 QVÆST. *Licetne Christiano tyrannum placare donis, & custodes pecunia corrumpere ad fugam?* RESP. Licet. Ita constat fuisse quosdam D. Paul. discipulos *Act. 17.* Iasonem nimirum, & alios, & ideo potuerunt Paulum, & Syllam ex vrbe dimittere. Fecit itidem Rutilius martyr, cuius meminit Tertul. *in libro de fuga.* Fecerunt fideles Romani, vt constat ex *Annal. Eccles. an. 20.* Probatur ratione: nam licitum est fugere, ergo licitũ erit largitionibus medium inuenire ad fugam. Hoc tamen intelligo, quando custodes non tenentur sub iuramento inclusos custodire, alioqui peccato periurij occasio offerretur.

6 QVÆST. *Quæ actiones sunt contra confessionem fidei?* RESP. Eæ, quæ ex natura sua, vel superstitionis vim in idola exercentur, ac proinde, qui eas corã idolis exercet, fidem diffitetur, & contra eam peccat. Vt cum quis per idola iurat, thus offert, reuerentiam idolorum simulacris exhibet, aut alias actiones peragit; quæ ad distinctionem sectæ inuentæ sunt.

7 QVÆST. *Esne contra confusionem fidei vti vestibus infide-*

infidelium? RESP. Vti vestibus infidelium, quæ ad politiam gentis pertinent, neque ad distinctionem sectæ vsurpatæ sunt, (vt inter Turcas tobalia linea ad velandũ, seu potius grauandum caput: inter Iudæos pileus crocei coloris: apud Bragmanes certæ lineæ ex collo appensæ) vrgente necessitate, & sublato scandalo non est contra confessionis fidei præceptum, & ideo ijs vti licet: vt cum quis velit inter Turcas versari ad propagandam fidem, aut inter hæreticos ad eos reducendos, aut per infidelium regiones iter agere peregrinandi causa. Ita Caiet. 2.2.*q.* 3. *art.* 2. Sylu. *verb. Fides. §.* 5. *cap.* 11. *n.* 12. Atque hoc ita verum est, vt etiam vti liceat religiosorum infidelium vestibus, dummodo non habeant peculiare signum erroris profitendi, sed sint tantum indicium maioris sanctitatis, & perfectioris vitæ. Atque ob hanc rationem in Iapponia Patres sanctissimæ Societatis Iesu vtuntur vestibus Bomzorum, tanquam homines à terrenarum rerum curis, negotijsque remotiores.

8 QVÆST. *Quid si Turca, vel alius infidelis præcipiat, vt Christiani signum fidei gestent, licetne Christiano non afferre tale signum*? RESP. Ita posse absque iniuria fidei arbitrantur docti viri. Adrian. *in* 4 *q* 2. *de bapt. ar.* 2. *Victoria & Doctores Salmãticenses*: nisi in contumeliam fidei illud signum imponatur, tunc enim non erubescendum, sed ingenue fides profitenda est gestando tale signum. Ita intelligendi sunt Caiet 2.2.*q.* 3. *ar.* 2. Sylvest. *fides. q* 5.

9 QVÆST. *Difficilior quæstio suboritur, & est hæc. Tenenturne ex præcepto confitendæ fidei Christiani illud signum gestare*? RESP. Si tales Christiani noti iam sunt, tenentur quidem, quia iudicarent se fidem abnegasse non ostenso signo. Si vero ignoti sunt, se detegere per illud signum minime tenentur, nemo enim tenetur fidem suam per expressam confessionem prodere, præcipue cum adest vitæ, vel alicuius magni nocumenti periculum, nisi specialiter interrogetur. Ita communis opinio cum D. Thom. *locus citatus.* præcipue *ca.* 10. *ad Heb. lect.* 2. Vnde iuxta communem sententiam, si tyrannus præconis voce præcipiat, vt omnes Christiani, qui fidem abnegare noluerint, ad tribunal causam dicturi accedant, nemo se ipsum manifestare, martyrioque offerre tenetur: vnde cum,

de cum impositi signo susceptio sit quædam fidei manifestatio, nullus ad eam, cum generaliter præcipitur, Christianus in conscientia obligatur, nisi fortasse ex circumstantijs insignis aliqua in Christianam religionem redundaret contumelia: cuiusmodi censeretur illa, si crederetur omnes Christianos de facto fidem abiurasse, eosque non ad declinandam iniuriam, sibi non fidei inferendam, sed ad profitendam superstitionem signum gestare noluisse.

10 QVÆST. *Si quis animo credens, præ timore tamen fidem exterius negauit, incurritne excommunicationē Cœnæ latā in hæreticos?* RESP. Minime: quia licet grauissime peccauerit, non est tamen formaliter hæreticus, quia fidem non amisit, iuxta Alens. 2. *p. tit.* 53. *memb.* 2. talis autem excommunicatio lata est in hæreticos formaliter tales.

11 QVÆST. *Quotuplex à Theologis assignatur fides?* RESP. Duplex, implicita, & explicita. Fides *implicita* est, qua credimus aliqua mysteria, quia continentur in alijs, vt cum credimus Christum Dominum habere duas voluntates, diuinam, & humanam, quoniam credimus habere duplicem naturam humanam, & diuinam, in quibus duæ voluntates necessario continentur. *Explicata* fides est, qua credimus distincte aliquod certum mysterium reuelatum.

12 QVÆST. *Tenemurne habere explicitam fidem de omnibus reuelatis?* RESP. Minime. Tunc enim opus esset tenere scripturas omnes sacras, traditiones Apostolicas, Conciliorum decreta: circa hæc sufficit fides implicita credendo, quæ Ecclesia profitetur.

13 QVÆST. *Tenemur de aliquibus habere explicitam fidem?* RESP. Maxime. Ita quilibet, etiam rusticus, tenetur explicite credere duodecim fidei articulos ad humanitatem, diuinitatemque Christi seruatoris pertinentes, minime tamen difficultates eorum, nisi Episcopi sint, & Doctores Ecclesiarum, quorum interest docere rudiorem plebem. Ignorare vero hos fidei articulos explicite, si ignorantia ex magna negligentia proueniat, peccatum mortale est. Quod peccatum pastoribus tribuetur, si oues non edoceant.

14 QVÆST. *Licetne Christiano se idololatram fingere, vt* insi-

infidelem conuertat, vel hæreticum deprehendat? RESP. Minime, ita D. Aug. *lib. 2. retract. cap. 60.* & lib. *contra mendac. cap. 3.* Palud. *in 3. d. 25.* Caiet. *in Reg. cap. 10.* Ratio eius est, quia etiam tunc veritati, & grauitati fidei iniuritur iniuria. Quod si aliqui Martyres aliquãdo simularunt se velle sacrificare, vt apertius & liberius coram omnibus Christum confiterentur, sicuti de Procopio legimus 2. *Synod. Nicen. act. 4.* vt videre est apud Lipo. *tom. 6.* & Sur. *tom. 4. octaua die Iul.* magno cum miraculo dissoluente dæmonis simulacrum in aquam, id fecerunt ex diuino instinctu. Iehu vero consilium 4. *Reg. 10.* ad interficiendos flamines Baal, non approbat D. Thomas, nec Augustin. locis citatis.

15 QVÆST. *Licetne Christiano tyrannum adire, cum non de fide rogatur, nec aliud emolumentum spirituale probabiliter speratur, quam sola mors data in odium Christianæ religionis?* RESP. Minime. Ita D. Aug. *lib. 2. de serm.* interpretans illud Christi D. dictũ Mat. 7. *Nolite proijcere margaritas ante porcos, neque sanctum dare canibus.* Ideo tale martyrium appellat Athan. *in Apolog.* sui homicidium. Diuus Thom. 2. 2. *q. 3. art. 2. ad 3. & q. 124. art. 1.* errorem contra charitatem propriam, negauitque esse martyrem Concilium Elibertinum. Ac proinde talem Christianum peccare mortaliter docet Nauar. *in sum. cap. 11. nu. 40.* Sunt hæc de re verba D. Cypriani *vltima eius epist.* magni faciendа. Vos autem fratres per disciplinam, quam de mandatis dominicis accepistis, quiescite, nec quisquam vestrum se gentibus offerat, apprehensus, & traditus loqui debet, siquidem Dominus nos confiteri magis voluit, quam proficeri. Hæc ille.

De peccatis contra fidem. §. 3.

1 *Quæ peccata sunt fidei contraria.*
2 *Quæ pertinacia requiritur ad hæresim.*
3 *Quot modis peccatur peccato hæresis.*
4 *An sit aliud peccatum contra fidem præter hæresim.*

1 QVÆST. *Quæ peccata sunt fidei contraria?* RESP. In primis est hæresis: hæresis vero ita definitur. Est er-

ror pertinax hominis Christiani, fidei Catholicæ ex parte contrarius. Est autem error existimatio veri pro falso, aut falsi pro vero. Quare de essentia hæresis est error intellectus contumax, qui si non est, licet graviter peccet, qui fidei exterius contradicit, non est hæreticus. Hic autem error ad constituendā heresim debet esse pertinax, assertus ab eo, qui scit eum esse contra Ecclesiæ sensum, Ita colligitur aperte ex D. Thom. 2.2. *q.* 11. *art.* 2.

2 Qvæst. *Quantum tempus requiritur ad hanc pertinaciam* Resp. Tantum quantum satis est ad eliciendum actum perfidiæ, qui in instanti fieri potest, vt docent Met Hæc igitur pertinacia non sumitur ex parte temporis, sed ex parte deliberatæ mentis, errorem vltro amplectentis, scientisque esse aduersus ecclesiæ definitionem, ita egregie adnotauit Roder. *in sum. c.* 129 *& alibi.*

3 Qvæst *Quot modis peccatur peccato hæresis?* Resp. Tripliciter, *Primo*, solo actu interno erroris. *Secundo*, solo actu externo negationis, interius recte sentiendo. *Tertio*, interius, exteriusque negando Primum & tertium peccatum constituit hominem formaliter hæreticum, Secundum vero tantummodo malum Christianum, & hominem inconstanti animo. Per peccatum interius nulla incurritur excommunicatio Per peccatum vero ab exteriori actu, interiorique errore constitutum, maxime adeo vt quamuis sit occultissimum, nullo arbitro conscio, tali censura puniatur. In quo euentu iuxta decretum Conc. Trid. *sess.* 24. *c.* 6. absolui potest ab Episcopo. Peccatum vero exterius solummodo patratum tali censuræ non subiacet, licet oppositum falso tenuerit Cai 2.2. *q.* 94. *art.* 1. contra Sylu *verbo Apostasia §.* 4. Nau. *c.* 11. *nu.* 24 & Tolet. *lib.* 4. *cap.* 4 Ratio est, quia talis excommunicatio lata est in formaliter hæreticos, talis autem non est, qui solo actu externo fidem diffitetur

4 Qvæst. *Esne aliud peccatum contra fidem?* Resp. Et dubium in fide. Est autem dubius in fide, qui nec credit articulis, & rebus fidei, nec discredit, sed est suspensus omnino ex eo, quia non putat talia esse certissima, aut vt verius loquar, quia anceps est, vtrum certissima sint. Vt autem hoc dubium constituat hominem formaliter hæreticum, requirit pertinaciam ex parte dubitantis intelle-

tellectus, & deliberationem ex parte voluntatis, quæ tale dubium amplecti velit.

5 QVÆST. *Suntne plura?* RESP. Plura quidem. Apostasia, & Infidelitas.

De Apostasia, & Infidelitate. §. 4.

1 *Quid est Apostasia.*
2 *Quid est Infidelitas.*
3 *Quando est Infidelitas peccatum.*

1 QVÆSTIO. *Quid est Apostasia?* RESP. Est error hominis baptizati fidei Catholicæ ex toto contrarius. Ex toto dixi, quia in hoc differt apostasia ab hæresi; hæresis enim negat vnum, aut alium articulum, apostasia vero omnes, negando Christum Deum verum. Quemadmodum vero hæresis peccatum tripliciter committitur, ita & apostasiæ: eodemque modo de eo, atque de illo dicendum circa censuram.

2 QVÆST. *Quid est infidelitas?* RESP. Infidelitas est error hominis non baptizati fidei Catholicæ, siue ex toto, siue ex parte contrarius.

3 QVÆST. *Quando est infidelitas peccatum?* RESP. Quãdo infidelis sufficientem habet notitiam fidei Christianę, siue circa omnia mysteria, quia illa edoctus noluit credere, siue circa aliqua, quæ lumine naturæ ostenduntur, vt vnum tantum Deum esse. Colendo igitur plures Deos peccat lethaliter contra fidem ipso naturalis luminis ductu ostensam.

De Spe, & peccatis contra spem. §. 5.

1 *Quid est spes.*
2 *Quod peccatum est contra spem.*

1 QVÆSTIO. *Iam de Spe, qua Deus colitur, audire te opto. Primum igitur mihi dicito, quid sit spes?* RESP. Spes est inclinatio ad futuram beatitudinem Dei auxilio consequendam. Inclinationis nomi-

ne actum voluntatis intelligo. habitus enim virtutis spei in voluntate à Deo collocatus, illam inclinat ad sperandam futuram beatitudinem bene viuentibus promissam, Deoq; gloriam tribuendam pro promissorum vera solutione.

2 QVÆST. *Quod peccatum est contra spem?* RESP. Desperatio. Est autem desperatio actus voluntatis, qua homo de futura beatitudine promissa desidit, Deumque vt fallacem detestatur. Hæc autem desperatio aliquando oritur ex errore intellectus, & amissione fidei: aliquando vero ex Dei odio, quia licet credat eum esse summam veritatem, arbitratur tamen non esse adeo beneficum, vt remuneret bene acta. Ad hoc desperationis peccatum reducitur præsumptio, est autem præsumptio actus voluntatis, qua homo sperat beatitudinem consequi, vel ex solis meris viribus naturalibus, tanquam sibi debitam: vel ex sola Dei benignitate, & misericordia absque vllo suo bono opere. Vtraque est graue peccatum. Prima quidem, quia superbe sibi arrogat indebita. Secunda, quia iniustum Deum constituit, dum nec bona, nec mala opera respicere illum putat. Qui vero erraret in intellectu, & putaret beatitudinem esse consequendam per solas vires naturales, hæreticus esset, cum Pelagianis. Itidem, qui putaret esse consequendam ex sola Dei gratia, hæreticus esset cum Lutheranis.

De Charitate. §. 6.

1 *Quid est Charitas.*
2 *Quot sunt peccata contra charitatem.*

1 QVÆSTIO. *Dixisti Deum maxime coli charitatis actu, dic igitur, quid est Charitas?* RESP. Est actus amicitiæ hominis erga Deum supernaturaliter dilectum, hoc est, vt noster est finis supernaturalis, procedit verò hic actus ab habitu supernaturali à Deo animæ infuso.

2 QVÆST. *Quot sunt peccata contra charitatem?* RESP. *In primis* odium Dei, omnium peccatorum maximum, vtpote, quia iustus punit, sic enim odio haberi potest.

Deinde;

Deinde, cum plus amatur præmium ostensum, quam Deus ostendens, & ideo amatur, quia illud promittit, nec aliter amaretur: hæc enim inordinatio amoris grauis est culpa, reductioque per gratiam in rectum tramitem donum est maximum, cuius meritas grates in canticis Deo reddidit illa anima, cum dixit, *ordinauit in me charitatem Cant. 2. Denique* offenditur charitas, quando creaturæ magis, quem creatori appretiatiue applicatur.

De virtute Religionis, qua Deus colitur, & peccatis illi contrarijs, quibus Deus magnopere offenditur. §. 7.

1 *Quid est virtus, quæ vocatur Religio.*
2 *Quæ peccata contrariantur huic virtuti.*

1 QVÆSTIO. *Dixisti de virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Charitate, iam ad Religionis virtutem accedamus, & vitia illi contraria. Quid igitur est Religionis virtus?* RESP. Religionis virtus est quidam habitus à Deo humanæ voluntati infusus, inclinans ad Deo debitum honorem deferendum, quatenus est primum omnium principium, & ideo omnis diuinus cultus Deo exhibitus per sacrificia, & adorationes, siue internas, siue externas ab hac virtute proficiscitur.

2 QVÆST. *Quæ peccata contrariantur huic virtuti?* RESP. contrariatur *Blasphemia.* Est autem blasphemia dictum, vel scriptum contumelioſum Dei laudibus: vel sanctis eius. Fit autem, vel tribuendo Deo, quod illum non decet, vel auferendo, quod illi conuenit, vel tribuendo creaturæ, quod solius Creatoris est. Contrariatur etiam *Impietas.* Impietas vero est dictum, vel factum cõtumelioſum Dei honori, aut Sanctorum eius. Pietas enim virtus est, qua Deum sanctosque eius honoramus, & reueremur. Quamobrem imagines conculcare, reliquias sanctorum spernere, & similia opera facere, impietatis est. Est etiam Religioni contraria *Superstitio* Superstitio vero est vana, seu falsa religio indebitum cultum exhibens falsis Dijs, cum ijs, cum creaturæ sint,

diuinum honorem, vel etiam vero Deo exhibet eundem diuinum honorem, non tamen eodem modo, quo exhibendus est, vt cum ei tribuit ritus, ac ceremonias falsorum Deorum, vel cultus Deo ingratos, quales modo sunt sacrificia veteris legis, vt talia, figuræ nimirum futurorum. Ad hanc superstitionem reducitur peccatum eorum, qui mentiuntur miracula à tali imagine facta, spe lucri eleemosynarum, & reliquias falsas exponunt populo colendas, vt ad eas hominum multitudo confluat. Multæ vero sunt superstitionis species. *Prima* est *Idololatria*, exhibens diuinum cultum falso Deo. Hæc autem semper supponit errorem intellectus, & amissionem fidei, si mente fit. Et ideo omnis idololatra est hæreticus, si ad superstitionem transit post baptismum, ac proinde subijcitur excommunicationi hæreticorum. *Altera* species est *Magia*, quæ ita describi potest. Est potestas inordinata faciendi, quod supra naturam est, dæmonum auxilio implorato. Tripliciter vero dæmon ad effectus concurrit: vel enim aliunde affert rem, quam ostendit, vt serpentem: vel applicat actiua naturaliter passiuis, ex qua applicatione, naturaliter prodit talis effectus: vel etiam sensus deludit, apponendo sensibus apparentia exterius obiecta ex aere confecta, aut in sensu interiori idola effingendo rerum externarum, quasi præsentium, quæ reuera absunt. Hæc autem Magia includit pactum dæmonis cum homine Mago, quod facit aliquando per se, illi visibiliter apparendo: aliquando per alium, illi promittendo, per se vero promissa exequendo. *Tertia* species peccati contra virtutem Religionis, est *Diuinatio*. Est autem diuinatio inordinata enunciatio eorum, quæ per naturam cognosci possunt, dæmonis scientia adiutrice. Circa hanc vero diuinationem in euentibus, qui pendent ab humana voluntate, procedit dæmon experimento. In effectis vero naturalibus procedit ex scientia, quam habet effectuum omnium naturalium. Diuinat autem dæmon aliquando per apparentes figuras, & talis diuinatio dicitur præstigium: aliquando per fictionem mortui ab inferis excitati (format enim corpus

ex

ex aere, & ex eo loquitur) dicitur vero ea diuinatio *Necromantia* Aliquando per viros arreptitios, qui dicuntur Pythones, fœminæ vero Pythonissæ. Aliquando loquitur per statuas, & dicitur *Geomantia* Aliquando per figuras apparentes in aquis, & dicitur *Hydromantia*, Aliquando per figuras aereas, & dicitur *Aeromantia*. Aliquando per ignes, & dicitur *Pyromantia*. Aliquando per exta animalium, & dicitur *Auspicium* Reducitur vero ad hoc diuinationis peccatum aliquorum inauguratio, qui cum ex astris augurantur, dicitur *Astrologia*: cum ex mugitu animalium, dicitur *Auspicium*: cum ex volatu, aut garritu auium, dicitur *Auspicium*: cum ex certis verbis, *Omen*, seu ominatio, vt quia miles, verbi gratia, dixit, sistamus gradum, dux superstitiosus noluit mouere exercitum. Circa *Astrologiam* hoc adijcio, posse quidem Astrologos multos effectus naturales, quasi certo promittere: Errant tamen vehementer, cum prædicunt ea, quæ pendent ex diuina, aut humana voluntate, adeo imperscrutabili, vt solus Deus illius penetret determinationem, teste ipso Deo *Ierem* 17. Qui soli sibi arrogat hanc perscrutationem dicens: *prauum est cor hominis, & inscrutabile. Quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.*

Circa *Augurium*, & *Auspicium* etiam addo naturę Parentem dedisse animalibus, & auibus certam rerum futurarum diuinationem, vt bene eorum vitæ consuleretur. Hos autem effectus ab illis cognoscere, cu pa caret, vt ex meris mare fugientibus colligitur futura tempestas. Vespertiliones verò longe à domibus volantes futuram serenitatem præsagiunt. *Quarta* superstitionis species est vana *Obseruantia*, in qua quædam obseruantur vanè, nullam ex se efficaciam habentia ad aliquos effectus, vel augurandos, vel efficiendos, vt certa quædam verba ad sanitatem capitis, dentium, aurium, &c. *Quinta* superstitionis species est *Maleficium*, quod ita definiri potest. Est ars nocendi alijs, dæmonis potestate ad tales effectus implorata, opus vero malum appellatur maleficium. Duplex vero est maleficium: aliud amatorium, quo dæmon efficit, vt verbi gratia, coniuges inter

se dissideant, & circa alios amore afficiantur. Quem amorem dæmon non gignit cogendo voluntatem, sed in interiori sensu effingendo, & repræsentando imaginationi figuram personæ amatæ pulchriorem, amabiliorem, venustiorem: figuram vero personæ exosæ fœdam, turpem, deformem. Aliud veneficium est pernicioſum, quo dæmon torquet personam veneficiatam, sæpè cum pacto torquendi partem, quam veneficus alicuius imaginis, quæ apud illum est, pupugerit. Ad hoc peccati genus reducuntur peccata Lamiarum, seu strigum. Hæ potius carnalem quærunt delectationem, feruntur enim à dæmonibus per aera corporaliter, & cum ipsis corpora assumentibus exercent rem veneream. Sæpè somno à dæmone corripiuntur, & per insomnia dæmon illis multa repræsentat absentia, facitque credibile se longas fecisse peregrinationes, multaque apud exteras nationes vidisse, intrant reseratas domos, dæmone aperiente ianuam, fingunt se homines trasmutare in belluas, dæmone videntium oculos falsis imaginibus deludente.

CAPVT V.

De secundo Decalogi præcepto. §. 1.

Non assumes nomen Dei tui in vanum.

1 *Quid prohibetur in secundo Decalogi præcepto.*
2 *Quo loco Doct. de iuramento agunt.*
3 *Quid est iuramentum.*
4 *An liceat exigere iuramentum ab eo, quem scio iuraturum per falsos Deos.*
5 *Quotuplex est iuramentum.*
6 *An iuramentum sit actus virtutis.*
7 *Quas proprietates debet habere sanctum iuramentum.*
8 *An liceat vti amphibologia in iurando.*

9 Quan-

9 *Quando peccat quis mortaliter iurando ex praua consuetudine.*

1 QVÆSTIO. *Quid prohibetur in secundo Decalogi præcepto?* RESP. Iuramentorum abusus.

2 QVÆST. *Quo loco Doctores de iuramento agunt?* RESP. *Summistæ ver. iuramentum. Iurisperiti. 22. quæst. 1. & toto tit de iureiur.* Theol. *in 3. dist 39 Anton. 2. p tit. 10. Sot. 8. iust. & lib. de iur. abusu. Nauar cap. 12. Couarru. ca. Quamuis pact. de pactis.* Et ideo cum in hac materia Auctores nō adduxero, apud hos inuenientur, quæ dixero, quos, ne molestus sim, recensere non puto.

3 QVÆST. *Quid est iuramentum?* RESP. Est inuocatio diuini testimonij, in dicti, factive alicuius confirmationem. Itaque adducitur Deus in testem eorum, quæ affirmantur, & in fideiussorem eorum, quæ promittuntur. Inuocatur vero Deus, vel explicite, cum nominatim effertur, vt cum dicimus, per Deum, per Christum, &c. vel implicite, & fit, cum in creaturis existens inuocatur: inuocatur vero in ijs frequentius, in quibus clarius relucet eius bonitas, sapientia, omnipotentia, gratia, sanctitas, vt cum iuramus per Solem, per Cœlum, per Angelos, per Diuos, &cær. Si enim hæ creaturæ inuocantur secundum se, non est iuramentum. Per creaturas vero posse fieri iuramentum decernitur, *cap. Habemus. 22. qu. 1. notant* D Thom. 2. 2. *qu. 89. art 6* Rich. *in 3. dist. 39. art. 1. quæst. 1.* Bonauent. ibidem *qu. 2 art. 2. Alens. 3 p. quæst 31. m. 3. art. 3. § 1.* Gabriel. *in 4. d. 39. qu. 1. art. 2. concl. 3. Couar. ca. Quamuis. de pactis. §. 1. num. 5.* Irreuerentia tamen est venialis iurare per creaturas vilissimas, vt per pilos, per ocreas, docet D. Thom. *loco citato.*

4 QVAEST. *Licetne exigere iuramentum ab eo, quem scio iuraturum per falsos Deos?* RESP. Licet quidem. Ita decernitur, *cap. Mouet te 22. qu. 1.* Ita Sot. 8. *iust. citato, Couar. cap. Quamuis 1. pag. §. 1. num. 9.* Abul. *cap. 5 quæ. 270.* Ratio est, quia petere ab alio iuramentum, est petitio rei bonæ secundum se, si vero male fiat, defectus oritur ex malitia iurantis, quemadmodum postulare mutuum, bonum est, licet ex malitia mutuantis, vsuram pro mutuo exigentis, mutuatio iniqua fit. Verum, vt ad petendum mutuum

sub vsuris causa requiritur, ita, & ad petendum iuramentum ab eo, qui ex malitia per falsos Deos iuraturus est. Causa vero debet esse detrimentum non leuis momenti, tenemur enim ex charitate pati detrimentum leue pro graui, Dei offensa in proximo euitanda.

5 QVÆST. *Quotuplex est iuramentum?* RESP. *Quadruplex.* Assertorium, Promissorium, Comminatorium, Execratorium. *Assertorium* est, in quo affertur Deus in testē rei negatæ, vel affirmatæ præsentis, aut præteritæ, vt per Deum iste occidit hominem, per Deum non occidit. *Promissorium* est, in quo adducitur Deus in testem rei promissæ, vt per Deum hoc faciam.

Quod iuramentum, vt verum sit, duplici debet conformari veritati, scilicet, & præsenti voluntati reddendi rem promissam, & futuræ exequendæ promissionis, ac proinde tam falso iurat, qui promittens stare promissis non decernit, quam ille, qui promissionem non implet. *Comminatorium* est, in quo Deus adducitur in testem mali faciendi, vt per Deum castigabo te. In quo iuramento cum malum est iniuste inferendum, si quis habet animum exequendi, peccatum eiusdem speciei committit, cuius est malum. Si vero non habet animum implendi, periurium incurrit. In neutro tamen euentu tale iuramentum obligat, cum non sit vinculum iniquitatis. *Execratorium* est, in quo Deus adducitur, non solum in testem, sed etiam in vltorem, & vindicem frangentis tale promissum, vt Deus me destruat, nisi hoc fecero. Solum aduerte iuramentum assertorium, etiam aliquando respicere futuram rem promissam, vt per Deum hoc euenturum est: Execratorium quoque respicere præsentem veritatem, & mentis conformitatem verbis prolatis, vt hoc faciat mihi Deus, & hoc addat, nisi loquor verum, nisi hoc ita actum est, nisi modo dico quod sentio.

6 QVÆST. *Estne iuramentum actus virtutis?* RESP. Si debito modo fiat, actus est studiosus, & Deo gratissimus, ita enim iubet, Deut. 6. *per nomen Dei tui iurabis, &* Psalm. 62. *Laudabuntur omnes, qui iurant in eo,* & ita definitur in *Concil. Constantiensi*: est enim actus virtutis Religionis. Quamobrem in hoc secundo præcepto non prohibemur iurare, sed malo modo iurare, vtpote

frustra

frustrà, aut in vanum. Ita enim *Deuteron. 5. & Exod. 20. Non assumes nomen Dei tui frustrà, seu in vanum* Hoc est, sine debitis circumstantijs, sine quibus Christus Dominus prohibet iurare etiam verum. *Matth. 5. Dico vobis, non iurare omnino*, vt ibi interpretatur Maldonatus. Addit Christus Dominus. *Sit sermo vester est, est, non, non: quod autem abundantius est, à malo est*, ex Græco, a maligno est, hoc est, prauam consuetudinem iurandi irreuerenter procurante, sic Theophylact.

7 QVÆST. *Quæ, & quot proprietates debent comitari iuramentum, vt bonum sit?* RESP. Tres, *Veritas, Iustitia, Iudicium*: nam sine veritate est mendacium, sine iustitia, est iniquum: sine iudicio, & debita reuerentia, est indecens & temerarium. Vt igitur sit verum, requiritur veritas, vt sit iustum, requiritur rei æquitas, vt sit reuerens, & decēs, requiritur iudicium. Ex defectu harum proprietatum iuramentum est peccatum, Lethale quidem, si deest iustitia in materia graui, si vero deest veritas, siue materia sit leuis, siue grauis; imò grauius, quo res est leuior, Veniale vero, si desit iudicium, vel iustitia in re leui.

8 QVÆST. *Liceatne in iuramento vti amphibologia, hoc est, aliud proferre verbis, aliud subintelligere mente?* RESP. Interrogatus a iudice amphibologia vti non potest, cum iuridice interrogatur, sed peccat lethaliter non respondendo ad mentem interrogantis. Ita communiter Doctores, Abulens. *ca. 5. Matth qu 26. Sot. 8. iust. q. 1. art 7 ad 4. Cajet. 2. 2. quæst 89. ar. 7. ad 1. Nau. ca. 12. nu. 8.* Ratio est, quia interrogans iuridice ius habet ad exigendam veritatem. Peccat secundo etiam lethaliter, qui cum sponte sua, nec petitus iurat, & vtitur amphibologia ad decipiēdos alios. Amphibologia tamen vti licet imprimis cum non iuridice interrogatur, cum per metū iniuriā, vel nimiā importunitatē cogitur iurare. Hæc est doctrina cōmunis, & ferme absq; cōtrouersia. Ita Adria. *in mat. de cor. fra col. 7.* Maior *in 4 d. 15. q. 18.* Alē. *2. p. q. 137. n 4 ar. 2. §. 1.* Nau. *c 12 nu. 8. & 9. & 14. & 18.* Syl. *verb. menda.* & Nau. *c. Inter, ver. 11. qu. 3 conc. 6. & c. Humanæ aur. q. . n. 9.* Eruitur hęc veritas ex eo, q̄ aliquando ex causa vti liceat amphibologia. Vsus est Iacob. *Ge. 22. Ego sū filius tuus primogenitus Esau.* i. secundū ius primogenituræ, ita Ambr. *in vita Iacob.*

Iacob. cap. 13. D. Thom. & Alenſ. *citati.* Vſus eſt Raphael. *Tob. 5. Ego ſum Azarias, Ananiæ magni filius*, id eſt, ſecundum fidelitatem. Imo Chriſtus Dominus Marc. 13. *De die illa nemo ſcit, neque Filius*; id eſt ad dicendum. Ita D. Tho. & alij ſacri interpretes. Quamobrem licet vxori adulteræ iurare marito amphibologice, nunquam tale crimen à ſe commiſſum, intelligendo ad illud detegendum. Ea etiam vti licet, cum iuſte quis interrogatur, ſi datur rationabilis cauſa non reſpondendi ad mentem interrogantis. Hoc autem eueniet, cum iudex iuxta legem præſumptiuam rogat aliquem de aliquo actu, de quo ex præſumptione lex ſiniſtre iudicat, ſi ille, qui talem actum operatus eſt, recte coram Deo illum egit, interrogatus de eo, poteſt amphibologia vti & iurare ſe nihil feciſſe. Eueniet itidem, cum quis rogatus an habeat accommodandam rem, vel mutuo dandam, cauſam habeat non illam dandi, ſi videat nimirum inde odia, diſſidia, rixas, ſimultates proditura, niſi mutuo det, aut neget apud ſe habere, poteſt amphibologice iurare rem talem apud ſe non eſſe. Multa poſſem exempla congerere, vnum non omittam. Vtrum tempore peſtis, cum cuſtodes locorum rogant me ex falſa præſumptione, an veniam ex vrbe, quam falſo credunt lue peſtifera infectam, poſſim iurare me non inde venire. Arbitror dicendum cum Nauar. *cap. 12. num. 19* poſſe. Non tamen cum eo ſentiendum exiſtimo circa illum, qui putans ſe tali morbo eſſe liberatum, cum ab oppido peſte realiter infecto venit, iurat ſe non inde venire, peccat enim grauiter, quia ſe exponit periculo inficiendi ſanos, ſiquidem morbus ille aere incluſo in plica togæ afferri poteſt.

9 QVÆST. *Quando peccat quis moraliter iurando ex praua conſuetudine iurandi?* RESP. Qui iurandi habet conſuetudinem, non toties mortaliter peccat, quoties falſum eſt quod iurat inaduertendo ad periurij falſitatem, ſed ſolum, quando ſciens ſe facili negotio mentiri inaduertenter, & frequentius mentiri, quam verum dicere, ſaltem in aliqua occaſione, verbi gratia, in ludo aleatum, addit huic prauæ mentiendi conſuetudini peruerſum iurandi morem. Tunc enim quoties inaduertenter iurat, neque tollit illam occaſionem peierandi, licet poſtea

postea verum inueniat, quod iurauit, mortaliter peccauit iurando, qui ex se non euitauit peierandi periculum. Ita Caietan. 2.2. *quæst.* 98. *art.* 3. Nau. *cap.* 12. *numer.* 6. Ille vero, qui licet consuetudinem iurandi habet, mendacium omnino detestatur, & proinde, nec inaduertenter mentitur, licet postea falsum esse comperiat, quod iurauit, periurium non committit, quia moraliter se non exposuit periculo peierandi. Ita Gabr. *in* 3. *dist.* 39 *qu.* 2. *art.* 1. *not.* 2. *& art.* 2. *concl.* 2. Sot. *lib. de iur. abus. cap.* 17. *&* 12 *Iust.* 1 *p. cap.* 42. Si autem quis mendax est, & raro verum profert, habetq; consuetudinem iurandi inaduertenter, attamē vult tam diram consuetudinē tollere, remediaq; adhibet ad eam funditus extirpandam, iste licet ex consuetudine inaduertenter falsum iuret, lethaliter non peccat, quia humano more facit, quod in se est, vt omnino non iuret, aut saltem verum. Ita communis doctrina, circa quam legatur Gabr. *in* 3. *dist.* 39. *qu.* 2. *art.* 1 *not.* 2. *& art.* 2. *concl.* 2. Sot. *lib. de iuramen. abusu. cap.* 7. *&* 12. cum alijs.

QVÆST. *Quando peccat quis lethaliter ex sola inaduertentia iurandi?* RESP. Cum non curat aduertere, verumne sit, an falsum, quod profert ex affectata, & crassa negligentia aduertendi, sed quidquid sit postea examinabit. talis enim exponit se periculo peierandi, & ideo siue verum sit, siue falsum, quod iurauit, periurium committit. Vellem, vt distinctius de quolibet iuramento me interroges, præcipue de promissorio, comminatorio, & execratorio.

De iuramento promissorio. §. 2.

1 *Quantum obligat iuramentum promissorium.*
2 *De iurante absque intentione implendi iuramentum.*
3 *De iurante rem falsam absque intentione iurandi.*
4 *De iurante rem veram absque intentione iurandi.*
5 *De iurante rem malam.*
6 *An rem malam iurans teneatur eam implere.*
7 *De eo qui iurat se non facturum rem bonam.*
8 *De iurante rem futilem, & inanem.*
9 *De ob-*

9 *De obligatione iuramenti de re futili, & inani.*
10 *De iuramento circa medicinam non docendam.*
11 *An iuramentum promissorium de re minima obliget sub mortali.*
12 *An fieri possit compensatio de pecunia, quam iuraui me redditurum.*
13 *De obligatione iuramenti per vim extorti.*
14 *De iuramenti obligatione facti in fauorem tertij.*
15 *De iuramento defuncti, an transeat ad hæredes.*
16 *De iuramento facto in fauorem tertij, an transeat ad hæredes illius.*
17 *An teneatur redire ad carcerem, qui sub iuramento exiuit.*
18 *De iuramento procuratorio.*
19 *An debitor possit prorogare iuramenti obligationem sui creditoris.*
20 *Quæ causa excusat ab implendo iuramento promissorio.*
21 *De iuramento aulicorum.*

1 QVÆSTIO. *Estne omne iuramentum promissorium adimplendum sub lethali?* RESP. Adeo ad sui executionem obligat iuramentum promissorium, si de re licita, & honesta, vt etiam de re minima adimplendum sit sub lethali: ratio est, quia in quauis re tota læditur ratio iuramenti, autoritas nimirum diuina, quæ interponitur. Ita Richar. *in 3. dist. 39. art. 2. qua. 1.* Caiet. 2. 2. *qu. 89 art. 6* Sot 8 *iust. qu. 1. ar. 7. ad 4.*

2 QVÆST. *Quid arbitraris de eo, qui exterius iurat sine intentione implendi iuramentum promissorium?* RESP. Peccat quidem grauiter, siue res, quam iurat, licita sit, vt patet: siue illicita, non quidem, quod teneatur illud implere, sed quia quantum in eo fuit (si per impossibile iuramentum, posset esse vinculum iniquitatis) se obligauit ad rem moraliter malam, nimis irreuerenter abutendo iuramento. Ita supra citati Auctores.

3 QVAEST.

3 QVAEST. *Qui sine intentione iurandi exterius iurat peccatne mortaliter, si res supra quam cadit falsa sit?* RESP. Peccatum est lethale ita iurare, licet per vim, fraudem, aut metum extorqueatur iuramentum. Ratio est, quia grauis Deo fit iniuria afferre eius testimonium, quamquam ficte, ad rem falsam comprobandam, & propterea exterius iuramentum fertur supra mendacium graue cũ magna diuini inuocati testimonij illusione. Ita Caiet. 2. 2 *quæst.* 89. *art.* 7. *& in sum. ver. periur. vbi* Arm. §. 3. Sot. & Arag. locis citatis.

4 QVAEST. *Quid dicendum si cadat illa fictio & iuramentum fictum supra rem veram?* RESP. Solum peccatur venialiter, quia diuinum testimonium, licet rei veræ applicetur, applicatur tamen illusiue, cum nonnulla Dei irreuerentia, licet non magna. Ita Sot. 8. *iust. qu.* 1. *art.* 7. Aragon contra Caietanum.

5 QVÆST. *Quot peccata committit ille, qui iurat rem moraliter malam cum intentione se obligandi, & animo adimplendi. Verbi gratia. Iurat se occisurum Petrum, & ita apud se statuit* RESP. Duo. Vnum periurij, alterum homicidij. Ita Caiet. *in sum verb periurium. & 2. 2. q* 89. Sot. 8. *iust. quæ* 2. *art.* 3. Syl. *iuram.* 2. *q* 7. Couar. *ca Quamuis pactum* 1. *p.* §. 6.

6 QVÆST. *Teneturne, qui malam rem iurauit illam ex vi iuramenti adimplere?* RESP. Minime: imo tenetur illam nõ implere sub eodem reatu, sub quo obligat præceptum rem illam prohibens.

7 QVAST. *Qua culpa innodatur, qui iurat se non facturum bonum aliquod puri consilij?* RESP. Veniali. Ita communiter Doctores, Caietan. 2. 2. *q.* 88. *ar* 7. Sot 8 *iust. q.* 2 *ar.* . *conc.* 5. Nauar. *ca.* 12. *nu* 16 Couar. *loco proxime citato* Et ratio est quia omissio consilij nullum est peccatum: ergo non grauis irreuerentia est promittere illam omissionem.

8 QVAEST. *Quod peccatum est iurare rem futilem, inanem, & indifferentem?* RESP. Est veniale: quia licet irreuerentia sit, & æqualis iniuria Dei afferre illum in testem rei futilis, non est tamen grauis. Ita Sot. 8. *iust. qua.* 2. *art.* 3. *conc.* 5. Caiet. *verb. periurium.* Nau *ca.* 12. *num.* 17.

9 QVAEST. *Sub quo peccato obligat iuramentum promissorium de re futili, inani, & indifferenti, vt de tollenda festuca è solo, de non transeundo per hunc locum, in quo nulla datur occasio*

casio mali; aut boni? RESP. Sub nullo quidem. Quamobrem licet quis iuret se non sumpturum cibos modo, vel postea, vel tali hora: se non ingressurum hanc domum, se non lusurum troco, vel alio ludo recreationis licitæ, etiam alearum, cum relaxandi animi gratia exercetur, non tenetur talia iuramenta, quatenus illorum materia, aut futilis est, aut indifferens, adimplere. Tenetur tamen, si materia indifferenti transeat in malam, vel bonam, tunc enim tenetur, & abstinere, & exequi rem promissam.

10 QVAEST. *Quando seruandum est iuramentum, quo quis promisit se nemini dicturum medicinam, quam edoctus fuit ab alio, sub eo iuramento medicinam edocente?* RESP. Si adsit aliud remedium ad medelam, standum est iuramento: secus, si aliud remedium non subest. Probatur facile, quia non licet se obligare ad non faciendum opus bonum, quando alia via fieri nequit. Ita D. Thom. *Quodlib.* 13. *art.* 22. & Sylu. *iuramentum* 4. *qu.* 1.

11 QVAEST. *Rem satis controuersam propono, estne sub mortali adimplendum iuramentum de re minima promissa?* RESP. In duas diuisi sunt partes hac in re Doctores. Affirmant enim Caietan. 2. 2. *qu.* 89. *art.* 7. Gab. *in* 4 *quæst.* 2. *concl.* 4 & 7. Couar. 1 *resolut. cap.* 1. & 2. *num.* 2. Arm. *iuramentum, num* 12. Pedraca *in* 2 *præcepto, num.* 2. Valen. 2. 2. *quæst. de iuramento, puncto* 4. Probant suam sententiam, quia sicut in iuramento assertorio rei cuiusuis minimæ falsitas, est lethale, quia Deus adducitur in testem præsentis veritatis: ita in iuramento promissorio de re quauis minima defectus veritatis erit lethale, quia adducitur in testem Deus non solius animi vere promittentis, sed animi rem futuram exequentis, nisi igitur adimpleatur, remanet Dei fidelitas deficiens tantum in re minima, quantum in re maxima. Oppositam sententiam tenuit D. Ant. 2 *p. tit.* 10. *cap.* 4. & Sylu. *iuramentum*, 4. *quæst.* 1. Arch. *ab eo citatus*, Sot 8 *de iust. qu* 1. *art.* 7. *dub.* 1. Ang. *iuramentum*, 5. *num.* 41. Nau. *cap.* 12. *num.* 10. Veg. *in sum. lib.* 5. *casu* 27. *Instruct.* 1. *p. cap.* 42. Roder. *cap.* 176. *concl.* 5. Probant suam opinionem; quia in omnibus talis præceptis paruitas materiæ excusat, ergo & in iuramento. Hæc secunda sententia quamuis communior, debilioribus nititur

nititur fundamentis, ac proinde prior mihi magis arridet, & Toleto *lib. 4. cap. 22.* Ideo iuxta illam dicendum puto, quod iam dixi. *nu. 1 huius §.* quando res parua est totalis materia iuramenti: non vero quando est pars materiæ totalis. vt recte aduertit Caietan.

12 QVÆST. *Si quis iurauit se soluturum pecuniam animo iurandi, & implendi iuramentum, poteritne postea facere compensationem?* RESP. Poterit, si tempore iuramenti non meminit compensationis, sed simpliciter iurauit. Ratio est, quia per iuramentum non renunciauit iuri compensationis, nisi de eo expressam, vel interpretatiuam saltem habuerit intentionem, vltra quam non extenditur iuramẽti obligatio. Si tamen meminit compensationis, & tamen voluit se obligare iuramento promissorio ad reddendum, tenetur reddere. *Ita* Sylu. *iuram. 4. q. 27.* Medina. *de rest. q. 3 cap. 12.* Couar. *ca. Quamuis 1. p. §. 4. nu. 9.*

13 QVÆST. *Obligatne in conscientia iuramentum promissorium per vim extortum?* RESP. Communis opinio constanter affirmat. *Ita* Sylu. *iuram 4. quæ. 7.* Caiet. *2. 2. qu. 98 art. 7.* Sot, *8. iust. qu. 1. art. 7.* Itaque qui latroni minitanti mortem promisit cum iuramento centum (quod facere secundum se nullum est peccatum) tenetur sub iuramento promissum implere. Ita decernitur *cap. Debitores. & cap. Si vero de iureiur.* ac proinde mortaliter peccat illud non adimplendo. In conscientia dixi, quia in foro externo tale iuramẽtum est nullum, vt ex iure probat D. Thom. *2. 2. qu. 98. art. 3 ad 1.* Est tamen mihi soluenda dubitatio magnæ in hac re difficultatis. Nam fur peccat accipiendo talem pecuniam, ergo & ego illi offerendo. Negatur tamen consequentia: nam offerre ex se non est latroni occasio peccandi, peccat vero ex improba malitia. Quoties vero exequutio iuramenti fieri ex se potest absque peccato, adimplenda est.

14 QVÆST. *Quando iuramentum factum in fauorem tertij, cui promisi, est maioris mei boni impeditiuum, obligatne in conscientia, verbi gratia, iuraui Bertæ me ipsi nupturum, an possim castitatem vouere?* RESP. Obligat quidem: quoniam cum res promissa licita est, semper iuramentum tenet, posthabito maioti bono, in quo differt à voto, vt statim videbimus. Ita communis sententia cũm

D. Thom. 2. 2. *quæst.* 98. *art.* 7. *& ibi* Caiet. Sot. 8. *iust. quæst. citata. art.* 9. Ang. *iuram.* 5. *num.* 33. *patet ex l.* 1. §. 1. *ff si certum petatur.*

15 QVÆST. *Quid dicis de iuramento defuncti, transitne ad hæredes?* RESP. Minime. Ratio est, quia iuramentum est vinculum personale. Hinc colliges non esse periuros ciues, qui non implent statuta à maioribus iurata, quæ tamen ipsi non iurant. ita Iurisperiti *cap. Veritatis de iureiur.* Sot. 8. *de iust. qu.* 2. *art.* 2 *ad* 4. Sylu. *iur.* 4. *q.* 3. Cou. *sup.* § 5. *nu.* 4. Panorm. *&* Iurisperiti, *cap. Veritatis de iureiur.*

16 QVÆST. *E contra rogo, transitne obligatio iuramenti facti Petro ad illius hæredes?* RESP. Minime. Itaq; qui iuramento promisit Petro se daturum centum, mortuo Petro succedunt illius hæredes ad debitum, notat Couar. loco proxime citato. Ratio est, quia iuramentum quamuis sit actio personalis ex parte iurantis, & ideo cum eo transeat, non est actio personalis ex parte personæ, cui iuratur, & ideo remanet post illius obitū ad hęredes. Hoc intelligo, nisi aliunde constet non eam fuisse iurantis intentionem, vt cum quis promisit Bertæ centum ad nuptias, defuncta Berta; non tenetur centum dare parentibus.

17 QVÆST. *Qui exiuit de carcere cum iuramento redeundi, tenetur ne redire?* RESP. Si quis iuste ad mortem damnatus, vel damnandus iurasset se rediturum, tenetur redire, quamuis sciat se occidendum. Ratio est, quia quoties iuramenti materia bona est, & iusta, obligat ad sui impletionem: sed cum quis ex causa iusta mortē sustinet, bonum opus sustinet, ergo, &c. Qui vero ob leuem causā in carcerem detrusus, & in eo detentus ab eo exiuit cum iuramento redeundi, & post egressū timet probabiliter, quod iniuste damnabitur, non tenetur redire; quia materia iuramenti facta est iniqua. Itidem, qui postquā egressus est è carcere sub tali iuramento, crimen commisit, ob quod morte punietur, si comprehendatur, minime tenetur redire; quoniam post iuramentum talis facta est, & tanta rerum mutatio, quæ si adfuisset, iuramentum non fieret. Ita communiter omnes Doctores.

18 QVÆST. *Quem obligat procuratoris iuramentum?* RESP. Mandatarium, si ad tale iuramentum facultatem dedit.

dedit. Ita decernitur *capit. vltimo de iuramento calumniæ lib* 6. Docent Sot. 8. *iust. qu.* 2. *art.* 2. Caiet. 2. 2. *qu.* 9[illegible]. *art.* 2. & 3. Cou. *sup* § 5. *num.* 8.

19 QVÆST. *Poteritne creditor prorogare iuramenti vim? Explico meam mentem. Iurauit Titius se soluturum Petro centum intra mensem, postea Petrus prorogauit diem solutionis, quæro an ex vi iuramenti obligetur Titius soluere eo die, à Petro prorogato, & assignato?* RESP. Pars affirmans mihi amplectenda videtur cum Couar. sup. & alijs, quos citat: quoniam qui iurauit soluere intra mensem, duo iurauit, nempe solutionem, & eam non differendam vltra mensem, ergo semper manet obligatus ad non differendum. Poterit igitur tantum differre post mensem transactum, quantum placuerit ei, cui debet; ex illius enim voluntate pendet vis & obligatio solutionis, vt manifestum est.

20 QVÆST. *Quæ causæ excusant à iuramento promissorio non implendo?* RESP. Si post iuramentum præstitum talis contingat inopinatus euentus, talisve incogitata rerum mutatio, vt si à principio extaret, Petrus nõ iurasset; iuramentum non obligat. Ita Henriquez. *lib.* 1. *de matrim. ca.* 14. Syl *iuram.* 4. *qu.* 6. Panor. *cap. Veniens de iureiurand.* & patet ex *cap. Quinta vallis, eod. tit.* Hæc regula in promissionibus adeo certa est, vt teneat etiam in oneroso contractu, quale est matrimonium. Hinc multa colligũtur, *Primum*, non obligare iuramentum de re, quæ postea facta est illicita. *Secundum*, non teneri quemuis accipere famulum, qui post contractum ægrotauit. *Tertium*, licet quis iurauerit ire in aliquem locum, si ibi paratas habet insidias, non teneri iter agere.

21 QVÆST. *Diuturna sunt iuramenta aulicorum, qui ad ingressum domus, vel ad accipienda sedilia, iurant se non primos ingressuros, vel non accepturos cathedram, tenenturne adimplere iuramentum?* RESP. Minime, quia illud iuramentum subintellectam habet conditionem, nisi alius ei cedat vel cathedram relinquat, & ideo altero recusante, ingredi domum alius potest, & cathedram sumere.

De iuramento comminatorio. §. 3.

1 *Quando est peccatum mortale iuramentum comminatorium.*

2 *Quando excusatur quis à iuramenti comminatorij impletione.*

QVÆSTIO. *Quando est peccatum mortale tale iuramentum?* RESP. Est inprimis, quando quis intendit iurare, sed non habet animum implendi: tunc enim deest veritas de præsenti. Est etiam peccatum mortale, quando malum, quod iurans facere proponit, est ex se peccatum mortale: vt per Deum occidam te.

2 QVÆST. *Quando excusatur quis ab implendo iuramento comminatorio?* RESP. Quando vel malum est implere, vel est melius non implere, aut saltem quando æqualiter dubitatur, an melius sit implere, vel non implere. Hinc excusantur parentes, atque domini à sumendis pœnis iuratis circa filios, & seruos, quando iam emendatos eos vident, vel iudicant melius esse eos non punire propter pacem. Aduertit tamen optime Caie. iuramenta parentum, dominorumve circa subditorum supplicia communiter fieri ex passione iræ, & sub ratione paruæ vindictæ, licet verba per exaggerationem sint magnifica.

De iuramento execratorio. §. 4.

1 *An iuramentum execratorium inueniatur in sacra pagina.*

2 *Quot modis sit.*

1 QVÆSTIO. *Inueniturne hoc iuramenti genus in sacra pagina?* RESP. Maxime: imo frequentius alio quouis: nam sæpenumero inuenies. *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat.* Apud Paul. 2. *Corint.* 1. *Testem inuoco Deum in animam meam.*

2 QVAEST. *Quot modis fit hoc iuramentum?* RESP. Dupliciter, implicite, & explicite: implicite, quando vocatur Deus in vindicem, tectis, vt ita loquar, verbis, vt cum dicitur: Sic me Deus adiuuet, sic Deus meam vitam seruet, per vitam meam, filiorum, amicorum, &cæt. Ita Sot. 8. *iust quæst.* 1. *art.* 6. Subijcit enim iurans diuinæ vltioni suam, amicorumque salutem. Explicite, cum Deus aperte in vindictam assumitur, vt frangantur mihi crura, si hoc fecero,

fecero, abscindatur mihi caput, nisi iuero.

3 QVAEST. *Si quis faciat iuramentum execratorium, credens Deum non sumpturum pœnas, committitne periurium?* RESP. Minime, quia Deus non adducitur in testem vltionis, sed desiderij vltionis infligendæ à Deo: esset vero periurus, qui execratorie iuraret, & malum non optaret.

De iuramenti dispensatione. §. 5.

1 *Quid est annullare, seu relaxare iuramentum.*
2 *Quis potest iuramentum annullare.*
3 *Quæ causa requiritur ad relaxationem iuramenti.*
4 *Quis potest dispensare in iuramento.*
5 *Quis potest commutare iuramentum.*

1 QVÆSTIO. *Quemadmodum circa votum, quatuor considerantur, vt Deo fauente videbimus, annullatio, dispensatio, commutatio, & absolutio, sic etiam circa iuramentum. Quæro igitur quid sit annullare, seu relaxare iuramentum?* RESP. Est declarare iuramentum pro nullo.

2 QVAEST. *Quis potest iuramentum annullare seu relaxare?* RESP. Possunt superiores circa res eas, in quibus iurantes illis subditi sunt. Ita patres iuramenta filiorum, domini iuramenta seruorum, maritus iuramenta vxoris, Papa iuramenta Clericorum, de rebus Ecclesiasticis, iuxta D. Thom. 2. 2. *quæst* 8[illegible] *art.* 9.

3 QVAEST. *Quæ causa requiritur ad huiusmodi relaxationem?* RESP. Sola superioris relaxantis voluntas.

4 QVAEST. *Quis potest dispensare in iuramento?* RESP. Potest Papa in omni iuramento, si cesset præiudicium tertij, & detur causa dispensandi. Dixi, si cesset præiudicium tertij, qui cum datur, iuramenti obligatio pendet ex voluntate tertij. Episcopi item ex legitima causa possunt cum suis subditis in omni iuramento non reseruato dispensare: præcipue in iuramentis coactis, in pœnam cogentis alium iurare.

5 QVAEST. *Quis potest commutare iuramentum?* RESP. Iuramentum factum tertio solus ipse tertius commutare potest, adeo, vt nec in melius ab alio, quam ab ipso commutari queat.

CAPVT VI.

De Voto. §. 1.

1 *Quid est votum.*
2 *Quanta esse debet rationis deliberatio ad votum.*
3 *Quale esse debet voluntatis propositum.*
4 *Quo iure nullum est votum, per metum grauem extortum.*
5 *An sit de essentia voti promissio.*
6 *Qualis esse debeat promissio ad votum necessaria.*

1 QVÆSTIO. *Quoniam ad hoc secundum præceptum de non vane iurando pertinet non male vouere, agendū nobis est de voto: rogo igitur quid est votum?* RESP. Votum est deliberata promissio ex voluntatis proposito de meliori bono, vnde claret tria ad votum requiri: *deliberatio* nimirum rationis, *propositum* voluntatis, & *promissio*.

2 QVÆST. *Quanta debet esse rationis deliberatio ad votum?* RESP. Tanta, vt sufficiat ad peccatum mortale, quare qui ex defectu rationis mortaliter peccare nequeunt, nequeunt etiam vouere. Non tamen ad validitatem voti necesse est prius expendere omnes omnino difficultates, quas vouens postea in voto seruando experitur perpessu difficillimas, quas si antea cogitauerat, nunquam vouerat, alioqui vix daretur votum validum, quia vix inuenietur vouens, qui non experiatur huiusmodi difficultates. Neque item requiritur, vt vouens sit ab omni prorsus iracundiæ, vel concupiscentiæ passione alienus, vel animi leuitate omnino liber, quando passio tanta non est, & animi leuitas, vt rationis vsum sufficientem ad peccandum mortaliter eripiat.

3 QVÆST. *Quale esse debet voluntatis propositum?* RESP. Debet esse omnino liberum, non per metum grauem extrin-

extrinsecus ad votum extorquendum illatum, si enim voluntatis consensus in votum per hunc metum extorqueatur, votum emissum est nullum.

4 Qvæst. *Quo iure vota emissa cum consensu voluntatis extorto per metum grauem nulla sunt?* Resp. Constans est Doctorum opinio esse irrita iure naturali, quia Deus, cum summe bonus sit, nō vult à nobis aliquid coactum. Quod etiam multi asserunt de metu reuerentiali, & est probabilis opinio, sed oppositum maiori cum probabilitate communiter defenditur.

5 Qvæst, *Estne de essentia voti promissio?* Resp. Adeo est de essentia voti promissio, vt absque illa votum nullatenus constet, Probatur ex *Deut* 23 *Cum votum voueris Domino Deo tuo, ne moreris reddere, ac facere, sicut promisisti.* Ita Ecclesiast. 5 *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis, & stulta promissio.* Quamobrem quantumcumque sit voluntatis propositum deliberatum aliquid faciendi, nisi promissio interuenit, non datur obligatio voti. Ita Doctores ad *cap. Literat. de voto.* Et probatur, quia alioqui sequeretur, quod quicunque firmiter proponeret ieiunare, vel quid simile studiosum facere, teneretur sub mortali, & ex voto adimplere, quod apertè falsum est.

6 Qvæst. *Qualis debet esse hæc promissio, sufficitne tacita, & sola mente concepta, an requiritur expressa, & extrinsecus significata?* Resp. Sufficit tacita promissio. Patet in eo, qui sciens ordini sacro ex vsu Ecclesiæ occidentalis esse votum castitatis annexum, ordinem suscipit, licet non exprimat se vouere castitatem, interpretatiue tamen, & tacita promissione illam vouet, & ad illam tenetur. Nisi suscipiendo ordinem sacrum expresse dissentiat in votū: tunc enim, quamuis grauiter peccat agendo contra Ecclesię ritum, tamen ordinem suscipit, nec votum emittit: non enim adeo annexum voluit Ecclesia esse castitatis votum ordini sacro, vt intentionem habeat non conferendi ordinem sacrum ei, qui votum nolit emittere.

7 Qvæst. *Dixisti votum esse promissionem factam Deo, nonne & Sanctis fiunt vota, vt Beatæ Virgini, beato Iacobo?* Resp. Maxime. Verumtamen non ratione illorum, sed

Dei, qui in illis honoratur, & colitur. Quare cum verum sit philosophorum proloquium : Propter quod vnumquodque tale, & illud magis, si Sanctis vouemus propter Deum, magis in ipsis Deo vouemus.

De obligatione voti. §. 2.

1 *Quantum obligat votum ad sui impletionem.*
2 *An in voto excuset à mortali paruitas materiæ.*
3 *Ad quid tenetur, qui dubitat an votum emiserit.*
4 *Quantum obligat votum de non contrahendo matrimonio.*
5 *Quantum obliget votum castitatis.*
6 *An liceat vxori reddere debitum marito, qui habet castitatis votum & è contra.*
7 *Quantum obligat votum simplex religionis.*
8 *Religiosus factus Episcopus ad quid tenetur.*
9 *Quantum obligat votum paupertatis.*
10 *Quid appellatur proprium contra paupertatis votum.*
11 *An sit contra paupertatis votum, abscondere rem cuius vsum mihi concessit superior.*
12 *De furto super re minima in Religione.*
13 *De voto paupertatis in sacra religione Societat. Iesu.*
14 *De voto paupertatis extra religionem emisso.*
15 *Quantum obligat votum obedientiæ.*
16 *De voto conditionato.*
17 *De tempore, quo obligat votum.*
18 *Ex qua causa licet differre voti impletionem.*
19 *Quid excusat ab ingrediendo statim religionem.*

20 *De voto faciendi eleemosynas.*
12 *De voto ieiunandi.*
22 *An teneatur ieiunare die Natalis Domini, qui vouit ieiunare sextis feriis.*
23 *De voto personali.*
24 *De voto reali.*
25 *De voto partim reali, partim personali.*
26 *De voto facto à communitate.*
27 *Quotuplex est votum.*
28 *Quo pacto definiuntur vota.*
29 *Quot modis fit solemnitas voti.*
30 *Quæ est materia voti.*
31 *Quæ non est materia voti.*

1 QVÆSTIO. *Sub quo reatu obligat votum ad sui impletionem?* RESP. Sub mortali ex genere suo: aliunde excusari potest.

2 QVÆST. *Excusaturne propter paruitatem materiæ?* RESP. Constat inter omnes à lethali culpa excusari, quando paruitas materiæ est pars totius materię voti. Exempli gratia, voluit quis quotidie recitare Virginis Rosarium, non peccabit mortaliter omittendo vnam, vel alteram salutationem Angelicam: nam in alijs præceptis transgressio in re leui solum est culpa venialis. Controuersia tota est, an transgressio voti sit mortalis, quando res minima est tota materia voti, vt si quis voueat recitare semel orationem Dominicam. Asserit Caieta. 2. 2. *qu.* 89. *art.* 7. quem olim sequutus fuit Nauar. in Manuali Hispano, *cap.* 12. *n.* 40. illius ratio est, quia promissionis Deo factæ obligatio, tam in re minima, quam in magna infringitur. Negandum tamen est cum Sot. 7. *Iust. q.* 2. *ar.* 1. *& lib.* 8. *q.* 1. *ar.* 7. Nauar. in Manuali Latino, *c.* 12. *n.* 40. Arag. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 8. Probatur, quia in omni præcepto diuino, & naturali, paruitas materiæ excusat à lethali, cum pars est materiæ totalis præcipue. Hoc intellige quando paruitas materiæ voti susciptur in onus illius diei, vt cum quis singulis quibusque diebus vouet recitare An-

gelicam salutationem, transit enim dies cum onere. Si vero paruitas materiæ suscipitur inchoate, vt ita dicam, cum perueniat ad perfectam quantitatem, obligat sub mortali. Exemplo res erit manifesta. Vouisti reddere singulis diebus teruntium paupertibus per annum, licet hodie non reddideris, cras reddere teneris, & quamquam hodie non tenearis sub mortali, quia materia parua est, & pars minima materiæ totalis, cras teneberis, quia illa grandior facta est. Ita Sot. 7. *iust quæst.* 2. *art.* 1. Verumtamen expendenda est vouentis intentio, vltra quam votum non extenditur.

3 QVÆST. *Ad quid tenetur, qui dubitat, an votum emiserit.* RESP. Si probabiliter credit se non vouisse, licet probabiliter, imo etiam probabilius credat se vouisse, non tenetur ad votum. Hoc intellige de vero dubio nõ scrupuloso. Et quamquam hæc resolutio pendet ex communi doctrina, 2. 2. *quæ.* 16 *art.* 6. eam docuerunt Sot. 7. *iust.* 5. *art.* 2. *docum.* 2. *post* 4. *concluſ.* Med. *in ſum cap.* 14. §. 7. Sylu. *ieiunium quæ.* 10. *dict.* 2. *inſtruct.* 1. *part. cap.* 45. Rod. *cap.* 49. *de voto, concluſione* 5. Probatur, quia in dubio melior est conditio possidentis. Deinde, quia votum est priuata quædam lex quam quis sibi imponit, lex vero humana non obligat, nisi notitia moraliter certa constet eam esse latam, & promulgatam.

4 QVÆST. *Iam te rogabo de obligatione particularium votorum: Quam obligationem imponit votum de non contrahẽdo matrimonio?* RESP. In primis, qui vouit se minime contracturum matrimonium, non tenetur ex vi voti seruare castitatem, quia tale votum non est de castitate seruanda, sed de manendo in statu, qui castitati obnoxius est, qualis est cœlibatus, qui quamuis castitate condecorandus sit, ex se tantum est occasio ad illam. Quemadmodũ qui religionem vouet, non se obligat ad sanctitatem, sed ad statum sanctitati propinquum, & ideo si contra sanctitatem it, non facit contra votum religionis.

5 QVÆST. *Quam obligationem imponit votum ſimplex caſtitatis?* RESP. Obligat ad non contrahendum matrimonium animo consummandi. Item, ad non consummandum. Item post matrimonium contractum ad non petendum debitum, nisi quando petitio esset virtualiter

ter redditio propter vxoris verecundiam. Denique obligat ad castitatem in rebus omnibus ex parte sua seruandam. Dixi (obligat ad non contrahendum animo consummandi) quoniam si contraheret animo ingrediendi religionem, intra tempus quo potest, iuxta *cap. Ex publico, de conuers coniug.* non peccaret contra votum, tunc enim expresse dissentit copulæ, imo & actuali obligationi ad copulam, qua non tenetur intra duos menses post matrimonium contractum. Quod si coniunx voto liber, transacto tẽpore debitum petat, volunt optimi Autores illum teneri ingredi religionem, potius quam consummare, quia in ea solum potest suum votum seruare, Ita Diuus Thom. *q. 52. addit. art 1. ad 3.* D. Anto. *3. par. tit. 1. ca 1.* Palud *de matrimonio, ca. 1.* Couar. *ca Quamuis pactum. 1. p. § 6. nu. 8.* Petrus Sot. *lect. 5. de matrimonio.* Syl. *matrimonium. 7. q 5.* Nau. *ca. 12. nu. 80. ca. 2. 2 nu 73.* Oppositã sententiam sequitur Ang *matrimo 3.* Sot. *in 4. d. 38. qu. 2. ar. 1.* Instruc. *1. p. ca 50.* Speculum in appendice *fol. 129.* Henr. *li. 2. de matrimon. ca. 2. nu. 8.* Quam valdè probabilem censet Cordub. *in sum. quæst. 136.* Probatur; quoniam iste moraliter censetur impotens ad votum, licet sua culpa se posuerit in ea impotentia: sicut qui sua culpa factus est impotens ad soluendum creditoribus, non tenetur vilẽ, & abiectum statum sumere, vt soluat.

6 QVÆST. *Poteritne coniux debitum reddere coniugi petenti, qui habet castitatis votum?* RESP. Communis doctrina respondet affirmatiue. Ita Maior *in 4. dist. 32. art. 1.* Bonauent ibidem. Adria. *quæst. 14. de matrimon.* Couar. *p. 2. de matrimon cap 3. §. 1. num. 6.* Alens. *2. p qua. 147. memb. 3.* Petrus Sot *lect 16 de matrim.* Col. *casu 45. opinione 2. puncta 3.* Henriq. *li. 1. de matrimo. ca. 15 §. 7.* Ratio eorum est, quia, qui vouet castitatem, vouit vsum, non petitionem, & ideo peccat vtendo, non petendo, vt qui furiosus ao profuse consumendas petit depositas pecunias. Oppositum docuit Nauar. *cap. 12. num 59.* & Ratio eius mihi semper vehementer placuit, quia in eo casu peccat, qui petit, quando enim petitio est rei, quæ non potest non adplicari ad malum vsum, ipso petitio est peccatum, ergo ipsa datio, peccato cooperatur. Ita vero accidit in casu proposito: nam vsus Veneris in eo, qui vouit castitatem,

non

non potest non esse malus, ergo mala erit ipsa deliberata petitio, & ipsa sola voluntas petendi. Nec est par ratio in petitione pecuniæ: enim vero pecunia ex se applicari potest ad bonum, & ideo ipsa pecuniarum petitio ex sola intentione prauè petentis mala erit. Quæ si mihi constet, etiam arbitror me non posse illi acquiescere, & pecunias tradere, cum sciam profuse consumendas, sicut nec gladium furioso, quem scio velle se, vel alium occidere. Hoc intelligendum aliqui volunt, nisi ex negatione debiti oriantur maiora mala, vt incontinentia contra naturam, adulterium, &c. Mihi tamen hoc valde displicet, quoniam quamuis permissiue possim minus malum pati ad fugiendum maius, aut consulere, non tamen ad id effectiue concurrere, vt concurrit, qui debitum reddit, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona. Hæc tamen dixerim sub prudentiori iudicio.

7 QVÆST. *Quam obligationem imponit votum simplex religionis?* RESP. Qui religionis votum emisit, in primis peccat mortaliter contrahendo consummandi animo, & etiam animo non consummandi, quia castitatem lædit, & vxorem decipit. Quod si consummat, non tenetur castitatem seruare, quoniam votum religionis non est votum castitatis. Qui absolute voluit religionem ingredi, non satisfacit adeundo vno, vel altero, aut tertio monasterio, sed tenetur quærere plura, & ingressum implorare. Non tamen alia extra regnum, nec omnia intra regnum, talis enim censenda est fuisse illius interpretatiua intentio. Si vero vnam religionem ingressus, experitur non sibi conuenire, non tenetur aliam ingredi. Qui laxiorem religionem vouit, potest arctiorem intrare, imo qui laxiorem professus est, potest ad arctiorem transire, *cap. Licet. de regul. iuris in sexto*, facultate tamen prius à superiore propriæ religionis petita, licet non obtenta: per *idem capit.* Strictior vero religio appellatur, non ea, quæ secundum propria statuta arctiori perfectionis via procedit, sed ea, in qua strictius seruatur eiusdem perfectionis via. Qui vero votum haberet de arctiori religione ingredienda, & laxiorem intraret, mortaliter peccaret. Attamen si laxiorem solenniter profiteretur, voto maneret absolutus ingrediendi strictiorē,

quia

quia votum solemne laxioris, soluit votum simplex strictioris, vt docet D. Th 2.2.*qu.* 89. *art* 9 *ad* 3. vbi Caietan. *ar.* 8 Ange. *Vot.* 3. *n.* 17 Syl. *re.l.* 2. *q.* 18. Nau. *ca.* 12. *n.* 48. Qui vouit religionem, non ei satisfacit ingrediendo, sed tenetur bona fide experiri, vtrum illi conueniat, & si ita inuenerit, tenetur ex vi voti profiteri: secus vero, si experimento comperiret minime sibi expedire.

8 QVÆST. *Religiosus factus Episcopus ad quid tenetur?* RESP. Tenetur ad votum castitatis. Tenetur ad obedientiam soli Papæ, (eximitur enim per illam dignitatem ab omni alia Prælatorum subiectione) non potest proprium habere, nec testari, id enim repugnat voto paupertatis, est tamen dispensator rerum Ecclesiasticarum. Non tenetur ex debito legali ad regulas, & statuta suę religionis, sed solum ex debito morali, ac proinde non peccat mortaliter illa transgrediendo. Sed hac de re latius 4. *p.* & explicatius.

9 QVÆST *Quantum obligat votum paupertatis?* RESP. Qui votum paupertatis solemne in religione emisit, & post illud propium acquirit, retinet, aut possidet, peccat iuxta materiæ quantitatem, *cap. Non dicatis* 12. 1. *q.* 1. *cap. statutum.* 18. *q* 1. *cap Monachi*, 27 *qu.* 1. Ac proinde si quantitas notabilis est, mortaliter peccat. Constat ex pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ apposita à Concil. Trident. *sessione* 25. *cap.* 2. *de regularibus.* Constat ex pœna apposita à Concil. Lateranens. *cap. Monachi, de statu Monachorum*, vbi proprietarius mortuus absq; pœnitentia priuatur sepultura inter fratres, & oblationibus fieri solitis pro alijs. Imo Innocent. III. *cap. Super quadam, de statu monachorum*, iubet talem iam sepultum exhumari, & lepeliri extra Ecclesiam, si fieri possit absque scandalo, cum scilicet proprietatis peccatum est publicum. Idemque Innocen. statuit *Capit. Cum ad monasterium, de statu monachorum.* acerbiorem pœnam his verbis. *Si proprietas apud quemquam in morte inuenta fuerit, is se cum eo in signũ perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur.* Quam pœnam Diuus Gregorius narrat se inflixisse cuidam. Denique à Concil. Tolet. 4. *cap* 18. *qu.* 2. pœna excommunicationis imponitur.

10 QVÆST. *Quid appellatur proprium contra paupertatis votum?*

votum? RESP. Vsus rei per modum dominij, quæ sit res pretio æstimabilis.

11 QVÆST. *Estne contra hoc votum abscondere rem cum facultate superioris retentam, ne superior facultatem retinendi deneget*? RESP. Minime: ille enim timor facultatem non irritat, qua cum vti possim re pretio æstimanda.

12 QVÆST. *Quid dicis de religioso, qui per minima ad magnam peruenit quantitatem*? RESP. Hac in re dicendum puto, quicquid dicam postea ad septimum præceptum de furto per minima. Arbitror enim minima furta facta à filijs familias; imo etiam à famulis, & seruis sine intentione perueniendi ad notabilem quantitatem, non facere peccatum mortale, quando peruenitur ad eam. Quoniam, nec parẽtes, nec domini ita filios aut famulos suarum rerum immunes esse volunt sub tam graui pœna. Ita igitur maiori cum ratione de religiosis asserendum est, qui filij nobiliores sunt. Quæ doctrina ab omnibus tenetur de minimis comestibilibus.

13 QVAEST. *Idemne dicendum de eo, qui in Societate IESV votum simplex paupertatis emisit*? RESP. Idem prorsus; quoniam per illud votum verus religiosus constituitur. Ei autem amplius conceditur per constitutiones religionis, & literas Apostolicas, ius atque dominium pro superiorum arbitratu, negato vsu, vt alijs religiosis.

14 QVAST. *Quid dicis de eo, qui extra religionem paupertatem vouit*? RESP. Attendenda est vouentis intentio, & secundum eam iudicandum.

15 QVAEST. *Quantum obligat votum obedientiæ*? RESP. Obligat ad seruandas regulas iuxta intentionem institutoris, quo ad culpam mortalem, aut venialem: neque enim omnia seruanda proponuntur sub mortali. Obligat ad seruanda Prælati iussa: hæc tamen verbo, aut scripto prolata, non obligant sub mortali, nisi præcipiantur sub pœna obedientiæ, aut excommunicationis; neque in re leui, nisi adsit contemptus, de quo supra iam dixi, in quauis enim materia (castitatem, & nonnullas alias materias excipias) paruitas materiæ à mortali excusat.

16 QVAEST. *Quam obligationem imponit votum conditionatum*?

tionatum? RESP. Obligat, vt non ponamus obstaculum implendæ conditioni, qui enim illud posuerit, adhuc obligabitur voto. Exemplo res erit manifesta: vouit quis ingredi religionem, si intra duos annos calleret linguam Latinam: ille vero ne obligaretur voto, nullam dedit operam literis, iste non manet liber à voto. Denique impleta conditione, obligat ad sui exequutionem.

17 QVÆST. *Quo tempore obligat votum?* RESP. Votum negatiuum, in quo quis per votum sibi negat vsum alicuius rei, quale est votum castitatis, quo quis sibi interdicit venereorum vsum, obligat ad semper, vt reliqua præcepta negatiua. Votum affirmatiuum, quale est hoc, voueo dare centum pauperibus, obligat ad non multum differendam exequutionem. Ita præcipitur à Deo, Deuteron. 23. *Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, & si non moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Qui ergo ex crassa negligentia oblitus voti, illud multum differt sine causa, si grauis materia est, lethaliter peccat. Obligat igitur votum affirmatiuum ad impletionem, quam cito commode fieri potuerit arbitrio prudentis, consideratis omnibus circumstantijs. Hoc intelligo, nisi vouens tempus impletionis sibi decreuerit.

18 QVÆST. *Quibus ex causis licet differre voti exequutionem?* RESP. Inprimis, ex autoritate Sedis Apostolicæ. Ita decreuit Innocent. *cap. Non est voti, de voto.* Deinde ex necessitate vtilitatis communis, vt si tempore belli aliquis requiritur ad tuendam arcem, vel tempore pestis ad curandos infirmos, potest ad aliud tempus differre peregrinationem ad Diuum Iacobum.

19 QVÆST. *Quid excusat ab ingressu religionis statim faciendo?* RESP. Necessitas parentum, qui vix sine filio in statu decentiæ viuere possunt. Ius enim naturale de subueniendo parentibus in graui necessitate constitutis, nequit per legem meam positiuam, quale est votum, abrogari, vt docet D. Tho. 2. 2. *quæ.* 189. *art.* 6. Caiet. 2. 2 *quæst.* 101. *art.* 4. *ad* 4. Alens. 3. *p. quæst* 33. *memb.* 4. *art.* 2. Ang. *verb. religio.* §. 11. Hoc intelligo, nisi ex dilatione immineat periculum spiritualis damni: tunc enim religiosus anteferre debet

de bet propriam vitam ſpiritualem parentum inopiæ, vi conſtat ex iure naturali, & præcipit CHRISTVS Dominus: Qui non odit patrem, & matrem, &c. *Luc.* 14. Excuſat præterea ab ingreſſu religionis ſtatim faciendo voluntas, & applicatio in bonis artibus addiſcendis, quibus poſtea religionem iuuet. Notauit Palud. *in 4. diſt.* 38 *diſſ* 3. *concluſ.* 7 Ratio eſt manifeſta, quia talis dilatio vori cedit in vtilitatem illius.

20 QVAEST. *Quid excuſat vouentem eleemoſynas ab e ſtatim faciendis?* RESP. Vilitas pretij, quo cogeretur minoris vendere res ſuas, ſi ſtatim votum expleret. Probatur facile; quia ſecundum omnes ea excuſat ab ſtatim ſoluendis (loquendo ex natura rei) alijs debitis contractis.

21 QVÆST. *Qui abſolute vouit ieiunare per annum, teneturne ieiunare diebus Dominicis?* RESP. Minime quidem, ſi abſolute vouit abſque intentione ad hos peculiare dies: promittitur enim ieiunium Deo faciendum ſecundum Eccleſiæ conſuetudinem: hæc autem eſt, non abſtinere diebus Dominicis.

22 QVÆST. *Si quis vouiſſet ieiunium omnibus ſextis feris teneturne abſtinere die Natalitiarum Chriſti Domini, cum ſexta feria celebratur?* RESP. Tenetur. Ita decreuit Honor. *cap. finali. de obſeruant. ieiun.*

23 QVÆST. *Ad quid obligat votum perſonale?* RESP. Votum perſonale ſolum obligat perſonam vouentem, ac proinde vouente impedito, aut mortuo, non tenetur ſibi alium ſubſtituere, vt votum impleat.

24 QVÆST. *Quantum obligat votum reale?* RESP. Votum directe reale etiam obligat hæredes, vt cum quis vouit eleemoſynam, ſi ante impletionem obijt, teneantur hæredes illam irrogare.

25 QVÆST. *Quantum obligat votum mixtum, partim reale, partim perſonale, quale eſt votum peregrinationis?* RESP. Aliqui opinantur obligare hæredes quo ad partem, quæ eſt reale, & ideo teneri eos expenſas in itinere faciendas pauperibus elargiri. Dicendum tamen puto eos minime ad id faciendum obligari, niſi aliunde conſtet talem fuiſſe vouentis intentionem.

26 QVÆST. *Quantum obligat votum à populo factum?*

RESP.

RESP. Populus tenetur seruare vota realia suorum maiorum, constat per *capit. Exparte de censibus*: nam illud votum est quoddam statutum, consuetudine confirmatum: statutum vero consuetudine confirmatum non potest abrogari à populo, sed à Principe, vt Deo propitio, dicam latius in materia de legibus. Vota vero personalia seruare, populus non tenetur. Ita communiter Doctores.

27 QVÆST. *Quotuplex est votum?* RESP. Votum aliud *absolutum*, aliud *conditionatum*, aliud *reale*, aliud *personale*, aliud *simplex*, aliud *solemne*, aliud *perpetuum*, aliud *temporale*, aliud *mixtum* ex reali, & personali, aliud *pœnale*.

28 QVAEST. *Quo pacto definiuntur?* RESP. *Absolutum* est, quod simpliciter emittitur. *Conditionatum* est, quod conditione appositа nuncupatur. *Personale* est; quod opera, & labore ipsius vouentis indiget. *Reale* est, quod fit ex rebus ipsius vouentis. *Mixtum* ex reali, & personali est, quod vt impleatur, indiget vouentis actione, & rebus. De temporali, & perpetuo claret definitio ex terminis notis. Votum *solemne* est, quod ex statuto Ecclesiæ irritat matrimonium contrahendum, traditque irreuocabiliter personam Deo, & religioni. *Simplex* vero est, quo Deo castitatem vouemus, sed nec secundum se matrimonium contrahendum irritat, nec irreuocabiliter personam religioni confert. Dixi secundum se, quia ex dispensatione Ecclesiæ annullare potest matrimonium, vt annullat in sanctissima Societate IESV. Quod discrimen inter votum simplex, & solemne decernitur *capit. vnico, de voto in 6 & constitutione* GREGORII XIII. super vota religiosorum Societatis prædictæ.

29 QVÆST. *Quot modis fit solemnitas voti?* RESP: Dupliciter: fit enim, aut per professionem religionis, aut per susceptionem sacri ordinis. Ita decernit Bonifacius VIII. *cap. vnico. de voto. lib. 9* his verbis. Quod votum debeat dici solemne, atque ad dirimendum matrimonium efficax, nos consulere voluistis, Nos igitur attendentes, quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inuenta, præsentis sanctionis oraculo duximus declarandum, illud solum votum debere dici solenne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod

solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem factam alicui, de religionibus per sedem Apostolicam approbatis.

30 QVÆST. *Quænam est materia voti?* RESP. Sunt proprijssima materia voti opera consiliorum Christi: & ideo inualida sunt vota facta de rebus, quæ opponuntur consilijs, vt de non ingredienda religione, de nõ danda pecunia mutuo. Item vota de rebus impedientibus exequutionem consiliorum, vt votum de nubendo, impediens ingressum religionis, & non obseruantiã castitatis. Hoc tamen intelligo respectu eius, qui potest cõtinere, & castitatẽ seruare. Nam in aliquibus ad venerem prochiuis, *melius est nubere, quam vri,* vt docuit D. Paul. 1. *Cor.* 7. & ideo respectu huius, votũ de nubẽdo esset validum, quia illi potius expediret status coniugatus, quam cœlibatus. Hinc facile colliges, etiam esse vanum illud votum, quo quis voueret coniugiũ cum fœmina paupere, ad illius inopiam subleuandam, quia adhuc melior esset status continentiæ. Esset tamen validum votum conditionatum: Si nupsero, promitto me nupturum fœminæ pauperi, ad subleuandam illius inopiam, vel prostitutæ ad illam turpitudine liberandam. Sunt item materia voti opera præceptorum, vt patet in voto castitatis, ad quam ex præcepto etiam obligamur.

31 QVAEST. *Quæ non est materia voti?* RESP. Non sunt materia voti impossibilia, quia votum est promissio rei faciendæ. Quare stultum est votum de non peccando venialiter absolute, quia id est impossibile, etiam de speciali gratia Dei, quæ de lege ordinaria datur, vt decernit *Conc. Trid. sess. 6. can.* 23. indigetq; speciali priuilegio, quale concessum est Beatæ Virgini. Validum tamen erit votum de non peccando mortaliter absolute, quia licet ad id specialis gratia requiritur, vt definit *Conc. Trid. sess. 6. can.* 23. tamen idem Concil. *ibid.* definit non esse rem impossibilem ex speciali auxilio, quod de lege ordinaria nemini denegatur, vt videre est in *canon.* 18. eiusdem *Concilij* Non est materia voti res illicita, quare indiscretum esset votum eius, qui voueret peregrinationem nudo toto corpore, quia id esset inhonestũ, & saluti valde nocẽs, ac proinde res indecens, & perniciosa. Imo in eo voto po-

test

test interuenire blasphemia, si vouens rem talē ex malitia voluntatis rem Deo placitam esse arbitretur, & dicat: Potest interuenire hæresis, si errore intellectus id existimet. Dum vero tale votum faceret ex leuitate animi, haberetq; animum adimplendi, tale peccatum cō mitteret vouendo; quale committeret exequendo, vt qui voueret dicere mendacium iocosum peccaret venialiter, quia dicere tale mendacium, venialis est culpa: *Tripliciter* tamen potest ad votum res illicita interuenire. *Vno* modo conditionaliter, vt voueo centū, si ex concubina habuero filium: & hoc votum bonum est, obligatq; impleta conditione. *Alio* modo in pœnam, vt voueo religionem, si mœchatus fuero: & hæc pœna iusta est, debeturq; ex vi voti, mœchia subsequuta. *Tertio* modo, vt causa mouens, & impellens, vt voueo religionē impulsus desiderio furādi: hoc votum etiam tenet dempta occasione furti. Et ideo si in religione caret probabili furandi periculo, illam ex vi voti ingredi tenetur. Non sunt deniq; materia voti res indifferentes, vt indifferentes sunt; quia vt sic, nec bonæ; nec malæ sunt, nec Deo placent, aut displicent, ac proinde sunt res vanæ, vt leuare festucam è solo, & similia, estque peccatum veniale has res Deo offerre. Talia vota sunt de non coquendo, aut nendo in sabbatho, si alijs laboribus seruilibus occuperis. De non comedendo capita animalium in honorem S. Ioannis. De non mittendo ossa in ignem pro honore D. Laurentij, quia hæc nullum sanctis tribuunt honorem, & alia similia.

De irritatione votorum. § 3.

1 *Quid est irritare votum.*
2 *Quis potest votum irritare.*

1 QVÆSTIO: *Quid est irritare votum?* RESP. Est annullare, & facere, vt obligatiuum non sit.

2 QVÆST. *Quis potest votum irritare?* RESP. Potest, quicunque superior est respectu vouentis. Ideo Patet potest irritare vota filiorum. Patrem dixi, quia dum pater supereſt, mater non potest, nec alius tutor, aut curator. Patet ex *ca. Puella* 20. *q.* 2. Prælatus vota inferiorū: domi-

nus seruorum: vix vxoris, & vxor viri: tutores pupillorum, curatores vota realia minorum, non tamen personalia, vt aduertit Mol. *tract. 2. de iust. disp.* 220. quia curatores præcipue dantur pro rebus minorum. *L. In copulandis Cod. de nuptijs.* Adeo hoc verum est, vt licet superior facultatem vouendi concesserit, possit suborta noua causa, votum irritare. Attende etiam cum materia voti est contraria exequutioni rerum, in quibus subditus tenetur parere, statim vota esse irrita, nisi à superiore probentur, vt votum filij de mutatione status, factum ante annum 14, votum religiosi de facienda peregrinatione. Cum vero materia non est contraria, licet irritari possit, non sunt tamen statim irrita, imo valida, quousque à superiore irritentur, & ideo si filius vouit ieiunium, verbi gratia, tenetur illud obseruare, donec à patre votum irritetur.

3 QVÆST. *Quoniam vero ista doctrina in communi vera, peculiares in singulari habet difficultates, de singulis te rogabo, si adnueris?* RESP. An est, quod malim, quam de istis à te suauissime pater interrogari.

De irritatione votorum, quæ religiosi emittunt. §. 4.

1 *Quid potest prælatus religionis circa vota subditorum.*

2 *Quid potest circa illorum vota de rebus sub præceptum cadentibus.*

3 *Quid circa vota nouitiorum.*

1 QVÆSTIO. *Quid potest Prælatus religionis circa vota subditorum?* RESP. Omnia vota religiosorum potest suus Prælatus irritare, quia in omnibus illis subintelligitur illa conditio, si Prælatus consenserit. Excipiuntur tamen tria vota essentialia religionis, paupertatis, castitatis, & obedientiæ. Item votum transeundi ad strictiorem religionem. Hoc tamen vltimum, vel commutare potest, vel dispensare, iuxta Nau. *li. 3. consi. ltit. de vot cons.* 30. Sot. 7 *iust. qua. 3. art. 1. concluſione.* 5. Arag. 2. 2. *quæst. 89. art.* 8.

2 QVÆST.

2 QVÆST. *Potestne Prælatus irritare vota subditorum de rebus sub præceptum cadentibus, vt de non mentiendo?* RESP. Potest, quia licet non sit illi subditus, quo ad non mentiendum (ad id enim tenetur iure naturali) est tamen illi subiectus, quo ad nouam obligationem non mentiendi per votum.

3 QVÆST. *Potestne Prælatus irritare vota nouitiorũ?* RESP. Vota, quæ nouitius emittit in ipso nouitiatu, si non voluit se independẽter à prælato obligare, potest: quia licet non perfecte, habet tamen aliquo modo suam voluntatem subditam Prælato. Si vero independenter à Prælato voluit se obligare, potest superior illius exequutionem pro nouitiatu suspendere, & facta professione irritare. Vota vero nouitiorum ante ingressum religionis nuncupata, potest ipse religiosus sponte sua commutare in vota religionis. Ita decernitur *cap. Scripturæ, de vot.* Si autem huiusmodi commutationem auctoritate sua non fecit, imo se voluit obligare ad illa in religione seruanda, potest Prælatus, professione facta, irritare. Ita Rich. *in 4. dist. 38 art. 4 qu. 1. & ar. 3. qu. 2.* Sylu. *vot. 4. qu. 2. dist. 1. & qu. 7. dist. 3.* Gloss. *cap. Noluit 33. qu. 5.* Probatque ex eodem capite, vbi dicitur virum posse irritare vxoris vota, quæ fecerat ante nuptias, idem ergo à fortiori dicendum est de Prælato respectu religiosi, atque illa pro nouitiatu suspendere. Quare si nouitius in religione non maneat, reuiuiscunt vota, quæ ante & post ingressum religionis nuncupauit. Hæc vero intelligo de votis personalibus, nam ad vota realia adhuc tenetur nouitius, veluti ad dandam eleemosynam de proprijs bonis, vt notauit Syl. *vot. qu. 7. quæstiuncula. 2.*

De Irritatione votorum, quæ filij emittunt. §. 5.

1 *Quis potest irritare vota filiorum.*

2 *An possit pater vota filiorum extra pubertatis annos irritare.*

3 *Quomodo confirmantur vota facta ante pubertatem, ea iam transacta.*

4 *De votis personalibus filiorum.*
5 *De votis realibus filiorum.*
6 *De votis circa bona profectitia, & aduentitia.*
7 *De votis realibus filiorum factis ante 25. annum.*
8 *De votis realibus filiæ nuptæ ante 25 annum, & viduæ factæ, redeuntis ad patris domum.*

1 QVÆSTIO. *Quis potest irritare vota aliorum?* RESP. Omnia vota, tā realia, quā personalia à filijs ante annos pubertatis emissa, possunt à patre, vel à tutore in defectu patris, vel à matre in defectu patris, & tutoris irritari. Ita Doctores communiter D. Tho. 2. 2. q. 8. ar. 8 & 9. Syl. *votum.* q. 2. Nau. c. 12. n. 68. Sot. 7. *iust.* q. 3. ar. 2. & alij. Ratio est in promptu, quoniam omnia illa fiunt dependenter à voluntate maiorum, sub quorum tutela minores custodiuntur.

2 QVÆST. *Quæro ex te, an parentes, qui intra pubertatis annos vota filiorum non irritarunt, possint ea postea irritare?* RESP. Res est controuersa, sed pars affirmans probabilior, quam tuetur Caie. 2. 2. q. *vlt.* ar. 5 Nau. c. 12. n. 71. Lopes 1. p. c. 48. Ratio est, quia illa potestas concessa est patri ratione dominij, & defectus iudicij filiorum, ideò nisi filius post ætatem plenioris iudicij votum antea factum confirmauerit, eadem potestas manebit in patre circa illum, atque antea erat.

3 QVÆST. *Per quam voluntatem dicetur quis confirmasse votum per annos pubertatis?* RESP. Non sufficit actus quo cerdat se teneri voto, vt reuera tenetur, sed requiritur nouus voluntatis actus, quo directe se velit de nuo obligare.

4 QVÆST. *Quid censes de votis personalibus filiorum?* RESP. Vota personalia post pubertatis annos à filijs emissa non possunt parentes irritare: nisi ea paterno iuri aut gubernationi domus præiudicauerint: tunc enim iam habent plenum rationis vsum, & libertatem personæ, & ideo possunt vouere religionem, castitatem, & similia.

5 QVÆST. *Quid dicis de votis realibus?* RESP. Vota realia filiorum emissa post annos pubertatis, sed ante 25. annū, possunt intra idem tempus à parentibus irritari, nisi fiant de bonis

de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus post decimumquartum annum emissa. Ratio est, quia secundum leges *ff. de minoribus*, non possunt filij intra 25. annum sine parentum auctoritate, aut eorum vi parentum de bonis temporalibus disponere: est enim voluntas filij, toto illo tempore parentibus, quo ad huiusmodi bonorum dispositionem subiecta. Super bona vero castrensia, aut quasi castrensia nullum ius habent parentes. Dixi, vota de bonis castrensibus emissa post annos pubertatis, quia emissa ante annos pubertatis potest etiam pater irritare.

6 QVÆST. *Quid sentis de votis circa bona profectitia, & aduentitia:* RESP. Ea, vt realia irritari possunt. Ita communis habet doctrina, quoniam illa bona, quæ a filio familias acquiruntur, vel sunt patris, quo ad dominium, & vsum fructum, vt profectitia, vel quo ad vsum solum, vt aduentitia Sed de hac re in septimo præcepto veritatem latius enucleabo.

7 QVÆST. *Possuntne vota filiorum realia, facta post pubertatem, verum ante 25 annum, non tamen intra idem tempus irritata, à parentibus irritari:* RESP. Communiter respondetur negatiue, si filij iam sint omnino liberi à patria potestate.

8 QVÆST. *Nupsit fœmina ante 25. annum, mortuo marito ante eundem annum, rediit patris domum, poteritne pater illius realia vota irritare?* RESP. Minime, quia illa postquam matrimonium contraxit, perfecte sui iuris facta fuit.

De irritatione votorum, vxoris, & viri. §. 6.

1 *Quæ vxoris vota potest maritus irritare.*
2 *An possit irritare vota facta ante matrimonium.*
3 *An possit irritare vota, quæ non obsunt gubernationi domus.*
4 *Quæ vota viri possit irritare vxor.*

1 QVÆSTIO. *Quæ vxoris vota potest maritus irritare?* RESP. Omnia, quæ mariti iuri præiudicat, vt votū

de abstinentia, impediens debiti redditionem. *cap. Manifestum 23. quæst. 5.* Item vota quorum exequutio familiæ gubernationi obest, vt votum peregrinandi, votum ingrediendi religionem, & similia.

2 QVÆST. *Potest etiam irritare vota facta ante matrimonium, quorum exequutio obest ipsi matrimonio?* RESP. Potest: iuxta Nau. *cap. 12. num. 65.* quod probat ex *ca Noluit, 33. qu. 5.*

3 QVÆST. *Potest etiam irritare omnia vota, quæ non obsunt ipsi viro, aut familiæ gubernationi, vt de non furando, de facienda eleemosyna ex bonis paraphernalibus, & similia?* RESP. Constanter respondeo negatiue, quia in ijs, quæ iuri coniugis non præiudicant, ipsa est domina, & sui perfecti iuris. Ita Nau. *ca. 12. num. 64.* Ang. *vot. 2. nu. 8.* Tabie. *matrimon. 5 §. 5.*

4 QVÆST. *Quid dicis de vxore respectu viri?* RESP. Pari modo vxor ea viri vota irritare potest, quæ suo iuri præiudicant, & ideo poterit irritare votum viri de nunquam debitum petendo, quatenus sibi fuerit præ pudicitia, & naturali necessitate onerosum: votum abstinendi, & peregrinandi, si inde sibi incommodum oriatur, & similia.

De Irritatione votorum, quæ mancipia emittunt. §. 7.

1 *Quæ vota mancipiorum possunt domini irritare.*
2 *Quæ famulorum vota possunt domini irritare.*

1 QVÆSTIO. *Quæ mancipiorum vota possunt eorum domini irritare?* RESP. Omnia ea, & sola quæ seruitio ipsis debito præiudicant, vt votum de ingrediendo religione, de facienda peregrinatione, de seruiendo hospitali, de crebris orationibus fundendis, & similia, quibus à quotidiano labore abstraherentur. Ita Palud. *in 4. dist. 38 qu. 4. ar. 2.* Syl. *votum 3 qu. 7.* Sot 7 *iust. qu. 3. art. 1.* Nau *cap. 12. num. 65.* Hæc autem irritari possunt, etiam si ante seruitutem nuncuparentur, non tamen postquam in libertatem vindicati sunt, si in ipsa seruitute irritata non fuerunt, & ideo in libertate constituti tenentur

tenentur ea omnia seruare. Dixi, sola, quia alia vota, quæ dominorum seruitio minime obsunt, irritari nequeunt, nisi ante pubertatis annos facta sint, aut post pubertatem ante annum 25. si dominus mancipio sit pro patre, aut tutore, quia alius non est, & tunc idem dicendum de ijs votis, atque diximus de votis filiorum.

2 QVÆST. *Quæ famulorum vota possunt ij, quibus famuli seruiunt, irritare?* RESP. Nulla quidem. Verum si famulus seruiat contractu oneroso, dominusque nolit illum rescindere, potest vota, quæ seruitio obligato per contractum obsunt, pro eo tempore suspendere. Doctores non laudaui, quia communissima est omnium doctrina communibus locis.

De causis ad irritanda vota. §. 8.

1 *An valide sint irrita vota, irritata sine causa.*
2 *An liceat irritanti vota, ea absque causa irritare.*
3 *An superior qui irritauit votum, possit irritationem reuocare, & validum reddere votum.*

1 QVÆST 10. *Suntne vota valide irrita sine causa irritata?* RESP. Valide quidē: ac proinde non peccat subditus agendo contra irritatum votū: imo peccaret, si contra prohibitionem superioris votum seruaret, vt docet August. relatus *cap. Manifest. est. 23. qu. 5.*

2 QVÆST. *Potestne superior sine causa subditorum vota irritare?* RESP. Minime. Ita Sot. 7. *iust. qu. 3. ar. 1. col. 3.* Abulens. *cap* 30. Num. *qu.* 43. Med. *in instruc. confess ca* 14. §. 7. Aragon *art. 7. qu* 88. § 1. *post* 3. *concluf.* Roderic. *in sum. cap.* 89. *de voto, concl. 5. contra* Sylu. *votum. 4. quæ. 1. & 2. dicto* 6. Nau. *cap. 12. num. 73.* Palud. *in 4. dist. 38. quæst. 4. num.* 20. oppositum asserentes, ex eo, quod irritans vtatur iure suo, eo tamen vti non debet male, & in destructionem: ac proinde peccat lethaliter irritando votum, quod intelligit notabiliter inseruire ad vtilitatem spiritualem subditi. Cuiusmodi esset, vt plurimum votum religionis, votum pœnitentiæ frequentandæ, & similia. Venialiter vero, si materia irritati voti non adeo ad salutem animæ conduceret. Ratio est, quia contra proximi charitatem est auferre occasionem maioris progressus in virtute. Est

præterea contra rationem abuti potestate sibi à Christo concessa in ædificationem, & non in destructionem iuxta D. Paul. 2. *Corinth.* 10. Hinc colliges, peccare subditum, qui eo animo superiori votum manifestat, vt irritet, cum sciat, id eum facturum absque causa, & iniuste. Verum tamen quamquam peccauerit irritationem iniuste procurando, & postulando, voto tamen irrito ad id minime tenetur.

3 QVAEST. *Irritauit superior votum, poteritne irritationem reuocare, & validum reddere votum?* RESP. Minime, & ideo si semel irritauit, votum omnino nullum est, ipso licet postea reclamante. Ita Sylu. & Arm. locis citatis.

De votorum dispensatione. §. 9.

1 *Quid est dispensare in voto.*
2 *Qui possunt dispensare in voto.*
3 *Obligatio voti est de iure naturali.*
4 *A quo habent Prælati potestatem dispensandi in voto.*
5 *In quibus votis potest Papa dispensare.*
6 *In quibus votis solus Papa dispensat.*
7 *Quo iure solus Papa potest dispensare in quinque votis.*
7 *Proponuntur difficultates circa hæc vota.*
9 *Circa votum castitatis.*
10 *An in voto castitatis possit Episcopus dispensare.*
11 *De dispensatione in voto religionis.*
12 *De dispensatione in voto peregrinationum.*
13 *An præter quinque vota, sit aliud Papæ reseruatum.*
14 *Quis potest dispensare in votis non reseruatis.*
15 *An cum Papa possit aliquis dispensare.*
16 *Quis potest dispensare cum votis Episcoporum.*
17 *Quis potest dispensare cum votis superiorum religionis.*

1 QVAEST.

QVÆSTIO. *Quid est dispensare in voto?* RESP. Est voti vinculum rationabili de causa, Ecclesiastica auctoritate, omnino auferre. Ita cõmuniter Theologi, & Iurisperiti.

2 QVAEST. *Qui possunt dispensare in voto?* RESP. Soli Prælati Ecclesiastici. Hinc colliges *duo* requiri ad votorum dispensationem, *causam* nimirum, & Ecclesiasticam *potestatem*, siue iurisdictionem Episcopalem, aut quasi Episcopalem. Ita D. Thom. 2.2 *quæst.* 88. *art.* 12. *ad* 3. Ang. *votum* 4. *num.* 6. Sylu. *votum.* 4. *qu.* 3. Nauar. *cap.* 12. *nu.* 75. Sot. *li.* 7. *iust. qu.* 4. *ar.* 3.

3 QVAEST. *Nonne obligatio voti est de iure naturali, quod nos docet stare promissis, fidemque seruare, non solum Deo, sed & hominibus?* RESP. Maxime.

4 QVAEST. *A quo igitur Prælati Ecclesiastici, acceperunt potestatem remittendi hoc, iure naturali, debitum?* RESP. A Christo Domino. Et quoniam res ista magni momenti est, referam huius sententiæ Auctores. Ita D. Thom. in 4. *d.* 38. *q.* 1. *ar.* 4. Richard. ibid. *ar.* 9 *qu.* 1. Gab. ibid. *qu.* 1. *ar* 5. Alen. 4. *p. q.* 101. *memb.* 2. *ar.* 6. Can. *lib.* 3. *de locis, cap.* 4 §. *tertia via, & in relect. de pœnit. paulo ante finem.* Sylu. *vot.* 4. *qu.* 1. Henriq. *l.* 1. *de pœnit. ca.* 3. §. 2. Feli. *ad ca. quæ Ecclesiarum, de const. nu.* 19 Panorm. *ca. Non est, de vot.* Decius. *cons.* 112. Ita docet vsus Ecclesiæ, ex quo multa etiam habemus de fide, vt traditiones de fide. Hic igitur vsus hanc tacitam Christi confessionem suæ Ecclesiæ relictam nos docet. Accedit ratio, quia cum multæ dentur causæ dispensandi, insufficienter Christus Dominus suæ Ecclesiæ prouidisset de remedijs necessarijs, nisi hanc illi facultatem reliquisset. Hinc affirmat Alen. citatus esse compellendam fœminam, vel virum voto castitatis obstrictum ad nuptum, si pro bono pacis communis, expediat nubere. Quamobrem constanter affirmandum est Ecclesiam ex speciali Christi Domini commissione pollere potestate ad dispensandum in ijs, quæ ad ius diuinum, & naturale spectant, quando id ad congruam Ecclesiæ gubernationẽ ex vrgenti causa opus fuerit, vt in voto, aut in matrimonio rato, & similibus.

5 QVAEST. *In quibus votis potest Papa dispensare?* RESP. In omnibus, etiam in voto solemni castitatis, seu sacri ordini-

ordinibus, annexo, vt ait D. Thom. 2. 2. *qua.* 88. *art.* 11. se in religione emisso, vt tenet communis sententia Iuris peritorum, quos refert Couar. *de testam. cap.* 2. *nu.* 30 Nauar. *ca.* 12. *num.* 75. Soto maior. *qu.* 6. *de voto, nu* 104. Iten Theologorum. Richard in 4. *dist.* 38. *art.* 9. *qu.* 1. Durand ibid. *qua.* 2. Palud. *qua.* 4. *ar.* 4 *conc.* 11. *&* 12. Maior. *quæst.* Gandau. *quodlib.* 5. *qu.* 28. Pet. Soto *lect.* 5. *de matrimo.* Ang *votum.* 4. §. . Cord. *lib.* 1. *qu.* 24. Cai. 2. 2. *qu.* 88. *ar.* 11. Qui quam oppositum tenuerint D. Tho. 2. 2. *qu.* 88. *ar.* . Alb Mag. *in* 4. *dist.* 38. *art.* 15. D, Bonauent. *qu* 3. Sot. *qu* 2. *art.* *&* 7. *iust. qu.* 4. *ar.* 2. Altisiod. *lib.* 8. *ca.* 22. Almain. *de pote* *Pap. cap.* 3. Capr. *in* 4. *d.* 33. *qu.* 2. Turrecr. *ca. sicut bonum* 2 *qu.* 1. Sylu. *votum* 4. *quæst.* 5. Cathar. contra Caiet. *cap.* 2. probauit vsus Ecclesiæ non semel in istis votis dispe santis, quem refert Palud. *in* 4. *dist.* 38. *qu.* 4. *art.* 4. Caie 2. 2. *qu.* 89. Potest etiam à fortiori dispensare in voto pa pertatis religiosi: ac proinde talis religiosus poterit ite rei temporalis suscipere dominium. Ad quam dispens tionem, licet difficillima inuentu causa visa fuerit Na uarro in *comment.* 2. *de Regul. num* 17. tamen dari poter veluti si ponamus propter dubiam regni successione magna bella excitanda, nisi hæres religiosus profess regnum suscipiat cum dominio, relinquendo legitim successoribus suis. Idem dicendum de voto obedientiæ vt manifestum est.

6 QVÆST. *In quibus votis solus Papa dispensat?* RESP. In quinque, scilicet, in voto perpetuæ continentiæ, religionis, peregrinationis Hierosolymitanæ, peregrinationis Iacobææ, peregrinationis Romanæ.

7 QVÆST. *Quo iure dispensatio horum votorum summ Pontifici est reseruata?* RESP. Iure communi reseruatur votum Hierosolymitanum in subsidium terræ Sanctæ *cap. ex mult. de vot.* iuncta Gloss. *verb. iucundum,* reliqu vero ex consuetudine, & stylo Romanæ Curiæ.

8 QVÆST. *Habesne aliquas difficultates circa intellect horum votorum?* RESP. Habeo, sed gratius mihi erit à te de singulis interrogari.

9 QVÆST. *Quæ vota ad castitatem pertinentia intelliguntur sub nomine castitatis?* RESP. Intelligitur votum virginitatis. Non tamen votum non nubendi. Neque item votum

votum non se polluendi, Neque item votum non accedendi ad certum fœminarum genus, veluti ad vxoratas, ad virgines, ad viduas. Ratio est manifesta, quia hæc vota non sunt, nec absolutæ, nec perpetuæ continentiæ. Ita Palud. & Sot. supra. Ang *votum 4. nu. 9* Arm. verb. *dispensatio. nu.* 18. & alij.

10 QVÆST. *Potestne aliquando Episcopus dispensare in voto castitatis?* RESP. Si, qui castitatem vouit, habet notum incontinentiæ periculum, nec facilem potest ad Papam habere accessum, potest Episcopus per epicheam cum eo dispensare, vt cum eo, qui tali voto nupsit ad petendū debitum. Ita Sylu. *verb. dispensatio. qu. 9. num.* 15. Sot. in 4. *d.* 38 *qu* 2. *ar.* 1. *ante* 4. *concl.* Armil. *verb. deb. coniug. nu.* 13. & *verb. dispensatio. nu.* 14. Itē cum eo qui vehementer ad libidinē incitatur vt nubat. Ita enim omnes Doctores interpretantur mentem esse Pontificis, & ipse patitur huiusmodi interpretationem, quæ quidem si falsa esset, & perniciosa, statim erroris damnaretur. Ita Sylu. *verb. dispensatio. qu. 9. num.* 15. & *votum qu.* 44. Sot. in 4. *d.* 38. *qu.* 2. *ar.* 1. *ante* 4. *concluſ.* Armil. verbo *debitum coniug. num.* 13, *& verbo dispensatio. num.* 18 Ang. *vot.* 4. *num.* 5. *& matrimon.* 3. *imp.* 5. §. 3. Maior *in* 4. *d.* 32. *qu.* 2 qui expresse de dispensatione ad nuptum loquitur cum Ang. *matrim.* 3. *imped.* 5. §. 3. Nau. *ca.* 12. *nu.* 76. cum alijs.

11 QVÆST. *Quo pacto intelligendum est votum religionis?* RESP. Intelligitur votum religionis absolutum. nam in conditionatis, ante impletam conditionem potest Episcopus dispensare. Dixi (ante impletam conditionem) quia post illam impletam, nequit, quia manet absolutū. Intelligitur votum ingrediendi, & probandi, vtrum illi expediat. Non intelligitur vero votum de religione pœnale: quia Papa solum, reseruat vota, quæ emittuntur propter amorem religionis. Ita potior Doctorum pars, quos lege apud Henriq. *lib. de indulgentijs, cap.* 30. *num.* 6. D. Ant. 2 *p. tit.* 1. *ca.* §. 9. *not.* 4. Palud. *in* 4. *d.* 38. *qu.* 4. *art.* 4. *concl.* 5. Syl *votum* 4. *qu.* 3. *dicto* 6. Medina in *instruct. confes. ca.* 14. §. 6. Aneg. 2. 2. *qu.* 8. *ar.* 12. contra Nauarrum, *ca.* 12. *n.* 43. Cor. *qu.* 152. *de casibus consc.* Sot. 7. *iust. quæst.* 4. *ar.* 3.

12 QVAEST. *Quid per vota peregrinationum intelligitur?* RESP. Ex antiquo iure solum reseruatur votum factum in subsi-

in subsidium terræ Sanctæ. Tamen Curiæ praxis votu
ex sola deuotionis causa nuncuparum etiam compreh
dit. Testis locupletissimus est Nau. *cap* 12. *nu.* 75. cum S
to, *in* 4. *dist.* 38. *q.* 2. *ar.* 1. Syl. *votum* 4 *q.* 3. *dicto* 5.

13 QVAEST. *Estne aliud votum Papæ reseruatum?* RES
Secundum Sylu. *votum* 4. *q.* 7. est etiam votum de dand
rebus incerti domini pro subsidio terræ Sanctæ.

14 QVAEST. *Qui possunt in alijs votis non reseruatis dispe
sare?* RESP. Omnis Prælatus ordinarius, habens iurisd
ctionem episcopalem, seu quasi episcopalem erga vot
tem. Inter hos numeratur summus pœnitentiarius, I
Palud. *in* 4. *dist.* 38. *q* 4. *ar.* 4. & D. Ant. 2. *p. tit* 11. *cap.* 2. §
Legatus à latere. Ita Panorm. *ca. ex multa, de voto.* Capit
lum sede vacante. Ita Sylu. *verb Capitulum nu.* 2. Rod
de voto, concl. 3. Prælati religionum erga suos religiosi
Prælatos, dixi; quia prælatę monialium iure diuino in
paces sunt dispensandi potestatis, docet Sot. in 4. *d* 20.
1. *ar.* 4. Ledesm. 2. 4. *q.* 20. *ar.* 4. Ita communis doctrina
D. Thom. 2. 2. *q.* 89. *ar.* 12. Ang. *votum* 4. *n* 6. Syl. *votum*
q. 3. Nau. *ca.* 12. *nu.* 75. Sot. 7. *iust. q.* 4. *ar.* 3. Palud. *in* 4. *d.*
q. 4. D. Ant. 2. *p. tit.* 11. *ca.* 1. & alij.

15 QVAEST. *Cum Papa quis potest dispensare?* RES
Ipse secum. Ita Palud. *cit.* & Henr. *li. de indulgentijs ca.*
§. 3. Ratio est, quia ad hanc dispensationem non requ
tur vis coactiua, quam supra se nullus habet.

16 QVAEST. *Quis dispensare potest in votis Episcoporu*
RESP. Summus Pontifex. Probabile tamen est, posse e
Archiepiscopum dispensare cum suis Metropolitan
iuxta Palud. & D. Ant. citatos. Si verò periculum fit
mora recurrendi ad summum Pontificem, posset cum
per epicheam dispensare confessor.

17 QVAEST. *Quis cum superioribus religionum potest d*
spensare? RESP. Seruato ordine inferioris ad superiorem
cum inferioribus superiores, cum vltimo superiore sum
mus Pontifex. Ita Doctores citati.

Quænam causæ sint legitimæ ad dispensandum. §. 10.

1 *An sit causa ad dispensandum necessaria.*
2 *Quæ est legitima causa dispensandi.*

3 *An cessante causa dispensandi, cesset dispensatio.*

1 QVÆSTIO. *Estne causa ad dispensandum necessaria?* RESP. Est, atque adeo, vt sine ea dispensatio sit nulla, peccatq; grauiter dispensans, cum scit se sine causa dispensare; peccatq; qui talem dispensationem procurat. Ita D. Tho. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 1. D. Ant. 2. *p. tit.* 11 *ca.* 2. Sot. 7. *iust. q.* 4. *art.* 3. Palud. *in* 4 *d.* 38. *q.* 4. *n.* 20 Syl. *dispens. q.* 1. & ibi Cai. Ang. *votum* 4. *n.* 11. *& dispensatio. nu.* 3. Nau. *ca.* 12. *nu.* 76. Sot. *in* 4. *d.* 38. *q.* 2. *ar.* 1. *post* 2. *concl.*

2 QVÆST. *Quæ debent esse iusta causa dispensandi?* RESP. Quæ arbitrio prudentis Prælati iudicatæ fuerint iustæ pro bono communi, aut etiam particulari ipsius vouentis, iuxta *ca.* 1. *&* 2. *de vot.* vt votum impediens opus studēdi, aut concionandi in homine virtute, ac literis condecorato. Ita Nau. *in sum. ca.* 12. *nu.* 77. Facilitat etiam dispensationem leuitas vouentis in vouendo, iuxta Nau. *sup.* & alios Palud. in 4. *d.* 38. *qu.* 4. *nu.* 43.

3 QVÆST. *Vnum superest graue dubium. Cessauit causa ob quam dispensatum est, reditne iterum obligatio voti dispensati?* RESP. Non redit. Ita D. Tho. in 4. *d.* 38. *qu.* 1. *ar.* 4. Richard. *q.* 1. *ar.* 9. Gabr. *q.* 1. *n.* 5. Alens. 4. *p. q.* 101. *in* 2. *ar.* 6. alias *qu.* 28. *ar.* 2. §. 6. Can. 3. *de loc. ca.* 4. *& in relect. de pœn.* Syl. *votum* 4. *qua.* 1. Henr. *lib.* 1. *de pœn. ca.* 3. §. 2. Cessat enim omnino voti obligatio in ipsa dispensatione. Quare merito à Syl. definitur dispensatio, annullatio obligationis voti ex rationabili causa. Quamobrem fœmina, cum qua dispensatum est in voto continentiæ perpetuæ ad contrahendum, ob tollendas simultates, potest coniugi perempto iterum nubere. Ita Sot. maior. 9. *de voto. nu.* 125. Angles tract. *de voto art.* 8. *diff.* 2. *dub.* 1.

De Commutatione Votorum. §. II.

1 *Quid est commutare votum.*

2 *Quis potest commutare votum.*

3 *Quæ causa requiritur ad commutationem voti.*

4 *Quæ causa sufficiet ad commutandum ineuidenter æquale.*

1 QVÆSTIO. *Quid est commutare votum?* RESP. Est obligationem voti circa hanc materiam, circa aliam mutare.

2 QVÆST.

2 QVÆST. *Quis potest commutare votum?* RESP. In id quod euidenter est melius, potest ipse vouens. Ita definitur *cap. Peruenit 2. de iureiurand.* Vbi D. Greg. Non propositum, aut promissum infringit, qui in melius illud commutat. *cap. Scripturæ de voto.* Vbi Alexander III. Rei facti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuum noscitur religionis obseruantiam commutare, & censent vnanimiter Doctores. Caiet. *ve votum ca vlt. & 2. 2. qu 88. ar. 12* Arag. ibidem. Ang. *voti 4. num. 2.* Couar. *ca. Quamuis de pact. p. 1. §. 3. num. 4.* Sot. *iust. qu. 4. art. 3.* Probatur, quia cum ad commutationem requiratur iudicium de eo, quod Deo acceptabilius sit, hoc iudicium certum est in re euidenter meliori. Ad commutationem voti, in id, quod est minus bonum semper requiritur Prælati auctoritas. Ratio est, quia in hac commutatione necessario admiscetur dispensatio circa partem, quæ deest de meliori: hæc autem solum superiore emanare potest. Ita citati Doctores.

Tota controuersia est de commutatione in euidenter æquale, qua auctoritate fieri possit. Dico igitur: si euidens sit arbitrio prudentis huiusmodi æqualitas, posse fieri hanc commutationem ab ipso vouente. Ita Medin. *instruct. cons. cap. 14* Sot. *7. iust. qu. 4. art. 3.* Aragon. *2. 2. qu. 88. ar. 12.* Henriq. *de indulgent. ca. 30. qu. 5.* Roderic. *in Bu. Cruc. & verbo votum, quæst. 100. conclusion. 4.* contra Caiet. *verbo votum, 2. 2. quæ. 88. art. 12.* atque Couar. *citato loco n. 4.* Ratio est, quia solum hac in re requiritur iudicium superioris, vt decernat, quod Deo acceptum sit: euidens autem est acceptum esse Deo æquale. Ita Medin. in sum. *cap. 14.* Sot. *7. iust. quæst 89. art. 3.* Aragon. *2. 2. art. 12.* Henr. *lib. de indulgent. cap. 30. §. 5.*

3 QVÆST. *Quæ causa requiritur ad commutationem?* RESP. Ad commutandum in euidenter melius nulla requiritur. Ad commutationem in æquale, aliqua (alioquin leuitatis merito damnaretur vouens,) Ad commutationem in minus requiritur causa tanta, quanta ad dispensationem partis, in qua mixte dispensatur. Quamobrem qui non habet potestatem simul dispensandi, non potest in euidenter minus commutare.

4 QVÆST. *Quæ causa sufficiet ad commutandum in euidenter*

denter æquale? RESP. Si suauius, hilariusq; vouens adimpleat votum, *hilarem enim datorem diligit Deus*, vt ait Pau. 2. Corinth. 6. Ita communiter Doctores.

CAPVT VII.

Memento, quod diem Sabbathi sanctifices. §. 1.

1 *Qui dies intelligatur sabbathi nomine.*
2 *An necesse sit vacare diuinis die festo.*
3 *An in Ecclesia sit aliquod festum ex iure diuino.*
4 *Quæ opera prohibeantur diebus festis.*
5 *An prohibeatur aliquod opus seruile.*
6 *Ex quibus causis possit fieri opus seruile in die festo.*
7 *De opere molendinorum.*
8 *Quos dies festos tenentur Religiosi obseruare.*
9 *An lucrum faciat opus seruile.*
10 *An est peccatum mortale transcribere chartas in die festo, pacta mercede.*
11 *Quæ festa seruare tenemur?*
12 *Quo pacto obseruandus est dies festus.*
13 *An possum migrare pridie diei festi è loco vbi obseruandus est ad alium, vbi non seruatur, vt labori incumbam.*
14 *An possim supradictum facere eodem die festi.*

1 QVÆSTIO. *Sabbathi nomine quem diem intelligis?* RESP. Diem, quo homo vacare debet ab operibus seruilibus ad vacandum rebus diuinis.

2 QVÆST. *Peccatne homo contra huiusmodi præceptum, si festiuis diebus rebus diuinis non intendat?* RESP. Minime: quoniam finis præcepti non cadit sub præceptum, vt dicam, & latius ostendam, Deo fauente, in propria materia de præcepto.

3 QVAEST. *Estne aliquod festum in Ecclesia ex diuino iure introductum, quale fuit sabbathum apud Iudæos in veteri lege?* RESP. Nullum sane. Constat ex *ca. Licet, de ferijs, & ca. 1. de consecra. dist. 3.* Quamuis enim ius naturale, diuinum præcipiat hominibus Deum honorare, & reuereri, non tamen tempus definit, quo in nouo testamento id facere teneamur: sed omnia festa nouæ legis introducta sunt ab Ecclesia, etiam Dominicæ sanctificatio, iam inde ab Apostolis obseruata in laudem Christi Domini, in vitam ab inferis cum gloria redeuntis. Neque obstat *ca. Licet. de ferijs*, asserens tam veteris, quam noui testamenti paginæ testimonio septimum diem humanæ quieti deputari. Id enim inuentum non à diuino iure, sed ab Apostolis dimanauit.

4 QVÆST. *Quæ opera prohibentur diebus festis?* RES P. Sola opera seruilia, hoc est, quæ seruis tantũ conueniunt, nec illis sunt communia cum hominibus ingenuis. Ita enim præcipiebatur Leuit. 23. *Omne opus seruile non facies in eo.* Seruorum nomine, non solum mancipia intelligas, sed plebeos homines operibus Reipublicæ incumbentes.

5 QVAEST. *Quæ opera, licet non seruilia, diebus festis fieri prohibentur?* RESP. Quinque: scilicet mercatus nundinarum: iudicium ciuile: iudicium criminale: iuramentum in iudicio, nisi pro pace, vel alia necessitate præstetur: omnis strepitus, processusq; iudicialis, nisi pietas suadeat, & necessitas vrgeat, *ca. 1. & ca. fin. de ferijs.*

6 QVÆST. *Ex quibus causis possunt in die festo opera seruilia exerceri?* RESP. Ex plurimis. *In primis* ex necessitate eorum, quia ad Dei cultum non nisi die festo peragi queunt, vt præparare res opportunas ad sacrum faciendum, diuinaq; officia celebranda. *Deinde* ex necessitate corporali, quamobrem excusantur, qui infirmis seruiunt, qui cibos ad victum decoquunt; qui ad alendam vitam nent, texunt, vel aliam similem operam impendunt. *Tertio* ex necessitate damni euitandi, vt quia debachatur ventorum vis, licet metere segetes, colligere poma, frumenta in horrea includere, & quid simile. *Quarto*, ex vitæ, salutisve periculo, & ideo tempore belli, licet aggeres construere, muros reficere, castrorum metas præfigere. *Quinto*, ex occasione magni lucri paulo post cessantis, &

ideo

ideo licita est piscatio thynnorum, & aliorum piscium, qui statis anni diebus ad nos accedunt, & non alijs, vt notauit Nauar. *li. 2 consil. tit. de ferijs consil. 1.* & constat ex *cap Licet*, eiusdem tituli. *Sexto*, propter violentiam, qua quis cogitur laborare, vt cum famuli, nedum mancipia, à dominis laborare coguntur, vt notauit Nau. *ca. 13. num 7.* Quod intelligo. nisi fiat in fidei contemptum, tunc enim mors potius subeunda, vt dixi, in præcepto de fide profitenda. Probabile tamen existimo oppositum, quod censuit Rod. *cap. 123. num. 7.* etiam in eo famulo, qui non nisi conditione laborandi diebus festis reciperetur ab artifice ad artem ediscendam, quam nullus alius eo in loco callet, & ipse non indiget arte illa, sed quasi æque bene potest alteri incumbere, si enim tanta esset necessitas ediscendi illam artem, vt nulla alia posset vitam honeste alere, posset etiam artificis, & præceptoris in laborando iussui obedire. *Septimo*, excusatur opus seruile ex pietate erga proximum, & ita possumus mortuos sepelire, pauperē in extrema, aut graui necessitate constitutum adiuuare. *Octauo*, ex bono communi, vt præparare vias ad spectacula publica sacrarum pomparum, vel etiam ludorum communium. *Denique* ex licentia Episcopi expressa, cum id concedit, vel tacita, cum id videt, & dissimulat. Et ex hac interpretatiua licentia videtur excusari vsus tonsorum, qui festis diebus tondent omnes, qui ijs diebus ad tonstrinam accedunt: iuxta consuetudinem receptam, & à Prælatis scitam, & non interdictam, iuxta *cap. finale de consuetudinib.* Quamquam ex alio capite id licere mihi persuadeam, nimirum ex occasione cessantis lucri, quoniam alijs diebus propter laborum occupationes, tondendi non accedunt, quibus profanis diebus distendūtur, tonsoresque otio vacant, & inediæ. Cuius rationis quamquam nullus Doctorum, quem sciam, meminit, ex omnium tamen doctrina apertissimè deducitur, vt patet ex causa quinta seruile opus permittente.

7 QVÆST. *Quid censes de molendinis?* RESP. In aquæ molendinis, aut ventorū non est lethale peccatum molere diebus festis, nisi loci consuetudo, aut particularis Episcopatus constitutio id grauiter prohibeat. Ratio est, quia ibi parum laboris impēditur, paruitas autē materiæ

à lethali excusat. Contrarium dicendum de bestiarum pistrinis ex opposito fundamento, quia multum temporis, laborisque insumitur. Rod. *cap.* 124. *num.* 4.

8 QVÆST. *Quos dies festos tenentur religiosi observare?* RESP. Quos sui loci consuetudo obseruat. Ita decreuit Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 12. Ratio est, quia illi, vt cæteri, locorum sunt vicini.

9 QVÆST. *Si quis opera ex rei natura non seruilia faciat ob lucri gratiam, vt piscari, venari, studere, idne erit contra praceptum de sanctificando festo?* RESP. Res est controuersa, cuius partem affirmantem tenuere, Richard. 3. *senten. dist.* 37. Angel. *verb. feria.* §. 9. *&* 10. Tab. eodem verb. *num.* 17. Sylu. *verb. Dominica. qu.* 4. Sed oppositum est dicendum cum Caiet. 2. 2 *quæ.* 122. *ar.* 4. *&* Nauar. *cap.* 13 *num.* 5. quia lucrum non mutat operis naturam & speciem.

10 QVÆST. *Estne peccatum mortale transcribere chartas in die festo per notabile spacium diei ex officio & mercede pacta?* RESP. Mortale. Ita Rosella verb. *feria* §. 12. Angel. ibidem §. 3. Tolet. *libro* 4. *cap.* 24. *num.* 14. Nauar. *in sum. cap.* 12. *num.* 14. Ratio illius, & vera est, quia sic transcribere chartas ex officio & mercede pacta est opus seruile, non quidem ratione lucri, sed ratione operis, & officii simul. Latum est discrimen inter scribere, & exscribere pro officio, & mercede pacta: nam scribere simpliciter est opus honestum, & liberale, ingenuorumq; hominum: exscribere vero pro officio, & mercede pacta est mechanicus, & pure corporalis labor, estq; officium vile, iuxta Sylu. *verb. Tabellio, quæstione* 3. appellaturque tabellio seruus publicus, vt *in cap.* 2. *de vsuris lib.* 6. *&* L. *Non enim ff. de adopt.*

11 QVÆST. *Quæ festa seruare tenemur?* RESP. Quæ loci consuetudo, vbi degimus, obseruat. *cap. Illa. dist.* 2. vbi Gloss. affert illud notum carmen.

Dum fueris Romæ Romano viuito more.
Dum fueris alibi, viuito sicut ibi.

12 QVÆST. *Quomodo obseruanda sunt huiusmodi festa?* RESP. Eodem, quo loci consuetudo obseruanda proponit.

13 QVÆST. *Scio cras esse diem festum in meâ parochia, possum pridie transire ad aliam, vt laborem?* RESP. Possum.

Ratio

Ratio est, quia vbi ego sum, ibi non est festum.

14 QVÆST. *Possum egredi domo eodem die festi ad laborandum in alia parochia?* RESP. Possum. Teneor tamen missam audire. Ratio est, quia obligatio audiendi sacrum ligat eum, qui ad diei initium peruenit, vbi illa præcipitur, neque necessitas est quæ illam omittere cogat. Obligatio autem seruandi festum obligat eos, qui reperiuntur vbi obseruatur. Ita Nau. *cap.* 13. *num.* 15. Rod. verb. *festum num.* 1.

CAPVT VIII.

Honora patrem tuum, & matrem tuam. § 1.

1 *Qui intelligantur per patrem, & matrem.*
2 *Quæ tenentur filij exhibere parentibus.*
3 *Quando tenetur filius ostendere amorem.*
4 *An patri, filiove teneatur filius succurrere.*
5 *Quando tenetur filius parentibus obedire.*
6 *Quando peccat filius in non reuerendis parentibus.*
7 *Quæ tenentur patres exhibere filijs.*
8 *Quam reuerentiam tenetur vxor exhibere marito.*
9 *Quam reuereutiam tenetur maritus exhibere vxori.*

1 QVÆSTIO *Qui intelliguntur per patrem, & matrē?* RESP. Præcipue intelliguntur parentes secundum carnem. *Deinde* superiores in rebus spiritualibus, vt Episcopi, Parochi, &c. *Tertio*, superiores in rebus corporalibus, vt Reges, & gubernatores Reipub. *Quarto* denique omnes ij, qui super nos aliquam habent potestatem; vt magistri, tutores, curatores, &c.

2 QVÆST. *Quæ tenentur filij exhibere parentibus?* RESP. Tria. *Amorem, obedientiam, & Reuerentiam.*

3 QVÆST. *Quando tenetur filius parentibus exhibere amorem?* RESP. Quando ij sunt in extrema, vel graui necessitate vitæ, vel alimentorum: adeo vt peccet mortaliter ingrediendo religionem, ijs in ea necessitate relictis. Ita docet communis doctrina cum D. Thom. 2. 2. *qu.* 101. *art.* 4. *ad* 4. Si vero iam sit professus, & necessitas sit extrema,

trema, tenetur egredi ad illis succurrendum, iuxta Caietan. ad locum D. Thom. Si vero necessitas erat grauis ante religionis ingressum, & ea postea habita religionem professus est, illam relinquere debet, vt parentibus subueniat, iuxta Nauar. *cap* 14. *num* 14. Omnes tamen affirmant, siue extrema, siue grauis sit parentum necessitas, posse filium religiosum professum ad eos regredi, petita superioribus, quanquam non obtenta, facultate. Hoc tamen intelligo, nisi inde religioso egressuro spirituale periculum emineat: tunc enim potius sibi, quam parenti succurrere tenetur.

4 QVAEST. *Cui tenetur filius in extrema necessitate succurrere filio, an parenti suo?* RESP. Parenti potius, quam filio. Ita docet S. Thom. 2.2. *qu.* 16 *ar. ad* 3.

5 QVAEST. *Quando tenetur filius parentibus exhibere obedientiam?* RESP. Non semel. *In primis* tenetur filius obedire patri in ijs, quæ ad domus gubernationem pertinent, & non obedire in his, cum res est grauis, præcipue si ex contemptu, & animi obstinatione non obediatur, peccatum est mortale. *Secundo*, tenetur obedire in his, quæ ad bonos mores attinent. Igitur non acquiescere præceptis parentum circa mores nitentium filios à peccato mortali, vel peccati occasionibus arcere, cum præsertim pertinaciter non obtemperatur, mortale peccatum est. *Tertio*, ducere vxorem indignam contra parentum voluntatem, lethalis est culpa. Secus si digna fuit: nam tunc, nisi multum referat aliam ducere, peccatum est leue. *Quarto*, si filius nolit ducere vxorem dignam, quam pater dat ad inimicitias componendas, sed etiam duxit licet dignam, peccat mortaliter. Ita Tolet. *in sum. lib.* 5. *cap.* 1.

6 QVÆST. *Quando peccat filius contra hoc præceptum circa reuerentiam debitam?* RESP. Peccat percutiendo patrem, iniuriose minando, & ideo in *Exod.* reus erat propter istiusmodi crimen mortis, verberando, maledicendo, asperis verbis ex se ad iram prouocantibus, infectando, accusando coram iudice in foro criminali, præterquam in crimine læsæ maiestatis, in crimine vergente in publicum damnum, aut hæresi ad alios deriuanda, seruato tamen correctionis fraternæ ordine, vbi seruandus

est, vt

est, vt iam dixi ad proximum præceptum. Ita Tolet. *in sum. loco citato.* Peccat item grauiter filius, si nunquam, vel raro amoris signa parentibus ostendit, sed è contra semper illos contracta fronte, & supercilio intuetur, ac si illos odio haberet. Ita adnotarunt Angel. *verb. filius* §. 30. Sylu. ibi. *qu.* 22. Tab. ibidem. § 19.

7 QVAEST. *Quæ tenentur parentes exhibere filijs?* RESP. Tenentur in primis illis in corporalibus subuenire: non possunt enim illis alimenta negare, nisi in pœnam alicuius grauis criminis. Hinc fit, vt graue peccatum sit filios exponere, nisi magna necessitate cogente. Deinde tenentur subuenire in spiritualibus, ac proinde peccant lethaliter parentes, quorum incuria, & negligentia in grauia peccata filii prolabuntur.

Peccant denique grauiter, cum eos retrahunt ab optimis moribus, vel à perfectionis statu, vel cogunt ad statum suis viribus imparem, vt ad matrimonium, & religionem, & similes, faciuntque eos, vel nubere, vel inuitos profiteri. Quamquam enim parentes potestatem habent filios, obedientia iniuncta ad mortalem culpam obligãte, abducendi à malis nuptijs, etiam post Concil. Tride. *sess. 24. can. 9. de reformat.* excommunicationis pœnas decernens in principes sæculares, qui tyrannice matrimonia, quominus libere fiant, impediũt, tamen non possunt eos etiam ad optima matrimonia, sibi tamen imparia, cogere.

8 QVAEST. *Quam reuerentiam tenetur vxor exhibere marito?* RESP. Tenetur obedire in his, quæ ad bonos mores, & optimam domus gubernationem spectant: est enim vir caput, cuius est vtrumque dirigere: velle autem, spreto viro, gubernare, mortale est. Deinde si rixosa est, & intelligat virum ob rixas corrumpere in blasphemias, vel aliud genus peccati, tenetur sub mortali iram cohibere. Denique tenetur virum alio mutantem domicilium sequi: nisi ex mutatione vitæ cuiusq; corporis nempe, aut animæ, vel amissionis bonorum immineat, vel pactum interceserit ante nuptias de non mutanda sede, vel maritus velit nouo vitæ generi incumbere, nimirum vagari, negotiari, &cæt. quod ante nuptias non habebat.

9 QVÆST. *Quam reuerentiam tenetur maritus exhibere vxori?* RESP. Tenetur illam honeste alloqui, reprehendere, moderate punire, & ideo grauiter peccat illā absq causa cohibendo à præceptis Ecclesiæ obseruandis, nimirum ab audiendo sacro diebus festis, à confessione annua facienda: nam prohibendo illam ab exercitatione consiliorum Christi solum venialiter, nisi multum illi interueniret. Peccat etiam grauiter illam extra correctionis modum castigando, & percutiendo. Peccat item grauiter illam contumeliosis verbis insectando ob iniuriam, non emendam, vxor enim par est, non serua.

CAPVT IX.

De quinto Decalogi præcepto.

Non occides. §. 1.

1 *Quid est homicidium.*
2 *An sit homicidium occisio sui ipsius.*
3 *De mutilatore suorum membrorum.*
4 *An liceat in aliquo euentu se ipsum occidere.*
5 *An liceat in aliquo euentu membrum præscindere.*
6 *An liceat in aliquo casu permittere se occidi.*
7 *Quando est sui homicida, qui se mortu periculo exponit.*
8 *Quando licet hominem occidere.*
9 *An liceat occidere hominem auctoritate priuata bonum commune.*
10 *Qua auctoritate miles in bello iusto occidit hostē*
11 *An peccet maritus occidendo adulterum.*
12 *An liceat occidere innocentem propter bonum commune.*
13 *An liceat occidere priuata auctoritate ob bonum particulare.*

14 A

14 *An liceat inuasorem occidere pro tuendo honore.*
15 *An liceat pro tuendo honore antequam impingatur alapa iam iam impendens, inuasorem occidere.*
16 *An liceat pro recuperando honore amisso inuasorẽ insequi, & occidere.*
17 *An liceat raptorem insequi, & occidere ad extorquendas pecunias raptas.*
18 *An liceat pro tuenda castitate inuasorem occidere.*
19 *Quod est peccatum desiderare alterius mortem.*
20 *Qui peccant contra præceptum de non occidendo.*
21 *Qui teneatur se morti offerre extra causam fidei, aut religionis.*
22 *Qui tenetur se morti offerre ob commune bonum.*
23 *De homicidio indirecto.*
24 *Qui peccat contra quintum præceptum ex defectu charitatis.*
25 *Quæ circumstantiæ aperiendæ in confessione homicidij.*
26 *De conuitio.*
27 *De contumelia.*
28 *Qualia sint peccata conuitium, & contumelia.*

1 QVAESTIO, *Quid est homicidium?* RESP. Est iniusta hominis occisio.

2 QVÆST. *Occisio sui ipsius estne homicidium?* RESP. Occidere se suis manibus deliberata occidendi intentione, est homicidium lethale. Nec excusatur, si fiat ad excusandam infamiam magnam, vel ob dolorem peccati commissi. Ita decernitur 23. *qu.* 5. *Can si non licet, Can. si placuit*, vbi præcipitur, ne fiat oratio pro homine occisione sui tanquam pro homine notorie præscito. Nam in hoc peccato læditur propria charitas, læditur iustitia, contra quam homo priuat Rempub. sua parte, læditur gratitudo contra Deum parui faciendo vitam ab eo donatam. Ratio certa, quia homo non est dominus propriæ vitæ, ac proinde illam prodigere non potest, Scio Sam-

sonem, & multos martyres se ipsos occidisse proijciendo se in rogum. Respondet D. August. 5. *de ciuit. cap.* 17. eos id fecisse ex sancti Spiritus afflatu. Eandem peccati labem contrahit, qui præcipit, vel consulit, vel iuuat, vel cum possit facile prohibere, non prohibet homicidium.

3 Qvæst. *Quid dicendum de suorum mutilatore membrorum?* Resp. Idem, quod dixi de suimet occisore, quia homo, vt non vitę, sic nec membrorum suorum dominus est, vt decernitur *L. Liber homo. ff. ad legem Aquiliam.* Nec peccatum excusat affectus sanctitatis, veluti castitas ad abscindenda virilia.

4 Qvæst. *Licetne aliquo casu se ipsum occidere?* Resp. Minime. Vnde colliges peccare mortaliter eum, qui vitam decurrat per abstinentias, quas scit, & aduertit esse notabiliter indiscretas, quamuis id faciat animo placandi Deum, & ad satisfaciendum pro peccatis. Ita D. Thom. 2. 2. *qu.* 147. *art.* 2. & Beatus Hieronym. relatus, *cap. Non mediocriter, de consecr. dist.* 5. Item peccare mortaliter eum, qui comedit, aut potat id, ex quo intelligit sibi graue nocumentum salutis euenturum.

5 Qvæst. *Licetne in aliquo casu membrum præscindere?* Resp. Licet. Vel ob sanitatem totius, vt præscindere manum tabe infectam, ne indies malum serpat. Et à fortiori ob vitam conseruandam. Ac proinde, qui captus ab hostibus nequiret, nisi abscissa manu, & relicta in vinculis fugere, & vitam tueri, posset eam abscindere, quemadmodum fecit Iosephus Iudæorum historiographus, vt ipse de se enarrat 2. *de bello Iudaico cap.* 27. Ita Maior. in 4. *d.* 15. *quæst* 12. *dub.* 1. Sot. 5. *iust. qua.* 2. *art.* 1.

6 Qvæst. *Licetne in aliquo casu permittere se occidi?* Resp. Licet, atque *in primis* in fidei defensionem, imo ad vitam potius ponendam, quam fidem tenetur Christianus. *Deinde* propter bonum commune, vnde si ciuitas oppugnaretur ab hostibus propter vnum, etiam innocentem, ille, vt pars posset se obijcere morti, ne tota ciuitas vastaretur. Imo teneretur, quia tenemur commune bonum proprio anteferre. Ita Sot. 5. *iust. quæsti.* 1. *articul.* 7. *Tertio*, ratione iustitiæ, cum enim quis damnatus est mortis, potest, & tenetur omnes actiones, seu necessa-

necessarias dispositiones ad necem adhibere, & pati, non tamen se iugulare, aut venenum haurire, vel se proijcere in leonum caueam. Potest tamen pati oris reserationem, & infusionem veneni, & intromitti ad bestias, aut proijci sine repugnantia, licet re innocens, nocens autem testibus probatus. *Quarto*, pro amici liberatione, vt naufragio, si vna tantum tabulæ salus superesset, duos nequaquam capientis, possem illam non capere, & illam amico relinquere. Si tamen me roges, an iam captam dare possim, annuit Victoria *relect. de homicid. numer. 26. capit. 6.* cum communi Doctorum, & Toleta. *lib. 5 cap. 6.*

7 QVÆST. *Quando est homicida sui, qui se mortis periculo exponit?* RESP. Quando periculum tale est, ex quo mors frequentius subsequi soleat, frequentius dixi, quia non est tale periculum, ex quo bis, aut ter mors fuerit subsequuta. Et ideo non sunt occisores sui, qui per altas scalas ad parietes, tectaque templorum tapetibus vestienda ascendunt, neque item funambuli in ea ludendi arte peritissimi, quamuis aliquando quis ceciderit & mortuus sit.

8 QVAEST. *Quando licet hominem occidere sine homicidij labe?* RESP. In primis occidere hominem ex iustitia, iuxta legum scita, & decreta, peccatum nullum est: imo est actus meritorius, si fiat, vt fieri debet. Fiet autem, si *quatuor* conditiones concurrant, quarum vel vna deficiente, mortale peccatum est. *Prima*, vt fiat auctoritate publica: nemini autem auctoritate priuata, licet occidere, etiam nocentissimum hominem, & ideo occidendo mortaliter delinquit. *Secunda* conditio est, vt fiat ex causa, quæ quidem grauis esse debet, vt pœna proportionetur culpæ. *Tertia*, vt seruetur iuris ordo. *Quarta*, vt sit recta iudicis intentio ex iustitiæ zelo moti, non ex ira, odio, vel alia inordinata passione.

9 QVAEST. *Circa primam conditionem quæro, an liceat aliquando occidere auctoritate priuata ob bonum commune?* RESP. Licet quidem. In primis, si aliter tyrannus non possit à ciuitate occupata expelli. Ita Diuus Thom. 2. *sentent. d. 44. quæst. 2. art. 2. & opusc. 20. de reg. princip. cap. 6.*

vbi

vbi dicit non peccasse M. Brutum occidendo Cæsarem. Hunc tamen tyrannum intelligo qui sine titulo vero, vult alijs tyrannice dominari: nam illum, qui vero titulo dominationis tyrannice tractat Rempub. nequaquam in occidi licet, vt decernit Concil. Constant. *sessione* 15. atque oppositum dicere, vt hæreticum damnat.

10 QVAEST. *Qua auctoritate miles in bello iusto hostem occidit?* RESP. publica: est enim publicus minister, publicæ vindictæ.

11 QVAEST. *Peccatne maritus occidendo adulterum deprehensum in adulterio?* RESP. Peccat. Ita definitur 43. *qu.* 2. *cap. Inter hæc* 33. *quæ.* 2. vbi Gloss. & Nauar. *ca.* 15. *nu* 4. Verum quidem est Cæsareas leges conniuere in hoc homicidio, illudque impunitum relinquere, vt profusam adulterorum licentiam, & audaciam cohibeant, dum eorum occisores pœnis minimè afficiunt.

12 QVÆST. *Circa secundam conditionem, quæro ex te, licetne occidere innocentem propter Reipub. bonum? verbi gratia: si tyrannus deuastaturus vrbem, nisi illi tradatur innocens Titius ad mortem, vel coram eo occidatur, licetne illum tradere internecioni, aut occidere?* RESP. Communis tenet opinio non licere, posse tamen Rempub. illum non defendere. Crediderim tamen probabilem valde esse opinionem Tolet. in sua restitutione de homicidio, cum asserit Reipubl. talem innocentem, vel tradere, vel occidere posse. Ratio illius est, quia Respublica vim habet ad cogendum suum ciuem exequi naturale ius, quo tenetur; sed in euentu proposito talis innocens iure naturali tenetur pro totius Reipubl. salute se morti offerre: ergo, &c. Vnus tamen euentus est in quo absque controuersia innocentem licet occidere, nimirum cum secundum allegata, & probata ostenditur nocens. Sed de hoc puncto in octauo præcepto me longius interrogabis.

13 QVAEST. *Licetne aliquando occidere hominem, priuata auctoritate ob bonum particulare?* RESP. Licet, nimirum cogente necessitate: inprimis cum opus est ad propriam vitam, vel parentis, vel amici, vel consanguinei ab inuasore defendendam. Ita Gloss. *Clement. vnica de homicidio.* Imo si inuasus est publica persona, à qua multum pendet bonum commune, tenetur inuasorem internecare, &

vitam

vitam propriam tueri. E contra vero si inuasor est persona publica, à qua similiter commune bonum valde pendet, tenetur permittere se occidi, quia tanquam pars tenetur subire damnum, ne totum pereat. Cum vero inuasor, & inuasus priuatæ personæ sunt, potest inuasus inuasorem occidere, & iuxta communem sententiam permittere se occidi, quia vt pars tenetur subire damnum, ne totum pereat, ita potest aliam partem aut perimere, aut tueri, cum ab illa iniuste appetitur.

14 QVÆST. *Licet etiam inuasorem occidere ad tuendum honorem*: RESP. Licet. Ita tenet communis sententia. Ita Bald. in repet. *L. 1. Cod. vnde vi.* Panormitan. & Nauar. *cap. Olim*, vt refert in sum. *ca. 15. num. 4.* Ex quo fit, vt si inuasus nobilis ex fuga contrahat infamiam, fugere non teneatur, sed possit occidere, cum aliter propulsare iniuriã nequit. Quam tamen infamiam fugiendo non contrahit religiosus, aut clericus, licet præclaris parentibus ortus, quorum interest potius patientiam Christi, humilitatẽque colere, quam vanum honorem sectari.

15 QVAEST. *Licetne ad tuendum honorem occidere inuasorem alapa iam facta, iniurias minitantem antequam eam impingat*? RESP. Affirmatiue Doctores omnes vnanimi consensu respondent.

16 QVAEST. *Licetne ad honorem tuendum inuasorem post impactam alapam fugientem insequi, & occidere*? RESP. Negat Tolet. *lib. 5. cap. 1.* Oppositum tamen docet Nau. *ca. 15. nu. 4.* ad finem, inquiens: Qui affectus iniuria, magnam honoris iacturam faceret, si fugientem non persequeretur, inuasorem persequi posset, & percutere tantum, quantũ ad sui honoris defensionem opus esset, etiam occidẽdo, si ad id opus esset. Ratio est, quia ego possum persequi furem, & illata vi, etiam mortis illius damno, rapta recuperare: ergo maiori cum ratione infamatorem, & ab eo raptum honorem extorquere.

17 QVÆST. *Licet etiam eodem modo inuasorem insequi, & occidere ad extorquendas pecunias, aut alias res familiares furto ablatas*: RESP. Licet, cum aliter res haberi, & recuperari non potest. Dixi cum aliter res haberi non potest, quia peccat mortaliter, qui noctu, aut diu furem interimit, cum possit illum apprehendere, & se suaque omnia

tue

tuto defendere non occidendo. Ita communis docet opinio, & liquet, *cap. si perfodiens, de homicidio.* Et quamuis leges inter nocturnum atque diurnum latronem discrimen faciant, occisoremque nocturni latronis non puniant, quia præsumunt latronis homicidia, tamen in foro animæ standum est veritati, non præsumptioni.

Hæc quoque veritas, de secularibus personis non Ecclesiasticis intelligitur, & decernitur *capit. Suscepimus de homicidio*, vbi sic sacer textus. *Satius est post tunicam relinquere pallium, quam pro tunica, aut pallio alienam vitam eripere.*

18 QVÆST. *Licetne præterea ad tuendam castitatem inuasorem occidere?* RESP. Constans est Doctorum omnium sententia, quæ affirmat. Dubium vero est, an teneatur occidere? certum est fœminam non peccare lethaliter, licet inuita sinat se stuprari, si in turpitudinis delectationem non consentiat, nec proinde coram Deo amittere virginitatem, & ideo si certa esset se minime delectationi consensum præbituram, posse non occidere inuasorem. Ita Sylu *verb. homicid.* §. 8. Verum, quia magnum consentiendi periculum est, propter vehementiam obiecti, securius inuasorem occideret, cum aliter impolluta euadere nequit.

19 QVÆST. *Quod peccatum est desiderare alicuius mortē, propter bonum aliquod inde desideranti proueniens?* RESP. Nullum peccatum agnoscit Nauar. *cap. 15. num. 9.* vbi dicit licere alicuius mortem optare in aliquem bonum finem, & honestum, videlicet, ne Deum offendat, ne aliquod crimen committat, regis Turcarum mortem optare, vt Christianus princeps succedat & ad fidem veniat illud Imperium. Addit Sot. 5. *iust. quæst.* 11. *art.* 1. posse nos optare mortem iniustorum inimicorum, cum ad nostrā quietem aliud remedium facile non suppetit.

20 QVAEST. *Qui peccant contra hoc præceptum de non occidendo?* RESP In primis, qui alicui dedit sano, vel ægroto comedendum id, quod sciebat graue nocumentum illius saluti allaturum: tantam vini copiam, ex qua sciebat ebrietatem futuram, aut febrim excitandam, aut grauem mœrorem euenturum. Saluti, inquam, etiam animæ, vt grauem tentationem libidinis, iræ, & similium.

Peccat

Peccat nutrix, quæ tenellum infantem secum in lecto noctu habet cum periculo suffocandi inter dormiẽdum. Peccat, qui mulierem grauidam, ita vel comprimit in coitu, vel plagis afficit in correctione, vt periculum sit aborsus. Id vero intelligo, siue id fiat ante fœtus animationem, siue post. Quamuis enim peccatum sit diuersum, quoniam post animationem fœtus est hominis occisio, ante vero est embrionis occisio, vtraque occisio homicidium iure appellari potest, quia embrio homo inchoatus est, qui si occidatur, reuera impeditur humana generatio. Peccat mulier, quæ quouis modo procurat aborsum, vel se abortiendi periculo exponit. Peccat, qui proficiscitur ad bellum iniustum, sciens esse iniustum. Peccat, qui iniuste ad mortem damnatum manifesta iniustitia non liberat cum possit. Iuxta illud Prouerb. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem.* Peccat, qui inuaso ab inimicis suis non subuenit, cum commode possit, sine magno incommodo, iuxta B. Ambrosium, relatum *cap. Non inferenda 23. quæst 3.* nisi sit officialis publicus, quoniam hic armata manu tenetur subuenire, vt notat D. Ant. *2. p. tit. 7. cap 8 §. 2.* & Nau. *cap. 15. num. 15.* tenetur, inquam, non tantum ex charitate, sed etiam ex iustitia. Peccat, qui suo testimonio aliquẽ ab iniusta morte potest liberare, & non vult testificari, qui si iuridice interrogetur, & neget vel taceat, contra iustitiam delinquit. Ita D. Thom. *2. 2. quæst. 70. art. 1.* Gab. *in 4. d. 15. quæst. 6. art 2.* Peccat, qui rogatus iuridice contra reum ab accusatore, ex officio sub iuramento agente, postulatũ ad pœnam, aut negat veritatem, aut non vult testimonium ferre, defectu cuius accusator punietur talionis pœna. Probatur, quia talis accusator exigit iuridice id, ad quod ius habet. Nauar. *citato loco* longius vagatur, atque in eo casu teneri testem ad testimonium ferendum non rogatum, quia tenetur, inquit, succurrere vitæ proximi periclitantis extreme, qualis tunc est ille accusator ex officio. Secus, inquit, si non ex officio obligaretur accusare, quia ille sponte sua se in tale periculum iniecit. Verumtamen hac in re non est audiendus Nauarrus, atque suamet ratione conuincendus: enimvero licet quis ex officio teneatur accusare sub iureiurando obligatus, non tenetur tamen

tamen accusare, nisi ea crimina, quæ iuridice potest probare, & ad id tantummodo suum iuramentum, iuris interpretatione præstitit, & ideo cum accusat, quod iuridice probare nequit, ipse se in laqueum misit, nec ab eo liberandus, vt alter detineatur.

21 QVAEST. *Quis tenetur se morti offerre extra causam fidei, aut religionis?* RESP. Qui contra aliquem falsum protulit testimonium, ob quod ille damnatur ad mortem: tunc enim, licet cum periculo propriæ vitæ, debet retractare testimonium. Ita communis tenet Doctorum sensus. Sed de eo latius *ad 8. præceptum*, cum egerimus de ordine iudiciariæ correctionis, respondebo.

22 QVAEST. *Quis tenetur se morti offerre ob commune bonum?* RESP. Tenetur quiuis etiam innocens, cum propter illum commune bonum Reipub. perit: vt cum tyrannus obsidet ciuitatem, & à se funditus delendam minatur, nisi certus innocens morti donetur: talis, inquam, innocens morti se offerre tenetur, atque cum Iona dicere. *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis. Scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grãdis venit super vos.* Ion. 1. Tenetur itidem innocens qui expetitur, vt exponitur à suo Principe ad duellum ad componendam pacem inter regna, multorumque neces euitandas.

23 QVAEST. *Hactenus dixisti de homicidio directo intento, iam te rogabo de homicidio indirecto: dic igitur, qui peccat homicidio indirecto?* RESP. Qui non adhibita diligentia debita ad cauendum homicidium rem peragit, ex qua illud sequutum fuit, vt cum explosit bombardam crassa negligentia inaduertens, ne quis adesset obuius. Peccat praterea, qui omittit aliquid, quod ex iustitia tenetur facere, si ex tali omissione homicidium sequatur. Quamobrem peccant grauiter contra hoc indirectum homicidium Principes, & Gubernatores, qui cum teneantur seruare ciues indemnes, & saluos adhibita cura diligenti ad comprehendendos sicarios noctu, vel viarum spoliatores diu, negligunt sceleratorum punitionem, qui propposita sibi impunitate licentius homines spoliant, & spoliatos occidunt. Peccant grauissimè iudices, qui, non stendant inscitiam, causam iudicant ignorantes, damnantque capitis innocentem, cum teneantur addiscere iura

iura, aut saltem sapientiores consulere, aut officio cedere. Quique, etiamsi ius calleant, ne labore legendi, aut inquirendi defatigentur, re parum perspecta, & considerata mortis sententiam ferunt. Peccat præterea medicus, cuius incuria, vel imperitia obit infirmus, tenetur enim, aut artem callere, & diligentiam adhibere, aut officium omittere: Peccant, qui feras alunt, vt Tygres, Leones, Viros, & alias, & non cũtant, vt minime noceant. Peccant parentes, qui cum sciant filios esse iracundos, & superbos, valdeque obnoxios rixæ, sinunt eos arma gestare. Peccant denique illi, quibus iuste demandata est cura, vt præsint loco, vbi periculum homicidij timetur, ad sedandam seditionem, cum abscedunt, & relinquunt stationem.

24 QVÆST. *Hactenus de homicidio ratione iustitiæ: nunc te rogabo de homicidio ratione charitatis. Qui peccant contra hoc præceptum ratione charitatis?* RESP. Peccat mortaliter, qui in extrema vitæ necessitate posito, aut graui non succurrit, cum potest. Peccat, qui sciens alium iniuste adiudicandum morti, aut alicui pœnæ graui, nisi ipse veritatis ferat testimonium illud non fert, finitque innocentem occidi, aut pœna graui affici, quanquam non interrogetur. Peccat grauiter, qui scit esse alicui paratas insidias, in quibus realiter occidetur, nisi admoneatur, si non admoneat, aut saltem debitam diligentiam non adhibeat, vt admoneat.

25 QVÆST. *Suntne aliquæ circumstantiæ in peccato homicidij necessario aperiendæ in confessione?* RESP. Sunt. Atque *in primis* ex parte personæ occisæ, vt si erat pater, mater, filius, vxor, frater: est enim circumstantia notabiliter aggrauans; de qua in propria materia de Sacramento pœnitentiæ diuino numine redibit sermo. Item, si erat persona sacris initiata, ratione excommunicationis annexæ, quæ autem talis sit, dicam in materia de excommunicatione, cum de censuris egerimus. Si denique erat persona, ex cuius percussione alij notabile damnum patiuntur, vt si pater erat, cuius filij orphani relinquuntur, si erat seruus, cuius dominus pretium perdidit: si erat operarius, cuius labore familia alebatur, in his enim percussionibus ratio admiscetur iniustitiæ restitutioni obnoxiæ.

xiæ. 2. ratione loci, quia si factum fuit in loco sacro, habet coniunctam sacrilegij malitiam : si in loco publico, est cum scandalo coniunctum. *Denique* ratione complicum; enim vero patefaciendum est, an homicidium solus, vel cum alijs patrauerit, & circa eos an nil minus cogitantes induxerit ad occisionem, quia vt claret, præter sacrilegij, etiam scandali culpa innodatur.

26 QVÆST. *Quoniam in hoc quinto præcepto prohibentur conuitia & contumeliæ, rogote, quid est conuitium?* RESP Conuitium secundum Diuum Thom. 2. 2. *quæst.* 72. *articul.* est inhonoratio facta alicui absenti per verba, aut signa vocalia, aut scripta denotantia malum pœnæ, vel culpæ, aut defectus naturæ. vt cum dicitur de aliquo quidam fur mendax (quæ sunt mala culpæ) stulte, insensate (quæ sunt mala pœnæ) cæce, fili illegitime, Iudæus, qui sunt defectus naturæ.

27 QVÆST. *Quid est contumelia?* RESP. Contumelia est inhonoratio facta alicui præsenti per verba vel signa denotantia malum culpæ vel pœnæ, aut defectus naturæ. Itaque solum differt conuitium a contumelia, quia conuitium est inhonoratio absentis, contumelia vero præsentis.

28 QVÆST. *Quale peccatum est conuitium & contumelia.* RESP Ex genere suo lethale graue, si fiat animo inhonorandi, & inter personas, quæ istis conuitijs, & contumelijs grauem iacturam famæ, & honoris patiuntur. Hoc dixerim propter mulierculas istis conuitijs, atque contumelijs assuetas, quæque inuicem condonantes immediate bibunt, ac edunt, tam paruo doloris sensu, ac si ne verbum quidem fecissent. Crediderim tamen verum esse, quod docet Tolet *lib.* 5. *capit.* 9. huiusmodi contumelias, & conuitia inter personas bonæ notæ, si ex solo contemptu, licet non inhonorandi animo iactentur, esse peccatum lethale, quia ille iniustus contemptus, iniuria est grauis.

CAPVT

CAPVT X.

De sexto Decalogi præcepto:

Non mœchaberis. §. 1.

1 *Prohibentur in hoc præcepto omnes species luxuriæ.*
2 *Prohibetur morosa venereorum delectatio.*

1 QVÆSTIO *Quæ prohibentur in hoc præcepto?* RESP. Omnes luxuriæ species. Deinde oscula, tactus, amplexus ob carnalem delectationem tantum. Ita Caiet. *opusc. de delect. nor.* & Tolet. *lib. 5. capit.* 16. Ratio est manifesta, quia licet in his sola carnalis delectatio intendatur absq; copula, illæ tamen ex natura rei ad copulam diriguntur; ac proinde huiusmodi carnalis delectatio est quasi copula inchoata,

2 QVÆT. *Quid amplius prohibetur?* RESP, Morosa venerearum rerum delectatio. De his tamen circa malitiæ grauitatem, peccatorumque species ad luxuriæ vitium *in 4. parte* Examinis, si tibi placet, tractationem omittamus.

CAPVT XI.

De septimo Decalogi præcepto. § 1.

Non furtum facies.

1 *Quid prohibetur in hoc præcepto.*
2 *Quid intelligitur nomine furti.*
3 *De iniusta acceptione & retentione.*
4 *Quæ est iniusta ablatio, aut retētio inuito Domino.*
5 *De irrationabiliter inuito domino.*

1 QVAESTIO. *Quid prohibetur in hoc præcepto?* RESP. Furtum.

2 QVÆST. *Furti nomine quid intelligitur?* RESP. Ablatio quæuis iniusta rei alienæ, domino iuste inuito. Hæc furti definitio, quod sub hoc præcepto interdicitur, ab omnibus colligitur Doctoribus.

3 QVÆST. *Ablationis nomine solam iniustam rei acceptionem intelligi?* RESP. Minime: sed quamuis etiam iniusti retentionem, & præterea quamuis iniustam damnificationem. Ita enim intelligit D. Thom. 2.2. *qu.* 6 . *ar.* 1. Reinel. 1. *p. Pantheologiæ tit. de furt. ca.* 1. Sot. 5. *iust. ar.* 1. aliique communiter.

4 QVAEST. *Quæ est iniusta ablatio, aut retentio domino inuito?* RESP. Quæ fit absque vlla causa, & ratione, ob quam irrationabiliter inuitus censeatur dominus.

5 QVAEST. *Suntne aliquæ causæ ob quas dominus ablationem pati, & retentionem censeatur irrationabiliter inuitus?* RESP. Plurimæ quidem. Atque *in primis* eam ablationē, & retentionem, quæ per iocum, vt sæpe contingit inter amicos. *Secundo* eam, quæ fit in pœnam. Qualis fuit ablatio, & retentio Ægyptiarum diuitiarum facta in exitu captiuitatis à filijs Israel, iubente Deo, non tantum vt rerum domino, quas à quouis auferre, & cuiuis donare potest, iuxta illud Iobi proloquium. *Dominus dedit, dominus abstulit.* &c. Sed etiam, vt iudice in pœnam diuitiarum copias pro labore captiuis adiudicante, vt voluit D. Thom. Sot. & alij proxime citati. *Tertio* eam, quæ fit in ipsius domini commodum, & vtilitatem; vt cum vxor pecunias clam furripit, ne eas maritus alea obliguriat, quas in vsum familiæ necessarium consumit. Ita Sylu. *furt.* §. 15. *Quarto* eam, qua quis chartas rumpit, ne aleator patrimonium ludat: vinum fundit, ne alius inebrietur; quia hæ oblationes ex proximi charitate procedunt, aduersus quam iniuste dominus stomachatur. *Quinto* eam, quæ fit cogente extrema, vel graui necessitate, quia hæc proceedit ex charitate propria bene ordinata, quæ in extrema necessitate omnia facit communia: in graui vero pro tempore præsentis inopiæ postea reuocanda in pinguiori fortuna. *Sexto* eam, per quam fit recompensatio certi & liquidi debiti, quod alia via iuridice præ debitoris potentia nequaquam recuperari potest. Ita omnes Doctores. Dixi, quod alia via recuperari non potest, quia cum potest, peccat grauiter recompensator; sed quoniam suum accipit, restituere non tenetur. Ita Archid. 14 *qu.* 5. & Tolet. proxime citatus. Ratio est, quia sine causa iram proximi commouet, & scandalum præ-

bet

bet suspicantibus esse in vicinia raptores. Quod si ob id innocens quisquam veniat in suspicionem furti: absolute aliqui affirmant teneri recompensantem manifestare furtum, & ablatum reddere, putantque id decretum ab Innocentio *cap. Olim de rest. spol.* cuius hæc sunt verba. *Quidam dicunt & non male, quod etiam sua auctoritate potest quis accipere furtiue, dummodo ex tali furto nec malum, nec scandalum oriatur*: quia si inde generetur, vel contra vxorem, vel contra familiam, vel contra quemcunque alium, debet rem in pristinum statum restituere. Verum tamen de hac re in restitutione de homicidio latius dicá: interim *Dico* primo, Si nullum recompensans damnum præuidit proximo euentutum ex recompensatione, potest ex charitate cum propria infamia ablatum restituere. Ratio est, quia suæ famæ dominus est. Nō tamē tenetur. Ratio est, quia ille iure suo vsus est, ex quo per accidens illud alteri damnum euenit. *Dico* secundo. Si recompensans illud damnum præuidit, sed doluit, neque ex illius intentione recompensationem fecit, etiam propter eandem rationem non tenetur restituere. *Dico* tertio. Si damnum præuidit, & ex odio ad compensationem processit, tenetur cum propria infamia damnificatum suspicione liberare.

6 QVÆST. *Quos intelligis dominorum nomine?* RESP. Intelligo etiam custodes rei ablatæ, vt creditores, depositores, pignoratores. Ideo ab ijs clam, & inuitis nec proprij domini absque peccato possunt rem auferre. Ita docet D. Thom. proxime citatus, Sylu. *furt. 2. Ang. ibidem.* §. 4.

CAPVT XII.

De restitutione in communi. §. 1.

1 *Quid est restitutio.*
2 *Quæ considerandæ circumstantiæ in restitutione.*

1 QVÆSTIO. *Quid est restitutio?* RESP. Est actus iustitiæ commutatiuæ, quo cuique redditur quod ab eo iniuste ablatum est, vel iniuste eo inuito retinetur.

2 QVÆST. *Quæ præcipuè considerandæ in materia restitutionis?* RESP. Circumstantiæ nouem, quas duplici versu Doctores comprehenderunt.

Quis, Quid restituet, Cui, Quantum, Quomodo, Quando, Ordine, Quoue loco, Quæ causa excuset iniquum.

De circumstantia Quis. §. 2.

1 *Quis restituere tenetur.*
2 *Quot modis rem alienam possumus accipere iustè.*
3 *Quis restituere tenetur, licet rem iustè acceperit.*
4 *Quis restituere tenetur ratione damni illati.*
5 *An sit numerandum inter damna lucrum cessans iniustè impeditum.*
6 *Qui ratione damni illati tenentur restituere prætio præcipuum damnificatorem.*

1 QVAESTIO. *Quis restituere tenetur?* RESP. Qui rem alienam retinet, & qui rem alienam male accepit, licet non retineat, quia iam res ipsa perijt. Male dixi, quia, qui rem alienam bona fide, vt suam accepit, & vt suam dissipauit, vel amisit, nil restituere tenetur, nisi ex re illa aliena ditior factus sit quo ad partē accretionis ratione ipsius rei acquisitam. Acquisitam, dixi, ratione ipsius rei, quia si ditior factus sit ratione propriæ industriæ, non tenetur lucra illa simul cum re domino reddere, Aliter dicendum, cum res illa bona fide accepta ex malitia accipientis, vel negligentia moraliter crassa perijt: tunc enim accipienti perijt, & non domino.

2 QVAEST. *Quot modis rem alienam iustè accipere possumus?* RESP. Quinque: *emptione, accommodatione, locatione, pignoratione, depositio.*

3 QVÆST. *Qui tenetur restituere, licet iustè his quinque modis rem alienam acceperit?* RESP. Qui inuito domino rem retinuit, quæ in illa retentionis mora perijt. Deinde, qui ea conditione accepit, vt accipienti & non domino periret.

4 QVAEST. *Qui restituere tenetur ratione damni illati?*

RESP.

RESP. Qui illud intulit iniuſtè. Iniuſtè vero illud intulit, qui per fraudem, dolum, aut vim illius cauſa fuit. Iniuſtè, dixi, quia qui peccando contra ſolam charitatem, proximum damnificauit, ad nullam reſtitutionem obligatur. Et hoc apud omnes in confeſſo, vt proloquium vſurpatum in hac materia eſt.

5 QVÆST. *Adnumerandumne eſt inter damna lucrum ceſſans, per vim, fraudem, aut dolum impeditum?* RESP. Maxime. *Duo* tamen adeſſe oportet ad obligationem iſtam inducendam: primum vt damnificatus, illud reuera eſſet conſequuturus. Secundum, vt ad illud conſequendum ius haberet in re (ſic vocant) vel ad rem: alioqui nihilo ſuo illum priuamus, imò aliquando pro charitate pugnantes, iniuſtæ, & indignæ conſequutioni obuiam imus. Dicitur verò habere ius in re ille, qui illam pacifice obtinet. Dicitur verò habere ius ad rem, qui illa dignus eſt: & ideo cum quis beneficio dignus, illud conſequuturus erat, & ab illius conſequutione per vim, fraudem, aut dolum impeditur, iniuſtè læditur, & reſtitutione ſanandus eſt. Dolum vero confendum arbitror falſũ mendacium circa alterius mores, ſcientiam, iudicium, aut quid ſimile, collatoris mentem à collatione alienans.

6 QVÆST. *Qui ratione damni illati tenentur reſtituere, præter præcipuum damnificatorem?* RESP. Qui vno ex nouem ad illud cucurrerunt. Quos duplici item verſu comprehenderunt Doctores.

Iuſſio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus,
Participans, Mutus, Non obſtans, Non manifeſtans.

Hoc eſt. Qui iuſſit damnum inferre. Qui conſuluit. Qui conſenſit. Qui laudauit. Qui fouit damnificatorem. Quando ſcilicet ex vi conſenſus, conſilij, fauoris, adulationis damnum ita ſequutum fuit, vt aliter nequaquam ſequeretur. Item Participans, Cooperans. Qui quidem ſi ita cucurrit, vt niſi cucurriſſet, damnum minime inferretur, tenetur, ſi alij cooperatores nolint damnum in ſolidũ reſtituere, aut eam partem, quæ abſq; ſua cooperatione non damnificaretur. Ratio eſt manifeſta, quia in eo damno cenſetur totalis cauſa, ſine qua non datum fuiſſet, ergo illud, quodcunque eſt, tenetur reſarcire. Item mutus. Non obſtans. Non manifeſtans. Cum

ex officio te nebatur loqui, obstare, manifestare: aliter quidem minime; Ita communiter Doctores verba ista interpretantur, cum quibus Sot. *4.iust.qu.7 art.3.* Caiet. *verb.rest.* Tolet. *li.5.ca.12.num.3.*

De circumstantia Quid. §.3.

1 *Quid est restituendum.*

1 QVÆSTIO. *Quid est restituendum?* RESP. In primis ipsa res, si extat, vel pretium eius, si iam periit. Deinde lucra cessantia ex ipsa re oriunda. Tertio pretium damni illati. Quarto damna emergentia. Denique fructus rei frugiferæ ex ipsa re collecti. Ex ipsa re dixi, quia illi, qui ex industria lucrantis prouenerunt, quamquam aliena pecunia conquisiti, illius sunt.

De circumstantia Cui. §.4.

1 *Cui facienda est restitutio.*

2 *Si facienda est pauperibus, per quem est facienda.*

3 *Si facta restitutione in pauperes, dominus verus compareat, quid faciendum.*

1 QVÆSTIO, *Cui facienda est restitutio?* RESP. Ipsimet à quo res ablata est, si verus dominus rei est. De hac veritate nullus est, qui dubitet. Dubitant vero valde Doctores, dissidentéque vehementer, si ablata res est à non domino, iniuste illam retinente. Sed quia in tractatu de re furtiua, & de restitutione pretij pro iniustis operibus dati, & accepti suum proprium locum habet, ibi pro tua singulari in me beneuolentia, iterum interrogationem facies. Si tamen verus dominus non existat, hæredibus restitutio est facienda inter quos maius, minusve hæreditarium ius obseruari debet. Deficientibus vero hæredibus, pauperes succedunt, quorum nomine etiam veniunt pia opera, monasteria, viduæ, pupilli, &cæt.

2 QVÆST. *A quo facienda est huiusmodi in pauperes distributio?* RESP. Nonnulli volunt facienda esse ab Episcopo. Satis tamen est, si ab ipso accipiente, & possidente fiat, amoris fraude, & dolo. Ita Tolet. proxime, atque inter pauperes computari potest ipse distribuens, si pauper est,

c ,partemque sibi, vel totum reseruare potest, si æquè bene ipse, atque alij eget.

3 QVÆST. *Quid fiet, si post distributionem verus dominus compareat?* RESP. Si facta fuit debita in conquirendo domino diligentia, nihil illi vltra debetur; quoniam facta distributio in illius spiritualem vtilitatem cedit. Ita omnes, & Tolet. *lib. 5. cap. 34. num vlt.*

De circumstantia Quantum. §. 5.

1 *Quantum est pro damno restituendum.*

1 QVÆSTIO. *Pro damno quantum est restituendum?* RESP. Pro iniuriæ damno iuxta boni viri arbitrium. Pro re damnificata, tantum pretium, quanto æstimanda erat, si sibi relicta ad perfectionem peruenirer: deductis tamen inde expensis, quas factura erat in perueniendo illuc, computatisque periculis non perueniendi. Recte tamen aduertit Tolet. *lib. 5. cap. 34.* cum damnum malitiosè illatum fuit, & dominus nollet illa pericula vendere, esse ad integrum ferme restitutionem faciendam, quia nemo cogi potest ad rem suam vendendã in voluptatem, aut alterius priuatam vtilitatem: ac proinde potest pro illa de quouis pretio pacisci.

De circumstantia Quomodo. §. 6.

1 *An sit satis restituere per alium.*

1 QVÆSTIO. *Quomodo est restituendum. Satisne est per alium restituere, ita vt quis liber sit ab iterum restituendo, si res ad dominum non perueniat?* RESP. Discrimen magnum est hac in re inter mutuum, & accõmodatum, ex eo quod in mutuo rei mutuatæ dominium transfertur, in accommodato vero minime, & ideo Dico *Primo.* Qui mutuas pecunias dedit Titio restituendas Theodoro, quantumcumque Titius sit fidei probatæ, si pecunias non dedit, tenetur mutuarius illas iterum restituere Dico *secundo,* qui rem commodatam, pignoratam, vel depositam Titio dedit bonæ. & probatæ fidei viro, restituendam Theodoro, Titiusque non dedit, ad nil amplius tenetur accõmodatarius. Ita communis sententia cum Card. Tolet. proxime. Quod saltem verissimum

est, cum nulla Titij res interijt. Ratio est manifesta, quia res commodata, deposita, & pignorata semper fuit & est domini, & ideo illi perit, cum absque possidentis malitia, crassave negligentia perit.

De circumstantia Quando. §. 7.

1 *Quando est restituendum.*

2 *Quando dicitur quis impotens ad commode restituendum.*

3 *Quando dicetur notabile detrimentum oriri ex restitutione.*

4 *An teneamur restituere cum notabili rei propriæ detrimento, quando creditor patitur detrimentum leue, ni illi restituatur.*

5 *An teneamur restituere cum quouis nostro periculo, cum creditor ex defectu restitutionis est in eodem.*

1 QVÆSTIO. *Quando est restituendum?* RESP. Vbi primum dominus incipit esse rationabiliter inuitus, cum commode fieri potest restitutio, & non fit. Atque ideo qui cum possit, & debeat restituere, non vult, peccat lethaliter, & quo magis differt, & grauius peccat, & quoties occasio restituendi se offert, & non vult statim restituere, aut id non curat, mortaliter etiam peccat. Quamobrem, qui debita, cum possit statim soluere, omittit vsque ad testamentum, in peccato obit iuxta communem sententiam. Similiter qui cum habent dubia debita, nolunt veritatem dilucidare, sed in testamento relinquunt, vt hæredes id videant, in peccato discedunt. Ita omnes Doctores.

2 QVÆST. *Quando dicetur aliquis non posse commode restituere?* RESP. Inprimis cum non potest absque vitæ periculo, vel propriæ infamiæ. Deinde cum non potest absque notabili rei propriæ detrimento, quando creditor nullum tale detrimentum incurrit. Notabili, dixi, quia cum leui tenetur iuxta omnes. Dixi (rei propriæ) quia non est censendum notabile detrimentum, lucrum cessans ratione restitutionis pecuniarum, quas quas fu-

ratus

ratus, negotio expoſuit, vt notauit Caiet. 2. 2. *qu.* 62. *art.* 8. & eſt magnopere aduertendum, Quoniã illa pecunia, ſeu alia res furto cõparata, lucrum gignens, nõ eſt furantis & retinentis, nec ex conſequenti ſtatus decentia, & apparatus ex ea prouenientis, ſed eſt domini, penes quem eſt rei dominium.

3 QVAEST. *Quando igitur dicetur notabile propriæ rei detrimentum ex reſtitutione prouenire?* RESP. Cum debitor, vt reſtituat, cogitur rem ſuam notabili minori pretio vẽdere, vel quid ſimile pati ex accelerata reſtitutione.

4 QVÆST *Teneturne debitor reſtituere cum notabili rei propriæ detrimento, quando creditor patitur aliquod leue?* RESP. Res eſt admodum controuerſa. Caie. *in ſum. verb. reſt.* Sot. 4. *iuſt. q.* 7. *ar.* 4. cũ diſtinctione procedunt, aiuntq; teneri, quando reſtitutio fit ratione iniuſtæ acceptionis, vt potè furti, vel damni illati; non teneri vero, cũ fit ratione iuſtę acceptionis, & debitor nõ ſe culpabiliter in eas anguſtias redegit. Oppoſita tamẽ ſententia omnino aſſerenda cum D. Ant. 2. *p. tit.* 2. *ca* 8. Nau. *ca.* 17 *nu* 58. Tole. *li* 5. *cap.* 34. *cum alijs.* Ratio eſt, quia in eo euentu, proprius dominus irrationabiliter eſt inuitus.

5 QVAEST. *Tenetur quis rem alienam reſtituere cum propriæ vitæ periculo, quando inuitus dominus ex defectu illius eſt in eodem periculo, vt in extrema penuria, ex defectu panis quem illi debeo?* RESP. Negant Sot. 4. *iuſt. qu.* 7. *ar.* 1 Caie *reſt. Tab. ibi* §. 4. idque etiam, quando res furto ſublata eſt ante ipſam extremam neceſſitatem. Ratio eorum eſt, quia illa extrema neceſſitas, quidquid eſt in poteſtate alicuius, facit proprium. Affirmant veruntamen Scot. *in* 4. *d.* 15. *qu.* 2. Nau. *cap.* 17. *nu.* 60 & ex conſequenti omnes, qui aſſerunt infamatorem per falſum teſtimoniũ teneri cum periculo vitæ palinodiam canere, cum ob illud diffamatus in ſimili vitæ diſcrimine verſatur. Et hæc eſt communis ſententia.

De circumſtantia Quomodo. §. 8.

1 *Quomodo facienda eſt reſtitutio.*

1 QVÆSTIO. *Quomodo, ſeu quo ordine facienda eſt reſtitutio?* RESP. Prius reſtituẽda res, quæ exiſtit quocunque

cunque modo acquisita. Si tamen in pauperes diuidenda, pretium distribui potest. Deinde inter debita prius certa, quam incerta. Tertio, inter certa prius ea, quorum domini cognoscuntur, quam ea, quorum domini ignorantur. Quarto, inter certa, quorum domini ignorantur, prius quæ iusto, quam quæ illicito contractu facta sunt. Ita cum plurimis Tolet. *lib.5. cap.34.*

De circumstantia Vbi, seu quo loco. § 9.

1 *Quo loco facienda est restitutio.*

1 QVÆSTIO. *Quo loco facienda est restitutio?* Resp. Facienda est vbi res est, si possessor sit bonæ fidei. Ita Caiet. 2.2. *qu.92. art.5.* & in sum. *verb. rest. cap.* Med. *quæst.2. de rest.* Sot. 4. *iust. quæst.7. art.1. ad 3.* Ledesm. 2.4. *quæ.18. art.5.* Nau. *cap.17. nume.42.* Et ideo non tenetur ad itineris expensas, si dominus absens est, sufficitque illum admonere, qui admonitus tenetur ad soluendum expensas, quæ circa rem suam in illius vtilitatem factæ sunt. Dixi, in illius vtilitatem, quia si possessor bonæ fidei maiores propter suam voluptatem fecit expensas quam faceret verus dominus, neque res inde in pretium accreuit sibi, non domino expensarum fecit iacturam. Res patebit, si ob oculos proponatur subrusticanum prædium bona fide possessum, & à possessore mille delitiarum varietatibus ad animi relaxationem nobilitatum.

De causis excusaatibus à restitutione. §.10.

1 *Quæ causæ excusant à restitutione.*
2 *Quæ remissio, seu conditionatio, dicetur coacta.*
3 *Quæ remissio, seu conditionatio dicitur extorta per fraudem, & dolum.*
4 *Quæ dicetur extorta per metum.*
5 *Excusat à restitutione impotentia restituendi rem inferioris ordinis absque iactura rei ordinis superioris.*

QVÆSTIO. *Quæ causæ excusant à restitutione?* Resp. In primis libera creditoris remissio, & non coacta, neque

neque per dolum, fraudem, aut metum extorta, tunc enim non est voluntaria.

2 QVÆST. *Quæ remissio dicetur coacta?* RESP. Ea, qua quis remitteret debitum, quia debitor nolit alteram soluere partem, nisi creditor partem remittat.

3 QVÆST. *Quæ remissio dicetur extorta per fraudem, aut dolum?* RESP. Ea, qua quis remitteret, quia debitor fingit se, vnde soluat, non habere, vt creditorem decipiat, & ad condonandum moueat. Ita Tolet. *li. 5. cap. 36.*

4 QVAEST. *Quæ remissio dicetur exorta per metum?* RESP. Illa, qua pauperes, tenues, & ignobiles viri nobilioribus, dominis, potentibus debita remittunt, quia illos timent ac reuerentur propter diuitias, potentiam, officia, dominationem, vt ita redimant suam vexationem.

5 QVAEST. *Suntne plures causæ?* RESP. Plures. Excusat etiam impotentia restituendi rem inferioris ordinis sine detrimento rei ordinis superioris. Ita communis sententia, & ideo, quia vita, & fama, sunt ordinis superioris, quam res domesticæ, & familiares, nemo tenetur restituere rem domesticam, & familiarem cum vitæ, aut famæ periculo. Hoc tamen commune proloquium rectissime limitat Sot. circa eum, cuius fama parui fit, imo & vita, res verò familiaris debita est pinguissima, vt regnũ, vel quid simile. Quemadmodum licet aurum essentialiter sit nobilius argento in quauis quantitate, tanta tamen poterit esse argenti quantitas, vt moraliter pluris fiat quam aurum. Sotum sequitur Tolet. *lib. 5. cap. 37.* his verbis. *Debent reddituꝰ esse multum pingues, vt quis mortem propter restitutionem subire debeat.* Quia tamen Soti sententia est communior, quam sequitur Cajet. *verb. rest.* & Nau. *cap. 19. num. 50.* tuta in conscientia erit, vt aduertit Tolet. *loco citato.* Excusat deinde impotentia restituendi sine amissione libertatis: nemo enim (quamuis potest) ad se vendendum tenetur, vt restituat, quia libertas non bene pro toto venditur auro, nec qualibet alia re pretiosa.

De alijs causis excusantibus à restitutione. §. II.

1 *An metus leuis illatus, ad extorquendam condonationem.*

onem, illam inualidet, vt inualidat metus gra

2 An condonatio facta ob causam falsam, existim tam inuincibiliter veram, excuset à restit tione.

3 An ex condonatione circa vnum maneant alij, simul cum eo debebant eandem rem, liberi à stituendo.

4 An virtualis remissio liberet à restituendo.

5 Quæ est censenda virtualis remissio.

6 An liceat retinere rem, cuius restitutio cedit in num domini exigentis.

7 An ingressus religionis liberet à restitutione, ante illum nequeat fieri restitutio.

8 An debitor, qui non est soluendo, possit ingredi gionem.

9 Quo cum leui debito potest debitor, qui non est uendo, ingredi religionem.

10 An talis religionem ingressus, & professus, tene adhuc restituere.

1 QVÆSTIO. *Quoniam hæc tota materia latissimi non grauaberis si ad easdem interrogationes reuer noua semper difficultate proposita. Atque iterum go, an metus leuis iniustè incussus ad extorquendam re sionem infringat remissionis vires, eandemque relinqua stituendi obligationem?* RESP. Infringit. Ita Diuus An 2.p.titu.2.capit.6. & Sylu. rest.7.quæst.2.dist 3 & alij. R est, quia ipse leuis metus noua est iniuria, nouamque ducit restituendi obligationem. Imo sufficit metus ue rentialis, iuxta Nau. ca.17.nu.79.

2 QVÆST. *Tenetne remissio ex ignorantia inuinc procedens, aut circa debitum aut circa personam?* RE Minime. Ita Medin. de restit. qu.3. cauf.2. Item cum ig rantia est circa causam sine qua non remitteret. Ita So 4.d.15.q.2.art.3. Exẽpla ponit Pal. adnotat in Caiet. rest.ca.7. vt cum quis, ex eo, quod ignorat inuincibil

alter

alterius diuitias, remittit, quia arbitratur illum esse pauperrimum, aut omnes pecunias debitas non solutu-rum, nisi pars remittatur. Ratio est, quia illa ignoran-tia addit omnino inuoluntariam remissionem ex ea fa-ctam, iuxta D. Thom. 1.2. *quæst.* 6. *art* 8. & alios commu-niter.

3 QVAEST. *Pluribus insolidum ad restitutionem obligatis, si creditor vni remittat, manent ne omnes alij à restitutione liberi?* RESP. Minime, loquendo ex natura rei, quia nec ipse, cui remisit, manet deobligatus, si creditor vult, & intendit, vt alij in integrum restituant. Ita Caiet. 2. 2. *quæst* 62. *articul.* 6. Sot 4. *iust. quæst.* 7. *art.* 3. *ad* 2. Med. *de restit. quæst.* 8. *ad finem.* Potest tamen creditor remittere debitori partem, ad quam ex se solam si alij restituant suam, obligatur.

4 QVAEST. *Quid dicis de virtuali remissione, liberatne à restituendo?* RESP. Quæstionem non attingunt in termi-nis Doctores; Ex ijs tamen, quæ in alijs euentis edocent, affirmatiuam apertè colligo responsionem. Ita Nauar. *ca.* 17. *num.* 4. *& cap. Non dicatis. nu* 52. Med. *qu.* 12. *de rest. ad finem* § *si autem prædicta.* Cou. 2. *p. reg pec.* § 1 *nu.* 1 D. Tho. 2. 2. *qu* 82 *art.* 8. *ad* 1. in illis verbis. Probabiliter præsum-pta. Hinc excusantur furantes ab amicis, & consangui-neis ea, circa quæ non sunt inuiti, quo ad rem, licet sint, quo ad modum auferendi.

5 QVÆST. *est Quæ censenda virtualis remissio, seu im-plicita, & interpretatiua remittendi voluntas?* RESP. Ea, quæ ex probabilibus indicijs iudicatur damnificatum nolle à tali persona, vel ratione talis iniuriæ sibi fieri restitu-tionem. Talis censenda interpretatiua voluntas mari-ti aduersus adulterum occultum: parentum aduersus stupratorem filiæ occultum: nobilium aduersus defa-matorem occultum: dominorum aduersus seruos fu-rantes poma, racemos, & alia edulia domi. Satis et-iam ad hanc virtualem remissionem, & talis damni da-ti liberationem affectus, siue amor damnificati homi-nis aduersus damnificatorem, probabilibus indicijs con-firmatis, quo si sciret talem fuisse, nequaquam sibi vellet fieri restitutionem. Ita Med. proxime & Nau. *cap* 17. *nu.* 4. Non eam tamen confirmant indicia, quantumcunque probabi-

probabilia, quibus colligitur fore, vt remittere debitum si veniam illius vir auctoritate præstans ab illo petere Ita Med. proxime, & Nauar. *cap* 17. *num* 12. Tradita doctrinam de virtuali remissione sequitur Tolet. *l* 4. *de restit. capit.* 4. *numer.* 7. cum Gabr. & alijs, qu refert.

6 QVAEST. *Esne licitum denegare, seu potius differe lutionem debitæ pecuniæ, cum scio solutionem fore in damn corporale, seu spirituale creditoris?* RESP. Licitum. Ita confesso est apud omnes Doctores, D. Thom. 2. 2. *qua art.* 5. *ad* 2. *& in* 4. *d* 32. *art.* 2. Sot *in* 4. *d.* 15. *quæst* 2. Rain 2. *p.* Panth. *titul. restit, cap.* 3. Gandau. *quodlibet* 24. An *restit.* 3. §. 5, Sylu. *rest.* 5 *quæst* 3. Gab. *in* 4. *dist.* 15. *art.* 2 Io de Neap. *quodlib. quæ.* 22. Arm. *rest. numer.* 24. Tab. *i num.* 4. Caiet. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 5. Nau. *cap.* 7. *num.* 3. S plemen. *rest.* Neque admittenda distinctio Soti, 4. *quæst.* 7. *art.* 1. si nimirum solutio cedat in peccatum iu tiæ, non vero charitatis tantum. Ratio est, quoniam p ceptum restitutionis oritur ex proximi vtilitate : e non obligat, quando est contra illam; vt enim ait Ber quod præceptum pro charitate institutum est, co charitatem pugnare non potest. Quæ veritas intellige da, tam cum non petitur solutio, quam cum petit quia iniuste petitur. Est argumentum efficax contra h doctrinam. Nam omnes concedunt posse vxorem m struatam reddere debitum coniugi petenti, & scie vxoris menstruum, & ideo peccanti propter periculu inficiendi prolem. Ita maritum posse debitum redde vxori votum continentiæ habenti, quam certus scit p care contra votum in petendo. Ita cum communi P lud. *in* 4. *dist.* 32. *quæst.* 1. *art.* 1. Couar. 2. *p. epith cap.* 3. §. 1. *mer.* 6. RESP. hanc communem opinionem intellige esse cum ex redditione debiti euitatur maius pecca incontinentiæ, cuius fœda exempla refert Palud. pro me. Ad euitandum vero maius, & grauius damnum c cedit D. Thom. *in* 4. *d.* 32. *art.* 2. *ad* 4. & Alens. 3. *p. qu* 35. memb. 8. §. 1. ad 2. posse etiam furioso gladium red imo deberi. Quod si absque incontinentiæ periculo bitum negari potest, negari debet, imo peccatum se dali est grauissimum offerre (nisi offerendo debitum p

tatu

tatur) ac proinde in vtroque euentu par est ratio.

7 QVÆST. *Qui ingreditur religionem non habens vnde restituat, liberaturne à restitutione?* RESP. Minime, si post ingressum paternam hæreditatem obtineat, nam ex ijs bonis tenetur religio ipsa restituere. Ita omnes.

8 QVÆST. *Qui non est soluendo, potest ingredi religionem?* RESP. Negat Medin *quæ. 3. rest. caus. 8.* Maior. *in 4. d. 38. quæ. 7.* Angles. *qu. Quis à rest. difficult. 6.* adeo tenaciter, vt asserant, etiam professum teneri egredi, & ad Indos, si opus fuerit, vsque pergere pro acquirenda pecunia soluenda quamuis prælatus contradicat. Oppositum docuit D. Thom. *2. 2. qu. vlt. art. 6. ad 8* & ibi Caiet. Viguer. in inst. *ca. 17. §. 1.* Sylu. *religio. 2. qu. 4.* Palud. *in 4. dist. 3. quæ. 4. art. 1. concl 4.* Ang. *verb religiosus. §. 6.* Tab. ibidem. *§ 11.* Ratio D. Thom. est, quia persona liberi hominis nequit pro debita pecunia obligari. Mediam tamen sententiam probabilius tenent alij, aiuntque si debitum sit leue: negant, si sit magnum. Ita Instruct. vbi sup. & Tolet. lib. 4. *rest cap. 4. dub. vlt. num. 94.* Ratio est, quia irrationabiliter est inuitus, qui ob paruum suum commodum vult alium tanto religionis bono priuare. Idem dicendum de eo, qui licet in sæculo permanserit, nunquam erit solucdo. Idem de eo qui debiti oblitus, ingressus est religionem, cuius postea recordatur, cum debitum est leue, & creditor illo non grauiter indiget.

9 QVEST. *Quod dicitur leue debitum quo quis ingredi potest religionem?* RESP. Boni viri arbitrio relinquenda res est. Autor tamen Instructorij supra quem in manuscriptis sequitur doctissimus Peres, leue debitum censet decem, & vsque ad quadraginta aureos. Ratio est, quia in eo euentu creditor censetur irrationabiliter inuitus, cum bona sua corporalia leuia summo bono proximi spirituali antefert.

10 QVAEST. *Iste, qui cum debito ingreditur religionem, estne cogendus ad laborandum manibus, vt restituat?* RESP. Minime. Ratio est, quia iste fecit suorum bonorum cessationem: per cessationem vero suorum bonorum ita quis à restituendo liberatur, vt pro eo, nec in carcerem detrudi possit, nec ad seruitia cogi, quæ illius personam dedecent. De hac tamē liberatione infra latius me velim roges.

De quantitate obligante ad restitutionem sub mortali. §. 12.

1 *Quæ quantitas obligat ad rei solutionem sub mortali.*

2 *Qui fructus rei retentæ iniuste, ab eadem percepti sunt restituendi.*

1 QVÆST IO. *Quæ quantitas damni, furti, iniuriæ vel cuiusuis simili, restituendi sub mortali obligationem inducit?* RESP Notabilis. Ita communis Doctorum sententia, contra Gabr. *in 4. d. 1. quæst. 3 art. 1. notab.* absolute asserentem, quoduis damnum restituendum sub mortali, citati etiam solet pro Gabr. D. Hieronym. *ca. 2 in epist. ad Tit.* & refertur *14. qu. 6.* idem D. Thom. *2. qu. 59. ar. 4. in 2 arg* & *quæ. 66. ar. 6. ad 3.* Sed exponendi sunt, dicendumq; eos loqui de eo qui licet re parum lucri ripuerit, animo tamen magnum surriperet, si posset. Ita Peres *in manuscript.*

2 QVAEST. *Qui fructus restituendi percepti ex re aliena?* RESP. Dico inprimis semper deducendas esse expensas ab ipsis fructibus. *L. Si à te § fructus, ff. de petit. her.* & communis sententia docet. Noto deinde fructuum alios esse rei, qui vocantur naturales: alios industriæ, qui vocantur industriales. Naturales sunt quos res ipsa se solo aut saltem leui hominis labore adiuta producit, vt ager herbam irriguam, arbor poma. *L. Qui scit ff. de furtis.* Industriales sunt qui proueniunt ex mero humano labore, & negotio, vt qui percipiuntur ex commutatione pecuniæ, emptione, rerumque venditione. Rursus alij, qui partim industriales, quia ad illos percipiendos magna impenditur cura, & humana industria, partim naturales. In his vero cum maior videtur esse industria, quam natura, industriales simpliciter appellantur. Quando vero tales censendi sint, arbitrio prudentis iudicandum, iuxta Bart. *L. ex diuers. §. 1.* Responsio igitur directa sit. Fructus, tam naturales, quam partim naturales, partim industriales, dempto pretio industriæ, restituendi sunt. Hæc tam certa est, vt probatione non indigeat.

CAPVT

CAPVT XIII.

De restitutione in singulari.

QVoniam *tria* sunt *bona*, circa quæ proximus lædi potest: nimirum Bona *animæ*, Bona *corporis*, Bona *fortunæ*: in tres partes distribuitur tota restitutionis tractatio, Ideo in prima agemus de bonis animæ. In secunda de bonis corporis. In tertia de bonis fortunæ, vt facile, ac distincte omnia percipiantur.

De restitutione circa bona animæ. §. 1.

1 *Quid prius numeratur inter bona animæ.*
2 *Quid tenetur restituere, qui alteri causa fuit amittendi gratiam.*
3 *Quid tenetur restituere, qui aliquem à religione amouit.*
4 *Quid restituere tenetur, qui falsam doctrinam seminauit ex malitia.*
5 *Quo pacto est talis restitutio facienda.*
6 *Quid restituere tenetur, qui falsam doctrinam seminauit ex ignorantia.*

1 QVÆSTIO. *Inter bona animi quid prius annumeratur?* RESP. Gratia.

2 QVÆST. *Ad quam restitutionem tenetur, qui causa alteri est amittendi gratiam?* RESP. Dupliciter quis causa alteri esse potest gratiam amittendi. Nimirum vel illũ inducendo ad peccandum precibus, minis, dolo, & fraude. Vel tantummodo consilio ad peccandum cõmouendo. Dico igitur *Primo.* Qui alium libere consentientem, & volentem ad peccandum induxit, ad nullam tenetur restitutionem. Ita Syl. *restitutio 3. nu.* 1. Ledes. 2. 4 *q.* 18. *ar.* 2. Cord *qu.* 172. Pedraca *præcepto.* 5. §. 7. Sot. 4. *iust. qu.* 6. *ar.* 3. Merc. *tract. vltimo de restit. ca.* 2. & alij. Probatur ratione, quia restitutio emanat ab iniustitia: sed vbi non est in-

iuria, non est iniustitia: volenti autem & consentienti nulla fit iniuria: ergo nulla ei debetur restitutio. Dico *secundum*: Qui dolo, fraude, aut metu graui aliquem ad peccatum induxit, tenetur quo ad poterit, illum in gratiam reducere, consulendo, rogando, orando Deum pro eo, &c. ita Tolet. *l. 2. de restitutione cap. 2.* Sylu. *restit. 3 nu.* Arag. 2. 2. *quæst 62. art. 2.* Adrian. *in 4. de rest.* Scot. ibidem *distinct. 15. qu. 3. art. 1.* Richard. *ibi qu. 2. art. 4.* Angel. verb. *restitutio, &* alij, ab eisdem citati. Ratio est, quia inuito domino gratiam extorsit.

3 QVÆST. *Ad quam restitutionem tenetur, qui alium religione extraxit?* RESP. Dico *primo*. Qui sine dolo fraude, vi, aut minis aliquem ante ingressum religionis religionis proposito, aut post ingressum, tyrocinij tempore, ante professionem, retraxit, ad nullam restitutionem tenetur. Ita Arag. 2. 2. *qu. 62. art. 2.* Sot. 4. *iust. quæst 6. art.* Probatur aperte, quoniã nec illi, nec religioni fit iniuria contra iustitiã. Non illi, quia libere vult, & consentit, a nõ ingredi, aut ante professionem egredi. Non religioni quia ea non habet ius iustitiæ in tyrone ante professionem. Et ideo licet male consulens ex odio consulat, charitatem offendit non iustitiam. Et quanquam demus religioni aliquod ius ad rem erga nouitium: illud ius pendet a nouitij voluntate libere possessuri. Dico *secundo*, Qui minis, fraude, dolo: vel quouis alio simili modo iniuste ingressurum ab ingrediendi proposito retraxit: vel iam ingressum, ne profiteretur, seduxit, tenetur vim amouere, vt libere, vel ingrediatur, vel egrediatur, ac proinde tenetur detecta fraude veritatem illum docere ad liberum vel ingressum, vel egressum. Ita Sot. & Tolet. citati. Probatur facile, quia fraudulentius seductor iniuriam infert volenti vel ingredi vel profiteri religionem, & ideo contra iustitiam facit, & peccat. Nihil tum religioni tenetur restituere, quia nullum illius ius læsit circa illem religiosum, vt ita dicam, sicut constat ex superiori conclusione. Dico *tertio*. Qui religiosum professum vi, fraude, aut dolo, vel etiam suasione, & consilio a religione extraxit, tenetur damnum religioni resarcire. Ita Doctores omnes citati. Ratio est manifesta: quia religio ius habet in religioso professo non solum ad rem, sed re. Dico

re. Dico *quarto*. Qui huiusmodi religiosum professum, modo dicto, à religione retraxit, neque alium pro eo subrogare, neque ipse illius loco religionem intrare tetur. Ita Ledesm. 2. 4. *qu* 26. *art* 2. Arag. 2. 2. *quæst.* 82. *art.* 2. Tolet. *lib* 2. *de rest. ca.* 2. *num* 18. Ratio est, quia religionis vota debent esse maxime libera, & voluntaria, neque pro aliqua restitutione obliganda. Non enim bene pro toto libertas venditur auro.

4 Qvaest. *Ad quam restitutionem tenetur, qui falsa docuit?* Resp. Qui sciens, & prudens docuit pernicio sam doctrinam, ex iustitia tenetur proximum ab errore reuocare. Ita Tolet. *lib.* 2. *de restitut. cap.* 2. Caiet. *in sum. num.* 7. Mercat. *cap.* 2. *de rest.* Aragon. 2. 2. *qu.* 62. *art.* 10. Ratio est, quia proximus per fraudem, & dolum iniuste damnificatus est.

§ Qvaest. *Quo pacto est facienda restitutio falsæ doctrinæ?* Resp. Si, qui falsum docuit, tenebatur ex officio docere verum, vt tenentur doctor, confessor, aduocatus, concionator, consiliarius, tenetur iterum docere verum. Si vero ex officio non tenebatur, satis est, si afferat, & ostendat doctrinam à se traditam esse falsam. Ita Tolet. *supra.*

6 Qvæst. *Solum dixisti de docente falsa ex malitia, quid censes de docente falsa ex ignorantia?* Resp. Eodem modo dico illum teneri ex iustitia retractare dicta, ex quibus damnum proximo est subsequutum. Ita Arag. 2. 2. *qu.* 62. *art.* 10.

De restitutione propter beneficia Ecclesiastica male collata. §. 2.

1 *Qui indignus, qui dignus, qui dignior ad beneficium.*
2 *Quantum peccat, qui beneficium confert indigno.*
3 *Quantum peccat, qui prætermisso digniore in concursu dat digno.*
4 *Ad quam restitutionem tenetur, qui beneficium dat indigno.*
5 *Ad quam restitutionem tenetur, qui beneficium*

dedit digno, relicto digniore in concursu.

6 *Ad quam restitutionem tenetur, qui impedimen[illegible] fuit, ne alicui conferretur beneficium ecclesia[illegible]sticum.*

7 *De indigno se opponente concursui beneficij, cu[illegible] sciat se esse indignum, vel indigniorem.*

8 *Quid restituere tenetur supradictus indignus, bene[illegible]ficio donatus.*

9 *Quid restituere tenetur, qui horas canonicas n[illegible] recitat.*

10 *Quid tenentur restituere pensionarij.*

11 *Quid tenetur restituere Canonicus choro assisten[illegible] & non recitans.*

12 *Ad quid tenetur Canonicus ore, non mente officiu[illegible] recitans in choro.*

13 *Quid tenetur restituere, qui beneficium curatu[illegible] accepit nondum sacerdos.*

14 *Quid tenetur restituere accipiens beneficium c[illegible]ratum nondum sacerdos animo dimittendi s[illegible] conditione si aliud maius obueniat.*

15 *Quid tenetur restituere beneficiarius homici[illegible] voluntarius.*

16 *De occulto occisore, & beneficium obtinente [illegible] quam restitutionem obligatur.*

17 *De excommunicato, & suspenso, & deposito.*

18 *Qui ante legitimam ætatem beneficium accepit [illegible]ne dispensatione.*

19 *De beneficiato publico concubinario.*

20 *De beneficiario simoniaco.*

1 QVÆSTIO. *Quoniam beneficia ecclesiastica rebus s[illegible]ritualibus annexa sunt, de ijs te statim percontabor. A[illegible]que in primis de conferente beneficia indigno. S[illegible]*

pri[illegible]

prius discrimen mihi constitue inter indignum, dignum, & digniorem? RESP. Ille *indignus* est, qui necessaria scientia caret, saltem ad officium, ad quod eligitur, & morum probitate & aptitudine ad illud exercendum. *Dignus* est, qui tali scientia, probitate, aptitudineque valet. *Dignior* qui in illis alios excellit. Coalescit igitur dignitas ad Ecclesiasticum beneficium ex scientia, probitate, dexteritateque ad illud exequendum cum maiori animarum fructu. Qui vero æqua scientia, & probitate, maiori tamen est dexteritate administraturus beneficium, acturusque diligentiorem animarum curam, alij est præferendus. Imo etiam ei, qui eum superat morum bonitate. Ita Sot. 3 *iust. q. 7 ar. 2. concl.* 6. Maior. *in 4. d. 24. quæst.* 9. Cou. 2 *p. reg. pec. §.* 7. Quam dexteritatem ad exercendum munus tanti fecit Tolet. *lib. 5. ca.* 78. vt qui illa nō pollet, quamuis doctus, & bonus, pro indigno sit reputandus, quia aptus non est.

2 QVÆST. *Quod peccatum committit, qui beneficium confert indigno?* RESP. Lethale. Ita Tolet. cum communi, & probat triplici ex capite. *Primo*, quia iniurius est Deo, dum illum priuat honore, & cultu suo. *Secundo*, quia iniurius est Ecclesiæ, dum indignum ministrum illi præficit, & sumptibus, redditibusq; ecclesiasticis alit. *Tertio*, quia iniurius multis dignis, quibus tale beneficium merito iure debebatur. Quam veritatem satis colligo ex Trid. *sess. 22. de refor. ca. 2.* Cuius decretum collationem beneficij indigno factam ipso iure annullat. Ideo qui indignum impedit à beneficij consequutione, licet iniustè per vim, dolum, aut fraudem, ad nullam tenetur restitutionem pro amissione beneficij, vt *supra* iam dixi.

3 QVAEST. *Quod peccatum committit, qui prætermisso digniore in oppositione, beneficium dat digno?* RESP. Illud appellat peccatum acceptionis personarum Diu. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art* 2. Gabr. *in 4. d. 15 quæst.* 7. D. Anton. 2. *p.* Adrian. *in 4. quæst. de rest.* Nauar. *cap* 17 *num.* 72 *ca. Licet* 8. *quæ.* 1. Metropol. *d.* 63. Probatur ex ratione iustitiæ distributiuæ, quæ docet conferre præmia pro laborantium sudore: sed beneficia Ecclesiastica sunt præmia laborantium in virtute, & literis, ergo conferri debent pro maiori laborantium sudore. Fallit tamen hæc conclusio in

aliquibus euentis, atque in primis dignus eiusdem dio-
cesis anteferendus est alterius diœcesis digniori. Ita So
lib. 3. *iust. qu.* 6. *artic.* 2. *ad* 4. Tolet *lib.* 2. *de rest. in* 2. *p. cap.*
nu. 166. Sot. & Tolet. probant ex iure. D. Tho. sup. prob
ex ratione iuris, quia beneficia ad animarum vtilitatē co
feruntur, vtilior vero erit animabus naturalis, quā extr
neus, quia naturaliter est eis propēsior. Quoniā vero p
contrariam consuetudinem hæc iura videntur abroga
scite admonuit Toletus *supra*, standum esse consuet
dini, qua Episcopi externis, ac naturalibus benefici
conferunt.

4 QVAEST. *Ad quam restitutionem tenetur, qui beneficiu*
dedit indigno? RESP. Qui beneficium contulit indigno
prætermisso digno vel digniore se opponentibus, ten
tur restituere, & ipsi Ecclesiæ, & ipsi digno, vel dignio
Ita Sot. 3. *de iust. qu.* 6 *art.* 2. *& ex Graue nimis, de præb. in D*
creta. Probatur, quia vtrique fit iniuria contra iustiti
commutatiuam. Ecclesiæ quidem, quia ea inuita su
redditus confert indigno: Digno vero, vel digniori, qu
suo iure illos priuat.

5 QVAEST. *Ad quam restitutionem tenetur, qui prætermi*
so digniore beneficium contulit digno? RESP. Dico *Prim*
Non tenetur aliquid Ecclesiæ restituere. Ita Maior. *in*
d. 24. *quæst.* 9. Sot. & Tolet. proxime Cou. 2. *p. regul. p*
num. 6. cum Adrian. quem citat. Probatur aperte; qu
Ecclesia tantum digno dat, quantum illi pro ministe
suo debetur: ergo nihil ab Ecclesia aufertur. Dico *secun*
do. Qui in concursu, & oppositione beneficiorum præ
term. isso digniore, beneficium confert minus digno, te
stitutionem digniori facere tenetur. Ita D. Anton. 2.
tit. 12. *num.* 20. Sylu. *rest.* 3. *quæst.* 12. Arm. ibid. *num* 51. P
lud *in* 4 *d.* 15. *qu.* 2. *art* 2. Richard. ibid *quæst.* 4. *in* 5. *prin*
pali Scot. ibidem *quæst.* 2. Cait. 2. 2. *quæst.* 62 *art* 2. Co
reg. peccat §. 7. *num* 6. Med. Salmant. inst. *pag* 89 *alias.* 1
Quanquam oppositum asseruerint Sot. 4. *iust. quæst.* 6
3. *ad finem*, & Nauar. *cap.* 17. *num.* 72. & 73. Probatur ape
tè, quia legitimus oppositor habet ius commutatiuæ i
stitiæ ad beneficium, cui opponitur: nam ipsamet oppo
sitio est ius ad rem: procedit enim ex Ecclesiæ statuto
lege decernente, vt dignior anteferatur, cum pueri
promi

promissione, & fide data cuique se opponenti, vt si dignorem se probet, illi beneficium conferatur: sed hæc data fides, & promissio accepta ab oppositore digniore dat illi ius commutatiuæ iustitiæ ad rem, vt nemo negat in prœmijs; quę pro ludis publicis euulgantur ijs, qui aliquod plausibilius inuentum in medium protulerint, ergo &c.

6 QVAEST. *Dixisti de collatore beneficij, dic modo de impediente. Ad quam restitutionem tenetur impediens, ne beneficium alicui conferatur?* RESP. In primis impediens, vtcumque, & quauis via, ne beneficium detur indigno, ad nullam tenetur restitutionem. Ratio est, quia nulli facit iniuriam: non Ecclesiæ, vt manifestum est: non indigno, quia nullum ius habet ad beneficium. Dico *secundo*. Impediens beneficium, ne detur digno, vt conferatur alij æqualiter digno, liber similiter est à restitutione. Ratio est, quia nullius ius violauit, nam æquè digni æquale ius habebant ad beneficium. Dico *tertio*. Impediens beneficium, ne detur digniori, quamuis impediat, vt digno detur, quauis via impediat, siue vi, dolo, aut fraude, siue precibus solis, tenetur illud digniori restituere. Ita Couar. *citato loco*. Ratio est, quoniam violatur in hoc maius dignioris ius ad beneficium.

7 QVÆST. *Quid censes de indigno se opponere?* RESP. Quilibet indignus se opponere potest, licet se indignum iudicet, ad scientiam ostendendum, & beneficium comparandum, quantum merito iure potest, & non aliter. Idemque dicendum de digno in oppositione dignioris. Res est manifesta, nec probatione indiget.

8 QVAEST. *Quid tamen de eo censes, qui ante oppositionem se indignum, aut minus dignum iudicans, & cum hoc iudicio se opponens, recta tamen supra dicta intentione à iudicibus beneficio donatur* RESP. Arbitror huiusmodi oppositorem ex supra dicta intentione à culpa liberari, posseque beneficio frui. Quoniam iudicium dignitatis æqualis, aut maioris non penes illum, sed penes iudices relinquitur, ac proinde potest se dignum, vel digniorem post iudicum arbitrium existimare, gaudereque beneficio dato.

9 QVÆST. *Ad quam restitutionem tenetur beneficiatus*

qui horas canonicas non recitat? RESP. Ad illius diei fructuum restitutionem, pro rata, videlicet pro relictis matutinis, & laudibus ad dimidiam partem: pro quauis alia hora ad partem sextam. Ita habetur in *Extrauaganti* Pij V. de hac re, & in *Concil. Lateran vltimo.* Adnotat Nau. *cap. 25. num. 122.* Sot. 10 *iust. quæst. 5. art. 6. cons. 3* cum communi sententia.

10 QVAEST. *Ad quam restitutionem tenentur pensionarij eadem diuinas preces omittentes?* RESP. Res est manifesta in Extrauaganti Pij V. citata, quæ decernit, vt ipsi teneantur recitare officium paruum Beatæ Mariæ, & teneantur restitutionem pro rata, vt beneficiati curati. Aduertunt egregiè Capuan. *de horis can. tit de pœn. non recit.* & Instruct. hanc pœnam latam esse in eos, qui clericali titulo pensionem colligunt, vt ibi Pius Papa apertè declarat.

11 QVAEST. *Ad quam restitutionem tenetur canonicus assistens tantum, & non recitans in choro, licet domi recitet?* RESP. Ad restituendas distributiones illius muti temporis. Ita Nau. *de orat. cap. 10. num 47.* Capuan. vbi proxime adducens pro sua sententia Concilij Trid. decretum, *sess. 24. cap. 12.* Sot. 10. *iust. qu. 5. art. 4.* Instruct. 2. *p. qu. 1.* colligitur ex Syl. *hora, qu. 6.* Arm. ibid. *qu. 21.* Probatur, quia istæ distributiones non dantur pro præsentia personarum, ad vanam Ecclesiæ ostentationem, vt dantur regij annui redditus aulicis pro frequentanda regia aula, vt perperam existimauit Med. *in instruct.* & Tolet. 2. *lib. resp. cap. 2. num. 217.* Sed pro oratione: beneficium enim datur pro officio, officium vero canonici non est adesse, sed orare.

12 QVÆST. *Quid censes de eo, qui recitat, vel canit ore tenus mente alio diuulsa?* RESP. Ad nullam tenetur restitutionem. Ita Cord. *l. 4. q. 3* Sot. 10. *iust. q. 1. ar. 6. concl. 4.* cum D. Ant. Ioan Med. Sylu. & Castro quos citat. Probatur, quia eam solam externam orationem hactenus videtur tantùm Ecclesia præcipere, quo ad diurnas distributiones.

13 QVAEST. *Quid arbitraris de eo, qui beneficium curatum accepit nondum sacerdos?* RESP. Si id accepit animo colligendi fructus per annum concessum ante ordinationem, & postea dimittendi, quia non vult presbyter fieri, tenetur ad

tur ad fructuum perceptorum restitutionem. Ita Nau. *cap. 25. num 119* & habetur expressè *cap. Commissa. §. Caterum, lib. 6.* Probatur, quia per fraudem, inuita Ecclesia, fructus collegit. Si tamen intra annum in melius animum mutauit, & presbyteratus ordinem suscepit, etiam perceptos fructus tempore iniquæ intentionis retinere potest. Ita Nau. &c. *Commissa lib. 6.* expressè. Et probatur, quia fraus ab initio incœpta, non consummata, purgatur per voluntatis mutationem. Quod si bene incœptum animum mutauit in peius, & non vult ordinari, cum antea vellet, tenetur restituere fructus à voluntatis mutatione perceptos. Ita Glos. *ca. commissa citatum*, & Angl. *q de cler. rest obnoxijs dub. 6 ante 4. concl.* Probatur, quia ab illa mutatione per fraudem fructus collegit. Quod dixi de suscipiente beneficium, dico de collatore. Qui quidem scienter illud cõtulit nolenti suscipere ordinem, tenetur Ecclesiam seruare indemnem, & ablatos fructus restituere. Ita Nauar. *ca. 25. num. 119.*

14 QVÆST. *Quid de eo, qui quamuis animo suscipiendi ordines beneficium acceptet, conditionaliter tamen acceptat, nisi aliud accidat in maius suum decus, & commodum?* RESP. Si illa conditio fundata erat in æquali dubio euentus suscipiendi, & non suscipiendi ordines, quatenus illud dubium fuit, eatenus fecit irritos fructus. Ita Sot. 10. *iust. qu. ist. 5. art. 6.* Instruct. 2 *p. ca.* 105. Probatur, quia eo modo pendulus, & anceps in rigore iuris non vere alteram partem determinate intendit, & ideo, nec suscipere ordines determinate vult. Si autem illa conditio fundabatur in quadam formidine partis oppositæ ex aliquibus indicijs, probabilius tamen illi erat se ordines susceperum, ad nihil obligatur. Nam sola ista moralis certitudo, & non alia in hac vita haberi potest, omnesq; qui beneficiũ accipiunt, ea subintellecta conditione accipiunt, nisi aliud maius commodum suboriatur. Quauis tamen intentione beneficium acceptet, si idoneum ministrum loco sui Ecclesiæ substituat, potest illud pretium ex fructibus adimere. Ita Angles de *rest. tit. de cleric. rest. obnoxijs, diff. 3. dub. 6.* cum Gab. quem citat.

15 QVÆST *Beneficiarius voluntarium homicidium committens, teneturne ad fructus restituendos ipso facto*

post

post homicidium commissum? RESP. Minime. Probatur facile, quia ob illud peccatum, quantumuis publicum non amittit, ipso facto, beneficium, sed spectanda est in dicis sententia. ergo ante illam, non amittit fructus. Ita Cordub. *qu.41. Instruct.2.p.qu.95.* & habetur *cap. Ex literis, de excess prælat.* constatque ex certa regula quam probat Nau. *cap.37 numer.251.* Scilicet nullam irregularitatem inducere ipso facto priuationem beneficij ante habiti.

16 QVÆST. *Post homicidium voluntarium occultum, q non obtenta dispensatione beneficium accepit, ad quid tenetur?* RESP. Ad restituendos fructus, quos recepit. Probatur ex iure, quia collatio beneficij, etiam simplicis, fr nulla, iuxta decretum Concil. Trid. *sess. 4. ca. 6. & cap. Quæsitum de temp. ord. in Decret.* Probatur ratione, quia beneficium datur propter officium. ergo qui officium exercere non valet, iniuste recipit beneficium: atqui irregularis (qualis est homicida voluntarius) non potest exercere officium; ergo nec recipere beneficium.

17 QVÆST. *Quid arbitraris de excommunicato mai excommunicatione, & suspenso in pœnam à beneficio?* RES Talis dum in culpa est non absoluendi à censura, fructu non facit, & ideo si eos recipit, tenetur restituere. Secu si per eum non stat, vt absoluatur. Ita Nau. *cap. 25. numer* 124. Instruct. *2. p. qu. 97.* Dum vero in culpa est non absoluendi, etiam si non aliunde habeat, vnde viuat, nec etiam ad congruam sustentationem potest percipere fructus quamquam emendicare cogatur, atque eos si recipiat, tenetur restituere. Ita Cou. citatus à Tolet. *lib. 2. de rest cap. 2. num. 136.* & probat ex multis glossis. Probatur de incep ratione, quia qui contumax est, indignum se facit omni benignitate. Oppositum docuit Nau. *proxime citat* sed immerito. Idem de suspenso, atque deposito Doctores communiter asserunt, cum censura orta est ex culpa.

18 QVÆST. *Quid dicis de eo, qui non obtenta pro ætat dispensatione ante vigesimum quintum annum inceptum beneficium curatum accepit?* RESP. Collatio est ipso iure, & facto nulla, *ca. Cum in iunctis §. inferiora, de elect.* Ita notauit Nau. *cit. n.116.* & ideo perceptos fructus tenetur restituere.

19 QVÆST

19 QVÆST. *Quid cenſes de publico concubinario?* RESP. Publicus peccator fructus beneficij facit. Ita Nauar. *cap. 25. num. 123.* Roſella *verb. Clerici*, Sylu. *clericus. 4 quæſt. 24.* Probatur, quia id non prohibetur in iure, & ipſe deſeruit Eccleſiæ.

20 QVÆST. *Quid dicendum putas de ſimoniaco?* RESP. Simoniacus non facit fructus, & ideo eos tenetur reſtituere, *cap. De hoc. de ſimonia, in decreto.* D. Thom. 2. 2. *quæ. 100. art. 6. ad 4.* Nau. *ſup. num* 15. Talis vero reſtitutio Eccleſiæ facienda eſt, aut pauperibus illius, quoad fieri poſſit.

De Decimarum reſtitutione. §. 3.

1 *Quo iure debentur decimæ.*

1 QVAESTIO, *Quoniam egimus de beneficiorum reſtitutione, ratione decimarum ex parte beneficiatorum: non erit abs re ſtatim agere de decimarum reſtitutione ex parte eorum, qui eas ſoluunt. Quæro igitur, quo iure debeatur decimæ?* RESP. Decimæ quo ad congruam miniſtrorum ſuſtentationem debentur iure naturali. Ita nos docuit Chriſtus Dominus. Luc. 10. *Dignus eſt operarius mercede ſua.* Quo ad quotam, hoc eſt, quo ad quantam partem, debentur iure Eccleſiaſtico. Quod quidem ius non vnum pro omnibus regionibus determinatum eſt, ſed variat pro regionum conſuetudine. De fide tamen eſt eas Eccleſiæ deberi, vt decreuit Concil. Trident. *ſeſſ. 8.* Vbi Wiclephus contrarium aſſerens, hæreſis damnatur. Hinc colliges nulla cõtraria conſuetudine decimas tolli poſſe, quo ad congruam miniſtrorum ſuſtentationem. Quæ licet in aliquibus regionibus non ſoluantur, vt fertur de aliquibus Italiæ locis, id fit ex libera Eccleſiæ condonatione aliunde ſe alentis, quemadmodum Paul. 2. *Corinth.* de cimas ſibi debitas condonabat. Quamobrem ſi ad hanc congruam miniſtrorum ſuſtentationem aliquot oblationes ex conſuetudine offerri ſolent, ad eas offerendas cogi populus poteſt Prælati auctoritate, quia peccat mortaliter illas non offerendo. Ita *cap. ad Apoſt. de ſimonia.* Nec excuſantur parochiani à decimis ſoluendis ex eo, quod parochus aliunde habeat vnde decenter viuat,

viuat, hoc est, ex bonis patrimonialibus; vt notauit S. 6. *iust. qu.* 3. *ar.* 1. & Cou. sup. & clarè colligitur ex 1. Cor. 9. quoniam beneficium debetur ratione officij, & iust. est, *vt qui altari seruit, de altari viuat.* Sed hac de relat. ad quintum Ecclesiæ præceptum.

CAPVT XIV.

De restitutione circa bona corporis. §. 1.

De restitutione Homicidij.

1 *Qui ratione homicidij tenentur restituere.*
2 *De falso teste in causa mortis.*
3 *De homicidio, cuius crimen alteri imputatur, & id occiditur.*
4 *Quando dicitur quis fuisse ex malitia causa fa. existimationis erga alium habitæ.*
5 *An causa falsæ existimationis sit, qui occidit hom. nem, in quem alius minas iecit.*
6 *De occisore, qui non seruauit moderamen inculp. tutelæ.*
7 *Quantum tenetur talis restituere.*
8 *De occisore, qui fuga posset occisionem euitare.*
9 *Qui tenetur fugere aggressorem.*
10 *Quo iure ecclesiasticæ personæ tenentur fugere.*
11 *De occisore in duello,*
12 *De occisore, pro recuperandis bonis temporalibus.*
13 *De tali occisore, cum res ablata recuperari po. in iudicio.*
14 *De occisore inuasoris suæ castitatis.*
15 *De occisore inuasoris pro liberando innocente.*
16 *De occisore iam damnato à iudice.*
17 *Quantum pro homicidio, & mutilatione restitu. dum.* 18 Qu

18 *Quomodo restitutio facienda pro homicidio.*
19 *An deficiente pecunia, teneatur homicidium restituere per orationem Deo fusam.*
20 *Quibus facienda est restitutio homicidij.*
21 *An pro iniuria restituendum parentibus occisi, vel mutilati.*
22 *De occisore inuincibiliter ignorante.*
23 *De ebrio occisore.*

1 QVAESTIO. *Quoniam inter bona corporis præcipuum est, bonum vitæ, pellem enim pro pelle dabit homo pro anima sua: Ita inter damna præcipuum est homicidium, & ideo de eo prius disseremus. Quæro igitur, qui ad homicidij restitutionem tenentur?* RESP. Responderem simul, sed quia perpes oratio solet fastidium parere, obnixè à te peto, vt de singulis, singulas proponas dubitationes.

2 QVÆST. *Quam restituendi obligationem habet falsus testis, ob cuius testimonium innocens ad mortem in carcere detinetur?* RESP. In primis tenetur meliori via impedire damnum. Si absque retractione è loco tuto illud impedire potest, non tenetur se prodere. Si non potest, & retractatio sola liberabit innocentem, tenetur cum quouis damno pecuniæ, aut famæ testimonium retractare. Si ex retractatione pœna afficietur talionis, & pro innocente occidetur, adhuc se retractare ex communi sententia obligatur. Ita Sot. *9 iust. qu.* 6. *ar.* 3 Cordub. *lib.* 1. *qu.* 31. *art.* 3. & *in sum. qu.* 17. Med. Cord. *de rest. qu* 3. *caus.* 4. *ad* 4. Cou. *regul. pec.* 1. *p. num.* 6. Nau. *ca.* 15. *nu.* 17. Tolet. *lib* 2. *ca.* 3. *nu.* 22. Et probatur, quia licet vnusquisque propriæ magis, quam alienæ vitæ consulere debeat, id debet, cùm non in causa est alteri amittendæ vitæ. Nam eadem proportio apparet inter vitam, & vitam, atque inter facultates, & facultates, famam, & famam, sed si quis causa est damni facultatum, aut proximi famæ, tenetur cum amissione propriæ famæ, & facultatum damnum resarcire, ergo &cæt. Hæc communis sententia intelligenda est de teste, qui ex malitia testimonium tulit, non vero ex ignorantia, vel inaduertentia leui, vt rectè notauit Caiet. 2. 2. *qu.* 70. *art.* 4.

3 QVAEST.

3 QVÆST. *Ad quid tenetur homicida, cuius crimen ali imputatur, & ob id occiditur?* RESP. Si causa non fuit malitia iniustæ, & falsæ imputationis, non tenetur damna innocentis personalia, tenetur tamen ad dam restituenda ex sententia iudicis hæredibus occisi. tio est, quia ex natura rei tenebatur illa damna hære bus restituere. Hoc inquam, intelligo, quando fuit iustus occisor, alioqui ad nihil tenetur.

4 QVAEST. *Quando censebitur quis fuisse causa, ex ma tia falsæ existimationis:* RESP. Cum aduertit ex adiun circumstantijs homicidium alteri imputandum, vt c se induit illius vestibus, vel armis, aut aliquid egit iuste, vnde probabiliter credebat futuram imput onem.

5 QVAEST. *Censeturne causa falsæ imputationis ille, sciens innocentem minitatum fuisse mortem alicui, & pr eas minas homicidium nocte patratum illi imputandum, nihilominus occidit?* RESP. Si eo animo occidit, vt d num inferret, res est certa, & vt causa damni ten illud resarcire. Ita Pedraca quem refert Eman. *capit sum. concl. 7.* cum communi. Si tamen non eo animo, temporis occasione & maiori opportunitate occide motus: negat Pedraca, & instruct. quos citat Eman tamen trepide loquitur. Verumtamen mihi videtur iam tunc teneri ad damnum, vt causa illius. Ita T *lib. 2 cap 1. num. 79.* quia illa præuisio fuit voluntaria, tem interpretatiue, & virtualiter damni intentio; satis est ad restitutionis obligationem.

6 QVÆST. *Qui inuasorem occidit excedendo moder inculpatæ tutelæ, teneturne ad restitutionem homicidij?* R Quando moderaminis excessus, fuit mortale pecca tenetur.

7 QVAEST. *Quantum tenetur restituere, qui ita m liter excessit moderamen?* RESP Nau. *cap. 15. num. 26.* r tantum, quantum, qui vt aggressor occideret, dedit pera. Dicendum tamen est cum Sylu *rest. 2. quæst. 2.* restitutionem esse culpæ æquiparandam, ac proinde ta confessarij arbitrium pro maiori, minorive culpa ponendam restitutionem. Doctissimus Peres dupl norem censuit esse imponendam, illa, quæ imponit

qui dedita opera occidit, quia duplo minor culpa.

8 QVAEST. *Qui inuasorem occidit cum posset fugere, quid tenetur restituere?* RESP. Certum censeo cum Sot. *5. inst. qu. 1. art. 8.* Nau. *cap. 17. num. 14.* posse quemuis sui inuasorem occidere, vt etiam pro defendenda sua re familiari. Dico igitur: Qui in fuga amitteret honorem, non tenetur fugere; & ideo si aliter honorem tueri non potest, quam occidendo, licet occidit, & nihil tenetur occiso aggressori restituere. Hæc est communis doctrina in scholis. Aduertit tamen egregiè Sylu. *rest. 3. quæst. 2. dict. 2.* nisi talis dedisset iniustam rixæ occasionem: tunc enim tenetur fugere, & si non fugiendo occidat, tenetur damnum restituere.

9 QVÆST. *Qui tenentur fugere aggressorem?* RESP. Clerici, & religiosi. Ratio est, quia imitationem Christi, & ex consequenti illius humilitatem profitentur, ac proinde non vertitur eis dedecori, fugam capescere, & rixam omittere, vt aggressor seruetur indemnis.

10 QVÆST. *Ex quo iure tenentur fugere?* RESP. Ex sola charitate. Et ideo si inuasorem occidant, nullam debent restitutionem.

11 QVÆST. *Teneturne ad damnum, qui prouocatus occidit alium in duello?* RESP. Minime, quia volenti, & consentienti, nulla fit injuria: & ideo si ambo æquè se prouocent, neuter alteri tenetur: nam fit quasi implicitum pactum, quo sibi inuicem remittunt.

12 QVÆST. *Ad quid tenetur occisor alterius pro defendendis bonis temporalibus?* RESP. Pro defendendis bonis temporalibus, licet inuasorem occidere, & ideo occisor ad nullam tenetur restitutionem. Hæc est communis doctrina, quam refert Sot. *loco citato.* Hoc intelligo, si adsint debitæ circumstantiæ, quas numerat Suar. *tomo de censuris disp. 46. sect. 2. Prima* vt defensio sit moderata, & pura. *Secunda*, vt aliter quam occidendo damnum impediri, aut recuperari nequeat. *Tertia*, vt illud rei familiaris nocumentum graue sit. *Quarta*, vt realiter, & iniuste inferatur. Quæ doctrina adeo vera est, vt liceat raptorem insequi, & sagitta transfigere, si aliter res ablata recuperari non possit, vt notat Sot. *5. inst. quæst. 1. art. 8.* Tolet. *lib. 2. cap. 3. num. 409.* Contra Couar. *in Clement. Si furiosus*, &

D.Ant.3.*part.tit.4.ca.3.* Secus tamen, si fur iam domi e
set quietus, vel ad alia negotia diuertisset.

13 QVÆST. *Quid censes, cum res ablata per iudicem rec*
perari posset? RESP. Res est summopere controuersa. Ne
gantem partem tenuit Tolet. *lib.2.ca.3.nu.43.* Bartholo
in Clement. Si furiosus ff. de sicarij, Sylu. *excommunicatio 6*
notabili 4. Affirmantem partem tenuit Caiet. *2.2. qu.64*
art.7. cum alijs. Mihi quidem cum distinctione loquen
dum videtur. Dico igitur, cum facilis erit recuperatio
per iudicem, illicitum est raptorē occidere. Ita Sot. *5. in*
qu.1. art.8. cum plurimis Theologis, & Iuristis, quos re
fert. Illicitum inquam contra charitatem, quæ iubet leue
damnum pati, pro euitando maiori, aut saltem maximo
proximi: sed leue damnum est, breui tempore carere
rebus suis, maximum vero malum vitæ orbitas: ergo ex
charitate tenetur quis carere breui spatio suis rebus, ne
deuitet alterius occisionem. Illicitum etiam est contra
iustitiam, quia nemini ex officio licet inferre grauissimum
damnum proximo, pro euitando leui suo, alioqui pro nu
ncio liceret raptorem occidere. Dico secundum. Cum
difficillima speraretur ablatarum rerum recuperatio per
iudicem, tunc si aliter, quam occidendo, non posset qui
sua comparare, liceret occidere furem. Hęc manifestata
ex dictis.

14 QVAEST. *Quid cẽses de occidente inuasorem suæ castitatis?*
RESP. Non peccat contra iustitiam, nec etiam contra
charitatem, qui pro tuenda castitate, cum aliter se defen
dere nequit, turpem aggressorem occidit. Ita communis
opinio cum Caietan. *2.2. quæst 64. art.7.* Tolet *lib 2. cap*
3. num.393. Quod etiam verum est cum continens spe
rat se diuina gratia adiutum minime delectationi con
sensurum.

15 QVÆST. *Qui non vitam, aut propria bona, sed inno*
centis vitam, aut bona defendendo, inuasorem occidit, cuius
notur restitutioni? RESP. Nulli. Ita decernitur *cap. Dile*
cto filio de sentent. excommun. in 6. per hæc verba, *Licet*
cuilibet suo vicino, & proximo pro repellenda iniuria suam
impertire auxilium.

16 QVÆST. *Ad quam restitutionem tenetur occisor, aut*
mutilator punitus iam à iudice? RESP. Ad damna ex homi
cidio

cidio subsequuta. Ita Nau. *cap. 25. num. 25.* Gom. *tomo 3. resol. cap. 3. nu. 37.* Couar. 2. *resol. ca. 10. nu.* Instruct. 2. *par. cap. 27.* cum alijs. Ratio est, quia iudicialis punitio datur ad satisfaciendum iustitiæ vindicatiuæ, quo ad bonum commune: damnificator vero tenetur ex iustitia cõmutatiua iure naturali ad satisfaciendum parti quo ad bonum particulare: ergo adhuc illa obligatio restat: hæc autem non tollitur per legalem punitionem, nisi pars læsa contenta sit, vt nobiles viri cõtenti esse solent. Hinc colliges hæredes damnati per iudicem ad restitutionem damnorum teneri, quæ ex damnationis crimine nata sunt, vt notat Nau. *sup.* sicut ad alia debita. Imo & fiscus, cum criminosi bona confiscantur. *L. Non possum. L. in sum. ff. de iure fisci.* Notat tamen Arag. 2. 2. *qu. 62. art. 2.* hoc intelligendum esse, quando bona damnati peruenerunt ad hæredes non successione hæreditaria, sed libera legatione.

17 QVÆST. *Quæ restitutio facienda est pro homicidio, vel mutilatione?* RESP. In primis facienda est restitutio damnatorum omnium realium, ex eo subsequutorum *cap. finali, de iniur. & damno dato.* Inter damna enumero in primis expensas curationis, victus, seruitij. Deducito tamen inde sumptus, quos sanus faceret, vt notat Palud. *in 4. dist. 25. art. 2.* Sot. Sylu. & alij *supra* citati. Enumero deinde deformitatem, si ob eam nubere nequit, nisi cum maiori, aut minori dote data vel accepta: excessus enim restituẽdus, vt post alios notauit Arago. *citato loco.* Enumero præterea lucra cessantia, cum ob mutilationem non potest artifex suum munus exercere, vt notarunt Maior, *in 4. d. 25. quæst. 29.* Cuius sententia in eo mihi non placet quod dicat minuendum esse pretium laboris, quia otiosus est. Enimuero ille paratus est laborare, & iniuste prohibetur laborare, vt bene refellunt Sot. Cou. & Tolet. citati. Merito quidem etiam inter damna adnumerat Scot. *supra* desolationem, & afflictionem mutilati. Enumera deniq; commendas, teneas, lucra scientiæ, scilicet medicinæ, legum & aliarum: quidquid enim in his iniuste fuit impeditum, restituendum est. Deniq; controuersa est, an pro vita, vel membro ipso absolute teneatur occisor, aut mutilator aliquid restituere. Negat Nau. *cap. 25. num 22.*

multarum, vt ait, legum argumento. Tolet *lib.1. cap num.* 80. Pars tamen affirmans omnino asserenda cu D. Thom. 2.2. *quæst.* 62. *art.* 2. *ad primum.* Scot. *in 4. dist. quæst.* 3. Caietan. *verb. restitutio cap.* 2. Couar. 2. *resol. cap. num.* 7. Sylu. Arago & alij communiter, cum quibus decernitur *L. Lusitana lib.5. Ordin. tit.* 35. §. 7. determin quantitatem pœnæ. Probatur aperte, quia damnum p sonale est multo maioris æstimationis quã reale. Q si dicas non esse vitam pretio æstimabilem, absurd dico cum Mercato, si ex eo, quod quis restituere nequ quantum debet, non teneatur restituere, quantum p test. Quare merito D. Thom. 2.2. *quæst.* 62. *art.* 2. inqu *Quando ad æquale non potest restitutio fieri, facienda est æquiualens, quoad possibile est.* Si quæ verò leges Cæsare contrarium decernere videantur, intelliguntur de æqu lij pretio, quod nullatenus reddi potest, nec debet.

18 QVÆST. *Quomodo restitutio facienda pro homicidi* RESP. De restitutione damnorum realium res est ma festa, facienda enim est per res pretio æstimabiles, pec niam scilicet, & alia. Restitutio damni personalis faci da est occiso per eleemosynas, orationes, & Ecclesiæ crificia, quæ proderunt defuncti animæ. Restitutio p damno personali mutilationis faciẽda est per pecuniam vel rem aliam ipsi mutilato iucundam.

19 QVÆST. *Quid si non habeo expensas ad sacrificia, el mosynas & aliorum, teneor ne ex iustitia satisfacere per me proprias orationes?* RESP. Teneor quidem. Ita inuenio a Scot. *in 4. dist. 15. quæst. 3.* Gab. Adrian. & alios: præsertim cum causa fui, vt ille damnificaretur in spiritualibus, n mirum ne maiori cum salutis cura moreretur. Quæ dam na spiritualia, spiritualibus bonis sunt compensanda. hæc ratio mouit Tolet. *lib. 4. cap 2. num. 49.* ad hoc ass rendum; ita inquiens: *si verisimile erat, quod ille viuens p suis peccatis satisfaceret, in meliorique statu discessisset, qua mea iniqua occisione discessit, teneor lege iustitiæ illum iuua orationibus, & satisfactionibus meis, &c.* Probatur ve ro in totum, quia ea sola via possum restituere; ergo teneor.

20 QVÆST. *Quibus facienda est restitutio homicidij* RESP. Restitutio damni personalis, facienda est ipsi per sona

ſonæ læſæ, neque tranſit ad hæredes iure hæreditatis, vt probat Ledeſm. 2. 4. *quæſt.* 18. *art.* 5. Probatur, quia reſtitutio boni, quod non tranſit ad hæredes, ad ipſos etiam non tranſit, ſed vita, & membra non ſuccedunt hæredibus iure hæreditario; ergo, &c. Confirmatur à ſimili, quia ſicut vota perſonalia, & alia onera, non tranſeunt ad hæredes, ita neque honores. Tranſiret vero ſi iam de pretio, vel eſſet lata ſententia, vel deductum pactum: tunc enim ſuccedit, vt bona alia realia, inter quæ iam numeratur illud pretium.

21 QVÆST. *Fitne in homicidio, aut mutilatione ea etiam iniuria parentibus, vt debeatur illis ſatisfactio?* RESP. Ledeſ. *ſup.* anceps hæret: pars tamen affirmans videtur probabilior, & certa. Ratio eſſe poteſt, quia homo non eſt ſolum bonus ſibi, ſed parentibus, vxori, & filijs, ac illis aptus natus: ſed huiuſmodi bono orbantur iniuſte ab homicida? ergo ab illo accepturi ſunt ſatisfactionem: hæc autem non fit per ſatisfactionem iniuriæ perſonalis ipſi occiſo, aut mutilato exhibitæ, ergo alia adhibenda. Ita colligitur ex Sot. 5. *iuſt. quæſt.* 6. *art.* 3. & Aragon. citatis.

22 QVÆST. *Qui inuincibiliter ignorans alium occidit, circa quem ita odio affectus erat, vt ſi eum agnoſceret, libentius occidiſſet, tenetur ne quidquam reſtituere?* RESP. Minime: Ita Nauar. *lib.* 2. *reſt. cap.* 1. *num.* 60. quem citat, & ſequitur Roder. *cap.* 138. *num.* 5. Ratio eſt, quia ignorantia concomitans (ſic eam appellant Theologi) non fuit cauſa dáni, ſed ignorantia inuincibilis: ex ignorantia vero inuincibili, non oritur obligatio reſtituendi.

23 QVÆST. *Qui ebrius alium occidit, aut mutilauit, ad quid tenetur?* RESP. Si experimento iam compererat ſe vino madentem ſimilia damna committere, & voluntarie ſe inebriauit, ad reſarcienda damna obligatur: non tenetur vero, ſi id non expertus erat. Ita Caſtro. *lib.* 2. *de Pœnali cap.* 14. *conc.* 1. Nauar. *lib.* 8. *ca.* 1. *num.* 71.

De reſtitutione adulterij. §. 2.

1 *Quæ reſtitutio debetur ratione occulti adulterij.*

2 *De reſtitutione pro filio adulterino.*

3 *Quomodo ſe gerere debet adultera cum filio adulterino.*

4 *An teneatur filius adulterinus credere matri.*

1 QVÆSTIO. *Quæ restitutio debetur ratione occulti adu*
rij, ex quo nec proles, nec infamia sequuta sunt? RES
In praxi nulla quidem (quanquam secundum
iniuria sit grauissima) Ratio est, quia nullus, licet abiect
simus homuncio, fieri sibi patitur talem restitutionem
Ita Doctores communiter cum Medin. *inst. confes. lib.*
Arago, 2 2. *qu.* 62. *art.* 6 Rod. *cap.* 204.

2 QVÆST. *Quid restituere tenentur adulteri, quando f*
lius adulterinus putatiuo patri alendus supponitur pro s
RESP. Si adulteri certi sunt de filio ex adulterio, vterq
tenetur ad expensas educationis. Ita D. Anton. Sylu.
Nau. *cap* 16. *num.* 49. & dicit esse communem. Ad eas
tenentur, cum ab illis exponitur pro foribus hospitali
alendus inter pauperes, nisi ipsi pauperes sint. Ratio
quia licet illi ad euitandam infamiam possint filium e
ponere, tenentur tamen, si diuites sint, illum alere: n
quanquam hospitale domicilium ad diuites sit subter
gium, ad solos pauperes est domicilium, & ideo v
domo sua ibi pauperes aluntur, diuites vero tantumm
do charitatis amplexu recipiuntur. Dixi, si certi sunt, q
si dubitant, ad nil tenentur: in dubio enim melior
conditio possidentis. Ita Sylu. *verb. adult. quæst.* 5. Tolet
Aragon. citat.

3 QVÆST. *Quid facere tenetur adultera, ne adulterin*
filius cum alijs putatiui patris hæreditatem capiat? RES
Dico *primo*. Cum periculo vitæ adulterium manifest
non tenetur, quanquam sciat suam manifestation
profuturam, quia illi credent, & filius, & maritus. Ita
nocent. Host. Panorm. *ad cap. Officij, de pœn. & rem*
Nauarr. *cap.* 16. *numer* 44. Syl. *aduiter.* §. 2. Medin Cord
lib. 1. *quæst* 31. & omnes *in sequenti conclusione*, citandi. R
tio est, quia nemo tenetur cum vitæ periculo corpora
fortunæ bona restituere. Imo, vt notat Aragon. in cita
euentu maritus, & filius ex charitate tenentur illi bon
condonare pro seruanda vita. Dico *secundo*. Cum infam
publica non tenetur adultera detegere adulterium, fi
lius legitimus hæreditate defraudandus etiam ipsius
dulteræ filius est. Est omnium quos citaui, & expressiu
Cord

Cordub. *lib.* 1. *queſt.* 31. Probatur, quia filius legitimus eſt in hoc euentu irrationabiliter inuitus, cum neſciat ſuo honori conſulere, quem ſatis curat mater, adulterium tegendo. Et in hoc ſenſu intelligendi ſunt, Scot. *in* 4. *diſt.* 15. *qu.* 2. D. Anto. 2. *p. tit.* 10. *ca.* 8. §. 1. Caiet. *verb. adult.* Med. de *reſt. qu.* 3. *caſu* 4 Nauar. & alij, cum abſolutè affirmant nõ teneri matrem cum infamia detegere occultum crimen. Dico *tertio.* Cum periculo infamiæ tenetur adultera detegere adulterium, quando filius defraudandus, ſolus eſt legitimus patris ex alia matre, & hæreditas eſt multum pinguis, pretioſiorque quam ipſius adulteræ fama. Ita Sot. *in* 4. *d.* 15 *qu.* 17. & à fortiori Adria. *qu.* 1 *de reſt.* Maior. *diſt.* 15. cum abſolute affirmant teneri. Ratio eſt, quia licet fama ex natura ſua nobiliſſimũ ſit omniũ externorũ bonorum, vt aurum pretioſiſſimum omnium metallorum: Tam leuis tamen in ſingulari eſſe poterit, vt alijs bonis poſſit longe ſuperari quemadmodum parua quantitas auri magna argenti, æriſve copia. Dico *quarto.* Quãdo ob periculum vitæ, aut famæ adultera non tenetur adulterium detegere, tenetur vijs omnibus procurare, pe filij legitimi hæreditate defraudentur, & ideo ex bonis paraphernalibus iacturam recompenſare: filium ſecreto admonere, ſi ſperet monitionem profuturam: aut ad religionis ingreſſum commouere. Ita Cardi. Tolet. *lib.* 5. *ca.* 11. *nu.* 5. Dico *quinto.* Hæc intelligenda ſunt de adulrera ex malitia: nam quæ per vim, aut fraudem, aut metum adultero conſenſit, ad nihil horum tenetur, quia nullam iniuſtitiam contra filium, maritumve commiſit: non enim cum periculo vitæ aut infamiæ tenetur eorum indemnitati conſulere.

4 QVA EST. *Teneturne filius adulterinus, credere matri ita affirmanti?* RESP. In primis in foro exteriori pro legitimo iudicandus eſt, vt probat Panormitan. *cap. per tuas, de probation.* Dico deinde, Si tales adſint rationes, & indicia, vt moralem certitudinem inducant, tenetur filius matri fidem adhibere, vt ſi illa tempus computet abſentiæ coniugis, ſitque timoratæ conſcientiæ fœmina. Ac proinde tenetur filius bonis hæreditatis cedere. Ita communiter Doctores.

De restitutione stupri. §. 3.

1 *Quis stuprator tenetur ad restitutionem.*
2 *Quis stuprator non tenetur ad restitutionem.*
3 *De stupratore importuno.*
4 *De stupratore fictè promittente fœminæ futurum matrimonium.*
5 *De indicijs, ex quibus colligitur virginem vere fuisse deceptam, & inuoluntariam.*
6 *De stupratore ita subdole promittente, vt quamuis inæqualis esset, crederetur à virgine vere loqui & ex animo.*
7 *De stupratore inæqualis conditionis, qui à fœmina imprudenter inæqualitatis insciа putatur, ex animo loqui, cum fictè tamen loquatur.*
8 *Vnde excusatur stuprator fictè matrimonium promittens, & virginem decipiens.*
9 *De stupratore nobili vere pauperi virgini, & insciæ matrimonium promittente.*
10 *De stupratore violento.*
11 *De stupratore violento erga virginem, quæ aliter nupsit, ac si non esset violata.*
12. *De stupratore, qui sub promissione matrimonij stuprum obtinuit, & alteri fœminæ nupsit.*
13 *Quæ restitutio facienda parentibus, seu custodibus virginis violatæ.*

1 QVAESTIO. *Quis stuprator tenetur ad restitutionem?* RESP. In primis qui per vim, dolum, aut fraudem, falsis persuasionibus puellam violauit. Conclusio est certa, & ab omnibus asserta, & manifesta. Itaque tenetur, aut illam ducere, aut dotare, vt possit alteri nubere, ita honeste, ac si esset virgo. Ita habetur *cap. si seduxerit. Extr. de adulter & c. Peruenit eodem tit.*

Secundo. Ad restitutionem tenetur, qui per nimias & in-

& importunas preces stuprum obtinuit. Nimias vero, & importunas preces hic intelligo preces æqualis viri ad æqualem fœminam instantissimas, & sæpius repetitas, & inculcatas, similes ijs, quas habuit Dalila ad Samsonem. *Iudic.* 16. Sicuti eleganter describit diuinus Auctor, *Cumque molesta esset ei, & per multos dies iugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens; &c.* Scio rem esse valde dubiam inter Auctores, contrariumque sentire Toletanum *lib. 2. cap. 3. nu. 444.* Salzedo in pract. *cap. 83.* Bannes 2.2 *quæst. 62. ar. 2. dub. 7.* Sanches *disput. 10. nu. 5.* Quod probat, quia hæ nimiæ, & importunæ preces non videntur inuoluntarium constituere, quas supercilio contracto fœmina à se possit retundere. Nihilominus nobiscum consentiunt Nau. *cap. 16. num. 17.* Cordub. *lib. 1 qu. 1. 3.* Med. in sum. *cap. 14.* & alij multi. Probatque Card. Tolet. *lib. 5. cap. 11. num. 1. ex cap. Si seduxerit. Ext. & c. Peruenit de adult.* Itaque quoties fœmina consentit, vt præcise importunitatem, molestiamque subterfugiat, voluntatique stuprato-ris acquiescat, inuoluntaria consentit, & tacite ad resarciendum damnum stupratorem obligat, quia non libere donat, sed sub restituendi obligatione permittit auferri, vt cum quis à famulo peteret rem domini importune, & ille importunitatis molestia euictus sineret rem auferri, finit enim cum restituendi onere, quia non donat. *Tertio*, Tenetur ad restitutionem dominus, qui per preces à puella, quæ illi reuerentiam debet, consensum extorquet. Ratio est, quia hæ preces saltem æquiparantur metui reuerentiali, & leui iniuste illato, extorta vero per talem metum restituenda esse in foro conscientiæ, docent Nau. *capit. 17. numer. 5.* Cou. *reg. pec. 2. p. §. 3. numer 7.* Mol. *tom. 2. iust. tract. 2. disputation. 267.* Sylu. *verb metus. & alij permulti.* Tenetur *denique* princeps, qui precibus solet minas adhibere, & non consentientibus acerbe sæuire, si per tales preces stuprum obtinuit. Hæc à nemine negatur, quia vt notat, Sanches. *tom. 1. dispution. 7 numer. 5.* hæ preces æquiualent metui cadenti in virum constantem.

2 QVAEST. *Qui stuprator non tenetur ad restitutionem?* RESP. Ille, cui puella libere consensit. Ita communiter Doctores D. Anton. 2 *p. tit. 5. §. 1.* Cord. *lib. 1 quæst. 13.* Nau.

cap. 2. & num. 16. Tolet. *lib. 2. quæst. 3. num* 435. Syl. Sot. alij cum Toleto *lib. 5. cap. 11. nu. 2.* Probatur, quia volenti & consentienti nulla fit iniuria. Liberum vero consensum non tollunt aliquæ preces, & blanditiæ: nulla enim tam perfrictæ frontis puella est, etiam vitiata quæ non roganti prius expectet, & blanditijs comparari. In foro tamen externo grauissimis pœnis afficitur talis stuprator, non solum per ius commune, sed etiam per leges Lusitanas quas videre est *lib. 5. Ord. tit. 23.*

3 QVAEST. *Ad quam restitutionem tenetur stuprator importunus?* RESP. In foro conscientiæ non tenetur puellam ducere, sed satis erit iniuriam refatcire & damnum subsequutum, iuxta prudentis arbitrium. In foro vero externo ex rigore iustitiæ satis est eam dotare ea dote, vt adipiscatur virum, qualem haberet virgo. Addit vero Nauar. *sub num 17.* restituendum etiam aliquid esse, pro verecundia, quam omni vita passura est.

4 QVÆST. *Ad quam restitutionem tenetur importunus stuprator ficte promittens, & illudens spe matrimonij futuri?* RESP. Dico regulariter loquendo, teneri ad matrimonium contrahendum, nec aliter satisfacere. Ita D. Thom. *in 4. dist. 24. qu. vnica.* Richard. ibid. *art. 1. quæst 3.* D. Ant. *2. p tit. 5. cap. 6.* Nau. *cap. 16 numer. 180.* Cord. *lib. 1. quæst. 3. in sum. qua. 50.* Henriq. *lib. 11. de matrimon. cap. 11.* Instruct. *1. p. cap. 76.* Angl. *verb stup.* Sylu. *verbo luxuria*, & multi plures, quos citat, & sequitur Sanches *qua. 1. disp. 10.* Tolet. *lib. 5. cap. 11. numer. 2.* Probatur, quia in omni contractu, in quo intercedit, do, vt des, si ex vna parte impletur, ex alia in eodem genere implendus est iure iustitiæ, sed ita se res habet in nostro casu; ergo &c. Dixi, ex natura rei loquendo, quia fieri potest, vt ex matrimonio sequantur grauia damna: tunc enim sufficit dotare, vt docet Nauar. *cap 16. num. 18.* & Tolet. *lib. 5. cap. 11. num. 3.* Nisi ipsa puella intelligat deceptorem ficte loqui, & velle eam decipere, & ex consequenti pati se ipsam decipi, quapropter sibi imputet deceptionem; tunc enim non tenetur deceptor eam ducere.

5 QVÆST. *Ex quibus circumstantijs colligitur puellam intelligere se decepi, & deceptorem ficte loqui?* RESP. Cum conscia erat inæqualitatis inter eos circa gentilitiam nobili-

tatem,

tatem, vel diuitias; vt cum vir nobilis promittit sordidæ, & abiectæ fœminæ: aut vir diues bene numatus pauperculæ, sicuti adnotarunt Sylu. & Nauar. citati D. Ant. 2. *p. tit.* 2 *ca.* 1. § 1. & Tolet. *lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 3.

9 QVAEST. *Quid censes, quando puella ignorabat inæqualitate, & stuprator ita ficte promisit, vt ab illa, etiã conscia inæqualitatis, crederetur vere, & ex animo loqui* RESP. Probabilius est non teneri ad matrimonium contrahendum, sed tantum ad comperentem dotem resarciendam. Ita Sanch. *disp.* 10 *qua.* 3. Probatur, quia ille, cum esset inæqualis, non tenebatur ex iustitia habere consensum ad reddendum plus, quam æquale, quanquam puellam deceperit, quæ forte non acciperet illud æquale, si conscia esset fictionis, oppositum scio asseruisse Roder. *cap.* 26. *nu.* 8. cum sua probabilitate.

7 QVAEST. *Teneturne ad aliquam restitutionem stuprator faciendam fœminæ, quo ad imprudentiam, & incogitantiam existimauit, stupratorem inæqualiter nobilem minime illam decipere dum matrimonium promisit:* RESP. Tenetur, quia re vera, puella fuit hallucinata, licet ex imprudentia, ergo à deceptore conseruanda est indemnis. Vt si quis fictis minis puellam paruæ audaciæ deciperet ad consensum, quem non extorqueret à forti fœmina, tenetur restituere damnum, nec illi patrocinatur aliena timiditas, ergo nec in nostro casu aliena incogitantia & imprudentia, siquidem ad eam ipse dedit sufficientem causam. Ita Nauar *cap.* 27 *numer.* 76. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 3 *num.* 442. Sot. *in* 4. *dist.* 27 *qua.* 1. *arti* 3. Cordub. *lib.* 1. *qua.* 13. *vera Crux* 3. *p.* Spec. *art.* 19. Ledesm. 2. 4. *quæst.* 18. *arti.* 2. Petr. Ledesm. *de matrim. dub.* 19. Bartholomæus Ledesm *de matrimonio quæst.* 45. *art.* 4. Oppositum scio tenuisse Sanches *citato loco*, quod affirmare contendit id asseruisse multos alios, quos refert. Sed illius sententia tantummodo asserenda est, cum manifeste ex circumstantijs colligitur puellam fuisse voluntarie, & permissiue, palliataque ignorantia ad excusationem habendam in peccatis, ficta stupratoris promissione deceptam.

8 QVAEST. *Ex quibus causis excusabitur ficte promissor, & puellæ deceptor à matrimonio contrahendo?* RESP. In primis, si probabiliter creditur coniugium difficiles exitus habitu-

habiturum. Ita notauit Henriq. *lib.* 1. *de matrimonio, c.* 11. Sanch. *disp.* 10. *quæst* 1. Emman. *cap.* 206. *num.* 8. Deinde si ex tali coniugio scandalum graue sequatur. Ita aduert D. Anton. 2 *par. tit.* 1. *cap.* 6. Sylu. *luxuria qu.* 3. Nau. *cap.* 11 *num* 18. qui id affirmat etiam cum vera fuit promissio.

QVÆST. *Promisit vero animo vir nobilis puellæ ignobili, aut diues pauperi, se illi nupturum, & ea spe fœmina stuproconsentientem reddidit, ad quid tenetur?* RESP. Tenetur eam ducere. Probatur, quia ille potest, & libere voluit se abijcere, & suas pecunias communicare, impleta stupri conditione, ergo obligatio fuit libera, & valida. Quæ veritas adeo certa est, vt etiam eam teneant in simplici promissione sponsaliorum. Cord *lib.* 1. *quæ.* 13. Spec. *par.* 19 Mol. *tom.* 2. *iust. disp.* 7. Sanch. *lib.* 1. *disp.* 14. Et quia quam promissio re vera prodiga fuit, tamen accepta, obligat ad sui impletionem ex iustitia, præsertim in casu matrimoniali, iuxta Ecclesiæ praxim illam implere cogentis, vt recte Mol *proxime* adnotauit.

10 QVÆST. *Qui per vim puellam violauit, si paratus matrimonium contrahere, teneterne ad maiorem restitutionem, renuente puella coniugium?* RESP. In re vna omnes conueniunt circa propositam dubitationem. Scilicet cum deceptor est multo inferioris conditionis, & ideo fœmina contemnitur, teneri ad dotem, qua cum puella æquali, vt antea nubat. Alioqui si ex stupro cogeretur illum accipiendum in coniugem, cogeretur ad nouam iniuriam ferendam. Ita Panormitan. & Ioan. Andr. *ad cap.* 1. *de adult.* quos sequuntur Iuniores. Cum vero est æqualis conditionis, ad nil amplius teneri, quam ad nuptias censuit Cou. 2 *p. epitom. cap.* 6. *num* 15. Roder. *cap.* 26. *num.* 5. *cum alijs.* Ratio illorum est, quia iniuste repudiatur. Veruntamen oppositum apparet probabilius, quia ille deceptor ex æqualitate iustitiæ tenetur reducere puellam in statum, à quo illam seduxit, sed illa deceptionis tempore erat in statu libertatis, vt nuberet æquali, cui vellet, ergo ex illa iniuria non est cogenda accipere hunc & non alium (est enim huiusmodi coactio noua quædam quasi iniuria) tenetur igitur stuprator ad dotem, si illa renuat connubium.

11 QVÆST. *Puella violenter o. pressa æque bene nupsit, ac si non*

si non esset violata, teneturne stuprator aliquid illi impertiri? Resp. Omnes teneri affirmant, cum maritus deuenit ad stupri notitiam, & ideo eam odio habet, & plagis afficit. Controuersia vero est, cum maritus defectum nullatenus intellexit. In qua negant ad quid amplius violatorem teneri. Nau. *cap. 6 num. 19.* Instruct. *1. p. cap. 7 &* Tolet. *lib. 2. cap. 3 num. 45.* Dicendum tamen cum Victoria quem citat Nauar. & Med. quod debeat: quia illa iniuria secundum se grauis, facta ipsi puellæ violatæ.

12 Qvæst. *Obtinuit stuprator puella consensum sub promissione futuri matrimonij, postea non stetit promissis, sed alij nupsit, ad quid tenetur?* Resp. Tenetur non solum ad dotē competentē, ac si non esset violata: sed etiam ad cessantia lucra ex defectu promissionis, ac proinde si promissor stuprator erat nimium diues, tenetur ad reddēdum lucrū ex diuiti coniugio subsequens, iuxta prudentis arbitriū. Ita notauit, & docuit Sot. *in quarto dict. 27. quæst. 1. art. 3.* Nauar. *lib. 4 consil. tit. de sponsa.*

13 Qvaest. *Quæ restitutio facienda parentibus, & custodibus puellæ stupratæ?* Resp. Si puella libere & voluntarie consensit, nulla illis debetur restitutio. Probatur facile. Quoniam illis nulla fit iniuria, cum puella adhuc sub parentum, & tutorum custodia, domina sit suæ integritatis, & libera velit nuptiarum iacturam pati, si quæ ex stupro subsequuta sit. Ita Tolet. *lib. 2. ca. 3. num. 438.* Sot. *8. iust. quæ. 7. art. 1.* Spec. *2 par. 19 cit.* Crediderim limitandam esse conclusionem, nisi scilicet ex stupri damno cogatur pater, & custos dotem augere ad tuendum pristinum honorem: Tunc enim tenetur, meo iudicio, illis augmentum dotis restituere, quia iniuste à stupratore ad id coacti sunt. Si tamen per vim, aut fraudem puella fuit violata, tenetur stuprator parentibus restituere iuxta prudentis arbitrium. Ita D. Thom. & Caiet. *2. 2. quæ. 154. art. 6* Nau. *cap. 16 num. 19.* Cord. Tolera & Sot. *citat.* Ratio est, quia grauissima illis irrogatur iniuria contra ius, quod habent ad custodiendam filiam, sicut reliqua alia bona. Quod de stupratore diximus, dico de raptore. Enimvero, seu fœmina velit, seu nolit raptorem sponte comitari, semper custodibus fit iniuria, pretio resarcienda: vt fieret cum è cauea, vel per vim, vel illectionem animal

animal magni pretij ostenso cibo extrahas, & te insequentem deferas. Ita notauit & docuit, Tolet. Quam brem in iure grauissimæ pœnæ decernuntur puellarum raptoribus 36. *quæ.* 1.

De restitutione Famæ. §. 4.

1 *Quo malo læditur fama.*
2 *Vnde oritur obligatio restituendi famam.*
3 *Qua detractione denigratur notabiliter fama.*
4 *An lædat notabiliter famam alicuius, qui de eo famato circa certum peccati genus, narrat plura in individua peccata, quam ille commisit.*
5 *De narratore eorum, quæ circa alterius famam audiuit.*
6 *De eo, qui vni viro graui, & taciturno crimen alicuius detegit.*
7 *De infamatore mortui.*
8 *Qui excusantur à restitutione infamiæ.*
9 *Quantum peccat, qui se ipsum infamat.*
10 *De eo, qui ad fugienda tormenta sibi falsum crimen rogatus imponit.*
11 *De eo, qui infamatum in aliquo loco, infamat alio, vbi habet integram famam.*
12 *Ob quod crimen incurritur infamia iuris.*
13 *De eo, qui infamatum infamia facti in aliquo loco infamat in alio.*
14 *An sit notabilis infamia apud duos, vel tres tantum.*
15 *De infamante eum, qui per fraudem bonam famam acquisitam habet.*
16 *Vtrum ad liberandum innocentem liceat occultum crimen alicuius detegere.*
17 *De occultante crimen, de quo iniustè ab alio infamatur.*

18 D

18 *De eo, qui præbet aures calumniatoribus iniustis.*
19 *Quando peccat contra charitatem audiens detractores.*
20 *De libellis famosis.*
21 *Quantum est restituẽdum propter famam ablatã.*
22 *An omnia damna ad integrum restituenda sint.*
23 *Vtrum ratione iniuriæ ortæ ex infamia sit aliquid restituendum.*
24 *An tantum restituere teneatur, qui verum, quam qui falsum crimen euulgauit.*

1 QVÆSTIO. *Quo malo læditur fama?* RESP. Detractione. Et ideo definitur detractio :. Iniusta denigratio famæ Ita Nau. *cap. & nu.* 18.

2 QVÆST. *Quæ conditiones adesse debent, vt detur obligatio restituendi famam?* RESP. Tres. *Prima*, vt fama à parte rei læsa sit. *Secunda*, vt læsa sit contra iustitiam. *Tertia*, vt aliunde non sit adhuc recuperata. Ita Sot. 4. *iust. quæst.* 5. *art* 3. Ledesm. 2. 4. *que.* 18. Arag. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 1. & Recentiores.

3 QVÆST. *Qua detractione denigratur notabiliter fama?* RESP. Respondeo diuisim, quoniam materia multa est, Atque *in primis*, qui de alio narrauit vitium mortale illi iniuriosum valde apud id ignorantes, notabiliter famam denigrat. Dixi (ignominiosum) quia aliquando non ita est, vt cum de milite glorioso dicitur mortem inimico magnificis verbis minitatum aut suscepisse singulare certamen. De adolescente profusis moribus loquutum fuisse cum meretrice de rebus amatorijs. De fœmina prostituta euulgasse suum corpus. Dico *Secundo*. Denigrauit notabiliter famam proximi, qui de religioso aut Episcopo, aut alio viro perfectionem, & grauitatem profitente, dixit aliquod leue peccatum, non quoduis, sed quod nimium dedecet illius statum vel esse assuetum nugis, verbis scurrilibus, ac vanis colloquijs, & conuersationibus fœminarum delectari, oculorum petulantiam habere, & similia. Ita Tolet *libr.* 2. *capit.* 4. *num.* 326. Ratio illius est, quia hæc leuia vitia apud homines multum existimatione detrahunt famæ, quia quandã vilis, &

abiecti

abiecti animi ignominiam, & sordem præ se ferunt. N
vero *cap.* 28. *num.* 8. narrat se vidisse hominem insigni
eruditum, & probum ab accipiendo egregio quodā
munere impeditum propter veniales culpas. In spec
vero de consuetudine mentiendi circa personas grav
vt Papam, Regem, Episcopum, tenet id Medin. *in s*
fol 182. & Tole. *proxime numero* 14. quia pro ijs menda
valde contemnitur non solum à viris grauibus, sed etia
ab ipsa plebe, qui illius verba, & promissa floccipend
Dico *tertio*. Notabiliter denigrat famam monasterij, q
alicuius religiosi licet innominata persona, narrat
quod turpe peccatum, vel aliud iniuriosum. Ita comm
niter Doctores. Dico *Quarto*, Notabiliter famam læ
qui de aliquo infamato circa vnum peccatum mort
narrat aliud occultum ipsius, quod cum notorio pecc
nullam habet connexionem. Nam si connexionem h
bet, reuelato vno, censetur aliud detectum. Ita Tolet
4. *num.* 23. Nauar. cum Adrian. quem citat *loco prox*
Ratio est, quia fama læsa pro vno, integra erat pro ali
& ideo de nouo læditur, læditur autem notabiliter, e
&c. Oppositum censuit Cord. *quæ.* 2. *concl.* 5. vt si quis
notorio fure, aut homicida, verbi gratia, narraret a
simile peccatum lõge diuersum. Verumtamen infirm
pro se adducit rationem.

4 Qvæst. *Qui de aliquo infamato circa vnum ge
peccati, narrat plura eiusdem speciei, quam commisit, læd
notabiliter famam?* Resp. Qui narrat, licet falso, in eo
genere minus peccatum, quam est illud, cuius infam
laborat, minime quidem, vt qui de lusore consueto
dere duo millia aureorum, dicit lusisse mille aureos.
Mercat. *cap.* 9. Qui vero narrat grauius notabiliter, qu
nunquam quis commisit, aut adauget numerum co
missorum eiusdem grauitatis, ita vt illa grauitas,
pluralitas sit notabilis, famam lædit, & tenetur re
tuere. Hæc est per se nota, & in confessio apud o
nes.

5 Qvæst. *Ex praua consuetudine loquacitatis, narrat q
quod audiuit, asserens se nescire, an ita sit, sed narrare, q
audiuit, insuper non intendere famam denigrare, tenetur
restitutionem?* Resp. Si ex narrandi consuetudine al

narra

narranti non adhibeatur fides, nec adhiberi ſoleat, ad nil tenetur: Si tamen illi fides adhibeatur, & fama læſa ſit, tenetur. Quod verum exiſtimo, quamuis ex leuitate audientium & non ex auctoritate narrantis pene nulla, illa procedat infamia. Scio equidem eſſe contra Sylu. *quæſt.* 1. *citat.* & Adrian. quem ipſe refert, non tamen contra rationem. Quoniam illa audientium leuitas impulſa fuit à cauſa per ſe illam commouente ſcienter. Vt ſi quis leuitatem, & audaciam furum prouocaret expoſitione rerũ alienarum pro foribus, & vijs. Quæ quidem expoſitio ſine intentione damni temeraria fuit & iniuſta, & ideo obnoxia manet reſtitutioni, ex ſe enim dedit anſam audaciæ, & leuitati furum, quæ per ſe damnum intulerunt. Ita Sot. 4. *iuſt. quæſt.* 6. *art.* 3. *& lib* 5. *quæſt.* 10. *art.* 2. qui addit, licet diffamator dicat ſe non credere, eſſe ingeniosum, ac peſtilentem detrahendi modum, ex quo ſaltem ſuſpicio, & dubitatio probabilis oritur.

6 QVAEST. *Ad quam reſtitutionem tenetur, qui abſque neceſſitate vni viro graui, & taciturno crimen alicuius occultum detegit, ſine intentione lædendi?* RESP. Ad nullam illum obligat Caiet 2. 2. *quæſt.* 73. *art.* 2. Cord. *quæſtion.* 2. *concl.* 5. aiuntque non peccare mortaliter. Oppoſitum docuit Sot. 5. *iuſt quæ.* 10. *art* 2. aſſeritque, maius damnum eſſe famam amittere apud vnum virum grauem, quam apud plures abiectæ plebis (licet grauius damnum ex vno, quam ex alio oriri poſſit circa rem familiarem.) Cum Caietan. tenuit Tolet. *lib.* 2. *ca.* 4. *num* 355. cum Soto mordicus Suarius *tomo quarto diſputat.* 34. *ſect.* 1. affirmans eſſe communem Doctorum ſententiam, cum aſſerunt reuelare complicem in confeſſione abſque neceſſitate (quã de re latius, cum egerimus de confeſſione ſacramentali) eſſe peccatum lethale. Tota contentio eſt, vtrũ illa infamatio præcisè apud vnam perſonam grauem, & ſecretam ſit damnum graue. Reſpondeo ex natura rei loquendo, minime, quia ita manet occultum; ac ſi non eſſet dictũ, nec deinceps ſubit in memoriam. Atq; in hoc ſenſu vera eſt opinio Caietan. & Tolet. Verum ex circumſtantijs poterit eſſe graue, ſi verbi gratia vitæ ratio, & inſtitutio perſonæ infamatæ pendet ab illa graui perſona in ſuffragijs, in fauore, in honore: &c. Atque in hoc

sensu vera est opinio Soti & Suarij. Si talis persona ci minus recordetur, & se gerat longe aliter, atq; heri, & nu diustertius.

7 QVAEST. *Quid censes de eo, qui mortuum infama* RESP. Peccat mortaliter, non solum, qui mortuum ini mat in dedecus viuorum consanguineorum; sed in d decus præcisum mortui. Ratio est, quia etiam post mo tem tanti faciunt homines nominis splendorem, vt ad comparandum, & immortalitati relinquendum superb moles ad cœlum vsq; extruant: quale fuit illud Absalon Mausolæum, cum stemmate aureis literis inciſum, *M nus Absalonis*, vt narratur 2. *Reg.* 18.

8 QVÆST. *Qui non peccant contra iustitiam alium in mando, & ideo excusantur ab illius restitutione?* RESP. primis, qui ob necessariam famæ suæ defensionem c men occultum proximi, illum iniuste infamantis de git ad inuendam illius auctoritatem. Nam si ad d fendendã vitã licet aggressorem occidere, ita ad defe dendam famam licet criminatorem infamare. Ita San & alij communiter. Deinde non peccat, qui torment cogitur aperire veritatem, & ad illa euitanda alteri peccatum occultum detegit, licet torqueatur ab eo, q iniustè veritatem scire vult. Ratio est, quia non ten tur cum tanto suo detrimento alterius famam conser re. Ita Sot. 5. *iust. quæst.* 10 *artic.* 2. Recte tamen limi cum Toleto *libr.* 5 *capit.* 66. nisi illud sciuerit iniuste p vim, scilicet, aut fraudem, & ex ea reuelatione sequet grande detrimentum tertio. Præterea, non peccat, qui solam consolationem comparandam, & remedium a quirendum bono animi affectu erga offensorem natu tertio iniuriam sibi illatam. Quia vtitur iure suo, & p accidens detegit alterius insolentiam, atque audacia Ita Tolet. *li.* 2 *cap.* 4 *num.* 346. in quo casu, nec venialit quidem contra charitatem peccabit.

9 QVAEST. *Quantum peccat, qui se ipsum infamat?* Res Non peccat in primis contra iustitiam, quando infam non redundat in damnum tertij. Ratio est, quia vnu quisque, vt aliorum bonorum externorum dominus e ita suæ famæ. Ita Sot. 5. *iust. quæst.* 10. *art.* 2. Tolet. *proxim citatus.* Nau. *cap.* 18. *num.* 2. Adrian. *in* 4. *qu.* 35. Couar. *resolu*

resolut. cap. 28. Cordub. & alij. Est expressa sententia D. Thom. 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 4. *ad* 1. Scio oppositam sententiã ex contrario fundamento fuisse Caietani, qui dixit tunc lædi Ecclesiam, & Rempublicam: sed falsa nititur ratione: nã ex eo sequeretur, quod qui alium infamat, teneatur etiam Ecclesiæ, & Reipublicæ restituere: quod quidem nullus vnquam asseruit. Dixi (quando infamia non redundat in damnum tertij) redundaret enim cum persona esset communis, à qua cæteri exemplum sumunt, veluti pater, cuius infamia redundat in damnum filiorum: religiosus, cuius infamia redundat in damnum religionis: & tunc quidem grauiter peccat contra iustitiam. Dico *secundo*. Qui sine causa, & necessitate famam suam prodige effundit, nec contra liberalitatem peccat mortaliter. Probatur, quia prodigalitas, quantacunque sit, iuxta D. Thom. 2. 2. *qua.* 120. *art.* 2. *&* 3. ex suo genere non est peccatum mortale. Quamobrem non consequẽter loquutus est Sot. qui sequutus hanc D. Thom. veritatem, dixit peccare mortaliter, si crimen sit grauissimum. Nec item Toletus, qui eidem assentitur, vt notauit Toletanus *lib.* 2. *num.* 122. etiam si sibi falso crimen imponat, quia dominus est suæ famæ. Imo, quia aliquando erit meritorium, si in eo quis propriam abiectionem, & contemptum pro Christo Domino intendat. Peccaret vero grauiter, si ex suo malo exemplo alij liberius peccandi occasionem arriperent, vt docet D. Aug. *de bono viduit cap.* 22. relatus in *cap. Non sunt audiendi* 11. *qu.* 3. Peccaret cum ex infamia sequeretur mors tertij à iudice infligenda, tum quia iniuste illũ prodit, tum quia illi mortis damnum incutit. Dico *tertio*. Non peccaret, nec contra charitatem quidem, qui ob pœnas à iudice infligendas, & a se tolerandas, ad satisfaciendum culpæ, crimen suum iudici detegeret, licet sciret, se mutilandum, vel etiam occidendum. Ita Toletanus contra Nauar. Conar. & Sylu. quos citat *proximè*. Ratio est, quia tolerare pœnas ob culpam, bonum ex se est.

10 QVÆST. *Interrogatur quis in tormentis de crimine, quod non patrauit, peccatne illud sibi falso imponendo, ob quod occidendus est?* RESP. Affirmat Nauarr. *numer.* 29. quia nemini licet causam præbere suæ occisioni-

Oppositum docuerunt Sot. & Toletan. citati, quia no
tenetur homo tanto cum cruciatu vitam seruare semo
iuramento, quanquam vero mentiatur, mendacium no
est lethale.

11 QVAST. *Quantum peccat, qui infamatum apud aliq
locum, diffamat in alio, in quo habet bonum nomen?* RES
Qui infamatum infamia iuris in vno loco, hoc est p
iudicis sententiam damnatum, infamat in alio loco, no
peccat contra iustitiam. Conclusio est certa, quando di
famat apud eos, qui statim crimen sunt cognituri. Co
trouersia vero est, quando nunquam ad eos peruen
talis notitia, & in hoc euentu traditur à Caiet. *opusc.*
16. *responsion.* 9. Sot. 5. *iust. quæst.* 10. *art.* 2. Nauar. *capit.* 1
num. 26. Toletano. *cap.* 4. *num.* 266. & ab alijs, quos c
tant. Probatur, quia prima delinquentis pœna, à iudi
inflicta est famæ amissio, apud omnes ad punitorum e
emplo aliorum audaciam coercendam, & ideo iudic
sententia illum constituit iuste cassum bono nomi
propter commissum crimen; ergo qui illum nominatu
lem, & detegit, nihil ab eo aufert. Quæ veritas etiam a
serenda circa eum, qui post amissam famam per crime
& iudicis sententiam, illam iterum virtute, ac rebus be
ne gestis comparauit. Ita Sot. & Toletan. citati. Quam
uis oppositum censet Toletus *lib.* 5. *cap.* 65. motus ea ra
tione, quia licet per crimen, & iudicis sententiam fam
antecedens ablata sit, non tamen subsequens. Sed fall
tur sane, quia qui emendatum diuulgat olim peccato
rem, non illi præsentem aufert famam, sed deperditam
testatur ob præteritum crimen. Et confirmatur, quia
apud eos, in quibus fama integra erat, licet illum det
gere; ergo licebit, etiam vbi est recuperata. Negabis an
tecedens; dicesque famam tunc falsa existimatione fu
isse integram ob ignorantiam, quia reuera illa erat iust
ablata: in nostro vero casu, fama reuera est iuste acquisi
ta, & illa derectione deperditur. *Respondeo* deperdi p
accidens, non ex natura detecti criminis, quia illa dete
ctio solum respicit præteritam famam. Dico *secundo.* Q
infamatum infamia iuris, infamat in loco vbi famam in
tegram habet, aut bonam iam recuperatam, ex qua diffa
matione sequitur dedecus, & consanguineorum ignomi
nia

minia, lethaliter peccat contra charitatem. Ita Toletus *proxime citatus.* Medin. *in ſum.* §. 35. Salon. *controuerſ.* 18. *concluſion.* 2. Sot. *quæ. cit. artic.* 2. Roder. *cap.* 248. Probatur, quia ex charitate tenemur graue proximi damnum impedire, cum poſſumus, nec cauſa adeſt permittendi illud, vt in propria iam materia reſpondi. Dico *tertio.* Qui infamatum infamia iuris, infamat in loco vbi nec bonam, nec malam famam habet, aut propter alia nota crimina mala, non peccat etiam contra charitatem. Ita Nau. *cap.* 28 *num.* 46. Angl *in* 4. *quæſt. de reſtit famæ, dub.* 4. Saa. *verbo infamare.* Probatur apertè, quia leue nocumentum illi infert, & magnum commodum Reipub. vt rei deterreantur à crimine.

12 QVAEST. *Quod crimen præcipue punitur infamia iuris?* RESP. Crimen hæreſis, in quo fama in odium crimin. directe damnatur, eaque expreſſa intentione hæretici ſunt puniti, vt eorum manifeſtetur crimen, & pœna, & ideo ad publicum theatrum confluentibus vndique populis adducuntur, & depicti membranis pro templis celebrioribus exponuntur in perpetuum ſubſcripto nomine, officio, & patria, recordamentum. Idem dico de criminibus, quæ ſuſpendio, iugulatione, verberibus, ac alijs publicis pœnis afficiuntur, ad quas infligendas eliguntur, dies celebriorum nundinarum, vt coram pluribus caſtigentur ſcelerati, & diffamentur.

13 QVÆST. *Quantum peccat, qui infamatum in aliquo loco infamia facti, infamat in alio loco, vbi habet bonam famam?* RESP. Peccat non ſolum contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam. Ita Sot. *quæſt.* 10. *art.* 2. Toletan. *ca.* 4. *nu.* 291. Rod. *cap.* 248. *concluſion* 5. Probatur, quia iniuſte priuat proximum fama quam retinet. Dico *ſecundo.* Peccatum mortale non eſt infamatum infamia facti publici, in alio loco infamare, ad quem cito peruentura erat infamia. Ita limitandi ſunt Nauar. *cap.* 19. *num.* 26. & Saa. *verbo infamare*, & alij Recentiores, cum abſolute dicunt, non eſſe peccatum mortale, ita proximum infamare. Traditur à D. Ant. 2. *p. tit.* 8. *cap.* 4. colligitur ex D. Thom. in 4. *diſt.* 19. *quæſt.* 2. *art.* 3. Probatur, quia illa anteuertentia, non ita graue damnum incutit, vt grauem culpam conſtituat, Subeſt tamen grauiſſimum argumentum ſol-

uendum. Nam mortaliter pecco contra charitatem, i
iustitiam, si damnũ infero, quod scio paulo post ab ali
inferendum, vt cum segetem aduro, quam scio pau
post inflammandam; ergo peccatum erit contra iusti
am mortale famam iniuste eripere, licet sciam stat
ab alijs, etiam iniuste, auferendam. Arbitror quide
argumentum esse efficax, nec excusari, nisi dicendo, il
duo loca ob vicinam, & commercium eundem omni
censeri locum, atq; illã anteferentiam esse partis respec
totius, quæ non lædit iustitiam, nec notabiliter charit
tem. Dico *tertio* Non est peccatum contra iustitiam, s
tem mortale, delictum publice commissum in vno lo
nescienti manifestare. Ita Scot. *in* 4 *dist.* 15. *qu.* 4. Tol
li. 5 *ca.* 65. & cum Nauar 11. quos *supra* adduxi. Probatu
quia peccator per publicitatem facti sibi famam adem
Multo maiori ratione id affirmat Tole. *num.* 291. de na
rante in eodem loco nescientibus eiusdem loci. Pote
tamen esse aliqua ratio contra charitatem. Dico *quar*
Peccat contra iustitiam, qui infamiã intra domi parie
factam, foras extrahit: aut in vna vicinia commissam,
aliam viciniam deducit: teneturq; ad restitutionem, n
vicinię inter se ita essent vnitę, vt censeretur eadem. I
dico de eo, qui crimẽ publice commissum, sed iam te
poris longitudine oblitum iterum propalat, ac enarr
Ita aduertit Mercatus *lib.* 6. *ca.* 11. & Toletan. *sup.* Prob
tur, quia, vt crimen in vno loco publice patratum,
occultum in alio, ita publicum in vno tempore, est
alio tectum, & ideo iniuste detegitur. Dico *quinto*. Pe
catum occulte commissum, iniustaq; reuelatione v
gatum, & ea via publicum in vno loco, vel cõmunita
publicare notabiliter magis ibidem, peccatum morta
est. Ita Toletan. *nu.* 291. Rod. *ca.* 248. Probatur, quia dan
proximo graue damnum crescente notabiliter infam
qui ipse causam non dedit occulte peccando. Est prae
rea peccatum contra iustitiam obligans ad restitut
nem. Probatur, quia illa prima diffamatio apud aliq
fuit iniusta; ergo accretio eiusdem diffamationis ap
eos, qui alienam famam in se habebant, & ab eis iniu
eripitur. Vnde colligo discrimen inter publici, & secr
peccatoris diffamationem, nam non est contra iustiti
publica

publicum peccatorem diffamatum apud maiorem, vel magnam communitatis partem, apud nescientes euulgare, quia ille ex se iam famam amisit, apud omnes, licet adhuc in aliquibus falso, vt illi debita, retineatur; est vero contra iustitiam occultum peccatorem iniuste diuulgatum, & publicum ex iniqua reuelatione scientium apud maiorem, aut magnam communitatis partem diffamare, quia illi iniuste eripitur fama, reuera sua.

14 QVÆST. *Censebiturne notabilis diffamatio apud duos, tresve sine periculo maioru diuulgationis?* RESP. Affirmatiuam partem tenuit Syl. *detractio 9. qu.* 1. Oppositum tamen est verum, nisi personæ sint a quibus pendeat notabiliter delinquens.

15 QVÆST. *Qui falso & per fraudem bonam famam adeptus est, potestne sine iniustitia reuelari vt hypocritam, & nebulonem?* RESP. Ita sine peccato reuelari posse, nondum iniustitia, docuit Aragon. 2 2. *qu.* 62. *art.* 2. Oppositum è diametro sensit Rod. *cap.* 248. *concl.* 16. atq; id agere, mortale esse peccatum occultum, & fama falso cõparata non vergit in detrimentũ Reipubl. aut tertij, charitatẽ lędit, & iustitiam, qui illud reuelat. Quia proximum iniuste lędit in fama, quam iuste possidet; alioqui liceret publicare occultos peccatores, quia omnes falso famam tuentur, licet iuste. Si tamen fama falso acquisita in tale damnum vergit, vt fama Theologi, aut Medici, qui nec Theologiam, nec Medicinam callet, cum animarum, & corporum periculo, potest sine iniustitię, ac charitatis offensa reuelari. Quia iniuste illam & falso possidet, possum vero cum damno aggressoris innocentem tueri. Ita distinguunt Sot. 5 *iust. qu.* 10. *ar.* 2. Tolet. *cap.* 4. *nn.* 342. Cord. *quæst.* 2. *concl.* 4. *tit. de detract.*

16 QVÆST. *Licetne ad innocentis damnum euitandum, nocentis crimen occultum reuelare?* RESP. Si damnum est spirituale, licet. Ita Nau. *ca.* 8. *nu.* 30. Tolet. Card. *li.* 5. Itaque si videro aliquẽ vti familiaritate hæretici, aut concubinarij, & probabiliter video errore inficiendum, & ad concupiscentiam turpitudinis attrahendũ, possum ignorantem monere, detegereque alterum esse occultum hæreticum, & veneri deditissimum, vt sibi caueat ab illius

consuetudine. Dico *secundo* Id etiam licet ad corpor damnum euitandum. Ita post Nauarrum docet Tole *num.* 189. Duo tamen aduerto. *Primum,* vt minima qu ad fieri possit, fiat reuelatio. *Secundum,* vt damnum inn centis, quod timeo, multo grauius sit infamia occu peccatoris, alioqui non licet magna nota infamiæ noce tis impedire leue detrimentum innocentis. Licebit men si æquale sit: tunc enim melior est conditio pos dentis.

17 QVÆST. *Qui negat occultum crimen, quod alius inju prodit, siue in iudicio, siue extra, peccatne contra iustitia* RESP. Minime. Ita respondet Sot. 4. *iust. quæst.* 6. ar Sylu. *rest.* 3. *quæst.* 3. Angl. *in* 4. *qu. de rest. fam. conclu.* 1. T let. *num.* 349. Tolet. *lib.* 5 *cap.* 69. Probatur, quia qui nega vtitur iure suo se defendendo, ius enim habet ad sum secretum peccatum tegendum. Si vero inde calumn toris infamia sequatur, sibi imputet, quia ex causa iniuste data orta fuit. Potest igitur dicere diffamator fuisse calumniatorem, & impostorem, vt notauit Angl quia in iure calumniator, & impostor appellatur, qui c men, quod probare non potest ad publicum, iudicium ve defert. Ita *cap.* 2. *de calumnijs.* Quod expresse adn tauit ibi Glos. & Saa. *verbo restit.* Probatur ex *L.* 1. C *aduoc. diuers. iudic.* vbi punitur aduocatus; qui alteru aduocatum præuaricationis accusat, quam probare n quit. Verum qui se a crimine liberare possit per solu simplicem negationem, dicendo accusatorem bona f cisse intentione, sed hallucinatum fuisse, peccabit qu dem contra charitatem, qua tenetur proximi damna im pedire. Peccabit etiam contra iustitiam, si ex odio facie & intentione vindictæ ad damnum inferendum cu sine suo detrimento illud possit impedire, infamiam q proximi excusare. Graue tamen dubium est, qua resti tione resarciendum sit hoc damnum. Dico non tene negantem illud restituere negationis retractatione. Ra tio est, quia ille negare potest vtendo iure suo ad tege dum crimen suum occultum, nec iuridice delatum, a interrogatum. Tenetur tamen alio meliori, quo potu rit, modo iuxta prudentis arbitrium. Traditam doctr nam intelligo veram, si amphibologia vtatur, qua qu

dem in hoc euentu vti potest, ne mentiatur.

18 QVÆST. *Quando peccat audiens calumniatorem, contra iustitiam?* RESP Quando interrogando, applaudendo, alijsve modis inducit, & incitat detractorem ad dicendum, peccat grauius, quam detractor, quia peccato proprio addit proximi scandalum, mouens illum ad peccandum: peccat item contra iustitiam, & restitutionem tenetur, quoniam iniuste illi famam adimit. Ita Sot. *5. iust. qu.* 10. *art.* 4. cum plurimis, quos citat Nau. *cap.* 18. *num.* 37. Adrian. *quod libet qu.* 21. Probe vero aduertit Nauar. *cap. inter verba num.* 448. valde excitari criminatorem, seu detractorem ad dicendum contradictione audientium. Et ideo si illa interrogatio est simulata, obligata ad restitutionem, quia directe tendit ad maius damnum inferendum. Si vero talis est, vt ex verbis & intentione auditoris, tantummodo auditor ostendat se solum leuis detractionis auditione delectari, detractor vero ex propria malitia, ea occasione data, prorumpat in grauem infamiam, grauia delicta detegendo, id non obligat auditorem sed detractorem ad restituendum. Solet etiam esse mortalis incitatio ad detrahendum taciturnitas prælati, aut patris, aut domini, qui quando audiunt detrahentes subditos filios, aut seruos, tacent Ratio est, quia qui tacet consentire videtur: & ex consensu colligunt subditi filij, & serui prælatos, parentes, & dominos illis detractionibus delectari, ac proinde liberius, & otiosius alienam famam corrodunt. Ij igitur tacentes, & ideo consentientes ad restitutionem tenentur, quia moralis causa sunt detrectationum.

19 QVÆST. *Quanquam ad restitutionem famæ satis sunt dicta, ad pleniorem tamen materiæ cognitionem, vnum rogo. Quando peccat contra charitatem audiens detractorem?* RESP. Quando quis ex odio delectatur, audiendo obtrectationes mortales. Patet ex illo principio. *Vnicuique mandauit Deus de proximo suo. Eccles.* 17. contra quod principium dupliciter peccat, tum quia non impedit malum proximi, cum potest, tum quia non emendat errantem. Vtrumque enim illo mandato præcipitur. Sed hac de re iam dixi *in materia de correctione fraterna ante primum Decalogi præceptum.*

20 QVÆST. *Circa libellos famosos quis peccat contra iustitiam?* RESP. Dicam prius, quos censeam libellos famosos. Libellus famosus est compositio in scriptis siue ligata, siue soluta oratione, quæ exponitur in loco publico, vbi a multis legi possit, qua proximi fama, & honor iniuste læditur. Romani vocant Paschinos, sic dictos à lapide Paschino, cui affiguntur veluti si apud nostrates affigeretur in columna forēsi pro puniendis malefactoribus erecta quæ vulgari lingua vocatur Pelourinho, ita colligitur ex Arm. & Syl. *verb. Libellus famosus.* Dico igitur, Auctores & cooperatores in scribēdo & euulgādo libello famoso grauiter lædente famam proximi, grauiter peccant cōtra iustitiam. Hęc veritas adeo claret, vt probatione minime indigeat. Quamobrem, vt pestifera lues Reipub. capiti damnantur huiusmodi diffamatores. *L. vnic. Cod. de libel. famosis.* Dico secundo. Peccat etiam cōtra iustitiam, qui huiusmodi libellos scienter legit. Ita probatur à simili ex Nau *capit. Sacerdos num.* 9. & aliis, qui affirmant peccare mortaliter contra iustitiam, quia aliena peccata scripta ad memoriā iuuandam inuenta, aut surrepta legit. Item ex Toletano *sup tit. nu.* 459. asserente peccare mortaliter contra iustitiam, qui alienam epistolam aperit & legit, quia iniuste aufert secretum proximi, & quamuis non teneatur restituere, si epistola absq; secreto vulgaris sit, mortaliter tamen peccat, quia se exposuit periculo sciendi iniuste alterius secretum: si ibi esset.

21 QVÆST. *Quantum tenetur quis restituere propter ablatam famam?* RESP. Omnia damna temporalia ex iniusta infamatione sequuta. Ita Nau *cap.* 8 *num.* 47. Gab. *in 4.* Merc. *ca.* 9. Tole. *nu.* 373. Inter hæc vero damna adnumerandæ sunt expensæ, quas infamatus facit in acquirenda iterū fama per testes, aut alia via difficili. Probatur ratione. Quia, non minus detractor famam rapit, atq; fur res domesticas, sed fur tenetur ad expensas, quas dominus facit in recuperandis rebus ablatis, vt in cōfesso est apud omnes, ergo tenetur ad restituendas expensas in fama recuperanda factas.

22 QVÆST. *Tenenturne huiusmodi damna in integrum restituere?* RESP. Si damna sunt de rebus iam acquisitis tenetur ad integrum. Si de rebus acquirēdis, impeditis vero

pro

per infamiam, tenetur, iuxta prudentis arbitrium. Ita Doctores citati. Et ratio est in promptu, quia bona acquirenda adhuc sunt in periculo acquisitionis, & ideo minoris æstimantur.

23 QVAEST. *Secluſis alijs damnis debeturne restitutio præcisè pro ipsa infamia, hoc est, pro iniuria, ob quam infamatus caret bono nomine, quatenus illud non recuperat:* RESP. Debetur, ita Cord. *tit. de retract. memb. 4. qu. 3. conc.* 10. & alij. Probatur facile, quia vel infamatus habebat, ante bonam famã negatiue, hoc est, non male audiebat: & tunc patitur dãnum emergens positiuæ infamiæ iniuste illatæ. Vel habebat bonam famam positiue, hoc est, bene audiebat: & tunc patitur damnum cessantis boni, hoc est, famę bonæ, cessant enim honorificæ illæ conceptiones, & laudes, quæ de illo prædicabantur.

24 QVÆST. *Teneturne ad æqualem restitutionem, qui crimen verum euulgauit, atq; ille, qui crimen falsum imposuit?* RESP. Si æqua fuit infamia subsequuta, æqua debetur restitutio, licet coram Deo inæqualia sint peccata. Ita Nauar. *ca.* 18. *citato nu.* Tole. *supra nu.* 284. Ratio est, quia æqualitas restitutionis non oritur ex æqualitate culpæ, sed ex æqualitate damni. Si tamen inæqualis fuit infamia, inęqualis debet esse restitutio. Ita Sot. 4. *iust. qu.* 6.

De modis restituendi famam. §. 5.

1 *Quot modis restituitur fama.*

2 *Quis teneatur restituere famã per retractationẽ.*

3 *An cesset obligatio restituendæ famæ, cum fieri nequit, vel retractatione, vel iuramento, vel testibus oppositum asserentibus.*

4 *Apud quos tenetur retractare, qui infamauit apud paucos, per quos postea crimen diuulgatum est apud plures.*

5 *An quis teneatur se retractare cum periculo vitæ ad restituendam famam.*

6 *Quo pacto facienda est retractatio.*

7 *Ex quibus causis liberatur quis à restituenda fama per retractationem.*

8 *Vtrum*

8 *Vtrum restituenda sit fama per compensationem cum restitui nequit per retractationem.*

9 *Vtrum mutui infamatores à restitutione deobligentur.*

10 *Vtrum infamatus possit retinere pecuniam debitam infamatori per recompensationem iniuriæ.*

11 *Ad quam restitutionem tenentur hæredes infamatoris.*

12 *Vtrum condonatio infamiæ excuset infamatorem à restitutione.*

13 *Vnde colligitur infamiæ condonatio.*

QVÆSTIO. *Quot modis restituitur fama?* RESP. Duobus, *Retractatione* nimirum, & *compensatione.*

2 QVAEST. *Quis tenetur famam restituere retractatione?* RESP. In primis, qui per mendacium infamauit tenetur regulariter retractare, affirmando se fuisse mendacium: Ita D. Thom. 2.2. *qua.* 62. *art.* 2. Caietan. & Interpretes *ibid.* Gab. *in* 4. *dist.* 15. *qua.* 6. Scot. *ibid. quæst.* 4. Sylu. *verb. detract. notabile* 4. Nau. *cap.* 18. *num.* 45. denique omnes communiter. Probatur ratione, quia damnificator iniustus tenetur resarcire damnum in eodem genere æquiualens, & non sufficit in alio genere sine consensu damnificati, cum possit ita restituere: sed in casu proposito ita se res habet, ergo & cæt. Quinimo etiam licet infamiam calumniæ mendacijve incurrat talis impostor, tenetur eam pati, quia cum damno suo tenetur impedire alienum. Hoc vero damnum famæ, non solum tenetur pati æquale, sed etiam maius, vt docet Tolet. *lib.* 5. *cap.* 70. & Saa *verb. detract.* Non tamen tenetur istud damnum pati maximum, quale pateretur impostor nobilissimus in restituenda fama ignobilis, & abiecti viri: tunc enim satis erit alio modo satisfacere, vt aduotant ijdem Doctores: si vero simplex retractatio nõ sufficiat, tenetur interponere iuramentum. Ita Sot. 4. *iust. qu.* 6. *art.* 3. & alij communiter. Ratio est, quia non aliter potest resarciri damnum, quod fecit. Si vero iuramentum non satis sit ad falsum

ad falſam opinionem amouendam, tenetur adhibere teſtes, quibus infamati innocentiam probet. Ita Sot. Aragon. Cord. & alij citati, quia hæc ſunt remedia neceſſaria. Probabiliter tamen hoc negant Nauar. Tolet. Rod. quia iuramentum ex ſe eſt ſufficientiſſimum, & efficaciſſimum medium, cui ſi non creditur, obduratio, & incredulitas prouenit ex malitia non credentis.

8 QVÆST. *Demus, quod auditor nec retractationi, nec iuramento, nec teſtibus credit, ceſſatne tunc reſtitutionis obligatio?* RESP. Affirmat Salon, quia iam infamatori nocere debet. Dicendum tamen eſt non ceſſare, donec detractor reſtituat bonam opinionem, quam abſtulit. Ita Aragon. Probatur à ſimili. Quia qui rem furto ablatam alicui tradidit, ille vero qui poſſidet, nolit iterum dare, non inde liberatur à reſtituenda re, ergo non liberabitur à reſtituenda fama, licet ex malitia alterius reſtitui nequeat in eadem ſpecie. Reſtitutio igitur tunc facienda eſt per alias res, pecuniam nimirum, vel quid aliud pretio æſtimabile.

Deinde, qui iniuſte infamauit, occultum crimen reuelando. Scio hoc dictum fuiſſe olim valde controuerſum, communemque Antiquorum opinionem aſſerere, peccatum eſſe dicere ſe fuiſſe mentitum, cum reuera verum dixerit, & ſic dicendo mentiatur. Ita cenſuit Sot. *in 4. diſt. 15. quæſt. 4.* Gab, *ibid. qu. 16.* Sylu. Arm. Nau. Sor. *inſt quæſt. 6. art. 8.* Quod ab his Auctoribus petas, quomodo ergo facienda eſt reſtitutio? Reſpondet D. Thom. Reſtituet dicendo ſe male dixiſſe, & iniuſte infamaſſe. Nau. vero, & Sot. aiunt. Reſtituet laudando illum, nulla facta mentione detecti criminis iniuſte. Contrarium opinati ſunt Iuniores. Med. *in ſum.* Tolet. *num. 379. cap. cit.* Henr. *lib. 2. pœnit. cap. 12.* Salon. *controuerſ. 15.* Emman. *in cap. 279.* apud quos plures referuntur. Probant ex oppoſito fundamento, quia iſte infamator poteſt vti amphibologia, & ita retractare dictum abſque mendacio: ſed non poteſt reſtituere famam, niſi hac via erga illa vti eſt obligandus. Poteſt igitur dicere ſe non dixiſſe verum, intelligendo veritate publica, quia crimen erat ſecretū, ſe fuiſſe mentitum, intelligendo in rebus alijs ſe dixiſſe, quod reuera neſciebat, intelligendo via publica, ad detegendum

gendum illud. Quod si alicui durum, difficile que vi
tur affirmare se fuisse mentitum, dicat etiam amphi
logice, se hallucinatum esse in persona, posteaq; co
periisse non fuisse illum. Sibi ita visum fuisse, se audiui
sed reuera non audiuisse, cum ad alium sensum v
ba tenderent. Et satis erit hac via damnum infamia
stituere.

4 Qvæst. *Apud quos tenetur retractare, qui infama
apud paucos, per quos postea crimen diuulgatum est apud
res?* Resp. Si primi, quibus dixit erant viri, prudente
timorati, licet postea ex incuria, ipsi rem diuulga
apud hos tantum. Quia subsequens damnum per a
dens fuit subsequutum, & ipsi, qui imprudenter di
garunt, illud tenentur ad integrum resarcire. Si vero
pauci erant rimarum, vt aiunt, pleni, hac illac perflu
tes, & vt tales, noti, tenetur retractationem facere
omnes. Ratio est, quia damnum præuisum per se sub
quutum fuit. Ita Tolet. *num.* 443. Alcasser *in sum. ca*
contra Merc. *lib.* 6. *ca.* 9. & Pedraca *ad* 8 *præcept.* qui ab
lute affirmant teneri apud omnes.

5 Qvæst. *Tenetur quis restituere famam retractando c
periculo vitæ, loquendo de infamia, & vita secundum*
Resp. Negant Caiet. 2. 2. *quæ.* 62. *art.* 9. Nau. *pluribu
locis.* Sylu. *detract. qu.* 4. Cord. *quæ.* 31. Tolet. *lib. & cap
num.* 400. Fundamentum illorum est, quia nemo te
tur rem inferioris ordinis restituere cum iactura rei
dinis superioris. Hoc tamen fundamentum falsum e
quia licet res hęc essentialiter sit nobilior illa, accidet
liter tamen abiectior esse potest, quo ad pretium, & æ
mationem. Quamuis enim parua auri quantitas essent
liter sit nobilior magna argenti copia, ne dicam stan
vel cupri, minoris tamen fit, & ducitur apud omnes. M
to exemplum à Philosophis sæpe vsurpatum de cœlo
formica, est enim formica essentialiter nobilior co
quia animal viuens: & tamen nobiliori loco cælũ hab
mus, quam formicam. Eadem igitur ratione tam nob
esse poterit fama vnius, vt abiectæ alterius vitæ apud h
mines anteferatur, pluriſq; fiat, Dic ergo: Tanta esse p
test famæ æstimatio, & ex consequenti illius amissio,
infamator teneatur eam restituere cum propriæ abiec
vit

vitæ iactura. Si quis abiectæ conditionibus homo nobiliſſimam familiam hæreſis, aut proditionis inſimulet. Probatur ſatis, vt apparet, quia perpetua infamia illuſtris familiæ præponderare videtur vitæ vnius, priuati infamatoris. Ita Sot. 4. *iuſt. qu.* 6. *ar* 3. *& qu.* 7. *ar.* 2. Salon. *cont.* 16. Ledeſm. 2 4 *quæ.* 18. *ar.* 2. Arag. 2. 2 *qu* 62 *ar* 2.

6 QVÆST. *Quibus modis vtetur infamator in retractando ad reſtituendam famam publice ablatam?* RESP. Multiplices aſſignant Doctores. Pedraca *in* 8. *præcep. ait*, eat de domo in domum Vel dicat prædicatoribus, aut parochis; vt illius nomine, & conſenſu dictum retractent apud plebem. Hic ſecundus modus, ſi infamatio publica eſt, & nemini ferme ignota, omnino ſeruandus eſt, Ita placuit Roderic. *capit.* 279. Ratio eſt, quia reſtitutio aliter fieri nequit.

7 QVÆST. *Ex quibus cauſis liberatur quis à reſtituenda fama per retractationem?* RESP. Ex tribus præcipue. *Prima* eſt, ob vitæ periculum, niſi adeo vita abiecta ſit, & fama adeo illuſtri, vt fama vitæ longe excellat, ſicut paulo ante dixi. *Secunda* eſt, ob inæqualitatem maximam, illuſtriſſimæ perſonæ infamantis, ad infamatam. Quia (vt iam dixi) nemo tenetur rem parui ponderis reſarcire cum detrimento magno rei magni momenti. *Tertia* eſt, cum probabiliter creditur minime retractationem profuturam. Ita communiter Doctores.

8 QVÆST. *Non poteſt fama reſtitui in proprio genere per retractationem, eſtne reſtituenda per compenſationem alterius rei?* RESP. Negat Toletan. *numer.* 415. Sylu. *detract. qua.* 4. Ratio Toletani eſt, quia vt vita, ſic fama non eſt pretio æſtimabilis, igitur de ea non poteſt fieri compenſatio. Oppoſita ſententia eſt D. Tho. 2. 2. *qu.* 32. *ar.* 2. *ad* 2. Scot. *in* 4. *d.* 15. *quæ.* 4. Sot. 4. *iuſt qua.* 6. *art.* 1. *& deteg ſecr. memb.* 1. *qua.* 2. Couar *regu. pec.* 1 *p. nu.* 6. Nau. *ca.* 18 *nu* 430. Ratio eorum eſt ſumpta ex oppoſito fundamento, quia vt vita, ſic fama, quamuis entitatiue, & eſſentialiter excedat omne pretium (*pellem enim pro pelle dabit homo pro anima ſua*) tamen quo ad hominum æſtimationem ad aliquod pretium reducuntur. Quoniam vero ex cõmuni Doctorum ſententia, quando debitum compẽſari neque

nequit ad æqualitatem in eodem genere, compensa
est in alio, quo ad fieri poterit adæquando. Restituen
ergo est talis fama per pecuniam oblatam: honorem
latum: munus honorificum in Republica infamato co
missum, vel quid simile.

9 QVAEST. *Possunne mutui infamatores se inuicem co
pensatione à restituendo liberare*: RESP. Possunt. Ita
quando infamia est æqualis, & vnus non vult restitue
alter soluitur à restituendo compensatione iniuriæ.
communis sententia. Probatur ex *cap. Tua frat. de ad*
Paria crimina mutua compensatione delentur. *cap. N
iniquius. 32. quæst. 6.* Deinde, quia in quibuscunque da
nis mutuo datis, & acceptis, si paria sint, & pleno i
pertineant ad damnificantes, vno renuente restitue
alter soluitur à restituendo. Oppositam sententiam
cuit Caietan. 2. 2. *quæst 62. art 2.* Maior *in 4 dist. 15. qu
16.* Nau. *cap. 18 num. 47.* Tolet *num. 396.* Eorum ratio
quia per reciprocam infamiam non tollitur damnum
latum ad inuicem. Sed hæc ratio nulla quidem meo
dicio est. Multa esset, si dixisset, per famæ retentio
non restitutæ, non tolli damnum illatum; ergo quate
restituitur, manet damnum resarciendum. Ver
tamen eadem ratio fieri posset in mutuo pecuniar
debito, nam per retentionem pecuniæ non tollitur da
num illatum. Et tamen nullus Auctor negat, in debi
realibus fieri posse compensationem, & restituendi ob
garionem cessare.

10 QVÆST. *Fierine poterit compensatio in pecuni
fama, quam infamator restituere non vult?* RESP. Poteri
G. Debeo tibi centum, iniuste me infamasti, infam
centum fuit æstimata, non vis mihi famam restitue
possum centum in compensationem retinere, cum
via iniuriam delere nequeo. Probatur; quia tu ita m
restituere teneris; ergo ego eam compensationem fac
queo, cum aliter me indemnem seruare non possum.
Aragon. & Roderic. cum alijs iam citatis.

11 QVÆST. *Quæ obligatio manet hæredes infamato*
RESP. Tenentur restituere damna realia ex infa
subsequuta. Ita Palud. *in 4. dist. 15. quæst. 2.* si iam iniq
infamator ea non restituit, vt notauit Cord. *quæst. 3. cit*
Sal

Salon *cont.*21. Constat *ex cap. finali de sepul. cap. A nobis.* 2. de sententia excommunicationis. Quoniam huiusmodi realia debita sunt onera hæreditatis, vt probat Mol. *tomo* 1. *iust. disp.* 217. Tenentur præterea restituere famæ ipsius damnum. Ita Doctores citati, & Adrian. *quodlib.* 11. Pedraca *ad* 8 *præceptum.* Emmanuel. *cap. citat. concl.* 5. Ratio est, quia ista fama est pecunia æstimabilis, vt omnes tenent contra Sylu. & Toletan. ergo transit hoc onus cum pecunia, aut cum rebus pecuniæ æquipollentibus ad hæredes.

12 QVAEST. *Quæ alia via excusatur quis à famæ restitutione?* RESP. Excusatur per iniuriæ remissionem factam ab ipso infamato.

13 QVAEST. *Ex quo colligitur remissio infamiæ ab ipso infamato facta?* RESP. Ex verbis. Non tamen ex familiari conuersatione. Bene enim potest quis familiariter agere cum creditore, qui ab eo pecunias abstulit, & retinet: & tamen non censetur debitas pecunias remittere.

CAPVT XV.

De restitutione circa bona Fortunæ.

Iam egimus, Deo Opt. Max. adnuente, de restitutione damnorum circa bona Animæ. Item circa bona Corporis. Nunc bonis, faxit idem Deus, auspicijs, aggredimur tractationem restitutionis circa bona Fortunæ, sic enim appellantur bona externa opum, & diuitiarum.

De Vsura. §. 1.

1 *Quid est vsura.*
2 *In quo differt mutuum ab accommodato.*
3 *Quid est lucrum.*
4 *Quod peccatum est vsura.*
5 *Quotuplex est vsura.*

6 *Quæ requirantur ad vsuram explicitam.*
7 *Quot modis potest vsura palliari.*
8 *De vsura in contractu societatis.*
9 *De vsura in venditione.*
10 *De vsura in solutione pecuniarum.*
11 *Quas ob causas potest in mutuo lucrum exigi.*
12 *Quæ conditiones faciunt lucrum cessans.*
13 *An possit lucrum cessans recipere, qui pecuniam gotiationi expositas rogatus mutuas dat, imo rogatus, sed charitate motus.*
14 *An mutuatarius accipere debeat omne crum.*
15 *De vsura in mutuo dato tempore, quo minus, & cepto quo plus valet.*
16 *Ad quarum rerum restitutionem teneatur vsu rius.*
17 *E quibus bonis vsurarij facienda est restitutio.*
18 *Qui obligantur restituere vsuras.*
19 *Quo pacto se debet gerere confessarius cum vsu rio publico.*
20 *Quæ pœnæ latæ sunt vsurario publico mortuo vsuris.*
21 *Quo pacto se gerere debet confessarius cum vsu rio occulto.*
22 *An liceat sumere sub vsuris.*
23 *An liceat petere sub vsuris.*
24 *An mercator ad alendam vitam possit accip sub vsuris.*

1 QVÆSTIO. *Quid est vsura?* RESP. Est lucrum e mutuo, ratione solius mutui, vltra sortem co sequutum. Dixi ex mutuo, quia ex commoda non est vsura.

2 QVÆST

1 QVÆST. *In quo differt mutuum ab accommodato?* RESP. In hoc, quod in mutuo transfertur dominium rei mutuo datæ: in accommodato vero minime.

2 QVÆST. *Quid est lucrum?* RESP. Est acquisitio commodi pecunia æstimabilis, quod alias meum non erat. Quare si ratione mutui consequutus sum debitum meum, alias non consequendum, vsuram non committo. Dixi, lucrum pretio æstimabile, quia mutuum dare ad beneuolentiam comparandam, vel ad gratitudinem mouendam, non est vsura; quia nec amicitia, nec gratitudo sunt pretio æstimabilia. Dixi, ratione solius mutui, quia si datur ratione damni emergentis, aut lucri cessantis, vel ratione gratitudinis, non est vsura.

4 QVÆST. *Quod peccatum est vsura?* RESP. Mortale. Constat ex *cap. Quia cap. Super eo de vsuris.* Et oppositum asserere est hæreticum.

5 QVÆST. *Quotuplex est vsura?* RESP. Duplex. Vna *explicita*, altera *implicita*, seu, vt aiunt, palliata. Mentalem omitto, quam quis committit, cum mutuum dat, eo solo animo, vt lucrum, vltra sortem recipiat, licet tantummodo secum id cogitet, exterius vero mutuum det.

6 QVÆST. *Quæ requiruntur ad vsuram explicitam?* RESP. Duo. In primis *mutuum*. Enim vero si non mutues pecuniam, sed loces ad ostentationem, vel ad alium vsum, & inde recipias lucrum, non committis vsuram. Deinde requiritur *pactum*, recipiendi extra sortem rem pretio æstimabilem propter mutuum. Quæ autem res sit pretio æstimabilis, boni viri arbitrio perpendendum est, sunt enim pene infiniti casus. Vnum aduerto, quod si propter mutuum accipias pignus fructiferum, te obligari ad fructus deducendos in sortem, deductis expensis, etiam perpenso pretio inducti. *Duæ* vero excipiuntur casus. *Vnus* reperitur *ca. Conquestus de vsur.* Cum quis dedit alicui fundū in feudum, & hic postea accipit mutuū ab illo, & ipsum fundum dat ei, in pignus; tunc dominus fundi potest fructus accipere, & postea totum mutuum

recuperare. Ita notat Sot. *lib. 6. de iust. quæst. 1. art. 5. A*
casus est *capit. salubriter de vsur.* Cum socer dat ge
ro in pignus dotis soluendæ rem frugiferam: T
enim gener potest fructus recipere, & postea i
gram accipere dotem. Quia iuxta Canonum men
ijs indiget ad onus matrimonij in alenda familia su
nendum. Idem pari ratione dicendum de vxore, n
tuo marito, nondum accepta dote. Ita Sotus *pro*
citat.

7 QVÆST. *Quot modis potest vsura palliari?* RE
Duobus. In primis ratione pacti de lucro, vltra sort
non expressis verbis, aut scripto publico, sed nutu,
consuetudine, vel verbis secretis. Deinde ratione m
sub alio nomine traditi, venditionis; Fingo V. G. m
rum me dare viginti aureos pro bobus, quos mut
rius non habet, & postea fingo me locare emptos b
pro quinque aureis. Nam re vera est mutuum vigint
reorum pro quinque.

8 QVÆST. *Quando committitur vsura in societat*
tractu? RESP. Cum nomine societatis mutuum pa
palliatur. Ita enim datur capitale, vt non subeat per
lum: non autem est Societas, cum non est æquale p
culum subeundum.

9 QVÆST. *Quando committitur vsura vendit*
RESP. Quando venditur res vltra summum pretium
tione expectatæ solutionis. Vel emitur minoris, rat
præsentis pecuniæ. Certum enim est triplex esse re
pretium, supremum, medium & infimum. Certum e
est posse res vendi summo pretio ratione expectat
lutionis, & emi infimo pretio ratione præsentis pec
Vsura tamen est supra summum pretium plus acci
ratione expectatæ solutionis; & minoris infimo e
ratione præsentis solutionis.

10 QVÆST. *Quando committitur vsura ratione so*
nis? RESP. Cum quis ratione anticipatæ solutionis m
dat, quam deberet dare post certum tempus. Ita C
verb. vsur. cap. 3. Verum Tolet. *lib. 5 cap. 31.* Oppos
sentit cum Nau. *cap. 17. num. 131* Si absque fraude de
remittit, ratione anticipati temporis. Quia præsen
cunia plus valet, quam absens, & ideo æque valent

ginta aurei præsentes, quam centum absentes.

11 QVAEST. *Quas ob causas potest in mutuo lucrum exigi?* In primis cum illud deductum fuit in pœnam, nisi tali tempore mutuum reddatur, vt mutuo centum, reddendum tali die, quod si non reddideris, reddes decem supra centum. Ad hanc tamen pœnam iuro in conscientia capiendam, requiritur bona intentio recuperandi suum metu pœnæ. Quare vsura est imponere hanc pœnam ei, quem scio non habiturum centum ad reddendum eo die, & ideo mutuum do. Requiritur etiam culpa ex parte debitoris non soluentis. Si enim non fuit in culpa soluendi, nec etiam debet pœnam, quia sunt correlatiua culpa, & pœna. Denique si debitor partem soluit, non potest exigi tota pœna, sed pars, parti æqualiter respondens. Potest etiam lucrum capi ratione damni emergentis, aut lucri cessantis, deducendo in pactum resartionem damnorum. V. G. habeo centum aureos soluendos die D. Michaelis, quos si non soluerim, pœnam sum soluturus trium aureorum, petis à me mutuos centum aureos, possum dare cum pacto de damno emergente ex defectu mutuatæ pecuniæ, non solutæ. Præterea, habeo centum aureos ad emendum linum in nundinis Octobris, in cuius emptione lucraturus sum decem, si non emero, perditurus sum hoc lucrum, possum deducere illud in pactum mutuando; eadem tamē certitudine, vel incertitudine lucri, vel damni cessantis, vel emergentis. Recte tamen admonet Tolet. *lib 5. capit. 12.* licite posse mutuantem damna emergentia, vel lucra cessantia capere, licet non deduxerit in pactum, cum vi, aut dolo, fraude, aut metu cogitur mutuare, mutuatariumq; teneri ad id resarciendum, quemadmodum ille, qui alio manifesto damno euenturo, aut lucro cessaturo, pecuniam mutuam accipit.

12 QVAEST. *Quæ conditiones faciunt verum lucrum cessans?* RESP. Tres, *Prima* est, vt pecunia mutuo data, vere esset negotiationi exposita. *Secunda*, vt qui mutuat, non habeat aliam pecuniam extra negotiationem, quam possit mutuare. *Tertia*, vt lucrum sit probabile.

13 QVAEST. *Potestne lucrum cessans accipere, qui non coactus, sed tantum rogatus pecunias negotiationi expositas à*

negotiatione subtrahit, & mutuas dat? RESP. Negat Sot cum alijs, quos citat *lib. 6. iust. quæst. 1. art. 8.* Affirmat tamen Conrad. *quæst. 50.* Sylu. *verb. vsur.* Tolet. *lib. 5. cap.* Iuxta quam sententiam lucrari potest, quod erat lucratu rus in negotiatione. Idemque dicendum putat Tolet de eo, qui licet non rogetur à paupere, tamen charitat motus illum vult iuuare, mutuum dando cum fœnor cessantis lucri.

14 QVÆST. *Estne accipiendum à mutuatario omne lucrum quod comparandum foret?* RESP. Ex eo deducend sunt ij expensæ quæ fieri deberent in eo acquirendo. I super laboris, & industriæ ponendæ facienda æstimatio Periculi etiam compensandi ratio. Reliquum vero cr ditori reddendum. Optima hac in re methodus erit d ducere in pactum lucri cessantis tantum, quanto qu eam pecuniam, & lucrum ex eadem circa negotiati nem, cui erat exposita, assecuraret. Optime tamen a uertit Tolet. *loco citato* eum, qui cogitur mutuare, po se accipere lucrum integrum circa propriam, & pers nalem industriam. Nam ille paratus erat eam impend re, sed ab alio impeditur, sicut operarius, qui cogitur alio otiari, non tenetur deducere laborem à merced sed integram exigere potest: secus, cum non cogitu sed, aut rogatur, aut ex charitate mouetur ad mutuand

15 QVÆST. *Quando committitur vsura in re mutuata tempore, quo minus, & accepta, quo plus valet?* RES Quando, qui mutuauit, sciebat probabiliter rem post plus valituram, & spe lucri in pactum deduxit, vt tunc redderetur in eadem specie, mensura, & qualitate, vel pretio illius temporis. Vel quando mutuatarium imp diuit, ne res mutuatas, nisi eo tempore redderet, vsura committit. Si vero id ignorabat, nec tali intentione mu tuum dedit, sed casu eo tempore plus res valuit, pote exigere, eandem rem in specie, iuxta pactum, idem fru mentum, oleum, vinum, aut pro eo pretium, quo tun valet. Ita docent communiter Doctores cum Sot. 6. *qua. 1. art. 2.* & Sylu. *vsur. 1. cap. 6.* Ratio est, quia vt mutu tarius nō tenetur reddere illas res in pretio maiori, quo valebant, cum eas accepit, sed easdem in specie vel pret um earum, quo valent, cum eas reddit: ita mutuato

licit

licitè postulauit à mutuatario vel res mutuatas in specie, vel earum pretium pro tempore redditionis acceptum.

Non est tamen eadem ratio de pecunia, & frumento, vino, oleo, ac similibus rebus, quæ vsu consumuntur. Nam si Rex mutaret pretium pecuniæ: & eo tempore, quo monetæ plus valebant, acciperem centum aureos, non teneor reddere postea, nisi centum aureos, quamuis minor sit copia monetæ. Ratio est, quia in pecunia pretium non distinguitur in alijs rebus. Ac proinde qui mutuauit pecuniam, non mutuauit aurum, & argentum, sed pretium: qui vero mutuauit vinum aut oleum, mutuauit vinum, & oleum, non vero eorum pretium. Quoniam vero (vt *infra* dicam, cum me rogaueris de vsura cambij) moneta iuxta metalli substantiam etiam considerari potest, & tunc vendi, locari, & mutuari: si in hac acceptione mutuetur, tenetur mutuatarius, non quo ad pretij, sed quo ad substantiæ æstimationem respondere mutuanti, vt notum est, quoniam non pretium pecuniæ, sed pecuniæ substantiam mutuauit.

16 QVÆST. *Ad quarum restitutionem rerum tenetur vsurarius?* RESP. Ad omne acceptum vltra sortem. Insuper ad iacturam lucri cessantis, erga eum qui vt vsuram solueret, negotiationem non exercuit. Tertio ad damna emergẽtia, erga eum, qui coactus soluere vsuras, res suas maiori pretio dissipauit, quam valerent, vel quid simile damnum ex solutione vsurarum pertulit. *Quarto* fructus, quos collegit de re ex se frugifera, qua vsuræ solutæ sũt, vt ex domo, agro, vineto, olineto, & similibus.

17 QVÆST. *Ex quibus bonis vsurarij facienda est restitutio?* RESP. Dico *primo* Si res per vsuras accepta adhuc extat, ipsamet est restituenda, apud quẽcumq; sit. Dico *secundo*. Si res ab vsurario habita, & empta pecunijs vsuratijs vendatur, vel donetur, ipse vero vsurarius alia habeat propria bona tempore donationis, aut venditionis, ex quibus soluere posset vsuras, ipsa res vendita, vel donata, tuto potest emi, accipi, & retineri, ac iterum vendi, & dissipari. Et quamuis vsurarius, vel ex inopia, vel ex malitia vsuras nõ soluerit, talis restitui minime tenetur. Ratio est, quia illa venditio, vel donatio ex bonis vsurarij iuste

possessis facta censetur. Et hoc maxime aduertendum ad dotem filiarum vsurarij accipiendam & retinendam Dico *tertio*. Si vsurarius non habebat alia bona propr ex quibus soluat vsuras, sed omnia, quæ habet per vs ram acquisita sunt, quæcunque dederit, vel vendider aliena sunt, & domino restituenda. Casum excipias, q in dando, vel vendendo non minuit, imo auxit facult tem soluendi vsuras, vt cum vendit ad lucrum, vel m dit pretium obsequiorum famulis, qui rem domi curan & augent. Non assequor tamen veritatem opinion Toleti. *lib.* 5. *cap.* 35. & Nau. quem citat, affirmantis posse vxorem, & filios vsurarij moderate viuere ex re per vsuras comparatis, licet vsurarum solutionem mo ant, moderato victu, & vestitu. Crediderim (pace di rim tantorum Doctorum) falsam esse opinionem, vi tur enim non minus tales obligari ad vitam alio mo alendam, aut in paupertate degendam, ac filios, vxor que furum.

18 Qvæst. *Qui obligantur restituere vsuras?* Resp primis tenentur ad vsurarum restitutionem non solu qui vsuras acceperunt, sed multi, qui non acceper *In primis*, princeps, & iudices, qui vsuras vsurarijs ad dicant. *Deinde*, aduocati, & procuratores, qui scien defendunt vsurarios. *Tertio*. Notarij, qui scribunt scien fictos contractus vsurarios, ex quibus acquirituri repetendas vsuras, quod non acquireretur, si facer veros contractus vsurarios, nam eo ipso nulli esse *Quarto*, testes, qui scienter similibus contractis fictis dem adhibuerunt. Omnes hi in solidum obligantur, vsurarius non restituat. *Quinto*, serui vsurariorum, q nomine vsurarij, dant, & exigunt vsuras. *Sexto*, qui consilium efficax alicui, vt fiat vsurarius.

19 Qvaest. *Quomodo se debet habere confessarius cu vsurario publico?* Resp. Vsurarius publicus non est à pe catis absoluendus, nec communione, alijsve sacramen reficiendus: quo ad restituat, & resipiscat *cap. Quamqu de vsuris, lib* 6. quod si non potest totum, reddat partem & de reliquo det sufficientem cautionem per pignor vel fideiussores. Quod si nec hoc modo potest restitu iuret se restituturum, cum primum potuerit.

20 Qvæst

20 QVÆST. *Quæ pœna lata eſt contra vſurarium publicum mortuum non ſolutis vſuris?* RESP. Carentia ſepulturæ in loco ſacro: & qui eum ſepelit, eo ipſo eſt excommunicatus, *cap. Quanquam de vſur. lib. 6.* vbi renouatur excommunicatio lata *in Clem. 1. de ſepul.* reſeruata Epiſcopo. Hæ autem pœnæ intelligendæ ſunt de vſurario mortuo in culpa retinendi vſuras. Quia cum potuit ſoluere in vita, ſaltem ad mortis articulum vicinus; eas teſtamento reliquit: qui quidem in lethali decedit, vt reliqui, qui omittunt debita ſoluenda poſt obitum.

21 QVAEST. *Quomodo ſe gerere debet cum vſurario occulto confeſſarius?* RESP. Vt ſe habet cum alio debitore ſecreto, qui quidem abſoluendus eſt, ſi proponat ſe reſtituturum, detque ſigna ſtandi promiſſis: Si vero talis ſit in articulo mortis, melius eſſet exigere ſolutionem ante abſolutionem. Si tamen ſolutionem relinquit teſtamento, & hæredes ſunt veræ fidei, tuto poteſt abſolui.

22 QVAEST. *Licetne ſumere ad vſuras?* RESP. Sumere ad vſuras, vt verba ſonant, eſt intrinſece malum, & ideo in nullo euentu licet. Veruntamen, vt eſt in vſu ſumere ad vſuras, hoc eſt mutuum petere ab eo, qui non vult mutuare, niſi ſub vſuris, aliquando licet. Quia ego mutuum peto, ex malitia vero mutuantis vſuræ exiguntur. Licet igitur in primis cum quis eſt in extrema; aut ſaltem in graui neceſſitate, & vſurarius eſt expoſitus ad vſuras. Nam mutuatarius mutuum tantummodo petit, & ſolum intendit incurrere propriæ indigentiæ. Quod nullum eſt peccatum, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæſt. 68. art.* 4. & cum eo omnes. Deinde, cum quis eſt in extrema neceſſitate, & vſurarius non vult ei ſuccurrere niſi ſub vſuris. Eſt enim conſulere minus malum, ad euitandum maius. Quod licet ex communi doctrina ad 1. 2. D. Tho. Minus enim malum eſt dare ſub vſuris, quam pauperi extreme indigenti eleemoſynam denegare.

23 QVÆST. *Si vſurarius ſit expoſitus ad mutuum, non dandum, niſi ſub vſuris, licetne abſolute mutuum petere ſub vſuris?* RESP. Abſit verbo inuidia, liceat, nec requiruntur plura verba, quam petere mutuum eo modo quo ille paratus eſt tradere: noſtrates vocant, *Darao, ganho.* Interueniente tamen rationabili cauſa vt *ſupra* dixi.

24 QVÆST. *Est grauis dubitatio, an mercater ratio solius lucri ex pecunia, negotiationi exponenda, possit ab vsurario exposito pecunias ad vsuram accipere?* RESP. Si mercator alia via, & ratione vitam alere nequeat, nisi negotiando, nec pecunias negotiationi exponendas alunde habeat, licite poterit ab vsurario pecunias accipere. Ita Diu. Thomam oppositum asserentem, interpretatur Tolet. *lib. 5 capit. 37.* Intelligendus etiam Sot. *lib. 7. iust. quastion. 1. artic. 7. 1.* licet liberius loqui videatur.

De Vsura in contractu societatis. §. 2.

1 *Quatuor sunt species contractus societatis.*
2 *Quæ conditiones requiruntur ad primam speciem.*
3 *Quæ conditiones requiruntur ad secundam speciem*
4 *De contractu assecurationis.*
5 *Quæ conditiones requiruntur ad tertiam speciem.*

1 QVÆSTIO. *Quot sunt species huius contractus?* RESP. Tres. *Prima*, cum vterque contrahens, & pecuniam, & industriam apponit. *Secunda*, cum vnus pecuniam, & alius industriam. *Tertia*, cum vnus animalia tradit, alius eorum alendorum curam suscipit.

2 QVÆST. *Quæ conditiones requiruntur ad primam speciem?* RESP Tres. *Prima*, vt negotiatio sit licita. *Secunda*, vt singuli exponantur, & periculo, & lucro. *Tertia*, vt lucrum proportionaliter diuidatur, ponderata pecunia, industria, & labore, quæ quisque adhibuit.

3 QVÆST. *Quæ conditiones requiruntur ad iustitiam secundæ speciei?* RESP. Duæ, *Prima*, vt quisque sit expositus ad perdendum capitale, quod apponit. *Secunda*, vt proportionetur lucrum perdendi capitale.

4 QVÆST. *Estne aliquid remedium ad capitale semper saluum, & incolume seruandum?* RESP. Est contractus assecurationis. Qui cum fieri possit cum tertio, potest etiã fieri cum eodem tocio, vt iam tenet communis opinio, quam docuit Caiet. *opusc. 16. quæ. 11.* Nauar. *cap 17. numer. 25.* & Tolet. *lib. 5. cap. 41.* contra Sot. *6. iust. quæst. 7. art. vlt.*

5 QVÆST. *Quæ conditiones requiruntur ad iustitiam tertiæ speciei?* RESP. Vt animalia pereant ipsi domino.

De

De cenſuum vſura. §. 3.

1 *Quid eſt cenſus.*
2 *In quo differt cenſus à locatione, & emphyteuſi.*
3 *Quotuplex eſt cenſus.*
4 *Quæ conditiones requiruntur ad iuſtitiam huius contractus.*
5 *An ad cenſum requiratur certa res, ſupra quam ponatur.*
6 *De cenſu redimibili.*
7 *Vtrum validæ ſint in hoc contractu aſſecurationes, & apotecationes perſonæ, ac bonorum omnium.*
8 *Quod ſit iuſtum pretium cenſus.*
9 *An licitum ſit pœnam apponi in hoc contractu.*
10 *Quæ conditiones apponuntur in hoc contractu.*

1 QVÆSTIO. *Quid eſt cenſus?* RESP. Eſt ius exigendi penſionem de re vtili alterius, id eſt, ex fructibus quos res aliqua, apud alterum facit.

2 QVÆST. *In quo differt cenſus à locatione, & emphyteuſi?* RESP. Differt in hoc, quod in locatione & emphyteuſi dominium remanet penes eum, qui dat rem locationi, & emphyteuſi, ſoluíque vſus eſt locantis, ad tempus quidem in locatione, perpetuus vero in emphyteuſi. In cenſu vero dominium remanet penes eum, qui rem ſuam cenſui ſubijcit, & ex vſu quo vtitur ſoluit penſionem. Itaque in emphyteuſi, & locatione, non habet dominium ille, qui ſoluit penſionem, in cenſibus vero maxime. Et ideo in emphyteuſi cum non ſoluitur penſio, res penſioni obnoxia redit ad dominum, cui ſoluitur penſio. *L. 2. de iure. emphyt.* Non vero in cenſu, ſed tantum præcipiuntur reſtitui omnes penſiones. *cap. Conſtitutus. de reli. domibus.*

3 QVÆST. *Quotuplex eſt cenſus?* RESP. Diuiditur in primis in reſignatiuum, & conſignatiuum. Reſignatiuus eſt, cum quis rei ſuæ dominium alteri transfert, retenta

ſibi

sibi aliqua fructus pensione. Consignatiuus est, cum q
ferento dominio rei suæ partem aliquam fructus in a
quem transfert. Præterea, quidam sunt perpetui, quida
temporales. Ex perpetuis, quidam redimibiles, quida
irredimibiles. Redimibiles sunt illi, à quibus ille, qui s
uit, se potest liberare, si reddat pretium, quo emptus
census. Irredimibiles, à quibus nulla datur libertas. V
rumtamen hi post decretum Pij Quinti omnino subl
sunt. Rursus temporales quidam ad certum tempus, q
dam ad incertum. Rursus alij fructuarij, quorum pen
soluitur fructibus, alij pecuniarij, quorum pensio sol
tur pecunia.

4 QVÆST. *Quæ requiruntur ad iustitiam huius con
ctus?* RESP. Requiritur *in primis*, vt res supra quam imp
nitur census, vere sit apud venditorem: alioqui esset
ctus contractus, & vsurarius, vt decernit Pius Quint
Secundo requiritur, vt res illa, vere reddat illos fructus,
quos ius emitur, ijque non sint alijs censibus iam adi
cti, vt decernit idem Pius Pontifex. *Tertio* requiritur
si res illa pereat, vel fructus eius absque culpa vendit
ris, emptor non possit percipere fructus. Ratio est, qu
iste contractus, est quædam emptio, & venditio, res
ro empta, & vendita, perit in iacturam ementis. *Qua
requiritur*, ne venditor obliget emptorem ad recim
dum: tunc enim est mutuum virtuale, & vsura pallia
percepto fructuum lucro, saluo capitali. Ita omnes D
ctores. Vnam conditionem adnotarunt Sot. *6. iust. qu
5. art. 2.* & Tolet. *lib. 5. cap. 49.* circa censum redimibile
ad certum tempus, vt scilicet pensio non exced
capitale, finito illo tempore, vt emas decem aureis, no
recipias pensionem vndecim aureorum. Veruntame
hæc conditio parum necessaria videtur, quia qui red
mere potest, non obligatur redimere, verum libertati s
relinquitur, & ideo non capit vndecim pro decem, fini
to tempore, ex natura rei, vt loquuntur Logici, quia ab
unde potest non capere.

5 QVÆST. *Requiriturne, vt census ponatur super certam
& determinatam rem?* RESP. Si loquamur ex natura con
tractus, minime, modo tamen ex decreto Pij Quinti, re
quiritur.

6 QVÆST.

6 QVÆST. *Requiriturne ad censum redimibilem, vt redimatur per partes?* RESP. Non requiritur. Fas est tamen ita nullum redimibilem facere, & ita decreuerunt Martinus in suis Extrauagantibus.

7 QVÆST. *Licetne emere censum super rem certam, & fructus, & cum venditore contrahere de assecuratione eiusdem rei, & fructuum, apotecando ad id personam & omnia sua bona?* RESP. Omissa natura contractus secundum se, modo ex decreto Pij Quinti damnantur istæ apotecationes, ac decernitur vt si res aut fructus rei, censui subiectæ pereat, venditor non teneatur pensionem soluere.

8 QVÆST. *Ex quibus capitibus colligi potest pretium iustum census?* RESP. In primis ex Lege Principis, si de hoc lata sit. Deinde ex consuetudine communi apud diuites, & inopes sic vendendi census. Si autem lex & consuetudo deficiat, attendenda est similitudo loci ad locum, quo ad legem consuetudinemque seruatam, & standum consuetudini, legique similis vrbis, aut loci, aut regionis.

9 QVÆST. *Licetne pœnam apponere in hoc contractu?* RESP. Licet quidem. Et ita seruatur *in L. Tauri* 68. vt talis pœna exigatur, duæ requiruntur conditiones. *Prima*, vt venditor culpa sua non soluerit pensionem, non enim pœna apponitur, vbi non fuit culpa. *Secunda*, vt pœna sit proportionata culpæ.

10 QVÆST. *Quæ conditiones aliæ apponi solent in hoc contractu?* RESP. In censu semper redimibili solet apponi, ne per tres proximos annos redimatur. Deinde nisi redimatur intra tres primos annos, maneat irredimibilis. Prima conditio licita est. Secunda, illicita post decretum Pij Quinti, qui inualidat census irredimibiles.

De Vsura cambij. §. 4.

1 *Quid est cambium.*
2 *Quot sunt species cambij.*
3 *De cambio per minutum.*
4 *De cambio sicco.*
5 *De cambio per litteras.*

1 QVÆST.

QVÆSTIO. *Quid est cambium?* RESP. Est permut negotiatoria numismatis pro numismate.

2 QVAEST. *Quot sunt species cambij?* R Quatuor. *Prima*, per minutum, cum quis dat pecu maiores, pro minoribus cum lucro. *Secunda* icci cambij, cum campsor dat alteri pecunias in hoc loco redd das post aliquod tempus cum fœnore, prout valuer in aliquo loco distanti, tempore solutionis. *Tertia* spec appellatur cambium per literas, & fit cum quis dat cunias campsori, vt eas accipiat in aliquo loco ab age campsoris. *Quarta* species appellatur cambium re cum è contra campsor dat alicui pecunias hic, vt eas suo socio alibi, & ob hanc permutationem accipit crum.

3 QVÆST. *Circa singulas cambij species aliqua tenga atque in primis de cambio per minutum. Licetne aliqua ex pecunia recipere lucrum?* RESP. Si pecunia, vt quoda metallum est, consideretur, potest locari, vendi, co mutari, ac pati alios contractus, vt res omnes aliæna aurum, quamuis Regis stemmate fiat pecunia, non mittit, quod sit aurum, & vt tale, potest lucrari aliud, si locetur, vendatur, commutetur pro alia minus pretu sa materia, pro minus pulchra, & antiqua, pro alia mi ab hominibus concupita. Si tamen pecunia consi retur, vt insignita Regis imagine, non licet legale eius valorem augere, potest tamen maior commu ri pro minutiore cum lucro, secundum omnes Do ctores.

4 QVAEST. *Circa cambium siccum dic, quot modis fi quæ vsura committitur in eis?* RESP. Fieri solet quatu modis: *Primum*, cum campsor dat pecunias ea conditio ne, vt soluantur iuxta valorem, quo valuerint alibi cer loco, vt dat Romæ recipiendas iuxta valorem earum talibus nundinis Venetiarum. Et in hoc cambio, si vter campsor, inquam, & acceptor pecuniarum se exponu periculo minoris, vel maioris pretij, nulla committitu vsura, cum æqualis sit valoris incertitudo. Vt tamen fie solet hoc cambium, vsura palliata est, quia campsor sc eas pecunias plus valituras in nundinis, ad quas eas dat Fit *Secundo* cambium siccum, cum campsor dat hic pe-

cunias

cunias accipiendas à suo socio in alio loco distanti, nomine tenus, quia re vera hic eas accepturus est, & forsitan alibi non habet correspondentem. Hic contractus vsurarius est. Vnum aiunt Caiet. *opusc. de camb. cap.* 1. & Nau. *cap. final. de vsur. num.* 25. non esse contractum vsurarium, cum re vera campsor est paratus illas pecunias accipere alibi, sed qui petit, vult eas reddere hic. Ratio eorum est, quia cessat lucrum. Arbitror tamen distinctione opus esse: si enim alij sint, quibus possit illas pecunias ita dare & accipere, & lucrum reportare, bene est, quia datur verum lucrum cessans; si vero non sint, vsurarium est illud lucrum, quia est verum lucrum palliatum. *Tertia* species cambij sicci est composita ex cambio, & recambio. V. G. dat campsor centum Petro soluendum Venetijs, vbi nec Petrus habet vnde soluat, nec forsitan campsor socium, qui accipiat. Rursus tempore statuto ad soluendum, fingit Petrus (quod re vera erat) se non habere, vnde soluat Venetijs, habere tamen Romæ, & iterum recambit ad Romam, quasi accipiat iterum pecunias Venetij Romæ soluendas. Contractus vsurarius est duplici vsura, vt claret, quia contractus fictus, & mutuum virtuale.

5 QVÆST. *Circa cambium per literas dic, quemodo fit, & qua requiruntur ad illius iustitiam?* RESP. Suppono ex triplici causa posse pecuniæ valorem augeri. Vel scilicet ratione legis. Vel ratione pretiosioris, & purioris materiæ, qua constat, aut ponderis; propter quod alibi plus valet quam hic. Vel ratione copiæ, aut inopiæ pecuniarum. Et in hac tertia radice solum est vsura, cum à mercatoribus fit monopolium, hoc est collectio pecuniarum apud certos mercatores sibi ipsi constituentes, vt nõ nisi tali pretio cambiant. Vel cum campsores simulant pecuniarum inopiam. Ratio est, quia tunc interuenit fraus, & dolus. Fit autẽ *Prima* species cambij per literas, cum datur hic maior copia pecuniæ in ratione metalli, & alibi recipitur minor in copia monetarum, sed æqualis in pretio, quia ibi plus pecunia valet. Hoc cambium est iustũ. Secunda species est è contra, cum Petrus dat campsori centum aureos, vbi minus valent, recipiendos alibi, vt magis, soluto pretio. Qua in re nulla cernitur iniustitia.

De

De rebus inuentis. §. 5.

1 *Quot sunt genera rerum inuentarum.*
2 *Cuius sunt res quæ nunquam dominum habuer*
3 *De thesauris inuentis.*
4 *De bonis habitis pro derelictis.*
5 *Cuius sunt bona habita pro derelictis.*
6 *De bonis in mare proiectis.*
7 *De bonis inter peripsema, seu inter sordes domo*
inuentis.
8 *De animalibus inuentis.*
9 *De rebus inuentis pro via, seu loco publico amiss*
10 *Quid circa res inuentas pro via, & loco publi*
missis possit lex humana statuere circa eorum
stributionem in pauperes.
11 *A quo facienda est distributio supradictorum*
norum in pauperes.
12 *Quid circa hanc distributionem possint statu*
Constitutiones synodales Episcoporum.
13 *In quos pauperes facienda est talis distributio.*
14 *Quantum peccat, qui talia inuenta bona non*
stribuit pauperibus,
15 *Quæ obligatio pauperes manet in quos fact*
dicta bonorum distributio.
16 *Facta distributione si dominus compareat, est n*
reddenda distributa pecunia.

1 QVÆSTIO. *Quot sunt rerum inuentarum gen*
RESP. Quatuor. *Primum* earum, quæ nunqu
dominum habuerunt. *Secundum* earum, quæ te
poris longinquitate dominum habere desierunt. *T*
rium earum, quæ contemnente eas domino, pro dere
ctis habentur. *Quartum* earum, quarum dominus cum
vera existat, ignoratur. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 66. *a*
5, *ad.* 2.

2 Qv.æ

2 QVAEST. *Res, quæ nunquam dominium habuerunt, cuius sunt:* RESP. Stando in solo iure communi, & naturali, sunt primi capientis. Ita constat *ex §. Item lapilli. Instit. de rer. diuis.* Ita colligunt Doctores cum D. Thom. proxime cit. & Sot. *in 4. dist. 45. quæst. 3. art. 5.* Nau. *cap. 17. num. 117.* Secundum vero ius peculiare regnorum aliter dicendum. Nam in hoc regno Lusitaniæ, quinta pars metallorum, quæ ex inuitis venis detrahuntur, Regi decernitur, omnibus expensis libera *par. 1. Extrauag. tit. 6 L. 5.* in qua *Extrauagant.* limitatur Lex *lib. 2. Ord. tit. 15* Hæc autem lex obligat ante iudicis sententiam, quia præceptiua est, non pœnalis, vt dicimus in propria materia.

3 QVAEST. *Quid censes de thesauris?* RESP. Præmittam thesauri definitionem. Est quædam depositio pecuniæ; cuius præ temporis longitudine iam dominus non extat. Ita definitur *L. vnica. ff. de acquirend. rer. dom. L. 1. Cod. de thesaur. lib. 10.* Pro pecunia intelligo etiam vasa aurea, & argentea, statuas, & quæcunque mobilia pretiosa. Sunt igitur iure naturali thesauri primi inuentoris. Verum ex consuetudine Regi acquiruntur. Ita Palud. *in 4. dist. 15. quæst. 3.* D. Anton. *2. p. tit. 1. cap. 15 §. 2.* Cou. *regul. pec.* Quæ consuetudo seruatur ad vnguem, licet leges huius Regni de solis metallorum venis expresse loquantur, approbantes hanc consuetudinem *lib. 5. Ordin. tit. 96 & lib. 2. titul. 15. L. 15. & Extrauag. p. 5. tit. 6.* concedentes facultatem inquirendi venas metallorum præterquam in transmontana regione. Imo præmia inuentori proponentes addicta tantum quinta parte Regi. In alieno fundo, nemo thesauros inquirere potest domino inuito, *L. Nemo. Cod. de thesaur. lib. 10.* Et inuentus thesaurus est totus domini agrorum. Si vero casu Thesaurus inueniatur, dimidia pars est inuentoris, dimidia vero domini agrorum. *§. Thes. Instit. de rerum diuis.* tradit Gomes. *L. 45. Tauri. num. 51.* Cou. *regul. peccat. ad finem.* Alienus vero fundus appellatur, & est ille cuius solum vtile dominium inuentor habebat ex contractu aliquo emphyteusis, vel locationis, vel depositi, non tamen si illud possidet in pignus dotis. Eadem medietas debetur Ecclesiæ, si in loco sacro. Debetur & communitati, seu Reipublicæ, si in loco

Communitatis, adepta facultate, inquinatur, & inuen-
tur. Si vero in proprio fundo thesaurus reperiatur, to-
erit solius inuentoris. Vnde colliges leges consuet-
nem interpretantes de addictione thesaurorum re-
bus, loqui de thesauris, qui in locis nemini subiectis
periuntur.

4 QVAEST. *Quæ bona habentur pro derelictis?* Re
In primis, quæ quis nihili faciens à se reijcit, ita vt
plius in suarum rerum numero reponi nolit. Ita
betur §. *penult. Instit. de rerum diuis.* Deinde, quæ per
sunt, nec tamen quæruntur à domino, sciente se fa
inuenturum, si velit.

5 QVAEST. *Bona pro derelictis habita, cuius sunt?* Re
Iure gentium, & ciuili sunt primi capientis. Ita §. *pe-
tim. Instit. de rerum diuisi. L.* 1. *& alijs. ff. pro derelict.*
Doctores communiter, quos affert Gab. *in 3. diffin.
quæst.* 3.

6 QVAEST. *Bona, quæ nauigantes necessitate coacti ade
re proijciunt, suntne habenda pro derelictis?* RESP. Mi
me. Ita statuitur sæpissime iure Cæsareo, quod te
Couar. *reg. pec. 5. p.* 3 *& num.* 5. Nau. *cap.* 14. *numer.* 117.
statuitur iure canonico, & excommunicantur ista re
entes, & retinentes, *cap. Excommunicamus. De rapto
in* 6. & in Cœnæ Bulla. Quæ veritas intelligenda, et
circa illa bona, quæ nunquam domini erant quæsit
Ratio est, quia coacti illa amittunt, non derelinqu
Atque etiam circa illa bona, quæ peritura erant, s
caperentur, cum capta sunt absque probabili vitæ pe
culo, ita omnes cum Sylu. *verb. Naufragium num.* 2. Ar
capit. 17. *num.* 98. Dixi (absque probabili vitæ pericu
quia multi sunt, qui affirment huiusmodi res esse illi
qui eas saluas reddidit cum mortis discrimine, esse
dominum irrationabiliter inuitum, si inuitus eas hab
sinat. Verum multa faciunt contra hanc sententiam.
primis textus *l. Pomponius. ff. de acquirend. rerum domin.*
ius hæc sunt verba. *Si naufragio quid amissum sit, non
tim nostrum esse desineret.* Præterea, tantum esse vitæ pe
culum à fera prædam eripere, vel à sicarij manibus re
furto ablatam, quantum est naufragantium bona a fl
ctibus liberare: sed nemo dixit captum à fera, vel re

superatum

cuperatum à ſicario fure eſſe capientis & recuperantis; imo oppoſitum decernitur *in l. Pomponius citat.* & ex Rubrica, & Gloſſ. eiuſdem legis aperte colligitur; ergo &c.

7 QVÆST. *Quid cenſes de rebus inuentis in ſordibus à domo eiectis, & ad communia ſterquilinia miſſis?* RESP. Res parui ponderis, & momenti, vt ſeræ veteres, claui, claues, & id genus alia, habenda ſunt pro derelictis, & primi capientis. Res vero maioris æſtimationis, vt aureæ argenteæve monetæ, annuli, & ſimilia; minime. Idem dicendum eſt de ijs, quæ alluuione fluminum adducuntur de loco, ad locum. Ita aperte docet D. Ant. 2. *p. tit. 1. cap. 15. §. 2.* Gab. *in 4. diſt. 15. quæſt. 8. ad finem.* Angel. *verb. inuentum* Iaſon *L. ſi quis nec.* Bal. in rubrica *de rer. diuiſ.* Nau. *ca 17. num. 296.* Sed his inuentis copioſe agitur *Inſtitut. de rer diuiſ. §. Præterea*, quod pro alluuione. Ideo ibi videat qui optauerit.

8 QVÆST. *Quid decernis circa animalia inuenta ignoti domini?* RESP. Quod decernitur in legibus cuiuſque regni. In hoc vero noſtro Luſitano lex eſt, *libr. 3. Ordin. tit. 76.* quam ab inuento, corrupto vocabulo, noſtrates, materna lingua vocant (*Do vento*) quæ decernit, vt qui animalia perdita inuenerit, dominum quærat, quem ſi intra quinque dies non repererit, regio publicano denunciet. Decernit præterea, vt publicanus diligentem faciat inquiſitionem domini; quo non inuento intra quatuor menſes, ita iudice approbante, & iudicante, ſub præconis voce illi adiudicentur, tam firmo dominio, vt licet dominus poſtea compareat, nihil illi debeatur. Dico igitur iſtam legem eſſe ſeruandam, obligariq́ue in conſcientia, tam inuentorem ad denunciandum publicano, quam publicanum, ad adhibendam inquiſitionem: & vtrumque teneri ad reſtitutionem, ſi id, quod ſibi præcipitur, præ auaritia non recte peragat. Inuentor quidem tenetur reſtituere publicano: publicanus autem domino.

9 QVÆST. *Quid cenſes de re caſu pro vijs, aut alijs locis publicis inuenta?* RESP. Sane anceps hæreo, & vt aiunt, in biuio ſum conſilij præ ſententiarũ multitudine: duas breuiſſimè referam. *Prima* aſſerit huiuſmodi res inuentas, facta dili-

genti inquisitione domini, eoq; non inuento, esse ipsa inuentoris, inuentoremque eas tuto in conscientia re nere posse. Ita Sarment. Nau. Instruct. quos refert, & quitur Rod. *verb. rest.* §. 3. in eam propendet Sot *§. iust. p* 3. *art.* 3. *ad* 2. qua de re latissime Henriq. *de Indulgent. ca* 34. *num.* 1. *Secunda* sententia asserit huiusmodi bona stribuenda esse pauperibus, si facta diligenti inquisitio ne verus dominus non inueniatur. Ita Cou. *in regul. p* 3. §. 1. *numer.* 2 *&* 3. Nau. *cap* 17. *num.* 7. Mitto alias sente tias, ne tædio sim. Dico *primo*. Non est decretum in iu Cæsareo, aut Pontificio, vt huiusmodi bona distribua tur Pauperibus. Nullum enim inuenitur tale ius. Na *ca. Cum tu de vsuris*: loquitur de restitutione incertor bonorum illicite, & iniuste acquisitorum, veluti per suras. *cap.* vero, *Sicut dignum de homicid.* loquitur de iu naturali, secluſa dispositione iuris positiui, huiusmo incerta, & inuenta bona pauperibus, aut alijs pijs ope bus eroganda sunt. Probatur efficaciter, quoniam bon quæ dominum habent, eidem sunt meliori modo resti tuenda: sed hæc bona dominum habent, & in illius vt litatem pauperibus erogari possunt; ergo, &c. Minor, in qua rei vertitur cardo, ostendicur. Quia nequaquam quadrat rationi, vt ex eo tantum quod dominus ignora tur, rei suæ dominium perdat. Dico *tertio*. Me cum duo bus positis discrepantibus admodum sententijs, partim consentire, partim pugnare. Nam cum prima sentio in assumpto fundamento, nimirum non esse decretum in iure, vt in pauperes fiat horum bonorum distributio. Cum secunda pugno in eo, quod affirmat ita esse decre tum.

10 QVÆST. *Potuitne iure humano decerni, vt huiusmodi inuenta pauperibus. distribuantur?* RESP. Potuisse arbi tror, tam iure Pontificio, quam Cæsareo. De iure Ponti ficio nemo negat, & ratio probat. Qui stando in iure na turali, illa incerta bona sunt pauperum, vt ostendi in se cundo dicto; & constat ex *cap. Vero sicut dignum, de homici.* Ita enim textus (*non debuerat aliena pauperibus eroga cum ipsa potuisset eis, quorum fuerint; restituere*) ergo si do mini veri non fuissent, erogari potuissent; ducto argu mento à contrario sensu. Summus vero Pontifex est

pater

pater pauperum, poterit igitur proprijs decretis illorum ius ſtabilire. De iure Cæſareo dubitat Cou. *reg. pec. 3. p. §. 1. num. 2. & 3.* Caſſanæus *dub. 4. §. 1.* ſufficienter hæſitationem ſuadet hoc argumentum. Lex ciuilis duobus tantum modis poteſt transferre rerum dominium, nimirum, aut in pœnam, aut in præſcriptionem: ſed hæc bona incerta non poſſunt transferri in pœnam, quia pœna ſupponit culpam, qui vero amiſit, ſine culpa amiſit. Non præſcriptione, quia præſcriptio requirit bonam fidem: qui vero res alienas inuenit, probe ſcit eſſe alienas, ergo &c. His non obſtantibus probo dictum. Quia iſta bona ſæcularia ſpectant ad bonum alicuius Reipublicæ: ſed princeps ob cõmune bonum poteſt à quouis ciue aliquid auferre, vt patet in tributis, quæ legibus decernuntur, ergo &c. Huiuscauſæ non meminit Couarr. & ideo ſuæ hæſit opinioni.

II. QVAEST. *A quo facienda eſt diſtributio horum inuentorum bonorum?* RESP. Multorum fuit opinio faciendam eſſe per ſolum epiſcopum. Ita Hoſt. *cap. cum tu de vſur. cap. cum ſit. de iud. & in ſum. de pœnit. cap. finali.* Ioannes And. *cap. 51. Epiſt de pœnit. & remiſſion. in ſexto, & regul. pec. de reg. iuris.* Panorm. *cap. cum ſit. De iud.* Gloſſ. *Clement. 1. de priuileg. verbo* (aliorum.) Probant ſuam ſententiam ex textu duorum capitulorum, ex textu nimirum capitis, *Cum ſit. de iudic.* & ex textu capitis, *Quamquam. de vſur. in ſexto.* Verumtamen hi textus loquuntur de pecunijs iniuſte ablatis per Iudæos, & vſurarios, & ad eas diſtribuendas requiritur Epiſcopi auctoritas, nec poſſunt eas ijdem Iudæi, & vſurarij raptores per ſe ipſos diſtribuere. Dicendum igitur talem diſtributionem poſſe ab ipſo inuentore, vel ab alia quauis priuata perſona fieri. Ita Sot. *in 4. lib. 15. quæſt. 2.* Ricard. *ibi. art. 5. quæſt. 4.* Sylu. *reſt. 3. qu 5.* Nauar. *cap. 17. num. 92.* Med. *quæſt. 3. de reſt. cap. 10.* Archid. *cap ae teſtib.* Angel. *reſt. 2. §. 2.* Roſella *eod. verb. §. 1.* Gab. *in 4. diſt. 15. quæſt. 2.* cum pluribus, quos referunt. Addit vero Sylu. Nau. Angel. Roſella. Gab. non poſſe Epiſcopum prohibere debitori, ne ipſe per ſe diſtribuat, eamque ſolo Epiſcopo reſeruare. Probatur, quia nullus datur textus qui Epiſcopo huiuſmodi poteſtatem concedat.

12 QVAEST. *Maiorem dubitationis ansam præbent Ep scoporum constitutiones huiusmodi distributionem sibi re uantes. Quomodo igitur intelligenda est huiusmodi reser tio?* RESP. Quo ad absolutionem peccati mortalis, quod commissum fuit in acceptione, vel rei inuen retentione. Quod si pœnitens confiteatur ante distrib tionem, non est absoluendus, nisi prius optima fiat stributio. Si vero confiteatur post distributionem, a soluatur. Quia ratio reseruationis erat, vt optima fie distributio, quæ si iam facta est, nulla relinquitur rat uatio.

13 QVÆST. *In quos pauperes facienda est distributio?* Re Pauperum nomine etiam veniunt Xenodochia, mon steria, pia opera. Pauperes vero non intelliguntur pa periores, aut meliores, sed ij, qui considerata status co ditione, graui inopia laborant. Atque in paupe numero etiam intelligitur ipse inuentor si pauper est, notauit Caiet. 2.2. *quæst* 62. *art.* 2. *ad* 3. & cum eo omn communiter.

14 QVÆST. *Peccatne contra iustitiam, qui pauperibus i licitis, huiusmodi inuenta bona in non pauperes distribu* RESP. Peccat, & tenetur restituere, vt etiam ille, q ementita paupertate ista bona accipit.

15 QVÆST. *Quæ obligatio pauperes manet, quibus hæc stributio facta fuit?* RESP Iuxta Nau. *cap.* 17. *num.* 93. man onus orandi pro domino rei inuentæ. Verum id ex co silio, & æquo, non autem ex præcepto, quia nullu extat.

16 QVÆST. *Per hanc distributionem itane dominium com paratur, vt licet postea verus comparear dominus, nisi illu beatur, tam ex parte distribuentis, quam ex parte accipien* RESP. Maxime, cum bona fide illam consumpserunt communiter Doctores.

De restitutione eorum, quæ in ludo acquiruntur. §. 6.

1 *Quid sit ludus.*

2 *An acquiratur dominium supra pecuniam in lu vetito lucratam.*

3 *An dato, quod non acquiratur dominium pecuniæ in ludo vetito lucratæ, possit ipsa pecunia retineri à lucrante.*

4 *An ludens ludo vetito possit denegare pecuniam lucranti.*

5 *An possit illam pecuniam retinere, donec lucranti adiudicetur in iudicio.*

6 *Qui restituere tenetur, quæ in ludo lucratus est.*

7 *De lucrantibus, qui sua alienare non possunt.*

8 *An possit quis plus lucrari, quã habeat ad perdendũ.*

9 *De compensatione in ludo.*

10 *Quæ fraus obligat in ludo ad restituendum.*

1 QVÆSTIO. *Quid est ludus?* RESP. Est conuentionalis contractus, quo inter se ludentes conueniunt, vt cui sorte, alea, vel tessera contigerit, teneatur alteri propositam pecuniam reddere.

2 QVAEST. *Quæ in ludis prohibitis acquiruntur, transeuntne in verum dominium lucrantis?* RESP. Scio rem esse valde cõtrouersam, sed affirmans sententia communior, & certior: eam tenet D. Thom. 2. 2. *qu.* 32. *art.* 7. *ad* 2. Maior *in* 4. *d.* 15. *quæst.* 13. Gab. *ibidem. quæst.* 13. Castr. 2. *de leg. pœn. ca.* 2. Med. *de rest. qu.* 22. Sot 4. *iust qu.* 5. *art.* 2. & alij, quos refert Couar. *regul. pec. 2. p §.* 4. Datur tamen actio repetundarum, in iudicio, vt notarunt Adrian. *in* 4. *d.* 15. *qu.* 11. vbi Ricard. *quæst.* 8. *ar.* 8. Paludan. *quæ.* 3. *ar.* 5. Angel. *verb. ludus.* Ledes. 2 4. *qu.* 8. *art.* 8. *ad finem*, & alij.

3 QVAEST. *Qui in ludis prohibitis ludit præsenti pecunia, potestne illam retinere donec iudicis sententia damnetur lucrans repetundarum?* RESP. Minime. Ita Sot. 4. *iust. quæ.* 5. *art.* 2. *ad finem.* Castro ad Med. *locis cit.* Ratio est, quia illius pecuniæ dominium vere translatum est in lucrantem, & ideo iam est aliena.

4 QVÆST. *Qui in ludis prohibitis ludit credita pecunia, potestne illam denegare lucranti?* RESP. Affirmatiue respondet Cou. & Adrian. citat. Opposita tamen sententia communior est, & vera, nisi hæc ludendi consuetudo vigeat in aliqua regione, qua ibi standum sit, quoniam

iure naturæ tenemur ſtare promiſſis, & neminem f
lere.

5 QVÆST. *Qui in ludis prohibitis ludit credita pecunia, p
teſtne illam retinere, donec repetita in iudicio perdenti adiu
cetur?* RESP. Poteſt. Niſi pollicitus ſit ſe non repetu
rum: vel vſque ad certum tempus ſoluturum. Fin
enim tempore, tenetur ſtare promiſſis, & pecuniam ſ
uere Ita Sot. Caſtr. & Med. *locis citatis.* Ratio eſt, q
promiſſio ſpontanea, alteri facta, de re licita, obligat
conſcientia.

6 QVÆST. *Qui reſtituere tenetur, quod ludo lucra
eſt?* RESP. Omnis ille, qui lucratus eſt, quod alius alien
non poterat. Talis eſt filius familias, ſeruus, monach
furioſus, vxor circa bona, quorum non habet domi
um, aut ſuperiorum conſenſum. *Deinde.* Omnis ille, q
dolo, & fraude decipiendo, aut vi cogendo ad lude
dum, lucrum à colluſore comparauit. Qua de re videa
qui, quia perdunt, lucrantes cogunt ad amplius incun
bendum aleis, niſi pactum interceſſerit expreſſum, v
tacitum de non relinquendo ludo comparato lucro, n
pro amittentis arbitrio. Nec mihi videtur audiend
Cardinalis Toletus *lib. 5 cap.* 27. qui ſolum obligat h
cogentes, & lucrantes reſtituere eam tantum parte
quam ſupra quod perdiderant, lucrati ſunt, quia to
ſumma, iam ſub lucrantis erat dominio, & tota per v
fuit extorta. Pro fraude vero habenda eſt verſutia, q
quis inſignis aleator alium inuitat ad ludendum qui
ſcit ludi eſſe ignarum.

7 QVÆST. *Quid? Si iſti, qui alienare non poſſunt, lucra
tur, tenenturne lucrata reſtituere?* RESP. Tenentur. Qu
vt validus ſit contractus, debet eſſe æqua ex vtraque pa
te conditio. Ita Caſtren. 2. *de L pœn capit. 2. corol.* 3. Co
reg. p. par. 2. §. 4. *num.* 4. Sot. 4 *iuſt. qu.* 3. *art.* 2.

3 QVÆST. *Poteſtne quis vno iactu, ſeu, vt noſtrates v
cant (hua mao) plus lucrari, quam eodem poſſit perdere?* Res
Minime, niſi alius ſciat inopiam ludentis, & tamen ve
animi leuandi gratia, aut auaritiæ, colludere. Tunc enim
quaſi libera eſt donatio. Ita Sot. immerito reprehenſus
Nau. *ſupra cit.*

9 QVÆST. *Quæ compenſatio fieri poteſt à ludentibus ali
enæ*

e nare impotentibus? In eodem ludo qui, quod non poteſt alienare, perdidit, poterit tantum colludere, quouſque perditum recuperet. Et eodem modo, quando inuicem, qui alienare non poſſunt, lucrati ſunt. Ita intelligendi ſunt Angel. *verb. lud.* §. 8. Sylu. §. *& num.* 17. Nauar. *cap.* 17. *num.* 16. Ratio eſt, quia nemo perdidit, quod alius lucrari non potuit, (loquendo ex natura rei) voluit donare, neque perditæ pecuniæ à ſe dominium abdicare.

10 QVAEST. *Omnis ne fraus oblight lucrantem ad reſtitutionem*? RESP. Minime, ſed ea fraus, quæ contra iuſtitiam eſt. Et ideo ſimulare optimam alearum ſortem, vel diſſimulare peſſimam alearum ſortem, atque iſtiuſmodi ſimulatione, & diſſimulatione fallere colluſorem, non obligat ad reſtitutionem. Crediderim minime etiam obligari ad reſtitutionem colluſores, qui ſcientes ludum fallacijs, & verſutijs tractandum, illi incumbunt, quas quidem fraudes, poſtea detegunt, & vterque dolet à ſe omnes non fuiſſe factas. Qualis mos eſt apud celebriores aleatores.

De Regijs Tributis, & vectigalibus. §. 6.

1 *Quot ſunt genera tributorum.*
2 *Deſcribuntur genera tributorum.*
3 *De materia tributorum.*
4 *An debeatur tributum de re ad proprium vſum empta.*
5 *Quæ tributa teneatur Princeps reſtituere.*
6 *De cauſis ad imponenda tributa.*
7 *An ceſſante cauſa, ceſſet tributum.*
8 *Quod cauſa tributi debeat eſſe euidens.*
9 *Quod dubium circa iuſtitiam cauſæ ad tributa, deobliget ab ijs ſoluendis.*
10 *An tributa exigi poſſint à certis tantum perſonis.*
11 *De publicanis tributorum.*
12 *An in dubio cauſæ teneantur ſubditi ſoluere tributum.*

13 *De clericis, ac religiosis tributa soluentibus.*
14 *De cisis ad Lusitaniam.*
15 *De præstantijs.*
16 *Quæ tributa tenentur clerici soluere.*
17 *Circa quas merces fruantur clerici hoc priuilegio.*
18 *Vtrum tributa iusta obligent in conscientia.*
19 *An iustum sit tributum cisarum.*
20 *Quomodo excusentur mercatores à cisis soluēdis.*
21 *An mercatores rogati à publicano teneantur aperire veritatem.*
22 *An liceat vti dolo, vel fraude ad publicanum fugiendum.*

1 QVÆSTIO. *Quot sunt genera tributorum?* RESP. Quinque, census, vectigal, portorium, pedagium, gabella.

2 QVÆST. *Vnumquodque eorum mihi describe?* RESP. *Census*, qui à censendo deriuatur, eo quod debeant singulorum opes censeri, vt pro earum quantitate tributa imponantur: vulgo nostrates appellant (*fintar*) vt habetur *L. Forma ff. de cens.* est tributum quod vnusquisque pro se soluit in signum subiectionis. Patet *L. AEtatem ff. de cens.* Erat olim hic census vsitatus, constat 2. *Reg.* 24. *& Luc.* 2. modo tamen rarius imponitur. *Vectigal* est tributum, quod soluitur de rebus, quæ ad aliquem locum exportantur, aut ibi venduntur. Ita Sylvest. *eod. verb. Portorium* est tributum, quod soluitur de mercibus per mare traiectis in certa quadam domo, quam nostrates vocant, alfandega. *Pedagium* (si proprie accipiatur) est illud, quod datur à transeuntibus in certo aliquo loco à Principe constituto, vtpotè in ponte, cymba, portu, & similibus. Ita *cap. Super quibusdam de verb. signif. Gabella* nomen est generale, non minus late patens, quàm tributum. Vtrumque enim omnia iura regia comprehenderunt.

3 QVÆST. *Quæ est propria materia tributorum?* RESP. Est res, quæ solius negotiationis gratia inuehuntur, & exportantur, *L. omnium. L. vniuers. Cod. de vectigal.*

4 QVÆST.

4 QVAEST. *Debenturne tributa pro rebus quæ ad proprium vsum efferuntur?* RESP. Minime. Ita Caie. & Sylu. *in sum.* & Doctores communiter. Nisi aliter obtinuerit rationabilis consuetudo, vt notauit Nauar. *cap.* 13. *num.* 22. & D. Anton. 3. *par. tit.* 22. §. 1. vel magni interierit ad vtilitatem Reipublicæ: quia aliter eius necessitatibus, subueniri nequit.

5 QVÆST. *Quæ tributa tenetur Princeps tanquam iniustè exacta, restituere?* RESP. Quæ sine causa imposuit, & sine causa exegit. Ita decernitur. *cap. Quia plerique de immunit. eccles.*

6 QVÆST. *Quæ causa requiritur ad imponenda & exigenda tributa?* RESP. Necessitas pecuniarum ad sustentanda onera publica, & decentiam regij status conseruandam. Ita post D. Thom. *in opusc.* 21. ad Ducissam Barbantiæ, docent alij.

7 QVÆST. *Cessante causa, cessatne obligatio tributi?* RESP. Cessat, Ita Caiet. *verb. vectigal.* & Med. *de restit. quæst.* 14.

8 QVAEST. *Hæc necessitas, & causa debetne esse euidens?* RESP. Ad exigenda vectigalia vetera satis est causa dubia. Ita D. Ant. 3. *p. titul* 12. §. 1. *ca.* 4. Sylu. *gabel.* 3. *qu.* 3. Probatur euidenter, quia in dubijs melior est conditio possidentis. Noua vero tributa non nisi causa manifesta imponi, & exigi possunt, ac proinde non sufficit causa dubia. Ita ijdem Doctores, & patet, *in cap. Prouenit. de censib.*

9 QVÆST. *Quæ dubitatio requiritur circa causæ iustitiam, ad annullandam tributorum obligationem?* RESP. Eam, quæ habent Iurisperiti, probique viri, ac timorati.

10 QVÆST. *Possuntne exigi tributa à certis quibusdam personis, & non ab alijs?* RESP. Minime. Nam ad publicas functiones, & ad publicas vtilitates omnes tenentur, qui expressa lege non inueniuntur immunes. *L. omne territ. de cens. L. prima & secunda Cod. de immunit. nemini concedenda. Leg. omne Codic. sine consensu.*

11 QVAEST. *Quæ tributa cum dubio causæ Rex imponit possuntne publicani exigere?* RESP. Possunt: nam in dubijs subditi obediendo excusantur, *cap. qui culpabiliter. 23. quæst. 1.*

12 QVÆST.

12 QVÆST. *Tenentur subditi soluere tributa, cum d... causa imposita?* RESP. Maximè, quia in dubijs tenen... subditi parere superiorum iussui.

13 QVÆST. *Clerici, religiosi, aut moniales suntne exemp... tributis* RESP Ab aliquibus, *cap. quamquam de cens...* Sed non ab omnibus. Sunt exempti à pedagijs, & qui... gijs. Et excommunicantur illa pedagia, & quidagia à c... ricis petentes. *capit. quanquam de cens. cit.* Nomine ve... pedagij, portorium etiam intelligitur, vt notauit C... ietan. *verb. excommunicatio, capit.* 39. & Nauar. *cap.* ... *num.* 128.

14 QVAEST. *Quid arbitraris de solutione cisarum?* Re... Idem quod de pedagijs, & portorijs, ac proinde illa s... uere non tenentur.

15 QVÆST. *Quid censes de præstantijs, nostrates Lusi... vocant*, finitas, seu empreſtimos? RESP. Caiet. arbitra... posse à clericis exigi; non exigentes *cap. quanquam de c... in* 6. excommunicari. Ita *verb. excommunicatio.* Illius ... men capitis excommunicationem non curo. Puto ... rumtamen latam esse eam excommunicationem in C... næ Domini Bulla. Quidquid Nau. *capit.* 27. *numer.* ... oppositum videatur opinari.

16 QVAEST. *Quæ tributa tenentur clerici soluere?* RESP. Quæ imponuntur pro re, quæ in communem cleri com... cum laicis vtilitatem redundant, vtpotè pro reparatio... ne pontium, fontium, viarum, & similium, sine quib... nequeunt ecclesiasticis personis ad vitam necessaria sup... peditari. Ita Doctores communiter, *cap. aduersus de im... munit. Eccles.* Vno igitur verbo dico, respondendo ... propositam quæstionem, non teneri clericos soluere pe... sonalia tributa, teneri tamen soluere tributa realia. Ita enim vocant huiusmodi vectigalia communia in com... munem vtilitatem necessaria.

17 QVÆST. *Fruunturne hoc priuilegio clerici circa omnia, quæ emunt & inuehunt?* RESP. Minime. Illud enim a... mittunt circa merces, quas emunt ad iterum vendendas, vel commutandas, cum eas inuehunt, aut euehunt ad negotiationem, & lucrum *cap. quamquam de cens. lib. in sex... to.* Enim vero de fructibus patrimonij, aut Ecclesiæ, cu... seruiunt, cum aliquid vendunt, tributa non debent. Secus

tamen

tamen dicendum eſt de publicanis eoſdem redditus patrimonij, ſcilicet, aut Eccleſiæ à perſona eccleſiaſtica conducentibus. Enim vero ex patrimonij, aut Eccleſiæ redditibus conducta, & percepta bona, iam bona publicanorum conducentium ſunt: illi vero tenentur ad tributa ſoluenda.

18 QVAEST. *Obligatne tributum iuſte impoſitum in conſcientia de rigore iuſtitiæ?* RESP. Obligat. Conſtat ex D. Paul. ad Romanos 13. *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.* Matth. 22. *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Ad quæ loca omnes ſancti Patres cum D. Hieronymo, ita decernunt. Et Doctores *ad cap. Innouamus de cenſ.* & *cap. ſuper quibuſdam de verb. ſignific.* Quare, qui in conſcientia ſoluenda tributa eſſe negauerit, vt hæreticus puniri poteſt. Probatur, quia vt ait D. Paul. 1. Corinth. 9. *Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Vel quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat: quis militat ſuis ſtipendijs vnquam?* Sed Rex eſt paſtor: eſt agricola: eſt dux; ergo tenentur ſubditi illum proprijs ſtipendijs alere. Plura legito apud Inſtruct. *cap. 36. quæſt. 2. dict. 3.* Hinc colligo nulla ratione audiendum eſſe Nauarrum *cap. 23. num. 60.* qui abſolutè affirmat leges vectigalium non obligare in conſcientia. Quoniam opinio eſt contra omnium Doctorum ſententiam: contra auctoritatem ſcripturæ, & ſanctorum Patrum ſenſum, & interpretamentum. Denique contra rationem, ſi quidem tributa iure naturali debentur. Quamuis determinatio quantitatis de iure humano ſit. Neque negari poteſt, quod ſicut Principes tenentur in conſcientia, & ex officio adhibere curam Reipubl. rectè gubernandæ, ita ſubditos teneri Principibus neceſſarios ſumptus ſuppeditare. Poſſumus tamen Nauar. ſententiam ab hæreſi excuſare, & errore, ex eo quod non doceat abſolutè tributa non deberi, ſed non deberi ante condemnationem, cum à iuſtitiæ miniſtris exiguntur. Etenim poſt condemnationem ipſe ait peccatum eſſe tributa negare. Deinde *cap. 17. num.* 200. ait ex eo leges tributorum non obligare ad culpam, quia Principes tantum intendunt obligare ad pœnam poſt condemnationem. Verumtamen hic Nauarri circa huiuſmodi leges intellectus eſt falſus, & oppoſitus ab ipſis

Regibus

Regibus sæpenumero declaratus.

19 QVÆST. *Circa tributa pro mercibus vendendis asp-tandis aut importandis posita, quæ nostrates* cisas *vocant, q-ro in primis, tenetur quis quærere publicanum ad illa solue-da?* RESP. Qui per publicas vias transit, vel in publ-loco vendit, tributa non debet, nisi publicano petant-ac proinde tuta conscientia potest tacere. Ita Palat. *in-notat. ad Caiet. verb. vectig.* Ledes. *sup.* Medin. 1. 2. *quæst-artic.* 4. Angles *de restitut. vectigal. diff.* 2 Instruct. *cap.* 3-*penult.* Sot. & alij communiter. Probatur, Quia ita re-ptus est vsus harum legum, & nunquam aliter. Aliæ ve-leges cõtrarium decernentes, nunquam approbatæ s-aut receptæ tam in regnis Lusitaniæ, quam Hispan-Nec sane videntur posse habere legis vim in conscien-obligantis. Quia potius essent in destructionem, qu-in ædificationem, vtpote innumerabilium peccato-occasionem præbentes, sicuti experimento manifest-est.

10 QVÆST. *Licetne merces mobiles clam vendere, & -cultare venditionem, aut eas clam exportare ad euitand-cisæ solutionem?* RESP. Licet. Et proinde Lusitania, s-diu, siue noctu, quis occulte vendat, aut transportet, -iam summo mane, & per vias ab arbitris remotas, eo a-mo, vt publicanos lateat, & ita à nemine inuẽtus occ-euadit, tributa non debet in conscientia. Probatur, q-ita recepta est in hoc regno consuetudo, & aliter opin-esset peccatis orbem implere. Et constat ex ratione. Q-tributa tantum debentur, quantum sufficiunt ad reg-Regisque decentiam: sed hoc tributum cum hac occ-tatione satis est; & cæt. Minor probatur, quoniam si s-occultatione ex omnibus mobilibus rebus venditis d-cima pars redderetur in conscientia, ærarium non cap-ret pecuniam. Atque de his tributis ita absolute loqu-tur, & asserunt Victoria, cuius verba refert Instruct. *cap.* 13. & Tab. *verb pedagium.* §. 8. Et in hac occultatione fu-dantur publicani, cum de tributis soluendis pro merc-bus conueniunt cum mercatoribus in multo min-quantitate, quam deberetur, si in conscientia, etiam p-rebus occultatis, solueretur. Et quanquam Castellæ, & Lusitaniæ leges oppositum decernant, velintq; vendito-

res i-

res in conſcientia ad hæc tributa obligare, nunquam tamen à populo fuerunt approbatæ, nec receptæ, & ideò non obligant. Sed latius de vi, & legum abrogatione, Deo propitio, in propria materia ante Eccleſiæ præceptorum tractationem me rogabis.

21 QVAERST. *Cum publicanus interrogat mercatores de mercibus venditis, tenenturne aperire veritatem?* RESP. Si iuridica fiat interrogatio (quæ talis erit, ſi mota eſt ex manifeſtis, aut ſaltem probabilibus indicijs de venditione, aſportationeve mercium) tenentur veritatem propalare, quam ſi negent, in conſcientia tenentur reſtituere, licet non confeſſi abſoluuntur à iudice, vel extra iudicium interrogati à publicano non confeſſi, permittantur abire. Si vero non iuridica fiat interrogatio, (quę talis erit, ſi fiat à publicano nullis manifeſtis, aut ſaltem probabilibus indicijs de venditione, aſportationeve moto) poteſt mercator amphibologice negare, imo, & iurare ſe nil vendidiſſe, vt itavel à publicano extra iudicium rogatus ire viâ ſuam ſinatur, vel in iudicio à iudice abſoluatur. Probatur hæc veritas ex conſuetudine optima legum interprete, quæ ita videtur huiuſmodi leges interpretata. Et ita vſu tantummodo recepit, & obtinuit praxis.

21 *Licetne vti dolo, aut fraude ad eſam non ſoluendam?* RESP. Minimè: imo, qui his vtitur, tenetur in conſcientia reſtituere. Dolo autem vtitur, qui ſimulat ſe merces donare, cum reuera vendat, inuentuſque à publicano dicit ſe donare, non vendere. Item fraus committitur, cũ clerici, aut aliæ perſonæ à tributis liberæ, emunt ſuo nomine adlaicos, aut alias perſonas minimè exemptas. Et ideo debent in conſcientia tributa ſoluere.

De obligatione reſtituendi promiſſa. §. 7.

1 *Quid eſt promittere.*

2 *An obliget in conſcientia ſimplex promiſſio.*

3 *Quæ conditiones requirantur ex parte promiſſarij ad obligationem promiſſionis.*

4 *Vtrum qui promiſit mente ſola, vel in abſentia promiſſarij, teneatur illi manifeſtare promiſſionem.*

5 *An*

5 *An leuis acceptatio liberet promittentem.*
6 *Vnde colligitur leuis acceptatio.*
7 *An colligatur leuis acceptatio ex taciturnitate p missarij.*
8 *Quod temporis interuallum inter acceptationem promissionem annullet promissionem.*
9 *An retractatio promissionis ante acceptation eam annullet.*
10 *An liceat retractare promissionem ante accep tionem.*
11 *De promissione facta absenti.*
12 *Quæ promissio non obliget sub mortali.*
13 *Vnde colligitur voluntas promittentis obligan mortale.*
14 *Quæ promissio obliget sub mortali.*
15 *De vi promissionis in foro ecclesiastico.*
16 *De vi promissionis in foro sæculari.*

1 QVÆSTIO. *Quid est promittere secundum Doctor vulgiq; communem vsurpationem?* RESP. Est al de re bona fidem firmiter dare. De re, dixi, bo quia de re mala non tenet. Vnde promissio prodiga lum obliget intra limites liberalitatis, non vero ad ex sum. Non dixi, de re meliori. Quia in hoc differt prom sio à voto, quod votum est de meliori, promissio ve de bono. Firmiter, dixi: quia vt sit valida promissio quiritur deliberatus consensus. Quare inualida est, q per vim, metum, aut dolum extorquetur, vt notat Cai 2.2. *quæst.* 113. *dub.* 4. & alij. Metus autem satis est lev iuxta Sylu. *rest.* 2. §. 7. dummodo fuerit causa, sine qua vt aduertit Auctor Instructorij 2. *p. cap.* 30. *coll.* 218. etiam erit inualida promissio extorta per nimias prec Secus si per blanditias. Ita Sot. 4. *iust. quæst.* 7. *art.* 1. *prælud.* 6. Ledesm. 2. 4. *quæst.* 18. *art* 5. Nisi tales essent bl ditiæ, quæ hominem dementarent, aut per preces impo tunas cogerent. Et ita videntur loqui Caiet. 2.2. *quæst.* & Med. *de rest. quæst.* 20. Hinc etiam egregiè dixit Sy

reſt. 2. dict. 9. reſtituendum eſſe, quidquid ad ſolam importunitatem petentis, aut blandientis fugiendam donatum eſt.

2 QVÆST. *Obligatne ſimplex promiſſio facta, abſque intentione ſe obligandi?* RESP. Minime. Ita Caietan 2. 2, *quæ.* 88. *art.* 1. Sot. 7. *iuſt. quæſt.* 2. *artic.* 2. Cord. *quæſt.* 156. licet vtatur verbo promittendi. Ratio eſt. Quia promiſſio eſt quædam particularis lex; quam quiſque ſibi imponit; ergo non poteſt obligare vltra promittentis intentionem.

3 QVÆST. *Quæ conditio requiritur ex parte promiſſarij, vt promiſſio obliget ad reſtitutionem?* RESP. Acceptatio. Et ideo optime dixit Mol. *lib.* 4. *de primogenit.* acceptationem eſſe de eſſentia promiſſionis. Eleganter ſatis hanc rem expoſuit Salomon. *Prouerb* 6. Illaqueationis metaphora. *Si ſponderis, illaqueatus es verbis tuis.* Nam in laqueo oportet, vt pedem injcias, & linea retineat, aliter non illaqueaberis, ita in promiſſione oportet, vt promittas, & alius acceptet promiſſionem. Hinc colliges promiſſionem vt obliget neceſſario, debere eſſe aliquo externo ſigno declarata. Quia cum neceſſe ſit, vt acceptetur, non poteſt acceptari, niſi appareat promiſſio; non poteſt autē apparere, niſi aliquo externo ſigno manifeſtetur, fit vt externa eſſe debeat ad obligandum. In quo differt à voto, quod cum ſit promiſſio Deo facta: Deus autem introſpiciat cor, corde tantum propoſitam, & factam acceptat. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 1 & *in* 3 *ſentent. diſtin.* 38. *quæſt.* 1, *art.* 1. *quæſtiuncula* 1. Abulenſ. *ſuper cap.* 5. Leuit. *quæſt.* 4: & *ſuper* 3. *Num quæſt.* 44. Quam doctrinam, vt communem ſupponunt Bonauentura *in* 4. *diſt.* 25. *quæ.* 1. & alij.

4 QVÆST. *Teneturne promiſſor interior manifeſtare promiſſario interiorem, aut externam occultam promiſſionem, & quærere ab eo, an acceptet?* RESP. Affirmat Ledelm. 2. 2. *quæ.* 18. *art.* 1. *dub.* 3. Negandum tamen conſtat ex *L. Abſenti. ff. de donationibus* & ex communi ſententia. Quia promiſſio non fuit facta de manifeſtanda promiſſione, ſed de danda re promiſſa: hæc vero non debetur, niſi acceptetur. Ex hac doctrina manifeſte infertur concluſio certa in materia de voto, ſcilicet eum, qui Deo vouit, aut iu-

ramento promisit interna promissione se daturum ea tum ad nuptum Bertæ orphanæ, teneri votum iuratu coram DEO implere: nullam tamen inde Bertæ eman debiti vim ex parte promissionis, sed posse commu in aliud pium opus, sicut & alia pia vota. Quod tam non posset, si à Berta acceptaretur.

5 QVAEST. *Si promissarius leuiter acceptet, quanquam promissor intenderit se grauiter obligare, manetne liber?* RE Manet. Quia vinculum debebat ex vtraque parte ag retineri.

6 QVÆST. *Vnde colligetur quis acceptare?* RESP. Si xerit Facies, si tibi placuerit, aut quid simile. Indubita ter: ergo si à promittente vnum, aliud petat. Vnde si p mittas seruum Sempronium, respondeat: da mihi pot Pamphilum. Ab vtroque enim dando liberaris. Ita cernitur *L. 1 ff. de verb. oblig.*

7 QVAEST. *Si promissarius taceat?* RESP. Consent videtur, & ita obligare promittentem. Quæ taciturnit saltem in promissionibus literalibus, & vtilibus satis co sensum declarat. Ita Barthol. *L. 1 Cod. de pact.* & alij, q refert Couar. *ad Rubric. de reg. numer. 3.* Imo, & in on rosis contractibus, quando ex indicijs satis consen per taciturnitatem manifestari indicatur; vt fit in co tractu sponsaliorum, & matrimonij, sicuti decernit *capit. vnico desponsat. impub. lib. 6.* Quæ quidem indic nisi constarent ex ipsa præcisa taciturnitate, dubia ne neret acceptatio. Quia iuxta proloquium satis trit qui tacet, nec fateri, nec vtique negare videtur. Et in h sensu vera est opposita sententia Ant. Gom. *2. resol. cap numer.*

8 QVAEST. *Quod interuallum inter promissionem, & ceptationem annullat promissionis obligationem?* RESP. S lum illud, quod tollit consensum promittentis: proinde in conscientia obligat promissio, quæ perse rat vsque ad acceptationem, licet post aliquod inter lum detur.

In foro externo iuxta leges Cæsareas. *L. Contin. ff. verb obligat.* Gloss. *ibidem* quodlibet interuallum de ob ligat. Verum iuxta leges Lusitanas *lib. 4. Ordin. tit.* Castellanas *lib. 3. Ordin. tit. 8.* hæc celebritas non requi tur, &

ritur, sed vt in foro animæ, ita in foro iudicij promissio quouis modo acceptata obligat. Potestne promissor soluere fidem datam retractando promissionem, ante promissarij acceptationem? RESP. Potest. Hanc veritatem omnes supponunt, cum aiunt solam promissionem acceptam inducere restituendi obligationem.

9 QVAEST. *Peccabitne promissor retractando promissionem ante acceptationem circa rem, quæ postulat impensam considerationem?* RESP. Nunquam quidem contra iustitiam. Aliquando vero peccabit contra constantiam, & honestatem. Contra quam ex suo genere, nunquam lethalis culpa contrahitur.

10 QVAEST. *Quæ acceptatio sufficit circa promissionem factam absenti?* RESP. Ea, quam promissarius dat, factus certior per nuntium, aut Epistolam missam ab ipso promittente. Non vero ea, quam dat factus certior de promissione ab aliquo, qui eam audiuit, nisi promissor eo animo promiserit, vt quilibet posset denunciare promissario. Ita Instruct. 2 *p. cap.* 27 *col.* 195. cum plurimis, quos citat, & sic iudicandum in vtroque foro poli, & iudicij. Qui animus si non constiterit, iudicanda est promissio nulla ex defectu promittentis intentionis.

11 QVAEST. *Quæ promissio facta, & acceptata non obligat sub mortali?* RESP. In primis officiosa, quæ fit ad amicorum animos conciliandos, & honestam educationem liberalium, ingenuorumque hominum ostendendam: vt cum dicitur, promitto me facturum; quidquid in me fuerit. Dono tibi non me, sed mea: & similia. Ita *cap. Cum venissent de constant.* Deinde, promissio, quę fit de re parui ponderis: nam in quauis lege excusat paruitas materiæ. Nec cõtrariũ docuit Sot. 7. *iust. q.* 2. *ar.* 1 *ad* 1. vt illi tribuit Palat. super Caietan. *verb. perfidia.* Tertio; ea promissio, qua promissor non intendit se prorsus ex debito iustitiæ obligare; sed ex solo debito honestatis. Quia hoc honestatis debitum non obligat sub mortali. Ita Caiet. 2. 2. *quæst.* 113 Tabien. *verb. pact.* §. 2 Sylu. *ibid. nu* 4. Cord. & Instruct. cit. D. Ant. 2. *p. tit.* 10 *cap.* 1 § 4 Ricar. *in* 4. *d.* 38. *ar.* 3. *qu.* 3 Hunc vero esse cõmunem obligationis modũ, quo in communibus promissiooibus se homines volunt obstringere, censuit Caiet. prox. collegitq; ex f. equenti

vsu promissionum, Credo equidem neminem sibi ade dirum hostem, vt in liberalibus promissionibus ve non solum rem suam liberaliter donare, sed vlteri ad donationis exequutionem animam gehennæ obl gare.

13 QVÆST. *Vnde colligetur intentionem promittentis se tu luisse obligare sub mortali?* RESP. Ex publico testimoni quo promissionem confirmauit scripto, aut verbo coram testibus, aut ex alijs indicijs manifestis. Hoc dicen pro hæredibus promissoris, si obijt ante promissionem satisfactam. Qui sibi dubitant probabiliter de hac obli gatione, tuto se priori confirmare poterunt, quia melio est conditio possidentis.

14 QVAEST. *Quæ promissio accepta obligat sub mortali* Ea, qua promissor se vult obligare ex debito iustitiæ Probatur, quia transgressione promissionis grauiter læ ditur ius humanæ societatis, ergo in ea lethalis culp committitur. Neque Caietan. censuit promissorem no se posse ex iustitia obligare, sed vt plurimum velle hon estatis, fidelitatisque obligationem solam contrahere sub veniali. Enimvero licet obscure loquutus sit 2.2. qu 89. *art.* 1. *& 3. ad* 1. *& quæst.* 113. *art.* 1. clarissimè tamen lo quutus fuit *in sum. verb. Perfidia.* Quem locum forsa Sot. non legit, & ideo Caietanum falsæ opinionis insi mulauit.

15 QVAEST. *Quam vim habet promissio acceptata in fo externo ecclesiastico?* RESP. Promissio nuda (ita vocant hoc est facta sine causæ expressione, compellitur in ec clesiastico foro adimpleri. Ita decreuit Concil. Tolet *cap.* 1 *de pactis,* compellitur etiam per maiorem excom municationem, vt *ibidem* exprimitur. Vnde satis claret in promissione simplici facta & acceptata dari aliquando culpam mortalem, si quidem absque illa maior excom municatio ferri nequit.

16 QVAEST. *Quam vim habet simplex promissio, seu nuda (quam iuris Cæsarei periti appellant nudum pactum) in fo ciuili?* RESP. In Lusitania appellatur donatio liberalis, & pro ea datur actio, vt patet ex Ordinationibus. Item in tota Castella, vt claret *libr. quinto Ord. L. tertio.* Non da tur tamen in iure Cæsareo. *L. iur. gent ff. de pact. § Sed cum.*

& § Igitur

& §. *Igitur*, Ita censuit Diu. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 3. *ad prim.* Ratio, quæ legislatorem mouit ad permittendum hoc peccatum, quod punit ius canonicum, fuit, vt tollerentur lites, quemadmodum aduertit Couar. *secunda p. cap. Quamuis*, §. 4. *numer.* 13. vel ad tollendam occasionem compellendi indeliberatam, vel inconsideratam promissionem, vt vult Gregor. Lopes *super L.* 1. *titul.* 11. *partit.* 2. Hæc dixerim de simplici, ac nuda promissione. Nam si iuramento fuit confirmata, grauiter obligat in omni euentu, si adhuc illius executio bona est. Conclusio est D. Chrysostomi *tom.* 1. *super Psalm.* 14. colligitque eam ex graui pœna, qua Deus ipse certam factam, & iuratam promissionem fractam punit, quod tale fuit. Astu Gabaonitæ illusi Iosue, & Principes filiorum Israel, iurando promiserunt eis se eorum ciuitates, ac fortunas intactas relicturos, cum reliquos ferro flammisque exscinderent. Ita enim sacer textus Iosue 9. *Fecit Iosue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus est, quod non occiderentur, Principes quoque multitudinis iurauerunt eis.* Transactis autem annis sexcentis, regnante Saule rupta pace, non est statum promissis, occiditque eos, & eorum destruxit vrbes Saul. Puniuit vero Deus fractam fidem morte ipsius Saulis, & filiorum, vt narratur *prim. reg. vlt.* Insuper acerbissima fame trium annorum, iam regnante Dauid, cuius supplicij causam, cum Dauid a Deo peteret, responsum accepit huiusmodi. 2. Reg. 21. *Propter Saul, & domum eius, quia occidit Gabaonitas.* Quod cum audisset Dauid, Gabaonitas rogauit, quid vellent sibi restitui pro damno, ijsque postulantibus duos tradidit filios Saul, & quinque nepotes ex filia Michol cruci affigendos in pœnam. Quod supplicium Chrysostomus perpendens certam collegit sententiam hisce verbis. Si ergo post sexcentos annos Deus iusiurandum vindicauit, & cum alij iurassent, alij, qui iusiurandum violarunt, dederunt pœnas, quid patiemur, qui peieramus?

(.·.)

CAPVT XVI.

De obligatione restituendi donationem.

De acceptatione requisita ad valorem donationis. §. 1.

1 *Vtrum ad donationis valorem ob pias causas req ratur acceptatio.*

2 *An reuocari possit donatio promissa post certum t pus.*

3 *An donatio reuocari possit facta ad diuisionem alio, ante ipsam diuisionem.*

4 *An reuocari possit donatio facta absenti, & accep ta à suo procuratore.*

5 *An teneantur hæredes donatoris reddere dona nem quæ in vita non fuit acceptata à donata absente.*

6 *Succedunt ne hæredes donatarij, qui obijt ante nationem.*

7 *An possit reuocari donatio facta infanti ante r rationis & à tutore, suo nomine, acceptata.*

1 QVÆSTIO *Sicut ad promissionis, ita & ad donatio obligationem requiritur, (vt suppono) acceptatio, lo do ex natura rei. Requiriturne etiam cum facta pias causas?* RESP Negat Couar. 3. *p. rub. de test.* nu. 13. *resol cap.* 14. *num.* 14. Iul. Clar. *de donatio quæst.* 12. *dec.* cum plurimis quos citant, aiuntq; esse opinionem c munem. Affirmant Angel. & Sylu. *verb. pollicitatio*, & detur satis manifesta sententia *L.* 1. *de pollicit.* Dicen tamen ex legibus, ac iure Cæsareo solum dari facult cuilibet priuatæ personæ acceptandi donationem p causas, nisi tamen acceptetur, in conscientia non obli re, ac prpinde ante acceptationem donatorem posse retractare.

2 QVÆ

æ QVÆST. *Dedit Titius equum Petro ea conditione, vt post annum illum reddat Francisco, potestne ante expletum tempus donationem illam secundam reuocare?* RESP. Potest, ita Barth. *in L. Quis Romæ § Flauius. ff. de obligat verb.* & multi alij, quos refert Gomez ad *L. Tauri num.* 9. Mol iurist. 4. *de primog. num.* 74 Nauar in Apolog. *reddit. qu.* 1. *monit* 71 Cou. 1. *resol. cap.* 4. Clarissimè id decernitur *L. Aristo. ff. de donation.* vbi talis contractus appellatur innominatus: in cõtractu vero innominato licet recedere, dum res integra est, iuxta leges & iura, quæ refert Cou. *proxime cit. num.* 117. Ratio totalis est, quia iste iudicatur fuisse consensus tali modo donantis vt nollet intra tempus à se facultatem reuocandi donationem abdicare. In foro tamen conscientiæ standum est donatoris voluntati, & non legum præsumptioni, ac proinde si illa fuit absoluta, donatio tenet: si non constiterit, quia donator post reuocationem obijt, standum probabilioribus indicijs.

3 QVÆST. *Donauit Titius Petro absolutè centum hac conditione, dummodo cum Francisco absente diuidas, potestne donator reuocare donationem diuisionis?* RESP. Si donatio facta fuit intuitu absentis, & illius ratione Petro præsenti facta fuit, reuocari non potest, quia ibi data fuit acceptatio, & vera donatio: si vero illa facta fuit intuitu Petri præsentis, & in illius solam vtilitatem, potest quidem, quia ibi non fuit vlla acceptatio. Exemplo res patebit. Attulit tabellarius bona nuntia fœminæ de amasio, fœmina amore perdita, vt tabellarius amasio ferret centum, dedit tabellario ducentos aureos, dicens, diuidite inter vos. Ita Couar. 1. *resol. cap.* 24. *num.* 13. §. *Tertio apparet.* Nam centum dedit propter amasium, non vero propter tabellarium.

4 QVÆST. *Qui donauit absenti, cuius procurator legitimè acceptauit donationem, potestne illam reuocare ante donatarij propriam acceptationem, an tenetur illam expectare?* RESP. Rem non inuenio apud Doctores solutam. Vnum certũ est, non teneri donatorem ante donatarij expressam ratihabitionem, rem donatam tradere, vel mittere. Crediderim tamen ad huiusmodi ratihabitionem expectandam obligari.

5 QVÆST. *Obijt donator, antequam donatarius acceptaret aut ratam haberet donationem, suo nomine factam, tenetur talis donatio, ita vt hæredes ad illam obligentur?* RESP. Tenet quidem. Ita Mol. Iurista *lib. 4. de primogenit. num.* 66. & Couar. *3. par. rubr. de test. num.* 13. Ratio illorum est, quia hæredes succedunt obligationi reali defuncti, cui igitur donator teneretur donationem acceptatam reddere, ita & illius hæredes, licet ante obitum donatarij pro locorum longitudine acceptata sit.

6 QVÆST. *Mortuus est donatarius ante donationis acceptationem, vel ratihabitionem factam ab eo, qui potest pro nomine acceptare, succeduntne hæredes illius in donationis acceptationem?* RESP. In hac re attendenda est donatoris intentio, colligendaque ex probabilibus indicijs, & iuxta eam iudicandum. Atque ita interpretandæ sunt leges, quas pro vtraque parte adducunt Mol. & Couar. *citatis.*

7 QVÆST. *Donatio facta infanti ante rationis vsum, à tabellione acceptata, vel alio, qui iure potest acceptare, est irrevocabilis, an expectari debet infantis ratihabitio?* RESP. Expectanda est infantis ratihabitio, & ante illam irrevocabilis est. Ita Cou. 1. *resol. cap.* 14. *numer.* 13. probatque iure, cum multis iuris doctoribus, quos refert. Imo Mol. Iurista *lib. 4. de primogenit. cap. 2. num* 75. probabiliter credit huiusmodi donationem non egere acceptatione, sed acceptam esse à iure. *L. penult. Iubemus. Cod. de emancip. ad finem.*

De insinuatione requisita ad valorem donationis.

1 *Quid est insinuatio.*
2 *De celebritate requisita ad insinuationem.*
3 *Quæ donatio est irrita facta absque insinuatione.*
4 *Ad quam partem donationis annullandam requiratur insinuatio.*
5 *An donator possit renunciare iuri celebritatis insinuationis.*
6 *Cuius rei donatio est irrita absque insinuatione.*

7

7 *An omnis donatio excedens summam à legibus permissam donari, indigeat insinuatione.*

8 *An sit valida donatio omnium bonorum præsentium.*

9 *An sit valida donatio omnium bonorum tam præsentium, quam futurorum.*

10 *Quas ob causas possit quis se priuare potestate testandi.*

11 *An teneatur donatarius restituere donatori excessum vltra summam à legibus concessam donari.*

12 *An leges annullantes donationis excessum vltra summam taxatam, prohibeant donari talem excessum.*

13 *An teneat donatio iurata, quo ad excessum vltra summam à legibus taxatam.*

14 *Ostenditur, quæ modo leges irritantes excessum donationis, non sint prohibentes simul.*

15 *An quis possit renunciare iuri insinuationis.*

1 QVÆSTIO. *Quid est insinuatio requisita ad donationis validitatem?* RESP. Est manifestatio donationis in iudicio approbante illam iudice, vt bonam, & absque vi, dolo, aut fraude libere factam.

2 QVAEST. *Quæ celebritas requiritur ad insinuationem?* RESP. Iure Lusitano huiusmodi approbatio fieri debet à Rege, regijsve Senatoribus *lib. 4. Ordi. tit. 54.* interrogandique non tantum donans, sed etiam vicini de libera donantis voluntate. Iure vero Castellano satis est, si fiat à supremo Gubernatore loci, *lib. 9. Ordin. tit. 4. part. 5.*

3 QVÆST. *Quæ donatio est irrita, facta absque insinuatione?* RESP. Est ea, quæ excedit quingentos subditos. *L. vlt. Cod. de donation.* & Institut. *de donation. §. alij.* Iure Lusitan. *libr. 4. Ordin. tit. 54.* quæ fit à viro vltra trecentos aureos, à fœmina vltra centum quinquaginta. Iure Castellano idem decernitur, quod iure Cæsareo, si pro solido aureum nummum intelligamus *libr. 1. Ordin. tit. 4. par. 5* Solidum vero esse aureum nummum volunt Greg.

sup legem nonam, titul. 4 par 5. & Couar. *de collat. numis-tum, §. 2. num. 10* Quoniam vero tempore promul-nis iuris Cæsarei, & Castellani maior erat rerum cop-pecuniarum inopia, modo vero è contra, recte notant-risperiti, iuxta mentem legislatoris valere modo, do-tionem maiorem quingentis solidis, nimirum vsque-sentingentos Ita Iulius Clarus in suis *sent. lib. 4. §. dona-quæst. 5.* & ita se iam in iudiciali foro obtinuisse asse-Iason *L. 2. §. ex his. ff. de verb. obligation.* Imo Donnas *cel. reg. iur. regul. 229. limit. 19.* asserit validam esse vsq-ad mille aureos: quem sequitur Iulius Clar. *vbi sup.* Ratio est manifesta, quia valor est formalis ratio pe-niæ, vt pecunia est(vt iam dixi, cum de vsura egimus ideo, eo aucto, aut minorato, augenda est pecuniæ sũm aut minuenda. Et ideo in omni lege, & pro omni reg attendendũ est promulgationis tempus, & perpendẽ-tunc pecuniarum valor respectu temporis donatio Quod maxime aduertendum est pro infligendis pœ-contra fures; nam fieri potest, vt pro pecuniarum carit in vno tempore magnæ à legislatore decernantur pœn-quæ mitigandæ pro alio, cum auro regnum abundat, minoris æstimatur, quam antea.

4 QVAEST. *Quantum est irrita donatio absque insinua-ne vltra summam à lege taxatam?* RESP. Quo ad exce-sum tantummodo. Ita apertè declarauit legislator Lu-sitanus *loco citato.*

5 QVÆST. *Valebitne cum renunciatione huius celebrita-facta ab ipso donatore?* RESP. Minime. Neque ad hoc renunciandum habet potestatem donator. Ita Iuli-Clarus, *1. p. legis. 2. de rescindend. vend. num. 25.* post Bartho-lum, quem citat, & alios.

6 QVÆST. *Cuius rei donatio est vltra summam dicta-irrita absque insinuatione?* RESP. Rei præsentis, non futu-ræ. Et ideo nõ est irrita donatio facta à filio de vsufruct-bonorum aduentitiorum ipsius filij. Ita Gom. *2. resolu-ca. 4. nu. 10.* Nec etiam illa, qua promittitur summa quo-annis, non excedens sigillatim prohibitam quantitatem *L. 1. Sancimus. §. Si quis autem, Cod. de donat.* iuxta Bart. Bald. & Doctores communiter, quos refert Gom. cita-*cap. num. 10.*

7 QVÆST.

7 QVÆST. *Indigetne omnis donatio insinuatione, cum excedit dictam summam?* RESP. Minime. Et ideo non ea indiget donatio remuneratoria pro seruitio pretio æstimabili. Neque quæ fit ex contractu oneroso. Neque quæ fit ob reciprocam donationem sibi factam. Ita Doctores communiter, vt videre est decisum apud Gam. *decis.* 213. 302. 161. Ratio est, quia istæ donationes, non sunt simpliciter liberales, sed potius ex quasi contractu: do, vt des: vel do quia dedisti. Item neque ea donatio, quæ fit in pias causas, hoc est Ecclesiæ, pio loco, pauperibus. Ita Felin. Bart. Ioannes And. & alij quos refert, & sequitur Dyn. *regul.* 224. *num.* 6. & Gabrielius *lib.* 3. *de donat. conclus.* 1. *nu.* 28. Angel *don* 1. § 10. Sylues. *ibid. quæ.* 4. Probatur. Quia, vt habetur *in Auth. Cæsar.* optima mensura Ecclesiæ dotare. Item donatio facta ab imperatorum est immensitas. Item donatio facta ab imperatore, seu Principe non recognoscente superiorem, seu facta ipsi Principi *L. Sancimus. L. penul. Cod. de donat.* & *Authentic. super eandem legem, sancimus cit.* Item donatio facta à iudice, seu magistro militum in fauorem militiæ, ita decernitur legibus cit. Item donatio facta causa dotis. *L. vlt. Cod. de iure dotium.* Item donatio pro reficienda combusta aut collapsa domo; quamquam diuitis sit.

8 QVÆST. *Estne valida donatio omnium bonorum præsentium, quamquam illa omnia bona non excedant summam taxatam absque insinuatione?* RESP. Iure Castellano irrita est. *L.* 69. *Tauri*, vbi Gomes. latè id probat.

9 QVÆST. *Estne irrita donatio omnium bonorum, tam præsentium, quam futurorum?* RESP. Irrita quidem. Id decernitur, tam iure Cæsareo, quã iure Castellano, quod affert Gomes *L.* 69. *Tauri*, atque etiam iure Lusitano *lib.* 4. *Ord. tit.* 44. *§. penult.* Ratio legum est, quia est contra bonos mores, & ipso naturæ iure illicitum priuare hominem iure testandi, absque rationabili causa. Ac proinde sola irrita esset donatio, in qua donans nihil sibi reseruaret, vnde spem decenter testandi habere posset, vt notant Bart. & plurimi, quos refert Couar. *lib.* 3. *resol. capi.* 12. & Iulius Clarus *in sentent lib.* 4. *§. donat.*

10 QVÆST. *Quæ esset iusta causa se priuandi potestate testãdi, & ideo valida donatio?* RESP. Paupertatis amor, omnia pauperibus distribuendo, vel pijs operibus iuxta Christi seruato-

seruatoris consilium. *Matth. 19. Vade vende omnia, quæ habes, da pauperibus, & veni sequere me.* Ita communis sententia cum Bart. quæ refertur *lib. 4. communium opinionum.* Deinde ingressus religionis, vt notauit Pincian. *2. succession §. 18. num. 92.*

11 QVAEST. *Quid donatarius vltra licitam summam mandatam accepit, teneturne in conscientia restituere donatori excessum?* RESP. Minime quidem. Ratio est, quia leges irritantes illum donationis excessum, sunt præsumptiuæ, suspicantes dolum, vim, aut fraudem, atq; ad illa tollenda requirunt insinuationis celebritatem. In foro vero conscientiæ standum est veritati. Cum igitur constet donatario deliberata donatoris voluntate, tuto potest retinere excessum.

12 QVAEST. *Tua quidem resolutio ex alia pendet: an scilicet leges prohibeant fieri excedentem donationem?* RESP. Minime quidem prohibent, quia nullum est verbum (vt patebit perscrutanti) quod hanc prohibitionem continet. Imo Bal. Angel. & alij, quos refert Gregor. *supra*, id affirmarunt. Et confirmat præscripta forma, a Legislatore Lusitano *lib. 4. Ordin. tit. 54.* vt scilicet fiat donatio, posita insinuationis, quo ad excessum, perscrutatio.

13 QVAEST. *Donatio facta absque insinuatione pro excessum, iurata tamen, valetne in foro externo?* RESP. Valet. Ita Iulius Clar. *§. cit. quæst. 18.* & Gabrielius *supra*, aiunt esse communem opinionem. Ratio est, quia leges irritantes excessum donationis, præsumunt dolum, aut fraudem; hæc autem præsumptio satis tollitur per iuramentum.

14 QVAEST. *Quomodo fieri potest, vt donatio absque insinuatione sit irrita, quo ad excessum, & non sit prohibita?* RESP. Ratio est, quia istæ leges irritantes excessum sunt ex ijs, quæ licet propter bonum commune, principaliter tamen propter bonum singularium conditæ sunt; & ideo ita in vtilitatem cuiusque dant irritandi actionem, vt minime prohibeant factum. Ita Nau. in *comment. Iubil. not. 31. num. 51.* & Cou. *2. p relect. cap. Quamuis. §. 2. num. 7.* cum alijs, quos refert.

15 QVÆST. *Potestne quis renunciare iuri insinuationis?* RESP. Potest. Patet. *L. Si quis conscrib. Cod. de pact.* vbi decernitur posse quemuis renunciare his, quæ in suum fauorem constituta sunt.

De

De reuocatione donationis. §. 2.

1 *Reuocari potest donatio propter mutuationem rerum, & propter ingratitudinem.*

2 *Vtrum reuocari possit donatio propter adulterium, vel stuprum commissum à donatario.*

3 *An ingratitudo donatarij facta, post beneficium, quo affecit donantem, causa sit sufficiens ad reuocandam donationem.*

4 *Reuocari potest donatio propter insperatam filiorũ natiuitatem.*

5 *Quo iure insperata filiorum natiuitas reuocet donationem*

6 *Insperata filiorum natiuitas non reuocet donationem, cum illius meminit donans.*

7 *Vnde colligetur talis recordatio.*

8 *An post ortum insperati filij donatio fit iure naturali reuocata, & nulla.*

9 *An sint restituendi fructus rei percepti ante filiorum natiuitatem.*

10 *Post filiorum natiuitatem subticuit donans, & fructus rei donatæ non petijt: sunt ne illi restituendi.*

11 *Vtrum filij post patris obitum possint donationem petere, quam pater viuens, cum posset, non reuocauit.*

12 *An pater, qui post filiorum insperatam natiuitatem potuit donationem reuocare, & non reuocauit, dum filij viuerent, possit post illorum mortem, donationem reuocare.*

13 *An reuocari possit donatio facta post aliquorum filiorum natiuitatem propter subsequentium filiorum ortum.*

14 *An insperata filiorum natiuitas irritet donationem factam ob causas pias.*

15 *An subsequens filij secundi natiuitas irritet donationem factam primo filio.*

16 *De donatione facta extraneo, sub plenitudine quamuis habeat postea filios.*

17 *Qui censetur extraneus.*

18 *De donatione facta extraneo absolute.*

19 *De donatione facta per mandatum.*

20 *An sit absolute verum proloquium Iuristarum mandatum re integra expirare morte mãdantis.*

1 QVÆSTIO. *Quibus ex causis reuocari potest donatio.* RESP. In primis ex mutatione rerum. Ita D. Th. 2.2. *qu.* 110. *art* 3. *ad* 3. Caietan. 2. 2. *qu.* 113. *dub* 4. Abulens. *qu.* 265. *supra ca.* 5. *Matth.* Quæ mutatio tanta esse debet, vt ponderatis circumstantijs rerum, & personarum satis esse in causa censeatur transgrediendi promissionem & donationem. Secundo, etiam licet donationẽ iam firmam, & obligatoriam reuocare propter ingratitudinem donatarij. *L. vltim. Cod. de donat.* iure Castellano *L. penult. tit.* 4 *part.* 5. iure Lusitano *li.* 4. *Ord. tit.* 55. Ingratitudo vero satis probatur per grauem iniuriam donatori præsenti, vel absenti factam. Quæ vero ea sit in vtroq; foro, relinquitur prudentis iudicio, iuxta easdem leges. Sed est manifesta cum donatarius percussit donatorem ligno, lapide, aut ferro: si illi violentas manus iniecit, vel grauem damnum procurauit.

2 QVAEST. *Estne alia ingratitudinis species donationem reuocans iuxta easdem leges?* RESP. Adnumerarunt aliqui adulterium donatarij cum vxore donantis, & stuprum cum filia. Ita Card. de Lara *sup Leg si quis à liberis.* idẽ Index *num.* 58. & 59. Syl. *donatio.* 1. *qu* 13. cum pluribus, quos citant. Ratio eorum est: Quia vbi eadem ratio est, eadem videtur esse iuris dispositio, iuxta *L. Illud. ff. ad legẽ Aquiliam.* Hoc tamen fundamentũ falsum est in legibus penalibus. Et ideo oppositã sententiam tenent Glos. *Leg. In condẽnatione. ff. de regu. iur.* Bald. sup. *L. vlt. Cod. de donat. reuoc.* vbi expresse id videtur decretũ. Nam cum quinq; apro-

fuisse

fuisset reuocandi causas ait: *Ex his tantum modo causis donationes euertuntur* Præterea, cum res sit dubia, & incerta circa legislatoris mentem, in fauorem delinquentis inclinandum est. Nec mirum, si leges hanc ingratitudinis causam impunitam reliquissent, cum multa alia peccata permittantur.

3 QVÆST. *Superest adhuc graue dubium. Vtrum propter ingratitudinem donatarij, possit donans donationem reuocare, si prius ab ipso donatario, alijs beneficijs affectus fuit?* RESP. Affirmatiue respondendum puto, si donatio non facta fuit in remunerationē priorum beneficiorum, sed simpliciter ex beneficentia. Secus si ob talem remunerationem fuit impensa. Et hac ratione conciliari possunt Tiraquel. *L. Si vnquam.* & Iason. *Leg. Si pecunia ff Si certum pe atur.* cum negant: Atq; Guilel. & Alber. *super eandem legē*, quos refert Pinel, 3. *par Leg.* 1. *Cod. de bon. mater. nu.* 62. cum affirmant. Quia aliquando est pura donatio, & reuocari potest; aliquando est remuneratio, & tunc reuocari nequit.

4 QVÆST. *Reuocarine potest donatio propter insperatam filiorum natiuitatem?* RESP. Potest. Ita expresse decernitur *L. Si vnquam. Cod. de donat reuoc.* & *L.* 8. *tit* 4. *par.* 5.

5 QVÆST. *Hæc donationis reuocatio ob filiorum insperatam natiuitatem, fit ex solo iure positiuo, an etiam naturali?* RESP. Etiam ex iure naturali. Habet enim illam annexā conditionem, nisi filios postea suscipiam. Et ideo recte dixit Salicetus, *L. Si vnquam* citata, illud ius positiuum esse meram declarationem iuris naturalis.

6 QVÆST. *Quid, si donans tempore donationis de filijs forsitan nascituris cogitauit?* RESP. Non potest tunc donationē reuocare. Ita Iul. Clarus *§. citat donatio. qu.* 2. atque esse communem sententiam.

7 QVÆST. *Vnde satis colligitur in foro externo hæc filiorum recordatio?* RESP. Si donatio facta fuit in contractu matrimonij, aut dotis. Ita Tiraquel. Boetius, & alij quos refert Gabriel, *lib.* 3. *conclu.* 2.

8 QVÆST. *Estne irrita ipsa donatio ipso iure naturali post ortum statim filij* RESP. Maxime. Ita Doctores super leges citatas, & Glossæ. Quanquam donatarius iam rem donatam possideat. Quanquā donans iurauerit donationem,

vt alie-

vt asserunt Bald. & Bart. *supr. l. Titiam. §. Si imperator. f. de legat. 2.* Doctores communiter. Ratio est, quia instrumentum habet fundamentum in validitate, aut donationis nullitate, & tantum valet, & obligat, quantum illa.

9 QVÆST. *Suntne restituendi fructus rei donatæ percepti ante filiorum natiuitatem?* RESP. Minime. Ita Archid. & Ripa, quos refert Gabr. *supr. numer. 88.* quia iusto titulo possessi, & comparati.

10 QVAEST. *Si donans post filiorum natiuitatem subticuit, facitne sibi fructus donatarius toto tempore taciturnitatis?* RESP. Facit, nec filij possunt, tacente patre, donationem reuocare. Iason, Faber, Cynus, & alij, quos refert Gomez. *L. 8 tit. 4. partit. 5.* & sequitur. Imo ad ipsam donationem reuocandam, & obligationem restituendi fructus perceptos requiritur declaratio voluntatis donatoris reuocantis. Ac proinde in foro iudiciali solum iudicantur fructus percepti post litem contestatam. Ita Gama *dict. 40.* Quæ decisio sequenda etiam in foro conscientiæ, nisi aliunde non constet expressa donantis retractatio.

11 QVAEST. *Permisit pater donans donatarium res donatas possidere, nec retractauit ante obitum. Possuntne filij illam post patris mortem reuocare?* RESP. Si pater donans sui iuris conscius, tacuit, & aliunde constet ex amicitia, aut coniunctione sanguinis inter illum, & donatarium, tacuisse, quia voluisse censendus est denuo donasse post filiorum natiuitatem, & ita filij non possunt donationem reuocare. Hæc videtur fuisse mens Iul. Clar. *§. donatio quæst. 23.* Si vero è contra se res habeat, possunt, & hæc videtur fuisse mens Gabriel. *sup. concl. 2 num. 23.* Bald. & aliorum, quos citat Gregor. *L. 7 partit. 5.* vt secuti Albertinum, quem ipse refert.

12 QVAEST. *Si donans ante filiorum procreationem post eorum ortum donationem non reuocauit, & illi ante retractationem moriantur, potestne illam post eorum mortem retractare?* RESP. Crediderim non posse, censendumque libere iterum donasse, siquidem sui iuris conscius res donatas a donatario non petiuit. Ita Bartol. vt fatetur Iul. Clar. *§. donatio quæ. 23.* post mortem vero filiorum non datur ratio reuocationis.

13 QVAEST.

13 QVÆST. *Donatio facta post aliquos filios natos, reuocaturne per subsequentium filiorum natiuitatem?* RESP. Minime. Iul. Clar. §. *donatio quæst.* 23. Probatur, quia æquo plane amore, paulo plus, minusve pater priores, & posteriores filios diligit; ergo non est verisimile non fore donaturum propter filios postea natos, quod non negauit propter filios iam antea procreatos; imo regulariter loquendo impensius pater priores, quam posteriores filios deperit.

14 QVÆST. *Donatio facta Ecclesiæ, vel alij causæ piæ, redditurne irrita propter subsequentem filiorum natiuitatem?* RESP. Minime. Ita Couar. 1. *resolut. cap.* 19. Gomes. 2. *resol. cap.* 14. *num.* 11. *cum Barth.* communisque sententia. Ratio est, quia nemo præsumendus est velle suo bono spirituali filios anteferre. Hæc doctrina intelligenda est, & sequenda pro vtroque foro, circa ea, quæ secundum iura potest pater absque liberorum præiudicio donare, vt *infra* videbimus.

15 QVÆST. *Donatio facta vni filio, redditurne irrita, propter sequentem filiorum natiuitatem?* RESP. Minime. Ita Couar. & Gomes *proxime cit.* Ratio est, quia nequaquam præsumendus est pater voluisse, cum donauit, posteriores filios prioribus anteferre. Si tamen meum proprium iudicium in hac quæstiuncula roges, à citatis auctoribus (pace dixerim, tantorum præceptorum) dissentio, arbitror enim omnem patrem in omni actu, regulariter loquendo, velle filios ad æqualitatem redigere: hæc autem non seruabitur, si priori facta donatio non reuocari possit per posterioris natiuitatem: ex hac igitur præsumpta voluntate reuocabilem censeo in vtroque foro illam priorem donationem.

16 QVÆST. *Si pater ante filiorum procreationem donet extraneo expressis verbis, aut saltem probabilibus indicijs, indicando se velle donare, quamuis postea habeat filios: tenetne donatio?* RESP. Tenet, quoad partem, quam sine filiorum præiudicio pater donare poterat. Est communis doctorum sensus, & ratio manifesta.

17 QVÆST. *Qui in hac materia censetur extraneus?* RESP. Quicunque non est filius legitimus, quanquam sit consanguineus, imo etiam sit filius spurius in incestu, vel

sacrilegio, imo & filius naturalis. Ita Doctores communiter.

18 QVÆST. *Si huic extraneo fiat donatio absolute, si declaratione, licet postea donanti nascantur filij, valeme donatio quo ad partem, quam pater poterat absque filiorum pr iudicio donare?* RESP. Minime. Ita Gomes. *L. 8. part in Scolio (de sua mulher)* Ratio est, quia nequaquam pr sumendum patrem voluisse, hos extraneos legitimis lijs anteponere.

19 QVÆST. *Dixisti supra donationem minime reuocari mortem donantis ante donatarij acceptationem: nunc re an reuocetur per eandem mortem, cum non absolute trad fuit, seu concessa, sed mandata?* RESP. Reuocatur. Ita Mo *disputat. 26.* Sanches *libr. 1 disput. 6. numer. 7.* manifest decernitur. *L. Mandatum Cod. mandati.* vbi dicitur ma datum de re integra morte domini finiri, clarius *L. 2 sed si quis, de donat.* ita textum interpretatur Couar. *Rub de testam 3. p. num 13.*

20 QVÆST. *Putasne in vniuersum veram illius leg Mandatum determinationem, scilicet mandatum re integ expirare morte mandantis?* RESP Minime. Atque in pr mis fallit, cum mandatum est rei, quam post mandant mortem mandatarius exequatur. Ita habetur *Leg. Si ver §. vlt ff. mandati,* & Gloss *citata locis Mandatum.* Item fa lit, cum mandatum est ad pias causas. Ita Couar. *in cap. 14. num. 16.* & probat ex *L. Si pater. ff. & alijs,* & ideo quis mandauerat dari eleemosynam, & ante distributi nem obijt, eleemosyna est facienda. Ita defendit cu plurimis, Tiraquel. *de priuileg. pia causa. nu. 82. & 132. & priuileg. Scholastic. 8.* Item fallit in fauore dotis, & fauo scholasticorum, iuxta opinionem Tiraquil. cit.

De donatione conditionali. §. 3.

1 *Quæ sunt genera donationis.*

2 *An donatio conditionalis valeat ante impletam conditionem.*

3 *Vtrum donans possit reuocare donationem conditionatam, acceptatam à donatario, ante impletam conditionem.*

4 *An mortuo donatario, ante impletam conditionem, donatio veniat ad eius hæredes.*

1 QVÆSTIO. *Quot sunt genera donationis?* RESP Multiplicia, sed in duo eam plene distribuere possumus, in puram, & non puram. Non pura est, in qua apponitur, vel conditio, vel causa. Et ideo diuiditur, vt genus in modalem, conditionalem, causalem, & demonstratiuam, tanquam in species.

2 QVAEST. *Donatio conditionalis valet ante impletam conditionem?* RESP. Minime. Ita Syl. *donat.* 1. *quæst.* 18. Ant. Gom. 1. *var. resolut. ca.* 12. *num.* 29. Ratio est, quia donantis voluntas pendet ab illo euentu futuro.

3 QVÆST. *Estne liberum donanti reuocare donationem conditionatam acceptatam à donatario ante impletam conditionem?* RESP. Minime. Sed expectare tenetur conditionis euentum, & si, vt conditio postulat, euenit, tenetur ad implendam donationem. Ita Sylu. *donatio.* 2. *quæst.* 15. & alij.

4 QVÆST. *Hæc donatio conditionalis à donatario acceptata transmittitne spem ad hæredes, si donatarius ante impletam conditionem moriatur?* RESP. Transmittit, & ideo hæredes donatarij possunt illam requirere in iudicio. Non tamen ita se res habet in legato sub conditione relicto: legatario enim mortuo ante impletam conditionem, legatum redit ad hæredes delegantis. Vtrumque probat Couar. *in quæst. practi. cap.* 28. *num.* 4.

De donatione modali. §. 4.

1 *Quid sit modus.*

2 *An modus annullet, vel suspendat donationem.*

1 QVÆSTIO. *Antequam dicas de modali donatione, explica quid sit modus?* RESP. Modus appellatur in donatione grauamen, quod apponitur donatario. V.G. dono tibi centum, vt ædifices domum.

2 QVÆST. *Modus suspendit, vel annullat donationem, cum non impletur?* RESP. Minime, si purus modus sit, quia donatio perfecta fuit, quanquam apponatur grauamen. Dixi (si purus modus est) quia aliquando transit in conditionem. Hinc enim habent, & validitatem dona-

tiones factæ obtento, vel appositio grauamine turpi tacite, vel manifeste, vt quæ sunt fœminæ ad stuprum, vel testi ad periurium, vel iudici ad iniquam sententiam ferendam. Nam donationes intelliguntur factæ absolutæ: grauamen vero turpe non est implendum. Donationes etiam factæ appositio grauamine honesto, licet non impleatur, vt dono ad ædificandam domum. Licet enim ex gratitudine quis teneatur grauamen subire, si tamen non subeat, non teneatur quicquam restituere, quia donatio fuit absoluta.

De donatione causali. §. 5.

1 *Quid est causa.*
2 *Quæ donatio causalis est inualida.*
3 *De eleemosynis factis ob paupertatem, vel sanctitatem ementitam.*
4 *Quid dicendum de ostiatim emendicatis eleemosynis.*
5 *Cui facienda est talium eleemosynarum restitutio.*

1 QVÆSTIO. *Antequam dicas de donatione causali: dic quid est causa?* RESP. Causa in subiecta materia est id, propter quod præsens, aut præteritum fit donatio: explicari vero solet per particulam, Quia pauper, quia consanguineus, quia curasti hæc negotia.

2 QVÆST. *Quæ donatio causalis est inualida?* RESP. Quæ fit ob causam, vt finem, & talis causa non existit, cum enim donatio habet vim à libera donantis voluntate, voluntas vero donantis est dare si existat talis causa, & non aliter, ea non existente, non est donantis voluntas. Est vero donatio valida, quando causa fuit tantum impulsiua, sine qua donans non moueretur ad donandum, quia donatio fuit omnino libera. Ita omnes.

3 QVÆST. *Quid censes de eleemosynis factis intuitu, & causa paupertatis, aut sanctitatis, cum re vera non sit paupertas, nec sanctitas?* RESP. Res est adeo à Doctoribus agitata, vt quid inter eos constet, ferme ignoretur. Veritas quidem

quidem eſt, ſi donans animum habeat tantummodo dandi, ſi vera ſit paupertas, & ſanctitas, propter quas dat, & non aliter, donationem tantum valere, quantum vera eſt paupertas, & ſanctitas, aut falſa, quia donatio non extenditur vltra donantis intentionem, & ideo hypocrita, & fictus pauper ad reſtitutionem tenetur, vel non tenetur, iuxta donantis intentionem. Hæc veritas adeo manifeſta eſt, vt probatione non indigeat. Ita Alenſ. *in 4. p. quæſt. 89. membr. 3.* Altiſiod. *lib. 4. de reſtitut.* Adrian. *in 4.* Mol. *diſp. 210.* Nauar. *cap. 27. num. 107.* Nec admittenda diſtinctio Caiet. *verb. reſtit.* de eo, qui ſe fingit ad ſolam ſimulandam paupertatem, aut ſanctitatem: nam validitas donationis non pendet ex intentione donatarij, ſed ſolius donantis. Atque ideo hæc cauſalis donatio, virtualiter eſt conditionalis.

4 QVAEST. *Quid dicendum in praxi quotidiana?* RESP. Crediderim cum diſtinctione eſſe loquendum, nam vel eleemoſyna fuit in magna quantitate, vel in minima, vt regulariter fieri ſolet. Dico igitur, ſi fuit in magna quantitate, exiſtimandum donatorem inuoluntarie, & inuitũ dediſſe; ac proinde non tranſtuliſſe dominium: ſi vero fuit in minima, dediſſe abſolutè pro Chriſti amore. Et in hac minima quantitate vera eſt Soti *opinio 9. iuſt. quæſt. 7. art 3. ad 4.* & Molin. *citata diſput.*

5 QVAEST. *Cui facienda eſt talis reſtitutio?* RESP. Pauperibus dixerunt Alenſ. Adrian. Medin. & Nauar. *locis citatis.* Eorum ratio eſt: quia dantes Chriſto dederunt: & ideo Chriſti hæredibus ſunt reſtituenda, hæredes vero Chriſti ſunt pauperes, & pia opera. Verior tamen eſt Soti opinio aſſerentis eſſe faciendam donatori. Probatur ex argumenti adducti retorſione, quia donans ob ſanctitatem, vel fictam paupertatem, nec Chriſto, nec pauperi voluntarie donauit, cum non ſubſiſtat cauſa, ſeu potius conditio, ſub qua dedit huic particulari pauperi, & non alij. Quæ ratio Molinam Theologum conuicit *loco allegato* ad aſſentiendum Soto. Fateor veram eſſe opinionem oppoſitam, ſi iuxta eorum placitum facienda eſſet minutarum eleemoſynarum reſtitutio. Cum enim aliter fieri non poſſit, ob multitudinem donatorum cenſenda eſt eorum voluntas eſſe, vt fiat alijs pauperibus.

Quantum possunt vxores donare. §. 6.

1 *Quid possunt vxores donare.*

2 *Ob quas causas possit vxor inuito marito eleemosynas facere.*

QVÆSTIO. *Circa personas donantes quæro inprimis Quid vxores donare possint?* RESP. Ad interrogationi satisfaciendum suppono de consuetudine huius Lusitaniæ, & iure Castellæ administrationē omnium bonorum, etiam paraphernalium, atque etiam operæ, & vxoris industria acquisitorum ad solum maritum pertinere, nisi aliter in matrimoniali contractu stabilitum fuisset. Dico igitur *primo*, tam in Lusitaniæ, quam in Castellæ regno, etiam sine viri consensu tacito, vel expresso, potest vxor facere eleemosynas, & donationes, quas mulieres eiusdem status, & conditionis communiter facere solent. Ita Doctores omnes: nam ea censenda maritivoluntas. Dico *secundo*, Etiam si maritus huiusmodi moderatas donationes facere vxori prohibeat, potest vxor eas facere. Ita D. Thom. *in 4. d. 15. quæst. 2. art. 5.* Nauar. *cap. 17. numer. 153.* Abul. *cap. 6. Matth. qu. 57.* Angel. Syl. & alii. Mol. *disp. 274.* Probatur, quia in primis vxor maritopotest existimare intentionem mariti solum esse, illam ab immoderatis donationibus deducere, prohibendo tamen moderata. Deinde, quia in eo eventu maritus est irrationabiliter inuitus: enim vero vxor non est mancipium sed socia bonorum, ac proinde eam, vt sociam in decenti statu tenetur maritus sustentare: ad decentiam vero status pertinet has tenues eleemosynas, & donationes impendere. Dico *tertio*. Quia secundum ius commune vxor habet non solum dominium, verum etiam bonorum paraphernalium, & propria industria, & laborum acquisitorum administrationem, vbi vigeritius commune potest vxor de huiusmodi bonis eleemosynas, & donationes etiam inuito, & contradicente marito facere. Ita D. Thom. *2. 2. quæst. 82. art. 8.* Palud. *in 4. d. 15. qu. 2. art. 6.* Gab. *ibid. d. 16. quæst. 4.* Sylu. & Angel. *verb. eleemosyn.* Ratio est in propatulo, quia in administratione horum bonorum est vxor perfecti sui iuris, nec marito subiecta.

2 QVAEST

2 QVÆST. *Ob quas causas potest vxor inuito marito eleemosynas facere maiores, quam secundum status decentiam, & consuetudinem mulierum eiusdem conditionis facere poterat, & donationes?* RESP. Certum est id posse facere ad vitandum notabile corporale damnum mariti. Ita Palud. Gabr. Nauar. & plerique alij. Probaturque exemplo Abigail. 1. *Reg.* 25 Et præterea ratione, quia damnum viri temporale in ipsam etiam vxorem, bonaque familiæ redundat. Tota controuersia est: an id facere queat ad euitandum damnum mariti spirituale. Affirmant Nau. & Sylu. quos sequitur Toletanus *lib. 3. cap. 1. num.* 87. Negat merito Mol. quoniam spirituale mariti damnum, non ita in vxoris damnum, & familiæ vt temporale redundat, atque extraneus nequit pecunias alterius furari ad impendendas sacrificijs, pro euitandis peccatis domini, ita neque vxor, &c.

Quantum possunt mariti donare. §. 7.

1 *Quantum possunt mariti donare ex rebus domestilij, seu mobilia, ita appellantur.*

2 *An donatarius, qui accepit à marito, quod non poterat donare, teneatur vxorem monere, vt cogat eum numerare donationes in sua parte.*

3 *Quantum possunt mariti donare de rebus immobilibus.*

4 *De donationibus factis concubinis.*

5 *An donatio mariti facta concubinæ sit ipso iure nulla.*

6 *Ad quam restitutionem teneatur maritus vxori ob bonorum profusionem.*

7 *Ad quam restitutionem teneatur ob perdita in ludo.*

1 QVÆSTIO. *Quas donationes facere possunt mariti?* RESP. Quoniã hac de re loquendũ censeo, & scio, iuxta cuiusq; regni particulares leges, dicam quid

hoc noſtro Luſitano legislator ſtatuerit. Ius igitur rega huius *lib. 4. Ord. tit. 64.* ſtatuit circa bona mobilia, vt ſi vel pecuniam maritus donauerit ſine vxoris conſenſu teneatur ipſe, aut eius hæredes ſoluto matrimonio do nationum copiam accipere in partem, quæ illi contin git, exceptis remuneratorijs donationibus, & factis a pias cauſas, dummodo immenſæ non ſint, ſi enim immenſæ ſint, & in vxoris præiudicium factæ, poteſt annullare. Hæc lex politice interpretanda, vt recte nota Mol. *diſputat. 275.* ac proinde iam vſu receptum eſt, quemadmodum diximus de vxore, ita maiori cum ra one dicendum eſt de marito, poſſeque eum inſcia, im repugnãte vxore donationes leuis momenti facere, qua recta bonorum adminiſtratio efflagitat, neque eas i partem poſtea accipere tenetur.

2 QVAEST. *Circa hoc de mobilibus bonis ius, quæro ulterius, an donatarius, qui ſcit maritum inſcia vxore donas quod non poteſt, teneatur illam, aut hæredes eius monere, vel cogant eum accipere donationes in ſuam partem?* RESP. Te netur. Ita Nauar. *num. 155. loci citati.* Si vero vxor inſcia marito donauit, & donatarius ſcit illam nolle accipere donationes in partem, non ſolum tenetur maritum ad monere; ſed ſi id ad reſarciendum damnum per bona vxoris non ſufficiat, tenetur ad donationem. Ita recte obſeruauit Molin. *loco ſuperiori.*

3 QVAEST. *Quid ſtatuit circa bona immobilia?* RESP. Eodem *lib. 4. tit. 48.* ſtatuit, ne ſine procreatione, & expreſſo vxoris conſenſu illa, vel donet, vel alienet, vel vendat; Donationemque ipſam, alienationem, & venditionem caſſat, nullamque reddit.

4 QVAEST. *Quid ſtatuit circa bona, quæ dedit concubinæ?* RESP. Statuit *lib. 4. Ordinat. tit. 66.* vt quidquid maritus concubinæ, vel alij fœminæ, cui carnaliter ſit affectus, dederit inſcia vxore, poſſit eadem vxor, etiam dum eſt in poteſtate viri, vel etiam poſt ſeparationem cauſa mortis, vel diuortij factam, intra quatuor annos illud iudicio repetere: eandemque actionem concedit vxoris hæredibus, quæ ante maritum obijt, & intra idem tempus. Statuit præterea, vt quidquid maritus concubinæ vendiderit, vel pignori dederit, poſſit vxor abſque pretio red

reddito recuperare. Quæ lex intelligenda est in foro contentioso, quod præsumit alienationem factam fuisse in vxoris fraudem, tectamque nomine venditionis, & pignorationis. Enim vero si vxori oppositum constiterit, scilicet maritum accepisse pretium, tenetur illud reddere, vt recte notauit Mol. *loco cit.* Liberam præterea harũ rerum à concubina recuperatarum ius nostrum administrationem concedit vxori ad quosuis vsus, & donationes.

5 QVÆST. *Estne ipso iure nulla donatio facta à marito concubinæ?* RESP. Minime. Imo dominium rei mobilis in concubinam translatum est, si maritus vxorem velit seruare indemnem ex proprijs bonis, quod quidem facere tenetur. Et ideo concubina vxori quidquam ante latam sententiam non tenetur restituere, nisi maritus nolit damnum vxori datum ex proprijs bonis resarcire. Idem dicendum de donatario, quo ad excessiuas donationes. vt æqua ratio manifeste indicat.

6 QVAEST. *Ad quam restitutionem tenetur maritus vxori faciendam de lucris communibus profuse consumptis, absque vxoris consensu?* RESP. Ad nullam illum obligat Nauarr. *num.* 155. *cit.* atque maritum posse illa lucra, dum matrimonium perseuerat absque restitutionis nota impendere, quia est illorum administrator: citatque pro sua sententia Lupum *in rub. de don inter vir. & vxorem.* Oppositam sententiam mordicus defendit Tolet. *lib. 3. cap. 1. nu.* 115 & proinde posse vxorem in morte viri ex mariti bonis occultè compensationem accipere. Quia iura, quæ decernunt lucra esse communia, par dominium, & possessionem æqualem vxori tribuunt, atque marito. Illa enim effusa impensio bonorum lucratorum non administratio, sed dissipatio fuit, pro sua sententia adducit Couar. Hæc Toletani sententia pro nostro regno Lusitano omnino sequenda. Ita docuit Mol. *disputat.* 175. his verbis. *Cum maritus iniuriam vxori faciat dissipando bona vtrique communia, dicendum est si quid insumserit de bonis superlucratis, vel superflue donando, vel, vt se liberet à delicto sua culpa commisso, vel cum meretricibus, aut alio modo cum vxoris iniuria, teneri sumere in partem, quæ ipsum contingit.*

7 QVÆST. *Quid dicendum de perditis à marito in ludo?* RESP. Negat Toletan. citatus nullam restituendi dari obligationem. Ratio illius est, quia ludus est fortuna contractus, & vt perdere, ita lucrari poterat, vnde sicut amissa in alio contractu oneroso communia sunt, etiam vt lucrata, ita & in hoc contractu, &c.

Quantum possunt Religiosi donare. §. 8.

1 *Quæ possint Religiosi donare.*

1 QVAESTIO. *Quæ potest Religiosus donare?* RESP. Religiosus, vel est prælatus, vel particularis: de prælatis dico *primo*. Prælatus religiosorum potest ex conuentus facultatibus, tum competentes eleemosynas facere, tum liberales donationes, quas recta administratio postulare videtur, intra quãtitatem, quæ illi ex superioris præscripto non prohibetur. Ita Molin. *disput.* 266. cum D. Thom. *in 4. d 15 quæst. 2. art. 5.* Abul. *quæst. 10. in cap 6 Matth.* Med. Cord. *de eleemosyn. quæst. 4.* Nau. *cap. dicatu, num. 11* quanquam Nau. perperam prælatiam appellat beneficium ecclesiasticum, & nimium hanc potestatem extenuat. Dico *secundo* Religiosi particulares, qui nullam habent bonorum monasterij administrationem, dum in monasterijs versantur, nihil sine superioris facultate donare possũt, etiam ad pias causas, & eleemosynas. Dico *tertio*. Ijdem particulares religiosi, dum à monasterio ex licentia peregrinantur, vel studiorum causa alibi cõmorantur, eleemosynas, & donationes de suo viatico facere possunt, quas honesti sæculares suæ qualitatis, & honesti scholastici facere solent. Ita Nauar. *cap. Non dicatis, num. 8.* D. Thom. *2. 2. quæst. 23. art. 8.* Ratio est, quia hæc est præsumpta prælatorum suorum voluntas. Dico *quarto*. Si prælatus alicui particulari religioso concedat facultatem, dandi rem aliquam ad suum arbitrium, illam donare non potest in turpes causas, ac proinde donatarius illam monasterio restituere tenetur: quia illius rei nunquam comparauit dominium. Dico *quinto*. Si prælatus religionis certam summam alicui religioso tribuat foris commoranti ad victum, & vestitum quotannis, ita vt ad nil amplius teneatur, potest talis religiosus ex sua sustentationes donationes facere in eleemosynas, & pias honestas-

honestasque causas. Ita Mol. *supra*. Quia hæc est præsumpta religionis voluntas, pacto expressa. Dixi, ad pias, & honestas causas, quia ad turpes, nec ipse prælatus licentiam concedere potest: nam illius potestas in ædificationem, non in destructionem. Ideo si (quod omen Deus auertat) religiosus professionis oblitus aliquid meretricibus daret, alienum est, & à meretricibus monasterio restituendum.

Quantum possunt filijfamilias donare. §. 9.

1 *Quæ potest filiusfamilias donare.*
2 *Quæ sunt bona quasi castrensia.*
3 *Quæ sunt bona aduentitia.*
4 *Quæ sunt bona profectitia.*
5 *Inter quæ bona computanda, quæ filiusfamilias bonis parentum lucratus est.*
6 *Inter quæ bona computanda, quæ filiusfamil. domi parentum suo opificio acquirit.*
7 *An possint parentes remunerare laborem maiorem alicuius filij præ cæteris.*
8 *Respondetur directe propositæ dubitationi.*
9 *Quid possint minores donare.*

1 QVAESTIO. *Quæ potest filiusfamilias donare?* RESP. Præmitto quatuor esse bonorum genera, quæ filiusfamilias habere potest. Primum est castrensium. Secundum quasi castrẽsium. Tertium aduentitiũ. Quartum profectitium. Castrensia bona, quamuis Naua. *c.* 17. *nu.* 141. definit ea bona, quæ filius in bello acquirit: quia pendet ex arbitrio Principis, ac legum dispositione, hæc, vel illa bona castrensia appellantium, simpliciter definiri nequeũt, vt aduertit Mol. *sup.* Nisi dicamus esse ea bona, quæ militiæ, castrorumve causa secundum legum expressam, vel interpretatiuam dispositionem, acquirit filius, ideo ea singillatim adnumerabo. Sunt *inprimis* bona castrensia militum stipendia, & ratione militiæ ab ijs

ab ijs acquisita. Ita *L. Castrense ff. de castr. pecul. Leg. 1. Cod. de castr. pecul.* Inter milites vero computantur omnes, qui exercitui, castris, triremibus ad prælium paratis inseruiunt. Sunt *secundo* bona castrensia, quæcunque dantur filiofam. ad bellum proficiscenti in militiæ auxilium, à quocunque dentur. Sunt *tertio* bona castrensia, quæ cuilibet donantur, vel legato relinquuntur, quauis militiæ occasione. Vt, quia illum legans cognouit in bello: vel quia illustre illius factum audiuit. Ita *L. si forte. L. castr. L. D. Adrianus. ff. de castr. pecul.* *Quarto* ea, quæ quis comparauit in seruitio & palatio Regis. *L. vnic. C. de castr. Palatin. pecul. 12.* Hinc colligit Gomes. *ad L. 29. Tauri* esse bona castrensia, quæ pater filio dat ad sumptus in Regio palatio, non secus atque ad sumptus in castris. *Quinto* ea, quæ emuntur eisdem bonis castrensibus. *L. 1. Cod. de pecul. castr lib. 12. Sexto*, quæ quis ludo lucratur cum pecunia castrensi. Et quæ cum peculio castrensi negotiatur. Ita Molin. Probatque, quia vt damnum in negotiando, peculio ipsi cedit, sic debet & lucrum cedere. Patet ex *l. pater militi. ff. de castr. pecul.* id clarissimè decernente circa seruum pertinentem ad peculium castrense, qui quicquid lucratur, peculio acquirit.

2 Qvæs t. *Quæ sunt bona quasi castrensia?* Res p. Vt dixi de bonis castrensibus, ita de quasi castrensibus, aiòq; non posse ea æque bene vna definitione circumscribi. Numerantur vero inter quasi castrensia bona, velut præcipua, quæ filius familias acquirit ex officio publico, vt aduocati, iudicis, tabellionis, medici, aut alicuius artis ex septem liberalibus professoris, & a fortiori scientiæ alicuius superioris, vt Theologiæ, vel vtriusque Iuris. Ea vero bona talia sunt, licet non publico stipendio, sed peculiari industria comparentur, vt recte cum Bald. adnotauit Sylu. *verb. pecul. quæst. 10.* Et quæ illis ratione officiorum liberaliter donantur; vt libri, vel equi, vel quid simile iuxta Barthol. *L. similiter. ff. de castr pecul.* At vero iuxta ius Lusitanum etiam propinæ, quæ in *scholis dari solent graduatis.* Ita *l. 4. Ord. tit. 97. §. 9.* Numerantur deinde ea, quæ à Rege, Regina, vel Principe donantur. *L. Cum multa C. de bon. quæ lib.* Ita iuxta Lusitanum ius quæcunque ad matrimonium dantur à quibuscunque, modo

ascenden-

ascendentes non sunt per lineam rectam *lib. 4. tit. 97 §. 10.* Item, quæ clerici ex suo officio acquirunt. Ita Nau. *cap. 12. num. 142.* & præterea quæ ipsi clerici sua industria acquirunt, & quæ extranei illis ad patrimonium donant. Ita Molin. *disput. 231.* & claret ex *Authent. presbyteros, cap.* Clerici vero hoc in loco intelliguntur, solum ij, qui, iuxta Concil. Trident. gaudent priuilegio fori. Dixi; quæ ab alijs, quam à parentibus illi dantur in patrimonium. Quia patrimonium à parentibus acceptum, adhuc numeratur inter profectitia bona, nam id adducere tenetur ad partitionem cum alijs fratribus.

3 QVAEST. *Quæ sunt bona aduentitia?* RESP. Hæc item definire perdifficile. Sunt tamen ea, quæ filiusfamilias suo labore, & industria comparauit. Horum bonorum dominium est penes filium, vsusfructus est penes patrem. Ita *Leg. Cum oportet. Leg. non solum. C. de bon. qua liber.* Sunt tamen nonnulli casus, in quibus pater nec habet vsumfructum horum bonorum. *Primus*, quando aliquid filiofamilias donatur; aut testamento relinquitur, ea conditione, vt vsusfructus etiam sit penes filium, hæ enim donationes, & legata inter aduentitia bona adnumerantur. *Secundus*, quãdo aliquid filiofamilias donatur patre renuente. *Tertius*, quando ipsemet vsusfructus filio legatur, aut donatur. Quia vsusfructus est quædam seruitus, & seruitutis non est seruitus. *Leg. 1 ff. de vsufruct.* *Quartus*, quando intra duos menses post matris mortem, pater non fecit inuentarium. Ita decernunt leges Lusitaniæ, *lib. 4. Ordin. tit. 98.*

4 QVAEST. *Quæ sunt bona profectitia?* RESP. Sunt ea bona, quæ de bonis parentum filiofamilias aduenerunt. Item ea qua filiofamilias principaliter propter parentes donata sunt. Ita *L. Cum oportet*, iuncta Glos. *§ igitur. Instit. per quas person.* Horum bonorum, tam dominium, quam vsusfructus est penes parentes, præterea, quæ filio dantur in patrimonium ad sacros ordines suscipiendos, & quæ filiæ dantur ad dotem, vel filio ad nuptum. Nam horum bonorum dominium, & vsusfructus est penes filios, neq; in collatione bonorum veniunt in aggerem. Dixi, principaliter propter parentes, nam quæ filio donantur propter parentes minus principaliter, tam quo ad domini-

dominium, quam quo ad vsum fructum sunt ipsius filij & ideo appellantur bona aduentitia, non profectitia. Ita Bald. *L Cum oportet.* cit. Sylu. & alij, quos refert, & sequitur Molin. *disp.* 233.

Habet tamen exceptionem apposita regula in iure Lusitano *lib.* 4. *Ordin. tit.* 97. § 10. & 11. Vbi decernitur, vt ea, quæ causa dotis à quocunque, dummodo consanguineus ascendens in linea recta non sit, patri dentur ad coniugium filij, aut alterius descendentis à se, quamuis intuitu solius patris donentur, censeantur, vt bona extrensia, nec filius teneatur ea deducere in suam legitimam, nisi id expresse à donatore declaretur. Item § 12. *eiusdem legis*, idem decernitur circa bona, quæ intuitu patris, aut aui Rex, transfert ab ijs in certum filium, aut filiam.

5 QVAEST. *Estne bonum aduentitium, an profectitium, quod filiusfam. bonis parentum lucratus est?* RESP. In iure Lusitano res est determinata. Nempe, si filius vel solutus, vel coniugatus domi parentum sit, & illorum victu vestituque vtatur, quidquid proprio labore, & industria, in negotiandis parentum bonis acquirit, parentibus acquirit, veniendumque est ad æqualem cum alijs fratribus collationem. Ita *lib.* 4. *Ord. tit.* 97. De iure communi vult Nauar. posse filium post parentum obitum exigere pretium laboris & industriæ, ac proinde maiorem bonorum partem, quam fratres alios accipere. Ita *cap.* 17. *num.* 144. Oppositum tamen tenendum in praxi docet Mol. *disp.* 234. probatq; multis iuribus, & rationibus. Addit vero ibi rem satis rationi consentaneam, nimirum filiumfamil. sibi acquirere lucra, quæ faciat occulta negatione, quamuis pecunia clam negotio data ipsorum parentum sit: Ordinationemque Lusitanam solum loqui de bonis, quæ filius domi parentum, & sumptibus sustentatus facit ex negotiatione ab ipsis parentibus præscripta. Ratio eius est optima. Quia in illa negotiatione occulta filius se exponit periculo proprij damni: si enim illa occulta negotiatio male cedat, tenetur restituere parentibus, & fratribus; ergo æquitas postulat, vt etiam fruatur lucro: illius enim in omni negotio ex iustitia est lucrum, cuius fuit periculum dam-

damni: & ideo quia in negotiatione, ex parentum facta præscripto, periculum damni est parentum, ita & lucrum.

6 QVÆST. *Quid dicendum de filiofamilias, qui domi parentum viuens illorum bonis alitur, circa bona, quæ opifitij sui labore acquirit?* RESP. Dico *in primis*. Non tenentur parentes illum ex proprijs bonis alere, quamuis possint, sed possunt ab eo alimenta exigere ad ipsius congruam sustentationem. Imo relinquere in testamento alimenta, quę in tali filio alendo insumpserunt, vt eorum pretium ad collationem afferat cum alijs fratribus. Dico *secundo*, Reliqua lucra ex proprio labore, & opificio comparata filiusfam. sibi acquirit. Ita Ordinationes Lusitanæ proxime citatæ, Dico *tertio*. Huiusmodi lucra, vt filiusfa. sibi acquirat, requiritur, vt expressis verbis parentibus declaret se sibi velle laborare, occare, serere, & metere, vt ita loquar. Ita Nauar. & Molin. *locis citatis*. Dico *quarto*. Filius, qui domi parentum commoratur, & illorum bonis nutritur, exercetque laborem, & opificium suum, nihil protestatus de sibi comparando lucro, censendus est velle totum parentibus acquirere ex amore filiali cõdonare. Quamobrem nequit postea à parentibus, aut eorum hæredibus id exigere. Quæ veritas pro regno Lusitano in more posita est, vt aduertit Molin. *loco allegato*.

7 QVAEST. *Possuntne parentes remunerare filium, qui præ cæteris rem eorum auxit in negotiando bonis ipsorum parentum, vel in exercendo suo opificio?* RESP. Possunt, neque tenentur filij adducere id cum alijs fratribus ad collationem. Ita secundum ius commune sensit Barth. *tract. de duobus fratribus*, & *Leg. ff. de collat. bon.* Nauar. *capit. 7. numer. 144*. Sylu. *pecul. quæst. 19.* & *donat. 2. quæst. 7.* Cou. *cap. Cum in offic. de rest. num. 11*. Et quamuis ius Lusitanum videatur oppositum decernere *lib. 4. Ord. tit. 97.* loquitur de donationibus simplicirer liberalibus, non vero remuneratorijs.

8 QVÆST. *Tempus est propositæ dubitationi respondendi: dic igitur, quæ potest filiusfamil. donare?* RESP. Dico *primo*. Filiusfam. si pubes sit, potest libere donare de bonis castrẽsibus, aut quasi castrẽsibus, sicuti exercere circa illa

illa alios contractus. Dico *secundo*. Si filiusfamil. habet vsumfructum, & administrationem bonorum aduentitiorum, vel quia longe degit a patris domo, vel quia pater id permittit, nec ea petit, potest de ijsdem bonis validam donationem facere. Quæ tamen donationes a eodem possunt in iudicio reuocari, conceditúrque illi beneficium restitutionis in integrum, si repetat. Dico *tertio*. De bonis his profectitijs, quorum dominium, & vsusfructus ad parentes pertinet, nil potest filius donare, etiam in eleemosynas, & pias causas. Neque item de bonis ijs aduentitijs, quorum vsusfructus, & administrationem pater habet Molin *disp.* 277. Dico *quarto*. Quando filius peregrinatur, vel in scholis, aut Regia curia parentum sumptibus alitur, regulariter præsumendum est parentum esse voluntatem, vt filius ea donet in eleemosynas, aut in aliqua quæuis insumat, quæ reliqui eiusdem conditionis, & status communiter impendere solent. Sed in hac re attendenda est parentum maior, minorve voluntas, & iuxta eam plus, minusve ad quoslibet vsus largiendum. Alioqui quidquid contra hanc voluntatem consumit in ludo, in meretricio, vel alia in re indecora, iniuste impendit, & tenetur afferre partitionem bonorum cum alijs fratribus, ad quam eandem restitutionem etiam tenentur collusores, & meretrices.

9 QVAEST. *Quousque Minores, non quia impuberes filij sunt, sed quia curatores, tutoresque habent, donare possunt.*

RESP. De ijs, quæ illis ad sumptus a tutoribus, curatoribusve conferuntur, licet domi curatorum non sint, licite, valideque donare possunt. Dico *secundo*. Quia alimenta illis à curatoribus debita, etiam necessaria ad honestas recreationes, & moderatas eleemosynas, donationes liberales includunt, quas illi, sui iuris facti, licite, & honeste facere possent, has omnes, licet curatoribus repugnantibus, facere possunt. Dico *tertio*. Quæ huiusmodi Minores contra curatorum præscriptum in turpibus rebus abliguriunt, licet mortaliter peccent abliguriendo, non tamen restituere tenentur. Ratio est, quia suum consumunt. Possunt tamen eas curatores repetere: & ipsimet Minoribus, si notabiliter se læsos videant, conceditur restitutionis beneficium in integrum. Interim vero, dum

non

non repetuntur, potest eas donatarius retinere. Dico *quarto*. Quas donationes, & eleemosynas ipsi Minores facere licite possunt, possunt etiam eorum nomine curatores, & tutores. Ita Molin. *Jup. Med. in Cod. de eleemosy.* Palud. *in 4. d. 15. quæst. 3. art. 7.* Arm. *verb. eleemosyn.*

Quantum possunt donare serui. §. 10.

1 *Quæ possunt donare serui.*

1 QVÆSTIO. *Quæ possunt donare serui?* RESP. Antequam propositæ quæstioni respondeam, præmitto, quæ scio de dominio rerum circa seruos: ex hac enim cognitione pendet interrogantis solutio. Dico igitur, quanquam verum sit regulariter illud Iuristarum proloquium, quicquid acquirit seruus, domino acquirit, falli tamen in aliquibus euentis. *Primus* est, cum pactum sit inter seruum, & dominum: vt quotidie, aut certis temporibus certum quid domino soluat, reliquum vero de suis laboribus sibi reseruet. Quod quidem frequenter in Lusitania fit, & multa mancipia hac se via à seruitute liberant. *Secundus.* Si dominus aliquid seruo donet ad liberum vsum, quasi liber esset. Aut velit aliquid seruum habere, vt suum quomodolibet conquisitum. Nam vt inter dominum & seruum, nõ qua seruus est, sed qua homo, potest esse pactum, ita & donatio, vt experimur in manumissione, quæ semel concessa, iam absque iusta causa reuocari nequit. *Tertius.* Si seruo à domino, aut ab aliquo, aliquid pro iniuria sibi illata, aut damno, in ijs quæ domini potestati non subiacent, restituatur. *Quartus.* Si quid seruo donetur, aut ea conditione relinquatur, vt non domini, sed solius serui sit. Quæ libera conditio à donatore poni potest, & à domino non acceptato donationem reddit nullam, conditio vero satis est indicijs probata. *Quintus.* Si seruus bonis suis, quorum est dominus, aliquid acquirat, vel ludendo, vel negotiando, sine obsequiorum domini præiudicio. *Sextus.* Cum sine obsequiorum præiudicio, à cibis sibi datis, quicquã subtrahit. Ita Molin. *disp* 38. Tolet. *libr. 3. cap. 1. nume.* 219. Dico igitur I. Seruus ex bonis, quorum dominium habet, li-

bet, libere, & licite potest donare, & alienare, vt libuerit. Probatur. Quia verus dominus, & administrator eorum est. Dico II. Seruus ex bonis domini, nec ad pias causas, aut eleemosynas: quicquam præter illius voluntatem subtrahere potest Quod si donet, & peccat, & ad restitutionem tenetur. Similiter donatarius, cui seruus donauit tantum, quantum bona, ac mala fide à seruo accepit, vel habet, vel concupiscit, contra an iuxta domini voluntatem secundum regulam communem restituendi. Ita Mol. *disp.* 277.

De discrimine inter donationem ob causam mortis, & vitæ §. 11.

1 *Quod sit discrimen donationis causa vitæ, & causa mortis.*
2 *Quæ donationes inter coniuges viuos sunt validæ.*
3 *Quæ donatio causa mortis est eo ipso nulla.*
4 *An in reuocata donatione reddendi sint fructus rei donatæ.*
5 *Quæ solemnitas requiritur ad donationem causa mortis.*
6 *Vnde colligitur donationem esse factam causa mortis.*
7 *Vnde colligitur donationem esse factam causa vitæ.*
8 *An hæc donatio, dono tibi, & tuis hæredibus, sit donatio causa mortis.*
9 *An donatio causa mortis indigeat acceptatione donatarij.*

1 QVÆSTIO. *Quod est discrimen inter donationem factam inter viuos, & factam causa mortis?* RESP Donatio inter viuos acceptata, nondum tamen tradita, regulariter reuocari nequit. Donatio vero causa mortis, etiam post traditionem reuocari potest à donatore, quatenus viuit. Ita habetur Leg. *Cumque ff de condict. ob causam. L. Cum quis de condict. causa dat.* Ita tradunt Gom. & Greg. *ad L. 10. tit. 4. par. 5.*

2 QVÆST.

2 QVAEST. *Quæ donationes inter coniuges valent, etiam inter viuos?* RESP. Multæ. In primis eæ, quæ fiunt inter Principes non superiorem recognoscentes. Deinde quæ fiunt ad ædium igne combustarum reparationem. Tertio, eæ, quæ fiunt compensationis, aut remunerationis gratia: Sed de hac re, quia potius ad iudicium spectat fori, quam poli, videant iudices si libuerit. *lib. 4. Ord. Lusit. tit. 65.* Molin. *disput. 289.* & 290. Nauar. *cap. 10. num. 149.* vbi plurima de hac donatione inter viuos.

3 QVÆST. *Quæ donatio causa mortis censetur eo ipso reuocata:* RESP. Quam donatarij mors anteuertit, superstite ipso donante. Ita habetur *l. Nonius. ff. si certum petatur. L. si mortis caus. L. Senatus ff. de mort. cau. donat.*

4 QVÆST. *Per reuocationem teneturne donatarius non solũ rem donatã, sed fructus etiã perceptos restituere?* RESP. Tenetur, quia licet donatarius acquisierit dominium reuocabile rei, mortis causæ donatæ, non tamen vsusfructus, nisi id à donante exprimatur. Ita Bart. ex multis iuribus, quæ refert Gom. *1. var. cap. 4. num. 21.* Ratio est, quia tam res ipsa quam fructus censetur tantummodo donari post mortem donatoris, antea vero, quantum solummodo donator consenserit.

5 QVAEST. *Qua celebritas requiritur ad donationis validitatem causa mortis?* RESP. Requiritur in primis, vt fiat coram quinq; testibus. Sed de hac re legatur Couar. *in rub. de testam. num. 11.* Vbi iudices multa inuenient.

6 QVAEST. *Quæ signa ostendunt donationem esse causa mortis:* RESP. Si in donatione mentio mortis fiat quo ad substantiam donationis, non vero executionis, est donatio causa mortis. Nam si fiat mentio mortis in exhibitione donationis, vt si Titius dicat: dono tibi, dummodo me sinas frui rei vsu, est donatio inter viuos, quia per solam executionis dilationem, natura contractus nõ mutatur. Ita tradunt Abb. Domin. Accursius, & alij, quos refert Coua. *3. p. rub. de testam. num. 25* & *2. p. num. 13.* cum Gom. *sup.* Præterea, si donans est morti vicinus, & ægritudinis periculo motus donat, quamuis mentionem mortis non faciat. Ita Ripa, & alij, quos refert Couar. *3. p. ad rubr. de testament num. 21* maxime cum ipsum mortis periculum donationis causam reddat. Cõsona *L. 2. ff.*

de donat. cauſ. mort. Tertio, ſi donans in eodem morti periculo dicat, relinquo, donatio eſt cauſa mortis. Ita Couar. *ſup.* cum Didone, & alijs.

7 QVÆST. *Quæ ſigna oſtendunt donationem eſſe cauſa vitæ?* RESP. Egregium ſignum eſt, ſi apponatur clauſula de ea non reuocanda. *L. Vbi donat. ff de donat. cauſ. mort.* Ita Couar. 2. *part. rub. de teſtam. nume.* 17. Duennas *Regul.* 27. & alij plurimi. Deinde: Si donans promiſit ſe ſemper donationem ratam habiturum. Ita Couar. 2. *par. citata numer.* 13. Neque obſtat *L. Si aliena. ff. de donat. mort. cauſ.* §. *Marcellus* vt illam interpretantur, Accurſius, Bart. & alij cum Couar. 3. *p. rub. de teſtam. num.* 23.

8 QVÆST. *Quid cenſes de hac donatione, Dono tibi, & tuis hæredibus?* RESP. Dico eam eſſe inter viuos. Ita Duenas *reg.* 217. *numer.* 3. Couar. 3. *p. rub. de teſtament. num.* 25. Gomes. Bald. & alij, quos citat. Ratio eſt, quia ſi in ea donatione donatarius moriatur ante donatorem, donatio valet, & ad donatarij hæredes tranſit. Quæ conditio non ſtat cum donatione cauſa mortis, vt communiter tradunt Doctores.

9 QVÆST. *Indiget ne donatio cauſa mortis acceptatione donatarij ſicut donatio inter viuos?* RESP. Maxime. Ita Barthol. Bald. & iura, quæ citat Couar. 3. *p. rub. de teſtam. num.* 14. Ratio eſt, quia donatio cauſa mortis eſt promiſſio iuxta communem ſententiam vt docet Vitius. *libr. 4. comm. opin. tit. donatio.* Quia in conditione differt a legato, quia legatum, cum ſit pars teſtamenti, aut codicilli eſt diſpoſitio vltimæ voluntatis teſtatoris, vt docet Alciat. *Gloſſ. 5. poſt legem connub. num.* 102.

CAPVT XVII.

De Teſtamentis, & Codicillis.

De defenſione, vi, & multiplicitate Teſtamentorum. §. 1.

1 *Quid eſt teſtamentum.*

2 *A quo iure testamentum habet vim.*

3 *Quotuplex est testamentum.*

1 QVÆSTIO. *Quid est testamentum?* RESP. Est voluntatis humanæ iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, cum directa hæredis institutione. Ita Vlpian. l. *ff. de testam. iuncta Gloss.* Iure tamen Lusitano, cum quis habet legitimos hæredes, potest disponere de bonis, quæ ad illos necessario non veniunt, sine alterius hæredis institutione, & verum condit testamentum. Ita *libr. 4. titul. 82. §. 1. iuncto §. penulti. Ordin.*

2 QVÆST. *Ex quo iure vim habet testamentum?* RESP. Quo ad substantiam, & vltimæ voluntatis dispositionem circa bona sua, supposita rerum diuisione, ex iure gentium, & naturali. Quo ad solemnitates tamen ex iure ciuili. Ita Couar. *tertio lib. resol capit. 6. numer. 7.* Molin. Theol. *disputat.* 124. cum alijs, quos citat. & est manifesta veritas.

3 QVÆST. *Quotuplex est testamentum?* RESP. Duplex: clausum, vel apertum. Clausum semper fit in scriptis (clauditur vero, ne testes, qui adsunt approbationi publicæ illius voluntatem sciant) Apertum est quod coram testibus fit, & scripto, seu voce condi potest.

De solemnitate requisita ad valorem testamenti profani, præcipue circa testes. §. 2.

1 *Quæ solemnitas requiritur ad testamentum secundum ius commune.*

2 *Quæ solemnitas requiritur ad testamentum secundum ius Lusitanum.*

3 *An ex iure Lusitano requiratur, vt testes sint rogati.*

4 *An requiratur, vt testes signent sigillo.*

5 *An valeat legatum relictum ipsi scriptori testamenti.*

6 *De certis aliquot conditionibus, quas habere debent testes.*
7 *An religiosus possit esse testis in testamento.*
8 *An sit satis, quod testis audiat vocem testatoris.*
9 *An possit esse testis, qui in testamento hæres instituitur.*
10 *Qui non possunt esse testes testamenti secundum ius Lusitanum.*
11 *Quæ testamenta sunt valida sine solemnitate.*
12 *De testamento ad pias causas.*
13 *Vtrum in foro animæ testamentum ad pias causas sit irritum absque solemnitatibus.*
14 *Vtrum idem dicendum de testamentis profanis.*
15 *De testamentis clericorum.*

1 QVÆSTIO. *Quæ solemnitas requiritur secundum ius commune ad testamenti valorem?* RESP. Ad testamenti clausi valorem requiritur, vt ab ægroto coram septem testibus, masculis, liberis, aut qui liberi reputentur, puberibus, qui decimum quartum annum impleuerint ad id inuitatis affirmetur illud esse suum testamentum, & postea manu sua illud subscribat, vel alius pro eo. Deinde omnes septem testes subscribant vel proprio annulo, aut signo. Ita *L. Hac consultissima. Cod. de testament. & Institut. de testamen. §. sed cum paulatim.* Ad valorem vero testamenti aperti, sunt item septem necessarij testes, masculi, liberi, aut liberi reputati, & puberes, rogati, qui simul conueniant, & audiant, & intelligant testatoris voluntatem, vel scriptam, vel voce tenus prolatam, si testamentum sit vocale. Non tamen necesse est, vt signent, aut subscribant. Ita eadem *l. Hac consul. § per nuncupat. & L. Hæredes palam. § eod. tit.*

2 QVÆST. *Quæ solemnitas requiritur ad testamenti valorem secundum ius Lusitanum?* RESP. Ad valorem testamenti clausi requiritur, vt si testator illud sua propria manu non scripsit, suamet etiam manu subscribat,

& sciat, vel ille qui testamentum scripsit nomine testatoris. Deinde consuetum testamentum tradendum est à testatore tabellioni coram quinque testibus masculis, liberis, aut pro liberis reputatis, puberibus post decimum quartum annum expletum coramque illis testibus interrogabit tabellio testatorem, an illud sit ipsius testamentum, habeatque illud pro bono, legitimo, firmo & valido. Postquam vero testator affirmatiue responderit, coram eisdem testibus à testamenti tergo conficiet instrumentum approbationis, in quo explicabit testatorem tradidisse sibi testamentum illud, habuisseque pro suo bono, ac firmo, & in eo instrumento subscribent omnes illi quinque testes, & præterea testator ipse, si sciat, & possit; qui si nesciat, aut nequeat, vnus de testibus pro eo subscribat, dicendo se de mandato testatoris pro eo subscribere, qui nesciat, vel nequeat. Ita *libr. 4. Ordin. titul. 80.* Vbi subiungitur aliter inualidum fore testamentum, non obstante quacunque in contrarium consuetudine. Et affirmat Gam *decat. 69.* à regijs senatoribus iudicatum fuisse nullum testamentum clausum, in quo testes non adfuerunt, quando à testatore tabellioni datum fuit. Vt de valore testamenti aperti, seu nuncupatiui, ita vocant, dicam, suppono tripliciter fieri posse. In primis in scriptis per publicum tabellionem. Ad hoc adhibendi sunt quinque testes masculi liberi, aut liberi existimati, maiores decimo quarto anno. Qui tabellio, & testes illud subscribent, & præterea testator, si sciat, aut queat, si vero, aut nesciat, aut nequeat, alius suo nomine subscribet, dicens se id facere ex testatoris mandato: tabellio vero testamentrm referet in notas. Ita *libr. 4. Ordin. titul. 80.* Deinde fieri potest testamentum apertum in scriptis per manum ipsius testatoris, vel alterius illius nomine, & tunc ipse testator subscribat, vel ille, qui illius nomine testamentum scripsit. Vocabuntur alij quinque testes eiusdem conditionis appositæ, coram quibus legatur testamentum, quod singuli subscribent. Fieri denique potest testamentum voce tenus, sed ad valorem requiritur, vt fiat prope mortem, adsintque sex testes, siue masculi, siue fœminæ. Ita habetur *Tit. citato. §. 4.* Discrimen

vero latissimum est inter hæc aperta testamenta. Qui primum valet absque alia solemnitate post mortem. Secundum requirit, vt à iudice post testatoris mortem publicetur citatis ijs, ad quos pertinet. Tertium post recuperatam sanitatem ipso facto nullum est. Ita eodem tit. § 3.

3 QVAEST. *Ex consuetudine huius Lusitani regni requiriturne, vt testes sint rogati?* RESP. Minime. Ita in supremo senatu iudicatum fuit, vt refert Gam. *dec.* 210. ipso solo refragante.

4 QVAEST. *Requiriturne præterea, vt testes sigillo signent?* RESP. Minime, sed satis erit subscribere.

5 QVÆST. *Valetne legatum relictum à testatore ipsi testamenti scriptori?* RESP. Minime, loquendo absolute. Id decernitur *L. 1. & seq. Cod. de ijs, qui adscribunt in testam.* Ita decisum fuit in supremo senatu *decis.* 69. *Gamma* gumento *L. de eo ff. ad L. Cornel. de falsis.* Idē decisum de stamento scripto manu mariti, in quo vxor, & maritus mutuo relinquebant hæredes. Credit tamen Molin. *dis.* 125. has leges pœnales, atque non obligare, nisi post latam sententiam, & præterea esse præsumptiuas, & ideo amota fraude in conscientia non obligate, imo obligat hæredes legatoris ad legata legatario donanda, ipsumque legatarium in conscientia compensationem facere posse, sed de hac dubitatione latius me rogabis.

6 QVÆST. *Illæ appositæ testium conditiones, satisne sunt?* RESP. Minime, sed requiruntur aliæ, quæ in iure apponūtur. Ne scilicet sint infames, &c. Probe tamen adnotat Iul. Clar. *§. testam. quæst.* 55. satis esse testes non reputari tales, scilicet infames. Quanquam sint, vt non obstet quod non sint serui, sicut liberi habentur.

7 QVÆST. *Religiosus estne idoneus testis ad testamentum?* RESP. Affirmat Gomes. *ad L.* 4 *Tauri. numer.* 18 cum Fabro, quando ad id habet superioris facultatem. Absolute affirmat Iul. Clar. *loco citat.* Panormit. & alijs lati à Gomes. quia religiosi testimonium absque superioris facultate datum, non est ipso facto nullum. De clericis nullus negat, etiam sine Episcopi facultate.

8 QVAEST. *Satisne est ad testimonij validitatem, audire tantummodo vocem testatoris, qui post parietem est?* RESP. Minime

Minime. Sed necesse est, vt testes testatorem videant. Ita habetur *L. Si specialiter.* & *L. Si vnus. Cod. de testament.* adeo, vt propter interpositam cortinam testamentum sit nullum, vt affirmat Iul. Clar. §. *testam quæst.* 59.

9 QVAEST. *Potestne esse testis testamenti qui in ipso hæres instituitur* RESP. Nec ipse, nec ipsius pater, si adhuc sub illius potestate est. nec filij, nec ipsius fratres. si adhuc sub illius potestate sunt. Ita habetur *lib.* 4. *Ord. tit.* 85. & *Instit. de test.* §. *pater.* Neque item omnes, qui sub testamentarij potestate sunt, testamentarij, inquam, simul hæredes. Item decernitur in eisdem legibus.

10 QVAEST. *Qui secundum ius Lusitanum, testes testamenti esse non possunt?* RESP. Masculi quatuordecim annis minores, fœminæ minores duodecim: nec furiosus, nec mutus, & surdus, nec cæcus, nec prodigus cui sorum bonorum administratio prohibetur, nec seruus, nisi pro libero habeatur. Ita *lib.* 4. *Ord. t.* 85. possunt tamen esse testes eiusdem testamenti legatarij, iuxta easdem leges.

11 QVÆST. *Quæ testamenta valida sunt sine hac prædicta solemnitate?* RESP. In primis testamentum, quo pater vel mater bona sua in filios distribuit. §. *Ita L. Hæc consult* 9. §. *interfecto. Cod. de testam.* Itaque si testamentum est verbale, sufficiunt duo tantum testes, sint mares, vel fœminæ nihil refert, etiam non rogati. Si sit scriptum ijdem testes sufficiunt, dummodo à testatore subscribatur, vel à liberis in eo hæredibus institutis cum appositione temporis, quo factum est, & hæreditatis assignatione cuilibet relictæ Ita Molin. Theolog. *disput.* 128. Deinde, testamentum militis, quod ex iure communi, si in ipsa belli expeditione fiat, valet cum duobus testibus, etiam fœminis, vt cum Barth. docet Iul Clar. §. *testam. quæst.* 55. Debent tamen testes esse rogati. *L. Diuus. ff. de mil. testam.* In ipso vero conflictu, & mortis periculo minori indiget solemnitate. Ita enim *L. Milites. Cod. de testament.* sicut iuris rationibus licuit, ac semper licebit, si quid in vagina, aut clypeis literis sanguine suo rutilantibus adnotauerint, aut in puluere inscripserint gladio sub ipso tempore, quo prælio vitæ sortem dereliquerint, huiusmodi voluntatem stabilem esse oportet. Requiritur tamen, vt

hæc veritas duobus testibus probetur, quanquam non vocatis, vt declarat ipsa lex, & Gloss. Legis, & legislator Lusitanus. *lib. 4. Ordinat. tit.* 8. §. 5. Hoc testamentum militis valet, similes in bello, vel extra bellum, quia et honesta causa ab eo discessit, intra annum à discessu moriatur. Hoc priuilegium extendit ius commune ad omnes, qui exercitui inseruiunt, & in terra hostili illud condunt: ius tamen Lusitanum *tit. citat.* § 8. aliquantulum comprimit, ad eos scilicet, dummodo in hostili terra moriantur. Non requiritur præterea illa solemnitas ad testamentum in pias causas *capit. Relatum 1. de testament.* & ibi Panorm. & Cou. Doctoresque communiter. Dicitur vero testamentum in pias causas, in quo hæres, non legatarius instituitur Ecclesia, monasterium, hospitale, sodalitium, misericordiæ domus, vel alia causa pia. Circa hoc testamentũ ad pias causas; multa inueniõ notanda: nam licet non sit validum in totum cum causa pia non constituitur hæres, sed legatarius, est tamen validum quo ad legatũ. Ita Cou. *ca. Relatum*, & Mol. *disp.* 134. Deinde quando est validum ob causam piã sine iuris solemnitatibus, etiam esse validum, quo ad legata eius non pia. Ita Costa. *ca. Si pater* Iul. Clar. §. *testa.* Mol. Cou. citati, quamuis qui ad pias causas testatur potestatem non habet ad alia testandi, vt ijdem Doctores obseruarunt.

12 QVAEST. *Quæ solemnitas sat est ad testamentum in pias causas?* RESP. Satis sunt duo testes, siue masculi, siue fœminæ, & hoc satis est. Ita Panorm. & Couar. cit. *ad ca. Relatum*, seruatque praxis vtriusque fori, sufficit, vt fiat per nutus. Ita Gam. *decis.* 81. Couar. proxime, cum plurimis. Valet etiam inceptum & non consummatum ob mortem testatoris præuentam. Ita Couar. *cit. ca. & nu* 10. & Molin *disput.* 134. Ratio est, quia cum ius ciuile subiaceat iuri canonico in ijs, quæ ad spiritualem profectum spectant, vt ad *initium secundæ partis* totius operis fauente Deo ostendam, voluit summus Pontifex testamentorum solemnitates secundum Cæsareum ius requisitas in fauore piæ causæ coarctare, reducereque ad ius naturale, in quo coram duobus, ac tribus testibus stat omne verbum.

13 QVÆST. *Hæc Pontificia dispositio circa testamentum ad pias*

piæ causas, itane requiritur, vt in foro etiam anima testamentum annullet? RESP. Minime. Ita Mol. *disput.* 134. cum Corneo, & Tiraquel. quos citat. Atque in hoc differt hoc Pontificium ius a Cæsareo, in opinione eorum, qui arbitrantur ius Cæsareum ita prohibere testamentũ fieri sine certis solemnitatibus, quas *supra* vidimus, vt factum annullet. Et ideo, qui secreto relinqueret alicui centum ad piam causam, post illius mortem valide relinqueret, & testamentarius tenetur illud in piam illam causam insumere, quia illi duo testes tantum requiruntur ad fidem faciendam in foro exteriori, vt vltima testatoris voluntas effectum habeat.

14 QVÆST. *Verum quæro simpliciter, an testamenta ex defectu solemnitatis, quo ad forum externum, & iudiciale simpliciter nulla, sint valida in foro animæ?* RESP. Tres sunt hac de re discrepantes sententiæ. *Prima* simpliciter ait esse inualida, adeo vt hæres ab intestato succedens, non solum hæreditatem sibi vsurpare, sed legatoris teneatur, nemine cogente, legata hæredi relinquere in conscientia Ita Couar. *cap. Cum esset, de testament. numer.* 16. & *reg peccatum p.* 2. §. 3. *num.* 9. & 10, Ant. Gomes. *L.* 3. *Tauri. num.* 23 Padilha. *L. Cum quis Cod. de iuris, & facti ign.* Idem. 2. 4 *quæst.* 18 *art.* 1 *dub.* 12. Probantq; ex multis iuribus, quæ videntur omnino annullare illa minus solemnia testamẽta ad euitandas lites, sicut alios contractus omnino rescindunt. Nam *L. Hac consult.* ait. non subscriptum à testibus, & non signatum testamentum pro infecto haberi conuenit. Item ex imperfecto testamento voluntatem teneri defuncti non volumus. Item instituit. *Quib mod testament. infir.* §. *ex eo*, ait Iustin. Imperfectum testamentum nullum est. *Opposita* sententia asserit testamentum minus solemne adeo esse validum in conscientia, vt hæres ab intestato, teneatur hæreditatẽ relinquere ei, qui in testamento hęres instituitur, licet sibi in foro externo adiudicetur. Ita Panormit. *cap. Quia plerique de immunitat Eccles* Adriann *quodlib.* 6. *conclus.* 2. Sylu. *hær.* 3. *quæsti* 7. Molin. *tom.* 1. *iust. disput.* 1 Peres, & multi alij, quos refert Couar. *cit* Probantq; ex eo, quod illæ leges sunt præsumptiuæ (ex eorum opinione) solumque extrinsecus finem attendere, præsumpto vero rei veritatem

non

non tollit. *Tertia* sententia media incedit, aitque hæredem ab intestato illicite posse in iudicio testamentum minus solemne infirmare, licet sibi constet de testatoris contraria voluntate, & ita cum prima opinione consentit. Ait deinde legatarium minus solemnis testamenti licite sibi posse legata retinere, dum ab hærede ab intestato non in iudicio repetuntur. Ita Alens. & alij multi quos refert Cou. *sup.* Victor. *in manuscrip. 22. quæst. dent.* Sot. 4. *iust. quæst. 5. art.* 3. Instruct. 2. *p. cap.* 14. Hæc tertia sententia verior apparet, & quo ad primam partem probatur, quia quisque potest vti legis beneficio, post recessum vero testamentum in iudicio, ita nullum relinquitur, vt hæreditas maneat defuncti ab intestato: hæreditas vero defuncti ab intestato deuoluitur ad suos. Neque obstat vltima voluntas testatoris manifesta in contrarium cognita, nam si morienti frater, aut alius, qui ab intestato hæres succedit, adsit, eique moriens dicat suam esse voluntatem hæredem suorum bonorum Petrum instituere, & ideo vult, vt ad testamentum conficiendum tabellio vocetur, hæc vero inter verba expirer, non tenetur ille hæres ab intestato succedens, illam voluntatem explere, sed sibi hæreditatem capere potest. Quo ad secundam vero partem auctoritate Bart. *lib. cum quis cita* probatur. Alciat. Tiraq. quos referunt Gomes. & Cou. D. Ant. quam citat Sylu. *sup.* Med. *quæst. 23. de rest.* Ang. Arm. Tabien. *verb. testament.* Deinde ex ratione, quia ea opposita sententia sequeretur, quod si moriens alicui amico secreto relinquat rem aliquam, teneri amicum illam hæredi ab intestato credere, quod durum est. Dicendum itaque est, legislatorem noluisse ipso facto, & iure annullare testamenta minus solemnia, sed dare actionem ad rescissionem eorum in iudicio.

15 Qvæst. *Gauderem à te audire in particulari, quid de clericorum testamento censeas?* Resp. Vt respondeam præmitto tria esse clericorum bona: quædam *patrimonialia* appellantur, nempe ea omnia, quæ illis ex hæreditate, contractu, donatione, aut alia iusta causa obuenerunt atque de his verum penes eos est dominium. Alia *quasi matrimonialia*, quæ illis ratione propriæ industriæ, scientiæ, aut ecclesiastici ministerij, etiam concionandi, &c.

obtig-

obtigerunt, & horum omnium dominium habent. Alia *pure ecclesiastica* redditus nempe beneficiorum ecclesiasticorum, prestimonium, & pensio, de his controuersia est, an habeant verum dominium. Negat Nauar. *in Apolog mon.* 24. & 27. Affirmante tamen D. Thom *quodlib.* 6. *artic.* 12. *& 22. quæst* 185. *artic.* 7. & *ibidem* Caiet Sot. 7. *iust. quæst.* 4. *art.* 3. Cord. *lib.* 1, *quæst.* 18. Instruct. 1. *p. quæst.* 61. Couar. Ledesm. & alij, quos citans, sequitur Molin. *disp.* 142. fateor tamen omnes quascunque afferunt rationes, solum probare debere sumere ex ecclesiasticis redditibus congruam sustentationem, quod Nauar. non negat: id enim etiam debetur monachis paupertatem profitentibus, quoniam *dignus est operarius mercede sua*, & *qui altari seruit, æquum est, vt de altari viuat*. Verum non est à communi hac sententia recedendum, dicendumque est ita illis hanc redditum mercedem, & partem, vt debitam congruam sustentationem assignari, vt dominium eius omnino simul tradatur, quemadmodum distributiones canonicis Ecclesiæ seruientibus, ita assignatur vt cum dominio conferantur, quam Ecclesiæ redditus sint, sicuti colligitur ex *cap. Amico de cler. non resident. lib.* 6. & Conc. Trid. *sess.* 22. *capitul* 3. *de reform.* Canones vero pro Nauarri sententia adducti de antiqua consuetudine intelliguntur, cum clerici de communi viuebant, & paupertatis votum emittebant, vt videre est, *cap. Vobis enim*, & *septem cap. sequent.* 12. *quæst.* 1. His positis: Dico *primo*, de bonis patrimonialibus, & quasi patrimonialibus fas est beneficiatis testari ad quoscunque vsus, vt etiam donare, siue inter viuos, siue etiam causa mortis. Est Couar. *capite primo de testamen. numer.* 7. Iul. Clar. *lib.* 3. *quæst.* 27. & communis: colligitur apertè ex *cap. Episcopi.* 12. *quæst.* 1. *cap. Quia nos de testam.* Probatur, quia horum bonorum habent idem dominium, atque si essent laici. Dico *secundo*: De bonis pure ecclesiasticis secundum ius commune minime testari possunt, neque ad vsus profanos neque pios. Patet ex *capite Episcopi. capite Sint manifesti.* 12 *quæst. prim. capit. Quia nos.* & alijs. Ratio horum canonum fuit, ex eo, quod ita clericorum auaritiæ, & tenacitati iretur obuiam. cum eis spes relinquendi posteris præscinderetur. Dico *tertio*. Secundum consuetudinem huius Lusi-

tani

tani regni beneficiati, etiam de bonis ecclesiasticis valide testantur in quosuis vsus. Ita Mol. *disp.* 147. Couar. *Cum in offic de testam. num.* 9. Hostien. Anton. Palud. & alij abeo citati. Valide, dixi, quia consuetudo legitima tempore præscripta, vim habet ad abrogandam legem.

Hæc autem consuetudo approbata est ab Episcopalibus constitutionibus, quia tamen assignant quo tam, singulæ videantur. Dico *quinto*. De his pure ecclesiasticis bonis ad solos pios vsus, licite queunt beneficiati testari, ac proinde lethaliter peccant, ea relinquendo profanis vsibus profanis, vel diuitibus consanguineis. Hæc expresse traditur à Molina *proxime citato*, verum interpretatiue ab omnibus, qui accesserunt beneficiatos mortaliter peccare expendendo, dum viuunt hæc bona in profanos vsus. Hi vero sunt Alens. 3. *p. quæst.* 36. *membr.* Richard. *in* 4. *d.* 45. *art.* 3. *quæst.* 1. Palud. *ibid. quæst.* 3. Dian. Anton. *par. tit.* 15 *capit.* 5 §. 19. Gabr. *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* Maior. *in* 4 *dist* 24 *quæst* 17. Panorm. *cap. Cum secund. in præbend.* Arch. & Domin. *cap. Statut de rescript. lib.* 6 Felin. Decius. Ioann. Angel. quos refert, & sequitur Nauar. *in Apolog quæst.* 2. *mon.* 7. Qui omnes etiam eos obligant ad restitutionem, sed de peccato tantum contra charitatem loquuntur. D. Thom. *quodlib.* 6. *artic.* 12. & 22. *quæst* 185. *art* 7. Caiet *ibid.* Adrian. *quæ pro clariori intell de rest.* Sot. 10 *iust. quæst.* 4. *art.* 3. & 4. Ledesm. 2 4. *quæst* 18. *art.* 5 *dub vltim.* Sarmento *cap. Si priuatum* 15 *quæst* 1. Couar. *cap. Cum in offic. de testament. num* 3. Instruct. 1 *pa. capit.* 142. Molin. *disput.* 144. Ratio eorum est, quia grauis culpa videtur patrimonium Christi quales sunt reditus ecclesiastici profuse obligurire. Cum tamen ex institutione Ecclesiæ in pauperum alimēta sit destinatum, cum superfluit ex decenti beneficiatorum sustentatione concors est de hac re sanctorum Patrum sententia: Ita D. Hieronym vt habetur 44. *dist cap* 1 *Tibi ô sacerdos vinum de altari permittitur, non luxuriari.* D. Bernard. *epist.* 42. *Clamant pauperes nostrũ est, quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter extenditur.* Præcipua tamē ratio desumitur ex Ecclesiæ prohibitione. Quæ habetur in Con. Triden. *sess.* 25. *cap.* 11. *de reform.* Vbi Episcopis omnino interdicitur ne ex reddtibus Ecclesiæ cōsanguineos, familiares

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

iaresve suos augere studeant his verbis. Cum & Apostolorum canones prohibiant, ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, ijs, vt pauperibus distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa. Imo, quo maxime potest eos sancta Synodos monet, vt omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinque carnis affectum, vnde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat penitus deponant. Quæ vero de Episcopis dicta sunt, ea non solum in quibuscunque beneficia ecclesiastica, tam secularia quam regularia obtinentibus pro sui gradus conditione obseruari, sed ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit, ita concil. Trident. Hæc vero totalis interdictio lethalem culpam sonat Dico *quinto*. De bonis purè ecclesiasticis, nec etiam ad pios vsus possunt Episcopi huius Regni valide testari. Et ideo quidquid eorum remanet, ad futurum successorem spectat. Ita obtinuit, praxis, & consuetudo huius regni. Contra hanc vero consuetudinem valet Papæ dispensatio ad quosuis pios, profanosve vsus, vt notat vterque Molina. Si tamen hæc facultas absolutè concedatur, intelligitur ad pios tantum vsus. Ita docet Nauar. *in Apolog. quæst. 3. num 6.* cum alijs, consentitque Vterque Molina.

De Codicillis. §. 3.

1 *Quid est codicillus.*
2 *Quid est legatum.*
3 *Quid est fideicommissum.*
4 *Quæ solennitas requiritur ad codicillum.*
5 *De clausula apponi solita in testamentis, testamentum hoc, vel codicillus.*
6 *Per quem, & in quos pauperes facienda distributio legati, cum nec distributor, nec pauperes apertè declarati sunt.*
7 *Cui reddenda pars legati pij, quæ superfluit impleta voluntate testatoris.*
8 *Cui reddenda pars legati pij, quæ superfluit impleta testa-*

testatoris voluntate, cum absolutè testator dixit vt impenderetur in certa domo sacra.

1 QVAESTIO. *Quid est codicillus?* RESP. Est quædam vltimæ voluntatis dispositio, per se consistens in directa hæredis institutione. Ita colligitur ex *Instit. 1. & Cod de codicill.*

2 QVAEST. *Quid est legatum?* RESP. Est pars testamenti aut codicilli.

3 QVÆST. *Quid est fidei commissum?* RESP. Quod hæredis fidei à testatore relinquitur, post illius mortem exequendum.

4 QVAEST. *Quæ solemnitas requiritur ad codicillum?* RESP. De iure communi requiruntur quinque testes, ac sufficiunt puberes, licet non rogati, neque masculi, nisi codicilli sint cæcorum. Nam in ijs ijdem testes, qui ad testamentum sunt necessarij, Omnes, si fiat codicillus in scriptis, subscribere debent. Iure tamen Lusitano sufficiunt quatuor testes, siue masculi, siue fœminæ, dummodo quatuordecim annis sint maiores liberi aut vt liberi reputati, ita vt cum tabellione, aut alio, qui scripserit, sint quinque. In locis vero desertis, vbi iste numerus tam facile reperiri nequeat, sufficiunt tres testes, qui omnes subscribere debent, si fiat in scriptis. Ita *li. 4. Ord. tit. 76. §. pen. & antepen. & vlt.*

5 QVAEST. *Quid sibi vult clausula in testamentis apponi solita (testamentum hoc vel codicillus,) &c.* RESP. Nil aliud quam quod si aliqua ad testamenti valorem solemnitas defecerit, valeat, vt codicillus.

6 QVAEST. *Reliquit quis centum pauperibus neque nominando distributorem, neque pauperes, quibus distribuenda illa centum, quis debet, & quibus pauperibus distribuere?* RESP. Episcopus loci in quo obijt, vel eius Vicarius. Et in pauperes loci, vbi vita functus habebat domicilium. Quod si domicilium ignoratur, vel difficilis sit ad eundem locum accessus, fiat distributio in pauperes loci, in quo obijt, ita Couar. *cap. cum tibi de testam. num. 14.*

7 QVAEST. *Legauit quis mille aureos, vt conficeretur ædes sacra talis formæ, perfecta æde, remanserunt centum, cui cedunt?* RESP. Si mille aureos reliquit ratione restitutionis de

onis debiti incertorum dominorum, illi centum, qui remanserunt cedunt in vtilitatem eiusdem ædis. Si vero ex liberali donatione cedunt in vtilitatem hæredum: quia vltima testatoris voluntas impleta perfecte est. ita Couar. & Mol. *sup.*

8 QVÆST. *Quid? si ex liberali donatione reliquit, sed absolutè dixit, vt impenderentur, in sacra æde extruenda?* RESP. Omnes in ipsius ædis vtilitatem impendendi sunt. Ita Mol. contra Couar. Ratio est, quia præsumendum est pro pia pauperiorique causa.

Aliqua dubia circa hanc materiam de Testamentis. §. 4.

1 *Secundum testamentum minus solemne, non reuocat primum solemne.*

2 *Quomodo reuocari possunt à testatore legata solemnis testamenti.*

3 *An possit testator reuocare testamentum, quod iurauit se non reuocaturum.*

4 *An reuocatio testamenti, quod testator iurauit se non reuocaturum, sine iuramenti relaxatione.*

5 *An testator, qui cum alio simul testatus est omnia amborum bona se relicturos alicui pio operi, possit socio mortuo suam partem reuocare.*

6 *De eo qui per dolum, aut fraudem, alium ad simul testandum induxit.*

7 *De vxore, quæ consensit, vt maritus de communibus bonis testamentum conderet.*

1 QVÆSTIO. *Reuocaturne in foro externo prius solemne testamentum, per posterius minus solemne?* RESP. Minime. *Instit. Quibus mod. testament. infirm. L. Hac consultiss. C. de testam.* Ratio est, quia hæreditas in foro externo, neque directe dari, neque directe adimi potest, nisi per testamentum validum.

2 QVÆST. *Quomodo reuocari possunt à testatore legata, & fideicommissa solemnis testamenti?* RESP. Per codicillos, seu scripto, seu voce confectos.

3 QVÆST. *Reuocarene poteſt teſtator teſtamentum, qu iuramento nunquam reuocandi confecit?* RESP. affirm Barth. quem cum alijs, ſequitur Anton. Gom. *L. 3. Tau* 95. probantque. Quia illud iuramentum eſt de re illic nam *L. ſtipulatio. ff. de verb. ſignific.* obligat dicitur contra bonos mores. Verum reſponderi poteſt eſſe co tra bonos mores ciuiles; non naturales capit. Præter negant Couar. *Rubr. de teſtam. p. 2. numer.* 15. Iul. Clarus *3. ſent.* §. *teſtamentum quæſt.* 49. Molin. *diſp.* 115. quam op nionem communem dicit. Ratio eſt, quia iuramentu de re licita implendum eſt: ſed illud iuramentum eſt re licita, ergo. Dico igitur, quotieſcunque cauſa nõ adi reuocandi tale iuratum teſtamentum, licite reuocari poſſe, petendamque ab Epiſcopo relaxationem.

4 QVÆST. *Quid, ſi non obtenta relaxatione iuramen reuocatur iuratum teſtamentum, validane eſt reuoca* RESP. Duæ de hac re ſunt contrariæ ſententiæ, affirma tem tenet Hoſtienſ. *in ſum.* & Mol. *citat. loco.* Standum eſſe ait in vtroque foro priori teſtamento. Ratio illi eſt, quia iuramentum ita confirmat promiſſionem, cum adimpletio illicita non ſit, quanquam ipſa in ſe pr miſſio mala ſit, ſeruandum ſit. Imo vult Moli. tale iu mentum non poſſe ab Epiſcopo relaxari. Quia quand iuramentum non eſt iniuſte extortum, vi, ſcilicet, dolo aut fraude, nec poſtulat publica neceſſitas, illud relaxa nequit ab Epiſcopo. Negantem tamen opinionem te nent Bart. Bal. & alij quos citat, & ſequitur Couar *in rub de teſtam. p. 2. num.* 15. Sylu. *iuram. 4. quæſt.* 12. Ratio eorum eſt, quia teſtandi actus, tam ſuapte natura, quam iuris di ſpoſitione ſemper manet reuocabilis. Conſentiunt lege Luſitanæ *lib. 4. Ord. tit. 70.*

5 QVÆST. *Duo de communi conſenſu condiderunt teſta mentum, in quo omnia ſua bona relinquunt alicui pio oper vel maioratui, poteſne teſtator ſuperſtes, altero mortuo, t ſtamentum, quo ad ſuam partem reuocare?* RESP Poteſ Ita Couar. *rub. de teſtament. p. 2. num.* 78. Gam. *deciſ.* Vtetque Mol. & Doctores communiter. Ratio eſt, quia teſtandi actus vſq; ad vltimum mortis inſtans, eſt libe & reuocabilis, neque alius contractus illius naturam mutare poteſt.

6 QVÆST.

6 QVÆST. *Qui dolo, aut fraude alium induxit. vt ambo relinquerent bona ſua alicui pio operi, eo animo, vt ſuperſtes, ſuam partem reuocaret, ad quid tenetur?* RESP. Ad reſtituendum hæredibus teſtatoris partem eius, quam dolo extraxit in illud opus. Ita communiter Doctores.

7 QVÆST. *Conſenſit vxor. vt maritus de communibus bonis teſtamentum conderet, mortuo eo, poteſtne vxor teſtamentum, quo ad ſuam partem reuocare?* RESP. Minime. Ita Couarr. & vterque Mol. *locis citatis.* Ratio eſt, quia tota illa diſpoſitio, licet ex conſenſu vxoris, fuit mariti: ea vero per illius mortem abſolutè confirmatur irreuocabilis.

CAPVT XVIII.

De furto & rapina. §. 1.

1 *Quid eſt furtum?*
2 *Quid eſt rapina.*
3 *An furti peccatum committat, qui animo tantum retinendi per paucos dies rem abſtulit.*
4 *De re, quæ periit in manu furis, quæ etiam in manu domini peritura erat.*
5 *Cum periit diuerſo modo, atque peritura erat.*
6 *De re ſalua in manu furis, quæ peritura erat in manu Domini.*
7 *Cum res periit diuerſo tempore poſt in manu furis, atque erat peritura in manu Domini.*
8 *Cum res periit diuerſo tempore, ante atque erat peritura in manu Domini.*
9 *Cum periit abſque culpa furis.*
10 *In quo diſtinguantur furtum, & rapina.*
11 *An furtum & rapina differant genere.*
12 *An emptor bonæ fidei teneatur rem emptam vero Domino reddere.*

13 *An emptor bonæ fidei possit rem emptam item pro recuperando pretio latroni reddere.*

14 *De emptore malæ fidei.*

15 *Quæ quantitas furti facit peccatum lethale.*

1 QVAESTIO. *Quid est furtum?* RESP. Quot ferè sunt Doct. tot sunt furti definitiones. Ijs igitur omissis exactius definitur. Vsurpatio occulta alienæ rei pecunia æstimabilis, inuito domino. Vsurpatio id est, iniusta acceptio. Nam vsurpare, iuxta Gellium *lib.* 3. *cap.* 2. Budæum, & alios, est contra ius rem alteram vendicare. Iniusta item retentio. Eam enim furtum appellat D. Thom. 2. 2. *quæst.* 66. *artic.* 2. *ad* 2. Reinel 1. fur. Pantheol. *tit. de furto.* Reliquas particulas explicui iam tractat. de restit. in communi.

2 QVÆST. *Quid est rapina?* RESP. Est vsurpatio manifesta alienæ rei, pecunia æstimabilis, inuito domino atque in hac manifestatione præsente, & sciente domino inuito, licet non prohibente ob impotentiam aut modestiam distinguitur rapina à furto, vt communiter docent Doctores.

3 QVÆST. *Surripuit quis rem alienam, non animo sibi illa capiendi, committitne furtum?* RESP. Si vsus rei pecuniæ æstimabilis, furtum committitur. Ita communiter Theologi, & Iuristæ, & ideo. *L.* 1. *ff. de furtis,* in definitione furti aiunt esse contrectationem rei, vel vsus, vel possessionis. Quia vero vsus, possessio, & vsusfructus, rei nomine comprehenduntur, ideo à Theologis solo rei nomine significantur.

4 QVAEST. *Ad quam restitutionem tenetur fur, in cuius manu res furtiua perijt, quæ eodem modo peritura erat apud dominum?* RESP. De iudiciali foro in Lusitania certum est obligari ad rei restitutionē. Ita *li.* 2. *Ordin tit.* 5. in alijs Regnis, vbi iure communi proceditur, res est controuersa, affirmant Barto. & Doctores communiter, quos refert Couar. 2. *par. regul. peccatum* §. 6. *num.* 1. Et videtur vera sententia iuste decernēs illam pœnam furandi crimini. In foro tamen conscientiæ ad restitutionem illico obligant Palud. *in* 4. *d.* 15. *quæstion.* 2. *artic.* 1. *concl.* 5. *num.* Ancharan. à Couar. citatus, & ita videtur asseruisse Mo-

din-

din. *de reſtitut. quæſt. 6. cap. 6.* in fine. Nihilominus contraria ſententia amplecteuda eſt Couar. proxime, & aliorum, quos refert Sylu. *reſtit. 7. quæſt. 5.* Toletanus *libr. 4. de reſtit. capit 1.* Ratio eſt manifeſta, quia ex illo furto nullum eſt domino damnum ſubſequutum; ergo neque vlla ſubſequuta reſtituendi obligatio.

5 QVAEST. *Quid cenſes, ſi in manu furis perijt diuerſo modo, atque erat peritura in manu domini. Verbi Gratia, in manu furis perijt incendio, in manu vero domini erat peritura illuuione?* RESP. Excuſandus etiam eſt à reſtitutione. Ratio eſt, quia apud Doctores res eodem modo perire dicitur, & intelligitur, quo reuera interijt, licet diuerſo caſu. Deobligatur vero ex eo, quod dominus non ſit pauperior factus, aut damnificatus, nec fur locupletior. Ita intelligendi Medin. & Couarruuias citati à Toletan. Ita intelligendi Medin. & Couarruuias citati à Toletan. Ratio eſt certa ex *L. vehenda. §. 1. libr. 4. capit. 1. nume. 23.* *ff. ad L. Rhodiam,* ita decernente, vt ſi nauta repugnante domino poſuit merces in deteriori naue, merces perierint, ſimul cum naui teneatur ad reſtitutionem: ſecus ſi perierit, vtraque nauis.

6 QVAEST. *Quid cenſes de fure, qui furatus eſt rem, quæ reuera apud dominum erat peritura, niſi raperetur?* RESP. Teneri ad reſtitutionem cenſeo, quia fur factus eſt ex re aliena locupletior, fuit tamen dominus bene fortunatus, quia eo neſcio rem illius ab interitu vindicauit.

7 QVÆST. *Quid dicendum putas, cum res in manu furis perijt tempore alio, quam erat peritura apud dominum, vt poſt vnam horam, &c.* RESP. Si in illo ſpatio fuit fur in culpabili mora, non reddendi rem domino, cuius bona fortuna fuit, vt res ſua non apud ſe eſſet, & periret, tenetur ad illius reſtitutionem. Ita Toletan. *lib. 4. cap. 1. num. 26.* Accurſius *L. ſi vehenda §. 1. in ſchol dolo, & culpa.* Ratio eſt, quia fur fuit ſolo illo ſpatio iniuſtus retentor.

8 QVÆST. *Res perijt apud furem prius, quam peritura erat apud dominum?* RESP. Furem à reſtitutione excuſat Toletan. *ſupra,* adeo, vt affirmat eſſe excuſandum, licet malè illam diſtraxiſſet. Sed oppoſitum omnino aſſerendum: & probatur à ſimili, nam nemo dixit nec ipſe Toletanus homicidam eſſe excuſandum à reſtitutione ex eo, quod occiſus vir, ab alijs eſſet occidendus.

9 QVÆST. *Quid dicendum, cum sine noua culpa furis perijt, quæ apud dominum paulo post peritura erat?* RESP. Ad nullam tenetur fur restitutionem. Ratio est, quia damnum subsequutum est ex mora restituendi: sed hæc non fuit in culpa restituendi, ergo, &cæt. Ita doctissimus Peres. Verumtamen non video cur non sit talis fur obligatus ad restitutionem, cum ex culpa furis res fuit collocata in pereundi periculo. Nam nemo negaret eum obligandum, si antequam res periret apud dominum illam destrueret: sed ita se habuit fur in eo euentu; ergo &cæt.

10 QVÆST. *Distinguiturne furtum à rapina, in quod fur clam, raptor vero coram domino inuito auferat?* RESP. Negat Sot. 5. *iust. qu.* 3. *art.* 2. sed immerito contra Auguſt. relatum *cap. Pœnale.* 14. *qu.* 5. D. Thom. 2. 2. *qu.* 66. *art.* 3. *ad* 2. & *qu.* 118. *art.* 8. *ad* 3. Aristotel. 5. *Ethicor. cap.* 8. 4. *L. fur. ff. de furtis. L. sed nouo iure. C. de iureis fug.* Alex. *memb.* 2. *p. quæ* 36. Abul. *qu.* 62. *in cap.* 11. *Iudic.* Tabien. *furtum* Gabriel. *in* 4. *d.* 15. *qu.* 3. *art.* 2. *notab.* 3. & 4. Maior. *notab. quæ.* 24. Caiet. 2. 2. *quæ.* 66. *art.* 3. Couar. 2 *part. regul. peccat.* §. 4 *num.* 2. qui hanc sententiam omnium esse Theologorum testatur.

11 QVÆST. *Differuntne specifice in genere moris furtum, & rapina?* RESP. Differunt Ita D. Thom. 2. 2 *quæ.* 66. *art.* 4. & ibi Caietan. Reinel. Sot. citati. Couar. 2 *p. reg. peccat.* §. 1. *num.* 2. Ratio est, quia vsurpatio rei alienæ est iniusta, nam est contra inuoluntarium dominum: dominus vero aliter inuitus est cum eo clam, & aliter cum coram re res auferetur; ergo similiter alia est vsurpatio per furtum, alia per rapinam. Et ideo hæc circumstantia, cum species mutet, necessario est dicenda in confessione, iuxta Conc. Trid. *sess.* 14 *ca.* 5. & *can.* 7.

12 QVAEST. *Qui bona fide rem alienam emit, tenetur eam inuento domino illam reddere, licet pretium latroni solutum, dominus nolit reddere?* RESP. Negauit Argentinas in 4. *d.* 15. *post. art.* 4. *ad* 1. & ibi Dionys. Carth. *quæst.* 4. Oppositum tamen est omnino asserendum, scilicet emptorem bonæ fidei teneri rem omnino restituere, licet dominus nolit pretium solutum reddere, neque latro comparet à quo illud exigatur.

13 QVÆST.

13 QVAEST. *Qui bona fide rem alienam emit, potestne illam ad recuperandum pretium, pro ea solutum, latroni reddere, postquam sciuit rem esse alienam, & dominum rei cognoscit?* RESP. Potest. Ita Altisiodor. *libr. 4. tractat. 6. cap. de restit. quæst. 5.* ad medium. Alens. *p. 4. quæst. 86. memb. 3. art. 4.* Gabr. *in 4. d. 15. qua. 2. art. 4. num. 25.* Palud *ibid. quæst. 3. dub. 5.* Directi iuris, quod etiam citant pro hac opinione Gabr. & Ioann. Med. D. Anton. *2. p. tit. 2. cap. 1. §. pro quo.* Sylu. *rest. 4 quæst. 1. & 7.* Toletan. *lib. 4. cap. 2. num. 18.* Instruct. *1. p. cap. 95.* hanc appellans communem opinionem. August. *rest. 1.* Tabiena, & alij. Nau *cap. 15. num. 9 ad finē §. ad 3.* his conceptis verbis. *Iure dubitari potest, an qui emit bona fide rem alienam à non domino, de hoc certior factus, illam reddere venditori possit, & suam pecuniam recuperare.* Ad quod respondetur posse, vt respondet Alens. auctor irrefragibilis, quem Gabr. & alij sequuntur. Ita Nau. Probatur deinde ratione. In primis, quia opposita sententia dura videtur. Deinde, quia contra Doctorum nititur sensum, cui adeo mordicus hæsit Caietan. *verb. restitut.* vt asseruerit, debere emptorem, & teneri illam rem latroni reddere. Tertio, quia ille emptor bonæ fidei, nec ratione iustitiæ, nec ratione charitatis tenetur ad amittendum suum pretium reddendo rem domino, cum possit recuperare, reddendo latroni; ergo, &cæt. Antecedens ostendo inductione. Non ratione iustitiæ, quia nullo iustitiæ iure tenetur quisquam esse alterius procurator, vt ei rem furto ablatam deferat, aut ostendat, vbi sit, nisi ad id ex officio teneatur. Non ratione charitatis, quia charitas nequaquam obligat, vt quis graui detrimēto suo euitet graue alterius, & multo minus, vt æquale graue damnum alterius anteferat proprio æquali graui damno: imo ad oppositū si seruandus sit charitatis ordo. Quarto, quia licet ego promiserim rem alienā procurare, vt tuta domino seruetur & reddatur: si postea aduerti minime posse talem curā susscipere sine graui meo damno, nullatenus procurare teneor, cum non promiserim, si tale aliquod graue damnū inopinato suboriatur. Id vero euenit emptori bonæ fidei, si non latroni, sed domino rē emptā reddere procuret, subit enim graue damnum pecuniarum amissionis, quas bona fide dedit; ergo non

tenetur, nec ex iustitiæ, nec ex charitatis iure. Adstringunt aliqui conclusionem ad solum emptorem scientē, vel saltem probabiliter credentem fore, vt latro restituat rem domino. Nihilominus tamen Nau. *cap. 17. numer.* 9. contra Medinam, conclusionem tuetur etiam in eo, qui credit venditorem nunquam restitutum eam domino. Et probat, quia emptor, plus tenetur sibi prouidere, quam domino rei. *L. 51. præses Cod. de furt. cap. Non licet 23. quæstion. 5.* At vero cum reddit furi, recuperato abeo pretio, sibi prouidet, faciendo actum iustum; ergo &c. Quod si ob id ex culpa furis domino damnum contingat, non est ei imputandum; quia reponit rem penes eum à quo eam accepit, neque aliud ex vlla iustitiæ lege obligatur. Quod autem per accidens contingit, non est adeo attendendum. *L. si quis ne causam. ff. de rebus creditis.*

14 QVÆST. *Quid censes de emptore malæ fidei?* RESP. Qui mala fide emit rem alienam a fure, sciens scilicet esse furtiuam, potest ad comparandum suum pretium, illam furi reddere, ac proinde illam domino restituere, non tenetur. Explico conclusionem, Emi rem furtiuam sciēs & prudens esse talem, postea pœnitentia ductus, vel etiam metu amittendi, & rem, & pretium coactus, quia dominus iam notus est, conueni furem, & pretium repetij, remque emptam reddidi. Dico igitur me id iuste facere posse, nec ad domino restituendum teneri. Ita Alens. 4. *p. quæst.* 80. *memb.* 3. *art.* 4. Gabr. *in* 4. *dist.* 15. *qua. artic.* 4. *numer.* 25. Palud. *ibid. quæst.* 3. *dub.* 5. *in expl. 1. propo.* Quamobrem merito iure sapientissimus Peres Societatis IESV in manu exceptis, quæ apud me sunt temeritatis damnat Toletanum, qui *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 200. oppositam sententiam communem appellat. Non sicut ait, significare videtur Toletan. qui *libr.* 3 *cap.* 4. *num.* 200. oppositam sententiam communem appellat, quia oppositam graues tenent Doctores, scilicet Alens. Gabr. 67. Et præterea hæc sententia Tolet. *pluribus locis, lib.* 5. *cap.* 58. *numer.* 3. Sed clarius *lib.* 5. *cap.* 17. §. *vltim.* his verbis. Quam tam differentiam ponit Nau. *cap.* 17. *num.* 9. Bonæ fidei possessor potest vendenti rem reddere, cum compertum non esse suam, at vero malæ fidei non: sed domino. Sed hæc differentia nulla est, Nam vterque possessor potest reddere

reddere venditori,& ſuum recuperare pretium,ſi autem hoc non poſſet,tunc reddere domino tenetur. Et iſtam ſententiam tenet Alexand.de Ales.4.*p.quæſt.*86.*art.*5. & Sylu *verb.reſtit.*3.§.7.quamuis aliqui contrarium putent. Vnde poteſt, qui emit à latrone quacunque fide reddere latroni emptum,ſi poteſt,ipſum tamen exhortari debet, vt reddat. Sic ille. Probatur deinde efficacibus rationibus. Primo, quia ex eo tenetur emptor malæ fidei rem reddere domino, & non latroni, quia ex meliori ſtatu eam traducat ad peiorem: ſed hoc, ſi ita eſſet, non obſtaret; ergo &c. Probo antecedens. Nullo iure, nec iuſtitiæ, nec charitatis teneor cum graui meo incommodo reducere rem alterius in meliorem ſtatum, quam erat,quando eam emi,ſiue conſcius, ſiue neſcius illius conditionis: ſed quando emi,res erat in latronis manu: ergo ſatis erat rem iterum in eadem manu reponere, licet ab alijs ſit furripienda:cum ob retentionem non fui in cauſa, vt à domino ad locum tutum reciperetur; ergo &c. Probatur efficacius ex eo, quod res non habet meliorem ſtatum in manu emptoris malæ fidei, quam furis, nam ſaltem habet æqualem, quia vterque fur eſt;imo peiorem; quod ſic oſtendo. Nam ſtatus rei alienæ ſumitur à facilitate, vel difficultate redeundi ad dominum,ſed fieri poteſt, vt emptor malæ fidei ſit rapacior, atque ipſo fure tenacior, imo frequentius ita erit, ergo difficilius reddetur domino à poſſeſſore malæ fidei, quam à fure. Confirmatur deinde; quia actio ipſa furis, recipientis rem alienam,non eſt mala, imo bona ex obiecto,quia recta tendit & ſancte ad reſtitutionem, ergo nec ipſa actio reddendi,facta ab empore, quia mouetur ab intentione reponendi rem ſaltem in ſtatu, in quo illam inuenit, ergo vt latro non peccat accipiendo, ita nec emptor reddendo: Præterea,quia ex oppoſita ſententia ſequeretur, vt ſi rem iam accepi, & nondum pretium reddidi,cogar, & pretium latroni reddere (repetit enim multis minis) & tenear rem domino præbere ex iuſtitia. Antecedens præterquam quod durum falſum apparet. Quoniam æque retineo ante pretij ſolutionem, atque depoſitarius malæ fidei non tenetur graui damno ſuo ſeruare rem alienam, ſed illam ad illud euitandum

latroni reddere potest, ergo &c. Tandem, Non maior est fur, & malæ fidei possessor inuito domino, emptor malæ fidei, quam fur qui à fure rem auferret: sed fur, qui furtus est à fure, potest reddere eidē furi, vt docet Saa, *verb. furtum num* 11 cum Alens. D. Anton. & Angel. quos citat. Imo secundum Nau. *sup.* non solum potest, sed debet, cum D. Anton. Sylvest. & iure, quod citat, ergo &c.

15 QVÆST. *Quæ quantitas sufficit ad inducendam culpam mortalem?* RESP. Nihil hac de re certum inuenio apud Doctores, sed nunc, si vnquam, maxime dissident. Vnum attero semoto alio damno, quantitatem non esse attendendam per respectum ad pauperem, aut diuitem, à quo res auferetur, sed secundum se. Deinde, huiusmodi quantitatem, vel pecuniæ, vel rerum attendendam per respectum ad copiam & inopiam in loco, vbi fit furtum: nam hic est copia pecuniæ, & ideo illius vtilitas, alibi vero è contra. Quod etiam dico de copia, & ipsarum rerum inopia, & ideo pro loci differentia, differens erit quantitas notabilis. Credo tamen hac in re standum esse communi Doctorum loci existimationi.

De Venatione. §. 2.

1 *An sit venatio licita.*

2 *An qui feram ab alio vulneratam occidit, quam adhuc vulnerans sequitur, teneatur eam restituere.*

3 *Cuius est fera, quæ ab alio persecuta incidit in laqueos alienos.*

4 *An possint occidi animalia domestica longe à domibus versantia.*

5 *An possint occidi animalia septo inclusa.*

6 *Quis, & in quo loco possit prohibere venationem.*

7 *De venantibus in loco vetito.*

8 *De columbis.*

9 *De venantibus in agro alieno.*

10 *De venantibus feras, quæ per ostiola septi foras exeunt.*

11 *Quid*

11 *Quid de examinibus apū ab aluearibus exeuntibus.*

12 *An possint occidi animalia domestica, quæ iam domum redire desueuerunt.*

1 QVAESTIO. *Estne licitum venari?* RESP. Licet ea animalia, quæ nullius sunt. Patet Insti. *de rer. diuis.* Ratio est, quia hæc animalia vaga, ita hodie se habent atque habebant ante rerum diuisionem, & ideo primi sunt occupantis.

2 QVAEST. *Inflixisti lethale vulnus, & feram insequeris, sed alius obuiam procedens illam capit, teneturne illam tibi reddere?* RESP. Tenetur, ita Sylu. *verb inuentum nu.* 5. Aug. *ibid.* Secus dicendum, si quamuis illam ego ipse insequar, non vulneraverim lethaliter, aut quanquam vulneraverim, destiti ab insecutione; ita ijdem Auctores.

3 QVÆST. *Dum tu insequeris feram, incidit in alienos laqueos, cuius erit* RESP. Amborum, pars dimidia, in quam, mea, pars altera laqueorum domini. Instit. *de rer. diu.* §. *quæsitum.*

4 QVÆST. *Animalia suapte natura domestica, si longe à domibus versentur: possuntne ab inuentoribus occidi?* RESP. Minime. Sed semper sunt dominorum. Instit. *de rer. diuis.* § *gallin.* Sot. 4. *iust. qu.* 6. *art.* 9. Sylu. *verbo inuentum nu.* 7. Aug. ibid. *num.* 1. Neque obstabit, si a luporum periculo ea animalia quis extraxerit. Ita decernitur *l.* 5. *Ordinat. tit.* 62. §. 3. *L. Pomponius ff. de rer. dom.*

5 QVÆST. *Quæ animalia fera ab aliquo capta, & in septo inclusa continentur, possuntne licite occidi aut eorum partus?* RESP. Minime, sed sunt eius, qui ea inclusa habet, ita colligitur *ex L.* 3. §. *item feras. ff. de acq. possess.* & *Instit. de rer. diu.* §. *feræ.* & §. *item.*

6 QVÆST. *Quis, & in quo loco potest probibere venationem?* RESP. In primis ex iure communi, vnusquisque in suo fundo. *L.* 2. *de acquir rer. dom.* & *Instit. de rer. diuis.* §. *feræ.* § *aprum.* Verum ex consuetudine hoc ius abrogatum est, ac proinde quisque in alieno agro venari potest. Imo iure Lusitano id singulis dominis prohibetur impedire *l.* 5. *Ordinat. tit.* 91.

7 QVÆST. *Ad quid tenetur, qui venatur in locis vetitis?* RESP. Dico primū Ad pœnam. veruntamen non nisi post latā sententiā. Ita oēs Doctores, vt in materia de legibus respon-

respondebo. Dico secundo. Si venatur in locis publicis prohibitis ciuis eorundem locorum ad nullam tenetur restitutionem. Ita cum Sot. *Instruct 1. part. cap.* 148. Dico tertium. Qui venatur in locis prohibitis particularium dominorum, non muro cinctis, sed parētibus, ad nullam tenetur restitutionem. Ratio est, quia dominus loci, non est dominus ferarum vagantium.

8 QVAEST. *Quid censes de columbis?* RESP. Columbæ, quæ columbarium incolunt, quatenus in eo sunt, domini sunt, & ideo, qui eas occidit, non absoluitur à restitutione. Ita *L. 3. § item feras. ff. de acquiren. poss.* Si vero extra sunt, & intra certum spacium a columbario, adhuc domini sunt, & qui eas occidit tenetur ad restitutionem. Ita decernunt leges cuiusque regni, sed illæ pro spatij longitudine consulendæ sunt.

9 QVAEST. *Admonui venatorem, ne intra meos agros venetur, ille tamen venatus est, cuius est fera capta?* RESP. In Castellæ regno est agrorum domini. Ita *L. 16. p. 3. titul. 8.*

10 QVÆST. *Habeo intra septum feras, veruntamen relicta sunt ostiola, per quæ foras exeant, & intro redeant ad pascua, ad quid tenetur, qui eas foris inuentas occidit?* RESP. Ad nullam tenetur restitutionem, licet inde eas aliquo illicio extrahat voluntarias Ita Cord. & Couar. quos refert, & sequitur Instruct. *1 par. cap. 4. num.* 14. decernitúrque *L. 3. ff. de acq. poss.*

11 QVÆST. *Quid censes de examinibus apum ab aluearibus abeuntibus?* RESP. Sunt capientis. Ita cum Nau. *Instruct. loco proxime citato.*

12 QVAEST. *Quid de animalibus, aut domesticis auibus existimas, quæ statis horis redire domum solitæ erant, postquam huiusmodi redeundi consuetudinem amiserunt, poterit quisquam eas capere?* RESP. Poterit. Ita decernitur *§. pauonum. & §. apum. Instit. de rerum diuis. & L. Naturalem. 1. & 2. ff. de acquir. rer. dom.*

De Cæsione lignorum. §. 3.

1 *Quid restituere tenetur cæsor lignorum.*

1 QVÆSTIO. *Ad quam restitutionem tenetur lignorum cæsor?* RESP. Quando, quia in sylua cædua loci cædit,

cædit, ciuis est, & incola eiusdem loci, ad nullam obligatur restitutionem, sed tantum ad pœnam post latam sententiam. Ita Sot. 4 *iust. quæst.* 6. *art.* 4. Cord. *quæst.* 17. Lopes. 1. *par. cap.* 149. Quod intelligo, nisi magnam stragem fecerit. Ita ijdem citati Doctores, & Angles *in Floribus de restit.* Ratio est, quia ita tacita consuetudine negantur, & conceduntur incolis huiusmodi ligna. Item finitimi incolæ locorum, qui in cæduis syluis illorum, inuicem sibi cædunt, ad nullam tenentur restitutionem. Ita citati Doctores. Quoniam via recompensationis sibi mutuo condonant ablata.

CAPVT XIX.

De octauo Decalogi præcepto.

Non falsum testimonium dices.

§. Quoniam in hoc octauo præcepto prohibetur iniustitia, quæ proximo fit in verbis. Hæc autem iniustitia fieri possit in iudicio, & extra illud: de vtraque iniustitia te rogab. Atque in primis de ea, quæ fit in iudicio, cuius materiam appellant Doctores Correctionem Iudiciariam.

De virtute iudiciariæ correctionis. §. 1.

1 *Qui disputant de hac materia.*
2 *Cuius virtutis actus est iudicialis correctio.*
3 *Quo pacto facienda est iudicialis correctio.*

1 QVAESTIO *Qui disputant de hac materia?* RESP. Alens. 3. p. *quæst.* 40. *vsque ad* 45. Gabriel. *lect.* 75 *in can.* D. Ant. 3. p. *tit.* 9. Sot. 9. *iust quæst.* 4. & *de leg. secr. m.* 2. *quæst.* 5. D. Thom. Interpretes 2. 2. *quæst.* 67. Victor. *de pot ciu.* Nau. *cap. inter verba. & cap Nouit de iudic.* Couarr. *de pract. quæst* Molin. *tom.* 1. *iust.* Castro *de leg. pœn.*

2 QVAEST. *Cuius virtutis actus est iudicialis correctio?* RESP. Vt respondeam, præmitto duos esse actus huius correctionis: vel enim componit pacem inter diffidentes partes?

partes? vel punit delicta commissa in Repub. Dico igitur cum exercet priorem actum, est actus iustitiæ commutatiuæ. Ita D. Thom. 2.2. *quæst* 3[illegible]. *art.* 1. cum exercet secundum actum, est actus iustitiæ punitiuæ. Ita D. Thom. 2.2. *qu.* 108 Notat Mol *tom.* 1. *Iust. disp* 12

3 QVÆST. *Quæ debent concurrere ad rectam regulam huius correctionis?* RESP. Octo, nimirum, *potestas* iudicis *forma* iudicij à legibus præscripta *denunciatio* iudiciaria, *accusator, inquisitio, testes, reus, aduocatus & tabellio.* De singulis me igitur interroga, atque in primis de iudicibus.

De iudicibus. §. 2.

1 *Quotuplex est potestas iudiciaria.*
2 *Quid est potestas publica.*
3 *Ad quam pœnam extenditur potestas politica.*
4 *Penes quem est potestas politica.*
5 *Vtrum potestas Regum possit ab eis auferri.*
6 *Quid est potestas ecclesiastica.*
7 *Penes quem est potestas ecclesiastica.*
8 *De exemptis à potestate ecclesiastica.*
9 *An Papa possit supra se creare iudicem.*
10 *Quam potestatem habeat supra Papam iudex ab eo supra à se creatus.*
11 *De exemptis à potestate politica.*
12 *An tales exempti subiacent pœnis legum.*
13 *De peccatis frequentioribus iudicum.*
14 *An possit iudex sequi scientiam priuatam, & spreto iuris ordine iudicare.*
15 *An teneatur iudex damnare nocentem iuxta probationes allegatas & probatas, quem scit certò innocentem de facto.*
16 *An possit reum talem damnare.*
17 *De ordine seruando in iudicijs.*
28 *Potestne iudex pœnam legum relaxare.*

1 QVÆST.

1 QVÆSTIO. *Quotuplex est potestas iudiciaria?* RESP. Duplex, *Politica* scilicet & *Ecclesiastica*. Ita Gelas. *dist. 96. Duo sunt*, inquit, *quibus hic mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas*. Alexand. III. *cap. Si duobus. Extrauagant. de appel.* Bernard. *lib. 1. ad Eugen.* explicans illum locum: *Ecce duo gladij hic*. Victor *de potestate Eccles.*

2 QVÆST. *Quid est potestas Politica?* RESP. Est potestas à Deo immediate data mortalium communitati, ad se apposite gubernandam, & congruenter fini naturali, qui quidem finis naturalis est bene, beateque viuere secundum naturalem rationem. Ita Nauar. *cap. Nouit de iudicijs*. Probatur ex Paulo. *Rom. 13. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*

3 QVÆST. *Ad quam punitionem extenditur huiusmodi potestas?* RESP. Vsque ad hominum sceleratorum internecionem. Constat hoc ex pœnis legum.

4 QVÆST. *In quo residet huiusmodi potestas politica iudiciaria?* RESP. In eo vel ijs, cui, vel quibus eam communitas demandauit, iuxta varios se gubernandi modos. Itaque vel est in Rege, vel in Magistratibus. Ita Driedo *lib. de libert. Eccl. cap. 15*. Castro *lib. 1. de leg pœn. cap. 1*. Molin *tom. 1. iust. disp. 26*. quanquam oppositum sentiat Victor. *de potest. ciuil. num. 8*. Couar *de pract. quæst. cap. 1. num. 6.*

5 QVÆST. *Potestne communitas hanc potestatem semel legibus concessam iterum auferre?* RESP, Minime. Ita Couar. *lib. 1. pract. quæst. num. 6*. nisi in grauissimam Tyrannidem Rex inciderit, vel iurata priuilegia non seruauerit. Tunc enim non seruatur conditio, sub qua fuit à populo facta potestatis libera donatio: conditione vero non seruata, donatio minime tenet iuxta Sylu. *donat. 4. num. 7*.

6 QVÆST. *Quid est potestas ecclesiastica?* RESP. Est potestas a Christo domino immediate Ecclesiæ concessa ad gubernandos fideles secundum legem Euangelicam in ordine ad finem supernaturalem, etiam circa naturalia, quatenus ad finem supernaturalem inseruiunt. Ita Victo. *de potest. ecclesiast. quæstion. 3. numer. 6*. Molin. *tom. 1. iust. disput. 21*.

7 QVÆST. *In quo residet huiusmodi potestas ecclesiastica?* RESP. Residet hæc potestas immediatè in summo Capite,

Capite, quod est Papa, & illi immediate à Christo fuit concessa, cum concessa fuit Petro. *Matth* 16. *Ioan.* 21. quæ quidem per metaphoram nomine clauium, & regiminis, ibi intelligitur, vt intelligitur, cum regi dantur claues regni, aut domino claues vrbis. Ab eo vero descendit ad alios inferiores Ecclesiæ Prælatos. Ita communiter Doctores *in* 4. *d.* 18. *&* 24. Bonauent. Alb. mag. Duran. Gabr. *in can. lect.* 3. Her. *lib. de potest. Papæ.* Sot. *in* 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 2. & alij, quos refert Bellarm. *de Rom. Pont. cap.* 22. *&* 23.

8 QVÆST. *Dixisti de potestate politica, & ecclesiastica, quæro vlterius, estne aliquis exemptus à potestate ecclesiastica?* RESP. Plures. In primis Papa iure diuino, vtpote vicem Christus in terris. Deinde alij iure ecclesiastico per priuilegia ijs ab ecclesia concessa, quæ quidem quo ad vires & earum intentionem consulenda sunt.

9 QVAEST. *Potestne Papa supra se alteri concedere potestatem ecclesiasticam iudiciariam?* RESP. Potest, cum tamen non possit supra se alteri maiorem committere potestatem, quam ipse supra se habeat. *cap. Nuper. de* dote post diuortium restituenda. Et claret, quia nemo potest dare potestatem, quod excommunicetur, suspendatur, deponatur, quia ipse non potest seipsum excommunicare, suspendere, deponere.

10 QVÆST. *Quam vim habet supra Papam iudex ab eidem Papa supra se constitutus?* RESP. Omnem directiuam, nullam tamen coactiuam, hoc est, potest illum obligare sub mortali in conscientia ad standum sententiæ, non tamen potest eum cogere. Ratio est manifesta, quia huiusmodi iudex eandem potestatem supra Papam habet, qua ipse supra se pollet, ipse vero tenetur ad implenda iustitiæ iura vi directiua, non tamen coactiua.

11 QVAEST. *Dixisti plures esse exemptos ecclesiastico iure à potestate politica, quæro modo, vtrum exempti sint quo ad omnia, an quo ad aliqua?* RESP. Tenentur in conscientia ecclesiasticæ personæ exemptæ à laica potestate, seruare Principum leges, quæ aliquid circa Ciuitatis gubernationem in qua viuunt generaliter decernunt, dummodo non sint contra ecclesiasticam libertatem, nec canonicis legibus, aut ecclesiasticis sanctionibus aliqua ex parte

aduersen-

aduersentur. Ita Vict. *in relict. 1. de eccleſiaſt. poteſt. quæſt. vltim. num. 4.* Sot. 1. *iuſt. quæſt. 6. art. 9* Felynus. *cap. Eccleſi. de conſtitut.* Abbas. *ibid.* Couar. 2. *par. Epitomes cap. 6. num. 2.* Ratio eſt, quia tales perſonæ ſunt ciues, & Reipublicę partes, ergo debent ſuccurrere ſuo toti, & conformari ſuis ciuibus, & partibus: vnde manifeſtum eſt teneri iure naturali ad huiuſmodi confirmationem. Accedit ſecunda ratio, quia leges ciuiles iuſtæ, vt tales, ſicut iam diximus, approbatæ ſunt ab ipſa Eccleſia circa omnium ciuium gubernationem ciuilem, vt adnotauit Fortunius tractat. *de vlt fin. iuris, illatione prima num. 158.* conſtatque *ex cap. 1. de noui operis denunciatione,* & *ex cap. Super ſpecula de priuileg.* vbi Papa dicit, *Sanctam Eccleſiam ſecularium legum non reſpuere famulatum.*

12 QVÆST. *Subiacentne exemptæ perſonæ à poteſtate politica pœnis legum ſecularium appoſitis tranſgredienti?* RESP. Minime. Ita Doctores communiter, quos latè refert Couar. *cap. 31. pract quæſt.* Ioann. And. Albertin. Felyn. & alij *ad cap. Clerici de iudic.* habetúrque *cap. Non minus de immunit. Eccleſ. cap. Quanquam de cenſ. lib. 6.* & c. *tota cauſa. 11. quæſt. 1.* Imo iudices ſæculares tales pœnas decernentes ipſo facto excommunicantur in Bulla Cœnæ.

13 QVÆST. *In quo peccant frequentius iudices?* RESP. In primis cum ſuſcipiunt officium iudicandi ſcientes ſe carere prudentia ad recte iudicandum cauſas ſibi commiſſas. Ita Sylu. *iudex 1. num. 9;* Nau. *cap. 25. numer 22.* & præterea tenentur ad damnum reſarciendum ex iniqua ſententia ortum, vt manifeſtum eſt. Peccat præterea iudex, qui difficilem aditum partibus præbet, ne à colloquio familiarium amicorum, colluſorum ſeparetur, teneturque ad damni reſtitutionem ex litium dilatione prouenientis. Inde infert Nau. *cap. 25. num. 15.* peccare grauiter iudicem, qui miſeras perſonas, & peregrinos alijs, cæteris paribus, non præfert.

Peccant tertio iudices mortaliter, & ad reſtitutionem damnorum tenentur, ſi perſonam, non ſibi ſubditam, vel de cauſa ad ſuum fortum non pertinente iudicant. Itemque qui habentes tantum iuriſdictionem in certum genus, vel perſonarum, vel cauſarum, eam extendunt ad alias, quanquam à parte rei ſententia non ſit

iniqua, vt aduertit Nau. *cap. 25. num. 13. & in rub. cap. Nauit. de iudicijs. num. 68.* Hinc inferuntur sequentium euentuum resolutiones. In primis iudices laici, qui personas ecclesiasticas priuilegio fori gaudentes ad sua tribunalia trahunt, aut in criminalibus contra eos procedunt, incurrunt insuper excommunicationem Bullæ Cœnæ, §. & 19. latæ per Clementem VIII. peccant deinde ijdem qui clericum in sacris puniunt, aut non statim iudici ecclesiastico restituunt. Incurrunt insuper excommunicationem canonis. *Si quis suadente 17. quæst. 4. iuncta cap. Si iudex, de sentent. excommunic. in 6.* Idemque dicendum de quouis iustitiæ laicæ ministro, qui clericum deducit vinctum ad laicum iudicem. Peccat lethaliter laicus, qui iubet vexare iudices ecclesiasticos, vel in persona, vel in bonis, quod eius mandatis non paruerint, aut contra ipsum censuras declarauerint. Et insuper excommunicatus manet excommunicatione Papæ reseruata, in sententia per duos menses manserit, *capit. Quicumque de sentent. excommunic. in 6.* Item iudex, qui prohibet subditis ne vendant, vel emant ab ecclesiasticis, estque ipso facta excommunicatus, *capit. Eos de immunit. Eccles. libr 6.*

Insuper iudex politicus, qui extrahit, vel iubet per vim abduci è loco sacro delinquentes, qui ad illum confugerunt. Qui vero locus sacer ad hunc effectum dicendus est, tractat Nauar. *cap. 25. num. 7.* Sylu. *immunit. 3.* Couar *lib. 2 resol. cap. 10.* Estque quælibet Ecclesia, aut sacellum auctoritate Episcopi ad diuina celebranda dicatum. Itemque illius cœmeterium, ianua, & porticus templi. In quibus autem casibus delinquentes gaudeant immunitate loci sacri, diserte traditur *libr. 2. Ordin. Lusit. tit. 4.* Cum autem hæc immunitas introducta sit iure positiuo, standum est regni consuetudini, vbi vitam degit. Quod diximus de laicis iudicibus comparatione personarum, causarumque ecclesiasticarum, similiter dicendum erit, de iudicibus ecclesiasticis, si procedant contra laicos in causis purè laicis. Peccant præterea iudices quando contra reum procedunt ex indicijs leuibus, aut si quis absque infamia, vel suspicione legitima de aliquo specialiter inquirat, vel illum iubeat conijci in carcerem

ex

ex leui culpa, vel propter odium, vel propter iram subitam, vel vt placeat alijs, sicuti Herodes, qui comprehendit Petrum, vt placeret Iudæis. *Actor.* 12. teneturque ad iniuriæ, famæ, & damnorum restitutionem, vt recte adnotauit Nauar. *in rub. cap. Nouit. de iudicijs. num.* 51. Deinde, qui precibus, amore, vel pretio non cõprehendunt publicos delinquentes, aut comprehensos abire sinunt. 14. QVAERST. *Potestne iudex omissa probatione iuridica iudicare secundum scientiam veram propriam?* RESP. Dicam, quid sentiam per conclusiones, sit igitur *Prima conc.* iudex inferior neminem potest damnare, nisi iuridice conuictum, secundum allegata, & probata. Ita Sot. 5. *de iust. qu.* 4. *art.* 2. Couar. 1. *resolut cap.* 1. *num.* 7. Clarus. *lib.* 1. *de pract. criminali. qu.* 8 *cap. Si tantum* 6. *quæ* 2 *cap. Si sacerdos de off. ord.* & omnes communiter.

Secunda concl. Iudex inferior in ferenda sententia omnes iuris solemnitates seruare tenetur *ca. Iudicantem* 3. *qũ.* 5. *& ca.* 1. *Semper.* 2. *qu* 1 *L. illicitas ff. de officio præsidis. §. veritas.* Solemnitates vero de iure naturali, sunt 1. probatio delicti per testes sufficientes. *cap. Nullum* 10. *qu.* 5. *ca. Deus.* 2. *qu.* 1. 2. locus concessus parti ad sui defensionem, illiusque audientiæ, vel per se, vel per alium. *Clemen Pastoralis de re iudic §. verum.* 3. Citatio partis. Solemnitates ex iure positiuo sunt. 1. præfixus terminus ad probandum, & respondendum. 2. scriptura, & instrumentum publicum 3. oblatio libelli. 4. contestatio litis. 5. Iurãtis partis calumnia. 6. Prolatio sententiæ. 7. Sessio iudicis in tribunali dum sententiam fert.

Tertia conclu. Supremus iudex, neq; per se, nec per aliũ punire capite, vel alia pœna graui reum ex sola scientia priuata regulariter loquendo potest. Ita Caie *verb. homicid.* Cord. *lib.* 1. *qu.* 37. Sot. *iust qua.* 1. *art.* 3. *ad primum.* D. Anto. 3. *p. tit.* 9. *ca.* 15. Nau. *ca.* 25. *nu.* 9. Cou *de pract. qu cap.* 1. Arag. 24. *qu* 627. & alij communiter. Neq; item potest inauditum, & indefensum reum tali pœna damnare, nisi notoreitate facti, & personæ notoriũ sit, quod nulla potest tergiuersatione celari, vt aduerrunt citati Doctores, nisi etiam reus ita potens sit, vt audiri non possit, & defendi, sine periculo damni Reipub. vel Regis, quemadmodum adnotant citati Doctores.

Quarta concluſ. Supremus iudex, qui ſcit crimen immi-
nens in futurum pernicioſum Regi, vel Reipubl. poteſt
reum ex hac ſola priuata ſcientia indefenſum, & inaudi-
tum punire. Ita Nauar. Caietàn. Aragon. *locis citatis.* Ra-
tio eſt, quia Rex, & Reſpubl. in eo euentu habent ius
defendendi ab iniuſto inuaſore, & ideo poteſt talem
reum veneno, vel ſuffocatione è medio tollere. Hæc eſt
certior, & communior ſententia, quamuis oppoſita ſuos
habeat defenſores.

15 QVÆST. *Poteſtne iudex damnare nocentem de iure,*
hoc eſt illum, qui iuxta allegata, & probata oſtenditur no-
cens, quem tamen priuata ſcientia ſcit eſſe innocentem de facto?
RESP. Dupliciter probari poteſt quis nocens in crimi-
nalibus, vel ciuilibus. Dico igitur *primum.* Summus iu-
dex, hoc eſt princeps, poteſt in criminalibus abſoluere
innocentem de facto, quem allegata, & probata nocen-
tem de iure oſtendunt: imo tenetur. Ita tradunt Ordin.
Luſitanæ *lib. 3. tit. 66.* Sot. 5. *iuſt. quæſt. 4. art. 2.* Cord. *libr.*
quæſt. 37. Alenſ. 3. *p. quæſt. memb. 6. art 2.* Couar. *cap. 1. prax.*
quæſt. Caiet. 2. 2 *quæſt. 76.* Ratio eſt, quia ſupremus iudex
poteſt in eo euentu liberare innocentem; ergo tenetur,
quia defenſio innocentis eſt in præcepto, quando fieri
poteſt abſque proprio damno. Deinde, quia ſupremus
iudex in eo euentu tenetur iurare pro innocente, hoc
autem iuramentum præferendum eſt omnibus teſtimo-
nijs. Dico *ſecundo.* Supremus iudex in criminalibus cau-
ſis, priuata ſcientia vti non poteſt, ſed ſecundum allega-
ta, & probata iudicare tenetur. Ratio eſt, quia qui ſecun-
dum allegata, & probata bonæ fidei poſſeſſor eſt, grauem
tunc iniuriam pateretur.

Quinta concl. Iudex Principe inferior, ſub mortali te-
netur vti omnibus remedijs ad liberandum reum legiti-
me conuictum, quem ſcientia priuata certo cognoſcit
eſſe innocentem. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 67. cum ſuis. Ale-
nſ. *citato art.* 2. Cord. *dicta quæ.* Toletan. *lib. 2. de reſtit. cap.*
5. num. 164. Sot. 5. *iuſt. quæſt. 4. art.* 2. Adeo, vt quando nul-
lum occurrit iuris remedium, teneatur cauſam remittere
ad ſuperiorem, proteſtando, & iurando ſibi illius homi-
nis innocentiam eſſe euidenter notam.

16 QVÆST. *Demus, quod nullum ſit iuris remedium, quo*
inferior

inferior iudex vti possit, neque item illum remittere ad superiorem iudicem propter partis instantiam: potestne tunc secundum allegata, & probata illum damnare? Resp. Negat simpliciter Panormit. *capit. Pastoralis. de offic. delegati.* Angel. *iudicare, num. 6.* Lyra. *Exod. 23.* Arborens. *libr. 9. cap. 20.* Couar. *cap quæst. prac.* Cord. *lib. 1. quæ. 37.* Rosella *verb. Iudex,* Adrian. *quod ib. 6. art. 3.* Tolet. *lib. 2. resp. cap 3. numer. 161.* Hostien. Innocent. Felynus in *cap. Pastoralis,* aiuntq; iudicem teneri cedere officio, ne innocentem damnet, cum aliter illum liberare nequeat; sic tamen

Sexta concl. Iudex supremo inferior, cum non potest vti aliquo iuris remedio ad innocentem liberandum: neque illum ad superiorem remittere potest, secundum allegata, & probata illum iudicare, & damnare, nec officio cedere tenetur. Ita D. Thom. hac *quæst. 67. & qu. 64. art. 2,* Alens. *3. p. quæst. 34. m. 1. art. 4.* & *quæst. 4. memb 6. art. 2.* Richard. *in 4. dist. 18. Ar. 2. quæst. 2.* Ganduar. *quodlib. 3. qu 25* Abulens. *cap 23 Exod qu. 6.* Aragon. *2. 2 quæst. 67,* Cord. q. citata ex vtriusque iureconsultis. Bart. *ad L. Illicitas ff. de offic præsid* Cardin. & Gloss. *in capit. 1. de offic Ord.* Turrec. *cap Iudice. 347.* & alij, quos citat Couar. *capit. 1. quæst pract.* Arm. *verb. iudex. num. 26.* Nau. *lib. 1 consilior. 1. de offic. iudicis.* D. Anton. *3. p. tit. 9. cap. 2.* Sylu. *iudex quæ. 5.* Confirmatur ex D. Ambros. vt refertur in dicto *cap. Iudice,* & à D. Thoma tribuitur Augustino dicente: bonus iudex sicut audit, ita iudicat, & D. Greg. *capit. Summopere. 11. qu. 3.* Causis, inquit, diligenter ventilatis, tunc secundum, quod ibi constitutum est, definitiua proferatur sententia. Similiter probatur ex *L. Illicitas,* vbi iubetur præses id sequi, quod conuenit eum sequi, ex fide eorũ, quæ probantur, & *dict. cap. Pastoralis,* vbi ordinarius requisitus à Delegato, tenetur exequi eius sententiam, etiam si priuatim cognoscat esse iniquam, eadem autem ratione de executore, sententiæ latore. Itaque talis innocens de facto damnatur, vt nocens de iure, & vt talis secundum allegata, & probata denunciatur, pro culpa iuridice probata.

17 Qvæst. *Quem ordinem tenetur iudex seruare in condemnatione rei?* Resp. Iudex non potest condemnare reum, siue in ciuilibus, siue in criminalibus sine accusa-

tore, seu vero, seu iuris ficto. Ita D. Thom. 2. 2 *qu.* 67. *art.* 2. cum communi: patet in *capit. si legitimus. capitul. Superbus de accusat. capit. si quis potestatem* 2. *quæstion.* 4 *L. illicitas ff. de offic. præsidis. L. rescripto ff. de muneribus, & honoribus.* Septem vero numerantur in iure, quæ vim habent accusatoris. *Primum* notoreitas criminis, & criminosi *capit. Euidentia de accusat. cap. Manifesta* 2. *quæst.* 1. & ideo delinquentes in flagranti delicto comprehensi in vijs publicis, possunt statim puniri, vt adnotarunt Caiet. *in sum. verb. homicidium.* Arag. 2. 2. *quæst.* 67. *art.* . Iul. Clar. *libr.* 5. *quæst.* 8. & habetur *capit. Bonæ de electionib. Secundum* publicitas criminis patrati coram iudice: nam omne crimen patratum coram iudice sedente pro tribunali, dicitur notorium, iuxta Bart. *L. Librarius ff. de reg. iur.* & ab eodem mulctari potest, vt notat directorium iudic. *part.* 2. *cap.* 6. *Tertium* est infamia, quæ quidem non sufficit ad condemnandum, sed ad solum inquirendum *capit. Qualiter cap. Quando de accusation. Quartum* iudicia, saltem iudicialiter probata, vt ostendit Nau. *in rub. de iudic. numer.* 65. *&* 96. *Quintum* est notoreitas iuris: hæc vero habetur per iudicam confessionem rei, propter quam reus legitime conuictus potest de crimine condemnari, de quo non erat infamatus, quodque incidenter confessus est in iudicio, vt probant Nau. proxime, colligiturq; ex eo *cap. Quod euitandi. de condition. ob turpem causam. Sextum,* clamorosa insinuatio, de qua *infra. Septimum,* criminis in publicam vergentis perniciem denunciatio, aut publica rebellio denuncianti etiam fraterne. Ita Sot. *de teg. secret. memb.* 2. *quæst.* 6. *dub.* 1. & 5. *de iust. quæst.* 4. *art.* 3. Caietan. & Aragon. 2. 2. *quæstio.* 67. *artic.* 2. Nauar. *in rubr. de iudic. numer.* 82.

18 QVAEST. *Potestne iudex pœnam legum relaxare.* RESP. Dico. *Primo.* Quando pars læsa ab accusatione non desistit, nullus iudicum potest pœnam legis relaxare. Ratio est, quia in ea relaxatione esset iniurius parti accusanti. Ita D. Thom. 2. 2. *qu.* 67. *ar.* 4. Dico *Secundo.* Ex rationabili causa potest supremus iudex, id est princeps pœnam à legibus taxatam, etiam parte non desistente relaxare, & omnino demittere. Ita Sot. & Aragon. citati. Castro. *lib.* 2. *de leg. pœn. cap.* 12. Coua. *lib.* 2. *resolu. ca.* 9. *nu.* 6.

& omnes

& omnes Iurisconsulti. *capit. Quia periculosum. de sentent. excommun in 6. & Leg. quid ergo. §. pœna grauior. ff. de his, qui not. inf.* Ratio est, quia tunc bonum commune præfertur particulari. Dixi, ex rationabili causa, quia sine ea non potest, vt affirmat D. Thom. 2. 2. *quæstion. 67. artic. 4.* & ratio est manifesta, quia, vt iustitiæ custos debet æqualitatem seruare inter partes, & vt conseruator Reipubl. tenetur malefacta punire, ne impunitate obtenta crimina committantur. Dixi, etiam parte non desistente, quia si pars desistat, vel procedit sine instantia partis, minori rationabili causa obtenta, potest pœnam minuere, vel commutare. Ratio est, quia ipse princeps est super ipsas leges, &c. Dico *tertio.* Iudex inferior, etiam de consensu partis læsæ, nequit totam pœnam legibus taxatam remittere, imo neque arbitrariam. Est Auctorum, quos supra retuli. Ratio est, quia talis iudex non habet potestatem supra ipsum ius *ca. 1. de constit.* & *L. 1. ff. ad Turpillianũ.* faceret vero iniuriam iuri, si impunita crimina relinqueret. Dico *quarto.* Iudex inferior supremo, siue ex officio procedat, siue ad instantiam partis, potest pœnam legibus communiter taxatam, iuxta delicti circũstantias, ac personarum minuere, & immutare Ita Castro *li. 2. de leg. pœn. cap. 13.* Cou. *li. 2. resolut. ca. 9. nu. 8.* Itaq; pro eodem crimine aliter puniendus puer, aliter senex. *L. Auxilium. §. in delictis. ff. de minorib.* aliter seruus, aliter ciuis de Republ. bene meritus. & ita in paupere minui potest pœna pecuniaria, augeri aũt corporalis: in diuite nobili augeri pœna pecuniaria, & minui corporalis, vt notat Couar. *dicto cap. 9. num. 4.* iuxta *L. primam. ff. de pœnis L. Aut facta. §. persona. ff. eodem.* & *L. Nullus Cod. ad L. Iuliam, & L. Tertiam ff. de legib.* Item colligit similiter Castro *li. 1. de leg. pœn. cap. 6.* posse augeri criminis pœnam, cuius est in Republ. magna dissolutio, vt penitus extirpetur tale crimen.

De Denunciationibus. §. 3.

1 *Quis teneatur denunciare.*

2 *Quo pacto detegendum crimen, quod iubetur sub excommunicatione detegi.*

3 *An propter tale præceptum detegenda sint peccata emendata.*

4 *Vtrum in tali euentu detegendum sit furtum vxoris, aut filiorum.*

5 *An quis teneatur se prodere.*

6 *Elapso tempore ad denuntiandum in edicto prefixo an post illud denuntiare teneamur.*

1 QVAEST 10. *Quis tenetur denunciare?* RESP. Dico primum. Peccata, quæ sub secreto aliquis scit, quamuis alia via fiant notoria, famosa, & manifesta, non potest in iudicio denunciare, nisi in perniciem publicam vergant, vel tertij innocentis. Ita Sot. *de iust. secret. memb. 2 quæst. 2.* Nau. *capit. Inter verba,* & omnes communiter. Ratio est manifesta, quia in hoc proximus fama læditur, quæ quidem seruanda est, nisi detrahat bono communi, aut innocentis. Triplex vero est secretum. Primum confessionis, & hoc secretum est secretissimum & sacratissimũ adeo, vt nulla ex causa, licet orbis terrarũ interueretur, reuelari fas sit. Secundũ secretum est rerum quas quis solus, aut cum paucissimis vidit, vel audiuit, aut quas alter illi temere aperuit. Tenetur vero quisque iure naturali occultare huiusmodi secreta, vt copiose probant Scot. *in 4 di. 21. quæst. 2. § teneo igitur.* Sot. *de iust. secret. memb. 2. quæst. 2. concl. 1.* Nauar. *capit Sacerdos, de penit. d. 6. num. 2. & 3.* Ratio est, quia id postulat conuictus & societas humana, alioqui esset intolerabilis. Hinc colliges teneri ad seruandum secretum medicos, chirurgos, obstetrices, aduocatos, & similes personas, quas quis consuluit pro remedio adhibendo: amicos item, quibus detecta sunt malefacta ad capiendum solatium, quanquam non promiserint secretum se seruaturos, quia id ex natura rei ab eis exigitur. Multo magis tenentur ad seruandum secreti illi, qui per vim, aut fraudem secretum extorserunt, quales sæpenumero sunt iudices, aut iustitiæ ministri, qui obtenta, & promissa impunitate, reis multa discunt. Tenentur ad hoc secretum, qui ex sacrilega reuelatione confessarij peccata alterius cognouerunt. Ratio est, quia res transit cum suo onere. *capit. ex literis de pignoribus. L. 2. & 3. Cod. quibus causis:* sed illa peccata secum habent sigillum sacramentale: ergo &c.

Ita Scot. sup. Ledesm. 2. 4. *art.* 3 *dub.* 1. Gomes. *lib.* 3. *resolu. cap* 13 *num.* 9. Sot. Nauar. sup. Ex dictis inferes eos, qui aperiunt alienas literas teneri ad seruanda earum secreta, quia sunt secreta extorta.

2 QVAEST. *Quomodo se gerere quis debet in criminum denunciatione, cuius reuelatio iubetur sub excommunicatione, vel iuramento?* RESP. Dico *primum.* Quæ crimina ante edictum, vel iuramentum non possumus denunciare ob secretum, eadem etiam accedente edicto, vel iuramento non possumus in iudicio detegere. Ita Sylu. Arm. alij sum mistæ, verb. *denuntiatio.* Sot. & Nau. *sup* Ratio est, quia obseruatio secreti est de iure naturali, huic autem iuri, nec edictum, nec iuramentum derogant. Hinc colliges neminem posse denunciare visitatoribus crimina emendata, quia tale edictum solum proponitur ad eorum emendationem; ergo frustra deteguntur peccata iam emendata, & infamatur proximus, vt singulatim adnotat Nau. *cap Sacerdos citato num.* 120. Dico *secundum.* Edicta ecclesiastica sub excommunicatione præcipientia, vt restituantur ablata, & fures denuncientur, intelligenda sunt, de his, quæ iniuste retinentur, quamuis enim quis peccauerit, iniusto modo auferendi, poterit tamen iuste ablata retinere, in recompensationem, vel ob aliam causam. Et ideo, qui sciunt, vel ex visu, vel ex auditu huiusmodi rem, eam denunciare non tenentur. Ita Aragon. *verb furtum.* 41. Arm. *ibid num* 15. Nau. *sup.* Ratio est, quia edicta ecclesiastica non cadunt supra præteritū peccatum, sed præsens. Quod si recompensatio fuit maior debito, solum tenentur restituere excessum, & excessum tenentur alij denunciare, & ideo, qui debitor impotens est ad restituendum, nec incidit in excommunicationem, nec alij illum tenentur denunciare, dummodo det sufficientem cautionem, ad illam enim dandam tenetur. Dico *tertium.* Impedimentum secretum matrimonij, cuius denunciatio redundat in infamiam contrahentium, tenetur quisque denunciare. Ita Nau. *cap Sacerdos num.* 27. *de pœn.* Quia nemo illis facit iniuriam, cum nolunt moniti desistere à tali matrimonio. Idem dicendum de petente religionem, vel beneficium: tenetur tamen tegere, cum detectio cedit in infamiam tertij innocentis,

centis, ita omnes communiter. Casus est. Cognouit Titius sororem Berthæ, postea vult nubere Berthæ, admonitus non vult desistere, non possumus cum infamia sororis Berthæ tale detegere impedimentum.

3 QVAEST. *Teneturne propter edictum ecclesiasticum sub excommunicatione præcipiens denunciare quæuis peccata: deuegere peccata emendata?* RESP. Minime. Ita Sot. 5. *iust. qua.* 5. *art.* 1, Nau *cap.* 15. *num.* 46. Instruct. 2. *p. ca.* 10. *qu.* 5. Tole. *lib.* 2. *ca.* 4. *num.* 217. Cordub. *in sum qu.* 14. *punct.* 2. *casu.* 1. si peccata non sint eius conditionis, quorum punitio requiritur ad commune bonum.

4 QVAEST. *Qui scit furtum ab vxore, aut filijs patratum, teneturne illud reuelare?* RESP. Regulariter non, quia intentio petentis excommunicationem, regulariter vxoré, & filios non comprehendit. Ita Nauar. proxime, si autem constet moraliter de opposita intentione denunciandi sunt. Ita Instruct. 2. *p. ca.* 12. *qu.* 5. cum Sot. & Cord. *in sum. quæst.* 176.

5 QVAEST. *Teneturne propter huiusmodi edicta nocens se prodere?* RESP. Minime: nisi sit reo semiplena probatio, aut ipse laboret infamia: satisfacit igitur vel restituendo rem ablatam, vel damnum resarciendo. Ratio est, quia excommunicatio solum intendit errati emendam.

6 QVAEST. *Elapsum est tempus præfixum in edicto intra quod tenebamur denunciare: tenemurne post illud etiam denunciare?* RESP. Tenemur. Ita Cordub. *qu* 64. *ca.* 6. Nau. *cap.* 2. *num.* 46. Sot. *in* 4. *d.* 22. *quæ.* 1. *art.* 2. Instruct. 2. *p. cap.* 12. *qu.* 3. Ratio est, quia temporis assignatio non adhibetur per modum oneris, sed termini, quæ præfixio transacta, magis tunc obligat tantum, vt absoluat.

De Accusationibus. §. 4.

1 *Qui peccant accusando.*

2 *Qui tenentur accusare.*

3 *An nocens teneatur se accusare, pro liberando innocente.*

4 *An teneatur reddere pretium innocenti, qui postea comperit illius innocentiam.*

5 *An pro omittenda accusatione possit pecunia, vel quid*

quia aliud à nocente reportari.

6 *De pacto, quod fiscales cum reo faciunt, pro omittenda accusatione.*

1 QVÆSTIO *Qui peccant accusando?* RESP. Qui ex odio accusant, vt malum infligatur proximo propter vindictam. Ita D. Tho. 2. 2. *quæ* 108. *ar.* 1 Sylu. & Armilla; *verb. vindicatio.* Nau. *ca. inter ver. nu.* 639. Sot. *sup* & est veritas manifesta. Deposito tamen odio, & ratione vindictæ potest quis in iudicio accusare iniurium, & pro satisfactione postulare, vt notat Glossa, *ca. Si quis contristatus, d. nonagesi.* & Naua. *ca* 14 *num* 25 verba vero Christi Domini: *Dimittite inimicis vestris,* continent consilium, non præceptum, tale vero consilium Ecclesia satis adimplet per viros perfectos, vt notat Caiet. *sup* 6 *Matt.*

2 QVÆST. *Qui tenentur accusare?* RESP. Publica peccata, quæ in commune detrimentum redundant, vel tertij innocentis, quæ aliter impediri non possunt, quam accusando, quisq; tenetur sub mortali accusare, si probare ea possit in iudicio. Ita D. Tho. 2. 2. *quæst.* 67. Sot *de teg. secr, memb.* 2 *&* 5. *de iust. qu.* 5. *art* 1. Nauar. *ca.* 25. *num.* 32. Arm. Sylu. Ange. *ver. accusatio.* Bald. cum alijs *ad L.* 1. *ff. de public. offic. & L* 4. *Cod. de hæreticis.* Hæc vero D. Thom. conclusio intelligenda est, si loquamur in natura rei, dato, quod non subsit aliud remedium ad damnum euitandum, vel commune, vel tertij. Veruntamen, re attente perpensa, illud remedium non deest: quoniam vel malum iam est inflictum, & nemo tenetur illud accusare ad exigendam damni publici satisfactionem, nisi sit minister iustitiæ publicæ. Vel damnum est infligendum, & tunc impediri potest, vel per fraternam correctionem, vel saltem per denunciationem.

Dico secundo. Ministri iustitiæ ex officio deputati ad accusandum, sui muneris crimina accusare tenentur. Ita Sot. *sup. lib.* 5. *iust. qu.* 5. *art.* 1. Nauar. *cap.* 25. *num.* 34. Syl. *restitutio.* 3. *num.* 1. idque tum ratione iuramenti, tum ratione officij, quanquam procedant ad solam legum vindictam. Quod munus cum stricte non obseruant, grauiter à Principe puniuntur.

3 QVAEST. *Vulnerauit Socrates Petrum occulte, pro vul-*

nere

nere accusatur Titius, teneturne Socrates se prodere, vt Titium liberet? RESP. Minime. Ita Med. *de pœn.* Nauar. *cap. 11. num.* 17. Tolet. *lib. 2. ca. 1. num.* 79. Sot. 4. *iust. quæst. 6. art.* 3. Qui omnes etiam Socratem absoluunt à restitutione damnorum Petri. Ratio est, quia vulneratio facta à Socrate non fuit causa per se influens in accusationem, damnationemve Petri. Veruntamen dicendum est Socratem teneri restituere Petro ea, quæ soluit ob illatam iniuriam, & in medicum, aut alia, ad quæ soluenda ex natura rei tenebatur Socrates, vt notat Toletan. *proximo num.* 78. non tamen tenetur ad causas expensas, vel ad damna exilij, vt notat Instruct. 1. *cap.* 123. *concl.* 4.

4 QVAEST. *Titius vulneratus à Socrate ex inditijs motus accusauit Platonem, & per sententiam latam accepit ab eo iniuriæ satisfactionem, & medicorum salarium, postea comperit Platonem esse innocentem, tenetur illi reddere pecuniam acceptam?* RESP. Tenetur, nisi scierit eam recuperasse iam à Socrate.

5 QVÆST. *Qui peccant accipiendo pecuniam pro omittenda accusatione?* RESP. Qui neque ex officio, neque ex præcepto accusare tenentur, non peccant accipiendo pecuniam pro desistendo ab accusatione iusta. Ita Nauar. *proxime*, & Mol. *disp.* 93. *concl.* 3. & communiter Doctores. Ratio est, quia ius, quod quis habet ad accusandum, est pretio æstimabile, & vendi potest. Dico secundo. Mortaliter peccant fiscales, viatores, custodes publici, similesque iustitiæ ministri, si pecuniam accipiant pro non accusandis legum transgressoribus, teneturque ad resarciendum damnum inde Reipubl. proueniens. Ita communiter Doctores, quia obligantur, tum ex officio, tum ex iuramento ad accusandum, & ideo seuere puniuntur *lib.* 1. *Ordin. Lusitan. tit.* 73 *numer.* 3. & 4. item *lib.* 5. *tit.* 73. 74. Addo tamen huiusmodi fiscales non teneri ad restituendum pecuniam sic acceptam: quia ius, quod habent ad accusandum, est pretio æstimabile, & vendibile.

6 QVÆST. *Subest magna difficultas, & est hæc. Si hic reus accusaretur esset pars pecuniæ adiudicanda fisco, pars vero pijs operibus, veluti captiuorum redemptioni, &c. Quæro igitur vtrum fiscalis omittens accusationem teneatur ad restituendum fisco, & pijs operibus?* RESP. Dico primum. Tenetur ad resti-

ad restituendum fisco Ita Navar. *cap.* 27 *num.* 20. Ratio est, quia pro procurando fisco Regio accipit a Rege stipendium. Dico secundo. Non tenetur ad restituendam partem captiuis, & pijs operibus, quia non est ex officio illorum procurator & custos.

De Inquisitione criminis. §. 5.

1 *Quid est inquisitio.*
2 *Quotuplex est inquisitio.*
3 *Quomodo facienda est inquisitio.*
4 *Quæ peccata detegenda in generali inquisitione.*
5 *Quomodo potest fieri particularis inquisitio.*
6 *An possit fieri particularis inquisitio de crimine incidenter cognito circa eundem reum.*
7 *An possit fieri particularis inquisitio de crimine iniuste detecto.*
8 *Quomodo facienda est inquisitio de crimine notorio, seu occulto criminoso.*

1 QVAESTIO. *Quid est inquisitio?* RESP. Est delicti inuestigatio, delinquentisve facta ab habente legitimam potestatem. Ita *L. Vbi Cod. ad L. Corneliam de falsis.* traditur ab Hostiense *in sum rubr. de Inquisit*

2 QVÆST. *Quotuplex est Inquisitio?* RESP. Alia generalis, alia particularis. Generalis est quando in genere inquiritur de delictis, & de delinquentibus. Particularis est, quando particulariter inquiritur de delicto, & de delinquente.

3 QVÆST. *Quomodo licite fiunt huiusmodi inquisitiones?* RESP. Ad faciendam generalem inquisitionem non est necesse præcedat infamia, vel accusatio, vel denunciatio. Ita Sylu. *inquisitio* 1. *quæ.* 10. Angel. Arm. Rosella *ibid.* Nau. *cap.* 12. *num.* 38.

4 QVAEST. *Quæ peccata detegenda sunt in hac generali inquisitione?* RES 1. Dico *primum.* Peccata occulta, quorum nulla est infamia, quæque non redundant in damnum commune, aut innocentis, in generalibus inquisitionibus,

onibus, non sunt manifestanda. Ita Nauar. *cap. Inter verba num* 679. Sot. *de teg. secr. memb.* 2, *quæst.* 6. *conclu.* 2. Angel. *Inquisito, num.* 11. & ita omnes Theologi. Ratio est, quia iure naturali tenemur proximi famam seruare, cum non obest bono communi, aut innocentis. Dico *secundo.* Peccata, quorum infamia reus laborat, tenetur quisque iudice interrogatus manifestare iudici generaliter inquirenti, etiamsi sint emendata, quando constat iudicem punitionem criminis intendere. Ita Cord. *in sum. quæ. 62. punct. 2. casu* 1. Toletan. *lib.* 2. *ca.* 4. *nu* 217. Aduertunt tamen Doctores, iudicem politicum præcipue interrogare ad punienda delicta, secundario vero ad ea emendanda & ideo illi esse detegenda delicta, licet iam emendata sint. Iudicem vero ecclesiasticum, præcipue interrogare ad emendanda crimina, secundario vero ad ea puniendo, & ideo illi esse detegenda delicta nondum emendata. Qui vero ita iuridice interrogatus negat, periurus est. Dico *tertio.* Nemo non infamatus de delicto de quo generaliter inquiritur, tenetur in inquisitione, visitatione ve generali se ipsum prodere, vel denunciare, etiamsi sub iuramento interrogetur, an nouerit aliquem talis delicti reum, quantumcumque crimen tendat in damnum commune, vel innocentis. Est communis. Ita Sot. *de teg. secret. memb.* 2 *quæst.* 7. Caieta. 2. 2 *quæst.* 7. *art.* 1. Nauar. *cap. Inter verb. num.* 30. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 4. *num* 157. Etiam in hæresis crimine. Ita Symanchus *tit.* 32. *num.* 13. Rebias. *sing* 3. *num.* 3 Nauar. *lib.* 5 *consil.* 8. *de hæret.* Confirmatur ex cap. *Quis aliq. §. non tibi. de pœn d* 1. Ratio est, quia res esset moraliter impossibilis se ipsum prodere, & infamare.

5 QVÆST. *Quando fieri potest particularis inquisitio?* Resp. Dico *primum.* Inquisitio particularis in delinquentis pœnam tendens, neque in foro laico, neque in Ecclesiastico fieri potest absque infamia, vel alio infamiæ æquipolente. Ita D. Thom. 2. 2 *quæst.* 67 *art.* 3 Suaderi ex cap. *Inquisitionis. cap.* 2. *Qualiter.* 2 *capit. Cum oporteat de accusationibus,* & ita omnes Doctores. Ratio est, quia aliter infamaretur proximus. Infamia vero definitur, communis rumor manans ab ijs, qui rem viderunt non malevolis, neque leuibus. Æquipollent vero infamiæ multa præci-

præcipue accusator verus, vel fictus. Dico *secundo.* Quãdo per inquisitionẽ particularem solum intenditur erroris cuitatio, aut damni impedimentũ fieri potest in vtroque foro absq; infamia, & alijs ei æquipollẽtibus. Ita Sot. *de secr mem. 2 q. 6.* Naua. *ca. Inter verba, nu. 653.* Syl. *inquisitio. 1, q. 4.* Rosella *ibi. n. 6.* & fere omnes *ca. Postquam. cap. Cum in cunctis. ca. Nihil de elect. ca. fin. de clandest. desponsat.* Ratio est, quia id pertinet ad bonum cõmune, quod particulari anteferri debet. Iam vero si quis petit magistratum, vel religionem, vel aliquid simile ad cuius petitionis executionẽ requiruntur certæ in persona conditiones, ipse perens tacitum ad inquirendũ præber consensũ circa ea tantum, quæ impediunt, non vero alia. Dico *tertio.* De iustitiæ ministris, deque alijs magistratibus in particulari inquiri potest, nulla præcedente infamia. Ita Ordi. Lusit. *li. 1. tit. 44 §. 1.* Ratio est, quia ipsi in accipiẽdis officijs ad id tacitum præbuerunt consensum, iuxta regnorum leges, & communitatum consuetudinẽ. Dico *quarto.* Si adsint non leues suspiciones, vel præsumptiones, vel indicia de hæresi, apostasiq, proditionis, læsę maiestatis, alijq; criminibus in graue damnum commune, vel tertij innocentis redundantibus, pendentibusque in futurum, fieri potest particularis inquisitio. Ita Symanc. *tit. 44. num. 9,* Nauar. *cap. inter verb. num. 683. & 694.* & *in rubr de iudic. num 93.* Confirmatur ex *ca: Excõmunicamus, de hæret. §. adijcimus. L. Apostatarum. Cod. de Apostatis. L. Nullus Cod. ad L. Iuliam maiestatis, ca. offic. de hæret.* vbi Ioã. Andr. & Dominicus. Ratio vero est, quia id postulat bonum cõmune, Hanc tamen inquisitionem Inquisitores circa Episcopos, Nuncios, alioſve Ecclesiasticos superiores absq; licẽtia Papę facere non possunt. *ca. Inquisitores, de hæret. in 6. & Extrauag. cum Matth. eodẽ tit.* Hinc inferes mortaliter peccare iudices, & ad restituenda damna data obligari, si circa particularem personam particulariter inquirunt, præterquam in casibus traditis, & iuxta explicatas iam conclusiones. Vnde neque semiplena probatio per vnũ testem omni exceptione maiorẽ, neq; etiam plena per duos aut tres testes extraiudicialiter apud Prælatũ de crimine deponẽtes, sufficit ad particulariter inquirendum de singulari persona. Ita Sot. *5. iust. quæst. 6. art. 2.*

Nauar.

Nauar. *cap. inter verba num.* 580. & *in rubric. de iudic. num.* 78. & *in fum cap.* 18. *num* 38. patetque *ex cap Inquisitores & cap. Cum oporteat, de accusationibus.* Ratio est, quia nisi obstet bonum commune, proximi famæ est consulendum, quæ doctrina etiam seruanda est in Regularium inquisitione, vt rectè aduertit Nau. contra Alciatum contrarium asserentem, quia bona Regularium fama, bono communi valde inseruit.

6 Qv AE S T. *Inquirebat iudex de crimine circa reum in eo diffamatum, sed incidenter ad cognitionem alterius rei criminis deuenit. V. G. inquirebat de homicidio, sed inuenit eum etiam esse furem, quæro igitur, an possit postea iudex de eo crimine incidenter cognito inquirere?* Re s p. Cum crimen incidenter cognitum, est coniūctum cum crimine de quo reus infamatus est, potest: si vero est omnino disparatum minime. Ita Sot. *de secr. memb. 2. quæst. 6. conc. 3. & 5. inf. quæst 5. art 2.* Caiet. *tom. 1. opus. cap. 31. resolut. 5.*

7 Qv Æ ST. *Inquirebat iudex generaliter, sed cognouit per eam inquisitionem crimen occultum Titij, potestne postea de eo particulariter inquirere?* R E S P. Minime. Ita Sot. *sup. capit Inquisitionis capit Qualiter. cap Quando. 2. de accusat.* quia illa notitia fuit contra iustitiam, & iniqua; ergo habenda est, tanquam non acquisita.

8 Qv Æst. *Est crimen notorium, delinquens vero occultus, quæ fieri potest inquisitio?* Res p. Dico *primum.* Quando crimen est notorium, aut famosum, licitum est iudici inquirere delinquentem, modo in inquisitione, nullam nominet personam, quæ infamia non laboret. Ita Nauar. *cap. 18. num. 38. & cap. inter verba num.* 185. Cord *quæst. 64. punct. 1.* Sylu. *correctio quæst* 8. Angel. *denunciatio num. vlt.* Panormit. & Imola *cap Bonæ. de election.* Ratio est, quia hoc postulat bonum commune, vt saluum, & incolume tueatur. Dico *secundo.* Testis interrogatus in huiusmodi inquisitione tenetur aperire occultum delinquentem. Ita citati Doctores, & Med. *de instruct. confess tract. 2. tit. de confess. celanda.* Ratio est, quia iuridice ad hoc interrogatur. Dico *tertio.* Si ipse reus in hac inquisitione interrogetur, non tenetur se ipsum prodere. Veritas est manifesta, quia nemo tenetur se prodere, nisi iuridice interrogetur: nemo vero iuridice interrogatur circa se,

nisi de eo habeatur infamia, vel semiplena probatio.

De peccatis contra iustitiam ex parte rei. §. 6.

1 *An reus iuridice rogatus teneatur suum crimen fateri.*
2 *An teneatur reus detegere crimen suum, quando interrogatur ad instantiam partis.*
3 *An teneatur reus dicere verum, ex quo illi imputabitur crimen falsum.*
4 *An reus criminis propter excommunicationem latam teneatur se prodere.*
5 *An ordinandus teneatur detegere crimen ob quod ab ordinibus suscipiendis remouebitur.*
6 *An reus possit rogari de occultis criminibus.*
7 *An reus possit rogari de occultis socijs.*
8 *De hæreticis.*

1 QVÆSTIO. *Teneturne reus iuridice interrogatus suum fateri crimen?* RESP. Tenetur, etiam in causa mortis. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 1. *ad* 2. Sot. 5. *iust. quæst.* 1. *art.* 2. *& de secret. memb.* 2. *quæ.* 7. *concl* 3 Nauar. *cap.* 25. *num.* 36 Couar. *de pract. qu. cap.* 23. Cord. *lib.* 1. *quæst.* 43. Medin. *de instruct. de confess.* Gabriel. *in* 4. *d.* 15. *qu.* 6 *art.* 2. Palud. *in* 4. *d.* 19. *quæ.* 4. *num.* 7. Gandau. *quodlib.* 1. *quæst.* 33. Barthol. *ad L. Marcellam. ff. de action. rer. amot.* Gom. *tom.* 3. *capit.* 12. Arag. 2. 2. *quæst.* 69. Rario est, quia subditus sub mortali tenetur superioris præcepto obedire iusta præcipienti: sed iudex iuridice interrogans, iusta præcipit, cum reo præcipit veritatem aperire: nam eam potest ab eo extorquere licite per tormenta occultationis puniendo culpam, vt statuunt Ordin. Lusitanæ *lib.* 5 *tit.* 64. Ergo reus tenetur se prodere, &cæt. Oppositum asseruerunt Sylu. & Angel. *verb. confessio sacramentalis.* Armilla, *verb. confessio iudicialis. num.* 8. Panormit. *cap.* 2. *de confess.* & alij in causa capitis, aut alius damni grauis temporalis: nemo enim, aiunt, seipsum tenetur damnare, in quo iure naturali videtur fundari lex 4. *ff. de testibus*, iuste non

potest cogi consanguineus ad ferendum testimonium contra suos consanguineos, cùm magno eorum dispendio corporali. Hæc tamen conclusio intelligenda est, quando iudex ex officio procedit iuxta cuiusuis iuramentum veritatem tenetur inquirere: iuxta *L. si non defendatur. ff. de pœn. & L. vbicunque ff. de interrogatorijs actionibus.*

2 QVÆST. *Rogo igitur teneturne reus fateri crimen, quando ad instantiam partis interrogatur?* RESP. Minime. Ita Panormitan. *cap.2. de confessis. colum. vlt.* Nauar. *cap. inter verba. nu.732. & 745.* atque esse communem. Sylu. *confessio non sacramentus.* Angel. *ibid.* & Arm. *nu.8.* Ratio est, quia accusatori incumbit probare crimen, per testes obiectum probationibus, luce meridiana clarioribus, iuxta *L. finalem Cod. de probation.* & ideo reus in eo casu iurid ce non interrogatur, nec tenetur respondere. Ita denique decernitur *lib.3.* Ordin. Lusitan. *tit.40. §.13. & tit.85 §.1* vbi absolutè asseritur non teneri reum positioni criminosæ respondere, id est, articulo, in quo ei ponitur, vt delictum suum fateatur. Confirmatur ex *L.1. ff. de qu.* vbi non licet accusatori seruorum testimonijs vti erga dominum, vel filiorum erga parentes.

3 QVÆST. *Interrogatur quis de re, an sit sua, si tamen suam esse fateatur, damnabitur de crimine, quod non commisit. V. G. Platonus gladio latrones Petrum occiderunt. Plato interrogatur de gladio, si fateatur esse suum, homicidij damnabitur, poteritne negare esse suum gladium?* RESP. Poterit. Ita Sot. *de teg. secr. memb.2. qu.7.*

4 QVÆST. *Est crimen publicum, & notorium, delinquens vero occultus, fert iudex ecclesiasticus excommunicationem, vt se prodat, teneturne reus criminis se prodere?* RESP. Minime Ita Sot. *in 4. d.22. quæ.1. art.2. & de secr. memb 2. qu.6.* Ratio est, quia illa excommunicatio est iniusta. Obstat huic resolutioni, *cap. Quidam maligni. 5. quæ 1.* vbi sub pœna excommunicationis præcipitur auctori cuiusdam libelli famosi se detegere. Propter quem textum oppositum tenuit *ibi* Turrecrem. & alij Iurisperiti. Verum tamen istud caput solum præcipit probare alio libello, nomine tacito auctoris ea, quæ dixerat, aut palinodiam decantare, & item abstinere ab Eucharistia, donec id efficiat.

Sic interpretatur locum Nau. *cap. inter verb.* 586. & Sot. citatus.

5 QVAEST. *Episcopus ordinaturus aliquem, vel collaturus beneficium Petro, rogat eum de occulta irregularitate, vel alio legitimo impedimento, teneturne ordinandus aperire occultum impedimentum?* RESP. Si impedimentum non tollatur per pœnitentiam, sed ordinum impedit executionem, vel beneficij retentionem, tenetur illud detegere. Ita Innocent. *capit. Inquisitores, de accusatio ibid.* Turrecrem. *numer.* 5. Nauar. *capitul inter verba. num.* 72. & Doctores communiter. Abbas *cap innotuit num.* 6. *de elect.* vbi hoc aperte asseritur, sicut in *ca. Artald. 2. quæ.* 3. Ratio est, quia iudex tunc iuridice interrogat.

6 QVAEST. *Potestne conuictus reus de vno crimine, interrogari de alijs occultis, aut de socijs?* RESP. Quando crimen occultum, est criminis probati circumstantia, vel habet cum eo connexionem necessariam, potest. Ita Palud. *in* 4. *d.* 9. *qu.* 4. Sylvest *Inquisitor.* 1 *qu.* 7. D. Anton. 2. *p. tit.* 9. *capitul* 7. Ratio est, quia crimen probatum, est indicium criminis sibi maiori ex parte annexi. Hinc colliges conuictum de homicidio eius, cuius cadauer inuenitur expoliatum, rogari posse de spolio. Item conuictus de adulterio rogari posse de nece mariti adulteræ: conuictum de furto Ecclesiæ rogari posse de fractione forium. In quo sensu accipienda est regul. iur. *in 6 semel malus, semper præsumitur esse malus.* Dico secundo. Non potest talis rogari de criminibus occultis omnino disparatis. Ita Caieta. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 2. Sot. *de secret. memb* 2. *quæ.* 6. *dub.* 5. & *de iust. lib.* 5. *quæ.* 6. *art* 2. Tolet. *lib.* 2. *ca.* 4. *nu.* 170. Adria. *quodlib.* 11. Nau. *cap. inter verb. nu.* 587. & *de iudicijs. nu.* 62. Ratio est, quia iudex non interrogat iuridice de crimine, nisi eius præcedat semiplena probatio, vel infamia, vel iudicium infamiæ æquipollens.

9 QVÆST. *Potestne reus iuridice conuictus interrogari de socijs occultis?* RESP. Minime, nisi septem euentis. Ita Nau. *cap* 18. *numer.* 58 Sot *de secret. memb.* 2. *quæ.* 6. *conc* 4. Caiet. *tom.* 1 *opusc.* 31. Tolet. *lib.* 2. *capitu* 4. *num.* 173. *capitul. Cum monasterium, de confessis. cap. Veniens.* 1. *de testi. ca: Nemini.* 15. *quæ.* 13. *L. finali. Cod de accusat. L. repetiti ff. de accusat. quæst.* Septem vero sunt crimina, circa quæ quisquã conuictus

potest interrogari de socijs occultis. 1. Hæresis *capi. in fidei fauorem lib. 6.* 2. læsa maiestas. *L. Quisquis. Cod. ad L. Iuliæ maiestatis.* 3. adulterata moneta. *L. 1. Cod. de falsa moneta.* 4. Maleficium. *L. vltim. Cod. de maleficijs.* 5. Latrocinium. *L. D. Adrian. ff. de custodia reorum.* Latrocinium vero hic intelligitur, quod patratur à viarum grassatoribus; non vero à furunculis. 6. Simonia. *capitul. 1. de testibus. 7.* Nefandum vitium. ita deducitur ex constit. P. j V. quæ incipit. *Cum primum Apostolatus*, Ita Gomes. *3. resolut. cap. 12. numer. 16.* Toletan. *lib. 2. cap. 6. num. 173.* Emmanuel Rodr. *in sum. de Ord. iudic. cap. 10.* qui quidem duo addūt primum est, posse reum conuictum criminis rogari de socio occulto, cum crimen necessario requirit socium. Item cum mos est in aliqua prouincia, vt de socijs occultis interrogetur, quia propter bonum commune, ita leges talis regni sancire potuerunt.

8 QVÆST. *Circa reos hæresis, rogo vtrum absoluendi sint à confessario, quando ad ignem ducuntur, nisi detegant socios, quos negarunt in carcere?* RESP. Affirmatiue, quia tunc eorum testimonia non accipiuntur ab inquisitoribus, vt suspecta.

De quæstionibus, seu Tormentis. §. 7.

1 *An liceat per tormenta veritatem extorquere.*
2 *Quando liceat torquere reum.*
3 *Propter quod crimen potest reus torqueri.*
4 *An propter crimen sufficienter probatum.*
5 *An pro socijs detegendis.*
6 *De Reo, qui in tormentis fateatur, & postea negat.*
7 *An pro euitando tormento, liceat fateri crimen capitis.*
8 *An teneatur se retractare, qui in tormentis crimen sibi imposuit.*
9 *An liceat iudici vti fictionibus ad extorquendam veritatem.*

1 QVÆST.

1 QVAESTIO *Licetne per tormenta corporalia veritatem extorquere?* RESP. Licet. Ita D. Augustin. 19. *capit.* 6. D. Ambros *libr.* 2. *de Cain.* & omnes Doctores, vt videre est apud Gomes. 3. *resolut. cap.* 13. Simanch. *de institut. tit.* 65. Summistas *verb. tortura.* Ordin. Lusitan. *libr.* 5. *tit.* 65. Ratio est, quia hoc pertinet ad bonum commune: nam aliter mille crimina manerent impunita, sicut approbat mos omnium gentium.

2 QVÆST. *Quando potest iudex torquere reum?* RESP. Quando procedit semiplena probatio, vel infamia, aut infamiæ indicia æquipollentia. Ita Doctores citati, & Nau. *iud. numer.* 53. Tolet. *lib.* 2. 6. 3. *num.* 477. *L. edictum. ff. de quæst.*

3 QVÆST. *De quo crimine potest iudex torquere reum?* RESP. De eo, quod dignum sit pœna capitis, aut grauiore, quam ipsa tormenta. *L. edictum. ff. de quæst.* Ratio est, quia condigna pœna non potest dari, nisi cum plena probatione, tormenta vero adhibentur ad exrorquendam plenam probationem; ergo ipsa tormenta non debent esse adæquata pœnæ delicti.

4 QVÆST. *Quando crimen est plene probatum, potestne torqueri ad illud confitendum?* RESP. Minime. Ita Gom *citato loco. num* 10. & Cord. *de pract. quæst. cap.* 13. *num.* 5. Naua. *cap. inter verba. num.* 771. & *in sum. cap.* 18 *num.* 59. Roias. 2. *p. de haret. num.* 282. Ratio est, quia tormenta iure gentium introducta sunt, ad extorquendam probationem: eaque data, integra pœna imponenda est.

5 QVAEST. *Potestne reus torqueri pro socijs detegendis?* RESP. Potest. Ita Iul. Clar. *de pract. crim. quæstio.* 64. Simanch. *titul. citat. num.* 60. Ratio est, quia iuridice interrogatur.

6 QVÆST. *Quid si reus in tormentis fateatur, & postea neget?* RESP. Iterum torquendus est. Ita omnes citati Doctores.

7 QVÆST. *Licetne reo fateri crimen, quod non commisit, propter quod occidendus est, ad euitandum tormentum* RESP. Minime. Quod vero peccatum committat controuertunt Doctores, Tolet. *lib.* 1. *cap.* 4. *numer.* 121. Sot. *de secret. memb.* 3. *quæst.* 4. *& iust.* 5 *quæst* 10. *art.* 2. Ledesm. 2. 4 *quæ.* 10. *art.* 5. Adrian. *quodlib.* 11. *diff.* 3. Ratio eorum est, quia

licet videatur iste per hanc confessionem sibi necem inferre, id non est directe, nec per se: nam directe intendit fugere tormenta, & multas, vt ita dicam, mortes: per accidens vero influit in vnam mortem. Probabilius tamen Nauar. *ca. 18. num. 19.* Cou. *1. resol. cap. 2. nu. 8.* Sylu. *detract. quæ. 3.* aiunt peccare mortaliter. Ratio eorum est, quia in re graui mentitur in iudicio contra charitatem, qui tenetur diligere propriam vitam.

8 QVAEST. *Qui falsum crimen de se confessus est in tormentis, teneturne sub mortali confessionem retractare:* RESP. Tenetur quidem ad minimum in hora mortis, tum ad consulendum suorum famæ, tum ad tollendum populi scandalum. Ita Sylu. *quæ. 3. citat. sup.* & Panor. *cap. ex parte 2. de sepultura.*

9 QVÆST. *Licetne iudici vti simulationibus, & fictionibus in iudicio, ad veritatem extorquendam:* RESP. Licet, modo caute procedat, & nemini faciat iniuriam. Ita Couar. *lib. 1. capit. 1. numer 16.* Panorm. & Canonistæ *ad cap. Asserti, de præsumptionibus*, ibi enim textus affert Salomonis exemplum 3. *Regum 3.* qui simulauit infantis diuisionem iuri naturali contrariam, vt ex coniectura maternæ compassionis, veram matrem deprehenderet: idem probatur ex *cap. Vtilem 2. 2. quæst. 2.* vbi affertur exemplum Iehu Regis 4. *Reg. 10.* Dixi, si nemini faciat iniuriam: illam vero faceret, si dolo, vi, metu, aut fraude veritatem extorqueret: tunc enim reum condemnando mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur.

De Appellationibus. §. 8.

1 *Quando peccat reus appellando.*

1 QVAESTIO. *Suppono posse reum propter malitiam imperitiamve iudicis inferioris iniuste grauatum, licite, & iuste appellari ad legitimum superiorem cap. Omnis oppressus. 2. quæst. 6. Quæro igitur quando peccat reus appellando?* RESP. Peccat cum appellat gratia repellendæ, vel differendæ iustæ sententiæ. *cap. Quicunque. 2. qu. 6.* vbi præcipitur ne huiusmodi appellationes recipiantur. *ca. Omnino. 2. qu 6.* vbi huiusmodi appellantes puniri iubentur. Ratio est, quia tunc appellans facit iniuriam iudici recte iudicanti, & accusatori illius iustitiam impedimento.

Itaque

Itaque quando quis scit iniustam esse suam causam, iustam vero sententiam, mortaliter peccat appellando. Ita Aragon 2 2. *qu.* 67. *art.* 3. Sot. *proxime.* Nau. *ca.* 25 *num.* 39. qui recte ait teneri reum tunc ad omnia damna autoris, ex iniusta appellatione subsequuta.

De subeundo supplicio per iudicis sententiam imposito. §. 9.

1 *An reus teneatur subire supplicium.*
2 *An liceat Reo resistere sententiæ secundum veritatem iniustæ, sed occulte.*
3 *An teneatur reus stare sententiæ secundum allegata, & probata.*
4 *Quæ fuga reo licita est.*
5 *De fuga è carcere.*
6 *Quomodo tenetur reus ad pœnam legis.*
7 *De executione pœnæ.*
8 *Cum pœna est mortis.*
9 *De præparatione ad ferendam mortem.*
10 *De pœna mediæ.*
11 *De ijs, qui tali damnato offerunt cibos.*
12 *De pœna mutilationis.*

1 QVÆSTIO. *Obligatne sententia iusta in conscientia ad exequendam rem præceptam?* RESP. Obligat. Ita D. Thom. 2. 2. *qu.* 69. *art.* 4. & omnes Doctores. &c.

2 QVAEST. *Fuit sententia lata iniuste secundum rei veritatem: sed notorie putatur iusta, licetne reo illam per actiuã resistentiam repudiare?* RESP. Minime. Ita Nauar. *ca. Cum cont. de rescrip. rem.* 2. *num.* 15. & fere omnes. Ratio est, quia datur scandalum in illa actiua, & publica resistentia erga sententiam, quæ existimatur iusta.

3 QVÆST. *Teneturne reus stare sententiæ latæ secundum allegata, & probata?* RESP. Minime quidem in conscientia, & ideo si absque scandalo poterit euitare sententiam, vel non reddere pecuniam iudicatam, iuste quidem secundũ falsè allegata, & probata: iniuste vero secundum rei veri-

tatem fas illi est, vel etiam postea facere compensationem.

4 QVAEST. *Quænam fuga licita est reo?* RESP. Dico *primo.* Reus antequam apprehendatur, & etiam postquam comprehensus est, licite potest fugere non inferendo vim, neque resistendo. Ita D. Thom. 2.2. *quæst.* 69. *art.* 3. & *ibid* Caietan. & Aragon. Henr. *quodlib.* 9. Victor. *de homicid. num.* 19. Sot. 5. *iust. quæst.* 5. *art.* 4. Nau. *capit.* 17. *num.* 102. Couar. 1. *resolut. cap.* 2. *numer.* 11. & alij, quos ipse refert, Simanch. *tit.* 16. *num.* 26. Ratio est triplex Prima, quia nulla lex positiua id prohibet. Secunda, quia detineri in carcere tendit ad executionem pœnæ: durum vero est vnumquemque teneri ad exequendam in se pœnam. Tertia, quia iure naturali cuique fas est tueri vitã, & incommoda vitare. Dixi, sine vi, & resistentia, quoniã ministri iustitiæ ius habent, & ad comprehendendum, & detinendum: Aduertendum tamen est dupliciter posse quenquam detineri in carcere: nam vel potest detineri, vt damnatus pœna iusta carceris perpetui, seu ad tempus pro delicto commisso, & tunc non licet illi fugere, quia vt infra dicemus, tenetur pati pœnam iustam latam per sententiam legitimi iudicis, vel potest detineri ad expectandam sententiam capitis verberum, & alterius supplicij, & in hoc casu intelligo assertam conclusionem.

5 QVÆST. *Intelligo tuam mentem, quæro igitur secundum eam, poteritne reus aufugere infringendo vincula, aut carcerem perforando?* RESP Negant quidem probabiliter Henr. *quodlib.* 9. *quæst.* 26. Maior. *in* 4. *d.* 15. *qu.* 22. Sylvest. *fuga.* Couar *sup. num.* 4. Ratio eorum est, quia tunc fit resistentia, & vis iustitiæ. Deinde quia *L.* 1. *ff de effractor.* 26. *L. in eos. ff. de custodia reorum,* damnantur capitis huiusmodi fractores; ergo vt pœna culpæ respondeat, ipsi grauiter deliquerunt. Probabilius tamen affirmant Caietan. & Aragon. 2.2. *quæst.* 69. *art.* 3. Sot. 5. *iust. qu.* 6. Dried. *lib.* 1. *cap.* Nauar. *cap.* 17. *numer.* 102. oppositum est eorum fundamentum, aiuntque illam effractionem non esse resistere, sed tollere impedimenta ad fugam, vt cum quis fugiendo inuenit alienam segetem, potest illam conculcare ad fugam capescendam cum animo postea reficiendi

endi damnum. Leges vero illæ sunt comminatoriæ ad deterrendos reos à fuga, neque supponunt culpam, sed indemnitatem boni communis, pro quo aliquando licet innocentem exponere mortis periculo, vt exponitur in prælio iusto. Huic tamen mortis periculo, si quis temere se exponat (exponetur vero si vincula frangat, aut carcerem rumpat, manendo in loco, vbi iterum deprehendatur) peccabit mortaliter, quia nemo est dominus vitæ suæ. Hinc inferunt Sot. Aragon. & Caietan. *locis citatis*, posse quenquam tali præbere reo claues ad aperiendum ostium, vel instrumenta ad infringenda vincula, vt fugiat. Ratio eorum est, quia licet præbere auxilium ei, qui licite aliquid exequitur.

6 QVÆST. *Quando tenetur reus ad pœnam legis?* RESP. A die latæ sententiæ, & non antea, res est certa, & ab omnibus Doctoribus asserta.

7 QVÆST. *Quam pœnam per sententiam iustam iudicis decretam, tenetur reus in se exequi?* RESP. Carceris, exilij, pecuniæ, & alias similes, quæ existimantur leuiores, non vero pœnam verberum, mutilationis, torturæ, aut mortis, quoniam huiusmodi pœnæ sunt suapte natura horribiles, & inclinationi hominum maxime repugnantes; ergo iniqua esset lex, quæ statueret, vt nocens in seipso has exequeretur, quoniam ad legis æquitatem requiritur, vt sit de re moraliter possibili, exequutio vero huiusmodi pœnarum in seipsos censetur, moraliter impossibilis hominibus.

8 QVÆST. *Potestne damnatus ad mortem illam licite in se exequi, se ipsum occidendo?* RESP. Minime quidem, est omnium Doctorum, quos citaui. Ratio est, quia occidere se ipsum est intrinsece malum, & non potest cohonestari aliqua ratione: nam dixerunt aliqui posse auctoritate iudiciaria in seipsum esse carnificem, vt potest in aliũ eadem publica auctoritate, ac proinde, vt alium, & se ipsum posse occidere, sed est ratio apparens & falsa, vt afferit concors Doctorum sensus.

9 QVÆST. *Teneturne reus præparare se ad recipiendam mortem iuste dandam?* RESP. Tenetur, & ita tenetur ire ad locum supplicij, ascendere scalam, præbere collum ad laqueum, & similia. Ita omnes Doctores. Ratio est, quia

huiusmodi præparationes sunt ad recipiendam, non ad inferendam mortem. Hinc inferes, damnato, vt pereat veneno, non licere illud portare, quia talis actio ex se ordinata est ad mortem, non minus quam inflictio lethalis vulneris. Ita Castro, Driedo, & Couar. citati. poterit tamen, & tenetur damnatus aperire os, & pati, vt carnifex per fistulam infundat virus in stomachum.

10 QVÆST. *Licetne damnato, vt fame pereat oblatos sibi cibos respuere?* RESP Affirmant Maior. *in 4. d. 15. quæst. 22.* Sot. *5. iust. quæ. 6. art. 4.* Angel. & Sylu *verb. fugere.* Eorum ratio est, quia id non est sibi inferre, sed expectare mortē, & pati, quod quidem non est verum. Deinde, quia in extrema necessitate poterit quis ex charitate relinquere cibum alij, sed hoc verum quidem; at quia tunc ex charitate præfertur vita aliena suæ propriæ; ideo oppositum asserendum cum Caiet. 2. 2. *qu. 69. art. 3. dub. 8.* Vict. *de homici. nu 27.* Castr. 2. *de leg. ca. 3.* Cou. 1. *resol. cq. 2. nu. 8. &c.* Dried. *li. 2. de liber. cap. 6.* Ratio est, quia indirecte se perimit per non vsum medij ad vitam necessarij.

11 QVÆST. *Quæro vlterius, vtrum liceat alijs præbere cibos damnato vt fame pereat?* RESP. Omnes alij præterquam ministri iustitiæ possunt, ita omnes citati Auctores.

12 QVÆST. *Datur optio reo, vt sibi amputet vnam manum, ne vtraque per carnificem illi præscindatur, licebitne illi optionem eligere?* RESP. Negat Sot. *sup. citatus,* damnatque Iosephum, qui, vt refert 2. *de bell. Iudaic. cap. 27,* eam optionem elegit, oppositum tamen asserendum iudico, quoniam si periculum immineat toti corpori propter contagionem alicuius partis, potest quis illam præscindere sibi partem, quam sinere præscindi plures.

De Testibus. §. 10.

1 *De legitimitate testium.*
2 *Qui non compelluntur ad ferendum testimonium.*
3 *Quando teneatur quis ferre testimonium.*
4 *Quando tenentur filij ferre testimonium contra patrem.*

5 *De restitutione pro non ferendo testimonio.*
6 *Præcipue cum vocatur testis ad iudicium.*
7 *Deinde cum pro veritate dicenda susceptit iuramentum.*
8 *An possit ferri pretium pro ferendo testimonio.*
6 *De testimonio circa peccata occulta.*
10 *De testimonio ferendo, pro sola pœna infligenda.*
11 *De testimonio ferendo pro secreto crimine.*
12 *De concordia testium.*
13 *Præcipue causa hæresis.*
14 *De concordia testium pro vtraque parte.*
15 *De exceptionibus & contradictis.*
16 *De retractatione testimonij.*

1 QVÆST 10. *Quamuis non multum ad rem nostram sciat te rogare de iis, qui vel amittuntur, vel reijciuntur tanquam testes in iudicio gratia tamen maioris doctrinæ, dic quid in hac materia teneas?* RESP. Dico sic. Non admittuntur ad testimonium ferendum patres erga filios, neque item ascendentes respectu descendentium, neque è contra descendentes respectu ascendentium in recta linea. *L. parentes, capit de test.* & Doctores *ibid. cum Gloss.* & notat Sylu. *testis* 11. *quæst.* 1. §. 8. siue testimonium sit contra, siue pro *capi. si testis. §. item testis,* nisi quæstio sit de natiuitate, & ætate filiorum, tunc enim recipitur parentum testimonium pro filijs, *cap. Per tuas.* Qui filij sint legitimi; deinde nisi tractetur causa hæresis, proditionis, vel læsæ maiestatis, in qua nullius reijcitur testimonium ratione consanguinitatis, *capit. in fidei fauorem, de hæreticis in 6* Non admittitur præterea libertus erga eum, qui eum manumisit, sicuti nec vxoris filiorum, & libertorum eiusdem liberti, *capit. De testib. & L. Iulia. ff. eodem.* Non admittitur vxor erga virum, & vice versa, tam pro, quam contra, vt notat Nauar. *cap. inter verb. num.* 810. & *in sum. cap.* 25. *num* 48.

2 QVAEST. *Qui non compelluntur ad testimonium ferendum?*

dum? RESP. Non compelluntur, socer, gener, vitricus priuignus, soror, frater, eorumque filij, imo etiam consanguinei omnes collaterales, vsque ad quartum gradum erga se inuicem. *L. Iul. ff. de testib.* item senes maiores septuaginta annis, & valetudinarij. *L. inuiti ff. de testib.* mandi tamen sunt ad eos qui recipiant eorum testimonia, si oportuerit. *capit. si per testium. de testib.* Item clerici, monachi, Abbates, & Episcopi, *cap Monachi. 15. quæst. capit. Cum nuntius de testib.* qui omnes non possunt esse testes in causa criminali, sicuti notat Gomes, *tomo 3. resolut cap. 12. num. 19.* & constat *ex cap. sentent. sanguinu, clerici, vel monachi.* in causa tamen ciuili ijdem possunt de licentia sui Episcopi testificari, etiam coram iudice laico. Dixi de licentia sui Episcopi, quoniam cum testimonium publicum feratur sub iuramento *capit. si testis 4. quæst. 4.* ipsi vero non possint iurare apud iudicem laicum absque licentia sui Episcopi. *cap. Nullus 2.2 quæst. vltim* & notat Sylu. *Clericus 3. quæst. 3.* consequenter non possunt ferre testimonium, & ita prohibetur in constitutionibus Synodalibus in Eborensibus. *tit. 10. cap. 12.* Conimb. *tit. 14. constat 12.* idem dicēdum est de regularibus, qui de licentia sui superioris testificari possunt in causa ciuili apud iudicem secularem, vt notat Anton. Gom. *ibi tat. num. 1.* & Sylu. *quæst. 1.* deducitque Gom. ex *capit. monachi 16. quæst. 1.* & ideo in constitutionibus Societatis IESV, *parte 6 cap. 3 num. 8.* superioribus præscribitur modus concedendi hanc licentiam. Reijciuntur prætereà minores quatuordecim annis in causa ciuili, & minores viginti in causa criminali. *ff. de testib. & cap. si testes. 3. quæst. 4.* Reijciuntur serui. *L. de seruis Cod. de testib.* nec pro nec econtra dominum. *cap si testis. § item testis.* Reijciuntur mente capti *L. qui testis ff. de testib § ne furiosus,* nisi in lucidis interuallis. Reijciuntur infideles contra fideles *capit. si hæreticus. 2. quæst. 7. & L 1 ff de testib.* Reijciuntur infames. *cap. si testes* citato. Reijciuntur inimici eius, contra quem fertur testimonium. *L. 3. ff. eodem capit si testis.* Reijciuntur pauperes abiectæ conditionis, de quibus facile præsumi potest corruptela. *L 3. citata, & cap. si testis* citato. Reijciuntur domestici, & famuli eius pro quo ferendum est testimonium. *L. pœn. ff. de testib. capit. item*

testi

testis citato, excepto casu probandi adulterium *L. consensum ff. de repudio.* Admittuntur etiam collegæ super re collegij, quando per alios probari nequeat, & in casu monasterij, ij qui sunt de conuentu. Dixi monasterij, quia reijciuntur in causa alicuius singularis. Ita Sylu. *dicta quæst.* 1 §. 9. cum Panorm. Reijciuntur excommunicati, *cap. Decernimus. de sent. excommunicat. in* 6. Reijciuntur itidem iuxta commune ius laici contra clericos in causa criminali, excepta hæresi, simonia, & læsa maiestate, cum adfuerint clerici, qui testimonium afferre possint. Ita probat Roias *singul* 11. Reijciuntur itidem socij criminis periuri, & alij nonnulli, de quibus Sylu. *quæst.* 1. *de testib.* Gom. 3. *resolut cap.* 12. *num.* 15. *&* 16. & Roias citatus. Reijciuntur meretrices. *L.* 3 *ff de testib.* Reijciuntur omnes mulieres in causa testamenti *L. ex eo ff. de testib.* & in omni causa criminali. *cap. Finis. de verb signifi. cap. Mulieres.* 33. *quæst.* 5 excepta hæresi, simonia, & læsa maiestate, *cap. In fidei de hæret. in* 6. Admittuntur tamen, si causa criminalis ciuiliter tractetur *cap. Quoniam de testib.* Notatque Sylu. *supra* §. 2. & *iudex* 2. *quæst.* 1. Hæc iuxta commune ius: iuxta vero peculiare ius huius regni legantur Ordinat. *tit.* 24. *à* §. 12.

3 QVÆST. *Quando tenetur quis ferre testimonium?* RESP. Cum iuridice requiritur à iudice. Ita D. Thom. 2. 2. *quæ.* 70. *art.* 1. *&* 16. Caiet. & Arag. Sot. 5. *iust. quæ* 7. *art.* 1 *conclu.* 1. Ratio est, quia præceptum superioris legitimi obligat in causa graui, quando vero iuridice requiritur testis, diximus supra cum egimus de reo. Dico tamen iterum cum proceditur via accusationis iuridice, requiritur absque infamia rei, & absque semiplena probatione. Ita Speculator *de testibus,* § *de testium compulsat. num.* 6. Hostiens. *tit. de testib cog num.* 4. Astens. 1. *p. L* 1. *tit.* 37. Panormitan. *cap. Peruenit.* 1 *&* 2. *de testib. cog.* Aliter, & contra dicendum est, cum proceditur via inquisitionis. Sed hac de re memini iam supra interrogatum, cum egisti de accusatione, & inquisitione. Dico *secundo* Nullus priuatus, non requisitus à iudice, tenetur testificari. Ita D. Thom. Caietan. Aragon. & Sot *proxime citati.* Nauar *cap. Inter verba num.* 698. & *in sum cap.* 25. *num.* 44. Ratio est, quia sibi imputet accusator accusare de crimine, quod probare

bare non poteſt, nam licet fiſcalis ſit, non tenetur in conſcientia accuſare, niſi ea crimina, quæ poteſt probare. Tenetur tamen quiſquam non requiſitus, ferre teſtimonium cum ex eo impeditur damnum commune, vel tertij innocentis. Ita citati Doctores, & ratio eſt, quoniam ad id nos obligat charitas, etiam cum aliquo noſtro detrimento: qua in re ſeruandus eſt ordo charitatis iuxta regulas traditas in primo præcepto. Dixi priuatus, quoniam fiſcales, & alij iuſtitiæ miniſtri ſemper tenentur de ſuo detrimento accuſare, vel teſtificari ratione officij ſuſcepti, pro quo ſtipendium accipiunt, L. Quemadmodum milites ratione officij, & ſtipendij plerumq; tenentur ſe obijcere periculo capitis, etiam quando teſtimonium ſolum exigitur ad pœnam rei. Dico *tertio*. Si pro impediendo grauiſſimo damno Reip. impendenti in futurum, ſiue ſpirituali, ſiue corporali requiratur teſtimonium, quilibet ciuis cum quantumcumque ſuo detrimento tenetur illud ferre. Ita Sot. 5. *iuſt. qu.* 7. Roias *ſing.* 3 *nu.* 5. Pænitent. Direct. 2. *p. pag.* 398. Ratio eſt, quia iure charitatis bonum commune præferendum eſt bono particulari; vt lege naturæ pars ſe opponit periculo pro toto.

4 QVÆST. *Quando tenentur filij ferre teſtimonium contra parentes?* RESP. In cauſa hæreſis, cum timetur, vt ea inficiantur alij, nam licet filius in eo caſu incurrat infamiam, & confiſcationem bonorum, tenetur ex Lege charitatis bonum commune anteferre ſuo particulari. Sed huiuſmodi damna regulariter per inquiſitores impediuntur, ne ad tales fidei filios deueniant.

5 QVAEST. *Tenetur quis ferre teſtimonium, noluit tamen ſe offerre ad illud ferendum, tenetur reſtituere damna inde autori vel reo ſubſequuta?* RESP. Minime. Ita Sot. *iuſt. qu.* 7. *art.* 1. Nauar. *cap. inter verba num.* 713 & *in ſum. capit.* 25. *num.* 44. Med. *de reſt. quæſt.* 9. Cou. *reg. pec. p.* 2. §. 3. *nu.* 5. *Syſt. teſtis num.* 8. Ratio eſt, quia ipſe ſolum peccauit contra charitatem, non vero contra iuſtitiam.

6 QVÆST. *Tenebatur quis ferre teſtimonium, requiſitus à iudice abſcondit ſe, & noluit ferre teſtimonium, teneturne ſimilia damna reſtituere?* RESP. Minime. Ita Doctores citati & Anton. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 19. §. 7. Rainerius in ſum. Theolog. *ver. teſtimonium.* §. 1. Tabien. *verb. teſtis* contra Nauarr. & Gabr.

Gabr. *in 4. distinct. 15. quæstio. 6. concl. 7.* Ratio est, quia iste solum peccauit contra charitatem, & præterea contra obedientiam iudici debitam, non vero contra iustitiam. Nam si iudex præcipiat, vt insequar occisorem fugientem, ego vero nolim, non obligabor ad restituenda damna occisi. Opponit Nau. *nume.* 44. actus iudicis præcipientis testimonium est actus iniustitiæ; ergo actus testis nolentis obedire, est actus iniustitiæ. Non valet consequentia, nam actus subditi religiosi non parentis præcepto superioris, est actus inobedientiæ, & tamen actus superioris non est actus obedientiæ. Opponit secundo. Negat quis scripturam ex qua dependet meum ius, tenetur ad restitutionem damnorum. Resp. diuersam esse rationem, quia scriptura est mea, & contra iniustitiam denegatur, at testimonium est alienum, & sola charitas obligat ad illud mihi dandum.

2 Qvaest. *Accepit quis iuramentum, vt testis iuridice interrogatus: & tacite promisit se sub illo dicturum veritatem, postea tamen illam negauit, vel occultauit, teneturne ad restitutionem damnorum?* Resp. Tenetur. Ita Doctores citati. Ratio est in promptu. Quia ratione suscepti officij tenetur ex iustitia innocentem liberare, reumque damnare, detegendo veritatem. Et ita claret disparitas rationis in hac, atque in proxima difficultate.

8 Qvæst. *Potestne testis pretium accipere pro ferendo testimonio?* Resp. Minime quidem pro iusto testimonio. Et ideo si aliquid accipiat, tenetur illud restituere. Dixi, pro iusto, quia pro iniusto testimonio ferendo, licet peccet accipiendo pecuniam, acceptam tamen non tenetur restituere. Quia periculum, cui se exponit falsi testimonij, pretio est æstimabile: & ideo non tenetur illud iam acceptum reddere. Ita omnes Doctores citati.

9 Qvæst. *Quid tenetur facere testis circa peccata occulta?* Resp. Non potest testis aperire iudici crimē occultum. Ita D. Tho. 2. 2. *qu.* 70. *art.* 1 Caiet. & Aragon. *ibid.* Sot. 5. *iust. quæst.* 7. *articu.* 1. & omnes Theologi. Ratio est, quia occultare secretum est de iure naturali. Hoc tamen intelligendum est, quando ex occultatione non imminet dānum publicum. Si enim imminet, præferendum est bonū commune, bono particulari. Item si non imminet dam

num.

num tertij innocentis inferendum ei ex malitia illius cuius interest secretum seruari. Tunc enim ad euitandum tale innocentis damnum, reuelandum est secretum. Ita D. Thom. 2.2. *qu. 68. art. 2. ad 2.* Nauar. *cap. inter verba num. 66. & in sum. ca. 18. num. 6.* Sot. *5. iust. qu. 7. ad 2.* Med. *de restit. tit. de secr. seru.*

10 QVÆST. *Quid, si interrogetur testis de delinquente tantum ad pœnam?* RESP. Negant Sylu. *testis num. 8.* Ang. eodem verbo *testis num. 26.* illud posse manifestare, nisi præcedat infamia, aut semiplena probatio. Oppositum docuit Sot. *5. iust. quæst. 7. art 1. ad 1.* si procedatur, inquit, via accusationis, etiamsi solus videris, teneris adductus in testem ferre testimonium. Idem tenent Speculator. Host. Panormitan. Ostiensis *locis citatis.* Ita Ordin. Lusitan. *titul 42.* Ratio est. Quia postquam reus ab accusatore in iudicium delatus est, iam eius crimen quodammodo factum est publicum: accusauit enim ex indicio. Nam ex oppositò fundamento minime possent priuati accusare iniurias sibi coram paucis illatas, vel coram duobus, vel etiam vno. Quod quidem falsum est. Est hæc secunda opinio verior, & probabilior.

11 QVÆST. *Accepit quis notitiam criminis sub secreto.* RESP. Adductus in testem tenetur iure naturæ illud occultare, licet reus criminis laboret infamia. Ita iam respondi *supra.* Intelligenda tamen conclusio est, nisi ex occultatione immineat damnum publicum, aut terrum graue innocentis, proueniens ex malitia rei, de quo quæritur: Enim vero si proueniat aliunde, & impediri possit reuelando secretum, non possum illud reuelare. Quia teneor iure naturali illud occultare in bonum eius, qui illud mihi commisit.

12 QVÆST. *Tria adhuc restant interroganda de testibus. Primum est de illorum concordia?* RESP. Constat ad plenam probationem criminis requiri testes concordes, *capit. Licet causam §. quamcumque de probat. capit. Bonæ 1. §. 1. L. Qui falsa. L. Varia. ff. de testib.* Itaque oportet, vt testimonia conueniant in re gesta: alioquin iam plures erunt actus. Requiritur deinde, vt sint conteſtes in tempore patrati criminis. Constat ex *capit. Nihilominus. 4. quæst.* ex loco. *Daniel. 13.* vbi senes conuicti sunt falsitatis ex eo quo

quod discordauerint in loco, item in persona. Alioqui iam de pluribus hominibus feruntur testimonia. Præterea si agitur de consanguinitate, vel affinitate, oportet, vt conueniant in gradu. *capit. de Parentela. 2. 35. quæst. 6.*

Si actus de quo feruntur testimonia sit successiuus, satis est, si plures testes adfuerint, diuersis partibus eius, vt si adfuerint diuersis partibus missæ; & sic de alijs. Ita Arm *testis num. 6* Simanchas. *titul. 4 num. 65.* & Arag. *22. quæst. 70. art. 3.* Non requiritur tamen testium concordia circa leuissimas rei gestæ circumstantias *capit. Nihil obstat. de verb significat.* Imo omnimoda testium concordia in omnibus, etiam minimis circumstãtijs, verbis, & ordine rerum, reddit testimonium suspectum falsitatis. *L. 3. ff. de testib. cap si testis. 4. quæst. 3.* videtur enim consulto eundem proferre sermonem Vt notat D. Thom. *2. 2. quæst. 70 art. 2. ad 2.* ex D. Chrysost. & Arag. *ibid.*

13 QVÆST. *In causa hæresis requiruntur ne testes concordes?* RESP. Crimen hæresis, & aliud eiusdem rationis, seu eiusdem speciei, vt Iudaismi, Lutheranismi, &cæt. sufficienter probatur per plures actus singulares, tendentes ad eundem finem. Atque ideo testes, de his criminibus singulariter testificati, vere habentur concordes. Ita Simanchus *titul. 64. numer. 76.* & probat vsus Inquisitorum in nostra Lusitania. Ratio est. Quia aliter non satis prouideretur bono communi; poterit enim vnus hæreticus totam inficere vrbem, & Iudæus cum singulis Iudaizare, neque tamen conuinci. Oppositam sententiam sequuntur Inquisitores in Hispania. Ratio eorum est. Quia nulla species perfecte probatur, nisi in aliquo singulari indiuiduo. Dixi crimen hæresis eiusdem speciei, verbi gratia, Iudaismi, vel Lutheranismi; quia si est diuersæ speciei, non satis probatur per testes testantes de pluribus actibus. Ita Penna. *3. p. Direct. pag. 663.* Aragon. *22 quæst. 70 artic. 1.* Hostiensis. *tit. de testib.* Bald. *cap. Licet causam de probationibus.* Card *in Clem. 1. §. de hæret.* Ioann. Andr. *capitul. Vt officium. §. 1. de hæretic. in 6.* Bald. item *cons. 394.* Qui in hac re de hæreticis loquitur, atque de alijs sceleratis hominibus, & ideo quemadmodum non damnatur, vt malefactor in genere, de quo plurium te-

stimonia affirmant singulariter esse furem, esse interfectorem, esse vsurarium, &c. Ita non probatur hæreticus in genere, de quo quis ait esse Iudæum, alius ait esse Lutheranum, &c.

14 QVÆST. *Sunt pro vtraque plures testes concordes, quomodo ferenda est sententia?* RESP. Examen probationum spectat ad iudicem. *L. 3 ff de testib.* Si pares sunt numero & dignitate, iudicandum est pro reo in causa pœnali, *capit. Ex literis. de probationibus.* Ratio est. Quia iudex facilior esse debet ad absoluendum, quam ad damnandum. Dixi, in causa pœnali, quia in causa fauorabili iudicandum pro autore, contra reum, vt in causa matrimoniali, *capit. finali, de sentent. & re iudicata.* In dubio æquali de re vtili iudicandum est pro possessore; quia melior est conditio possidentis, *de reg. iur. in 6.* Quod si neuter possideat: diuidenda est vtrique. Quod si res non sit diuisibilis, tradenda vni, & ipse compellendus ad reddendum alteri sui partis valorem. Ita colligitur ex D. Thom. 2.2. *quæst. 70. art. 2.* Sylu. *testis. quæ. 7.* & alijs citatis Doctoribus.

15 QVÆST. *Quæ licent reo, vel actori exceptiones (nostrates appellant contradictas) ad infirmandum testium dictum?* RESP. Non licet reo falsa crimina, falsasque exceptiones scienter opponere testibus, ad infirmanda eorum testimonia vera & iusta. Ita ostendit ipsum naturæ ius. Dico secundo. Ad infirmandum testimonium falsum, fas est reo opponere testibus vera crimina, quamuis occulta, & ignominiosa testibus, siue testificari compulsis, siue voluntarijs. Ita omnes Doctores. Ratio est. Quia vim vi repellere licet, sed per falsum testimonium reo infertur vis; ergo illam vi repellere poterit. Dico tertio. Iure charitatis tenetur quis pati leue detrimentum falsi testimonij, ne illud infirmet per criminis detectionem, vnde testi resultat notabilis, & grauis infamia. Hæc conclusio constat ex terminis, & ideo non indiget probatione.

16 QVÆST. *Qui tenetur retractare testimonium?* RESP. Qui scienter falsum testimonium dixit in notabile Reipublicæ, tertijve detrimentum, quod non aliter, quam per retractationem potest impediri, sub mortali tenetur

turne ex iustitia testimonium retractare. Adeo vt si ex eo mors immineat innocenti, teneatur ad retractationem etiam cum vitæ periculo. Ita Nau. *capit* 15. *numer.* 17. Sot. *vbi proxime*. Cord. *lib* 1. *quæst.* 31 *artic.* 3 Caietan. 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 4. Ratio est. Quia illius damni fuit iniusta causa. Dixi (scienter) quia si tale testimonium dedit ob ignorantiam inuincibilem, ad nil tenetur. Item quando ex tali testimonio, aut nullum, aut leue detrimentum sequutum sit innocenti, vel Reipublicæ. Item quando ex sua retractatione nullum sequitur remedium, quia iam, verbi gratia, reus occisus est. vel iam conuictus per alios testes, & damnandus, licet ego meum testimonium retractem.

De Aduocatis. §. II.

Quid dicendum de Aduocatis.

QVÆSTIO. *Quid censes de Aduocatis?* RESP. Aduocatus scienter defendens causam iniustam, peccat mortaliter, & tenetur restituere parti aduersæ. Ita communiter Doctores. Sot. 5. *iust. quæst.* . *artic.* 3. Caietan *verb. Aduocatus. & 2. 2. quæsti 71 artic.* 3. Sylu. *verb. Aduocatus*. Nau. *capit.* 25. *numer.* 28. Teneturne etiam ad damna clientis, si eum non admonuit de iniustitia causę. Ratio est, quia per se & iniuste cooperatur ad damnum tertij. Peccat etiam mortaliter, & tenetur ad restitutionem damnorum, si defendat iniustam causam tantummodo ad differendam, vel ad compellendam partem, vt sessa faciat compositionem, quia id iniquissimum est. Peccat item grauiter si reuelet secretum, sibi à cliente commissum, vt aduersarius sibi caueat. Ita prohibetur *capit si quem pœnituerit. 2. quæst* 3. *L. 1. de prœuaricatorib. & lib.* 5. Ordinat Lusitan. *tit.* 65 Ratio est manifesta. Quia per iniustitiam reuelat secretum sibi commissum. Peccat denique paciscendo cum cliente, quem defendit de aliquota parte causæ, sibi danda, si vincat. Ita prohibetur *L. Sumptus. ff. de pact.*

CAPVT XX.

De detractione. §. I.

1 *Quid est detractio.*
2 *Quot modis committitur.*
3 *Quale peccatum est.*
4 *An liceat diffamatum per sententiam iudicis euul-*
gare vbique.
5 *An quis possit infamare.*
6 *An liceat in tormentis detegere crimen sibi secre-*
commissum.
7 *De audiente detractionem.*
8 *De eo, qui non impedit detractiones.*

1 QVAESTIO. *Quid est detractio?* RESP. Est ablatio fa-
mæ per verba cum intentione nocendi. Ita Tole-
tus cum Theologis *lib. 5 cap. 63.*

2 QVÆST. *Quot modis fit huiusmodi detractio?* RESP.
Octo: quatuor circa malum, qui hoc versu continen-
tur.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

Quatuor circa bonum, qui hoc versu declara-
tur.

Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatve remisse. De his
D. Thom. 2-2. *quæst. 73.*

3 QVÆST. *Quale peccatum est detractio?* RESP. Ex suo
genere mortale, nisi excusset paruitas materiæ, vel inad-
uertentia.

4 QVÆST. *Tria dubia sunt præcipua in hac materia. Pri-*
mum (*De quo controuertunt grauiter* Caieta. *opusc. 16. re-*
spons. 9. & Adrian *quodlib. 11 quæst. 1*) *petit, an diffamatum*
per sententiam iudicis, liceat de crimine probato manifestare?
RESP. Dico *primum.* Manifestare crimen alicuius, quo-
cunque modo infamati, intentione ei nocendi, pecca-
tum est. Id enim est contra charitatem.

Dico *secundum.* Infamatus siue per crimen publicum,
siue per iudicis sententiam, postquam consequutus est
bonam famam, manifestare absque legitima causa, pec-
catum est contra charitatem, vt manifestum est. Et e
multorum sententia contra iustitiam, vt iam dixi cum
egisti de restitutione famæ ad VII. Decalogi præceptum.

Fun

Fuit v g. quis Conimbricæ hæresis damnatus publice, per Inquisitores tamen post resipuit, & bonam famam modo habet, nec est, qui recordetur illius criminis: si quis hoc alijs nescientibus manifestat, & peccat contra charitatem, & iustitiam simul, atque consequenter tenetur ad restitutionem. Ita Tolet. *li. 1. ca. 65.* Contra Sot. 4. *iust. qu. 10 ar 2.* Ratio eius est. Quia quamuis per factum publicum, vel per iudicis sententiã fuerit illi ablata fama antecedens, non tamen fuit ablata fama subsequens. Hęc tamẽ Toleti sentẽtia nullatenus asserẽda est, cum ex occultatione criminis imminet Reipublicę, vel tertio innocenti periculũ grauis damni, seu tẽporalis, seu spiritualis. Tale erit, qui se prædicaret medicum insignem, cum sit imperitissimus. Vel damnatus hæresis, vt Catholicum se gereret, cũ periculo inficiẽdi fideles pestifera hæresis lue, & similia. Dico *tertium*. Infamare infamatũ publicum, in loco, quo moraliter illa infamia non erat peruentura, peccatum est contra charitatem. Ita communiter Doctores, quos sequitur Toletus *proxime citatus*. Et contra iustitiam, iuxta Tolet. ipsius sententiam. Quæ quidem explicanda, vt iam explicui ad septimum præceptum, & in superiori propositione. Ratio est manifesta pro hac, atque pro superiori conclusione. Dixi, in loco ad quem moraliter illa infamia non erat peruentura. Quia in loco, vbi lata est sententia, vel factum crimen publicum, aut in loco, quo breui infamia peruaderet, nullum est peccatum alijs illud detegere, absque animo contemnendi, sed animo solummodo narrandi, quæ acta sunt.

5 Qvæst. *Absoluisti primum dubium, propono secundum. An possit aliquis se ipsum infamare, quin offendat iustitiam?* Resp. Negat Caietan. *verb. detract. Quia* inquit, *nemo est Dominus suæ famæ, sicut nec suæ vitæ.* Affirmat D. Thom. 2. 2. *quæst. 3. art. 4.* ex oppositio fundamento, & communis sententia, si infamia redundet in ipsum solum, qui se infamat. Peccat tamen contra charitatem, qui sine causa se infamat: grauiter quidem, cum infamia est grauis, leuiter, cum infamia est leuis.

6 Qvaest. *Torquetur quis ad detegendum quidquam non iuridice, quod quidem accepit sub secreto naturali, potestne illud detegere?* Resp. Respondeo, potest, cum detectio

secreti non redundat in damnum commune. Ita Sot. *iust. quæst. 10. art. 2.* Exempli gratia: torquetur aliquis iniuste, vt complicem criminis detegat, potest illum detegere. Ratio est, quia nemo tenetur cum tanto suo detrimento alterius famam seruare, occultando commissum peccatum illius. Ita Tolet. *libr. 5. capit. 66.* Si autem obstet bonum commune, potius quis tenetur mortem oppetere. Vt cum miles capitur ab hostibus iniuste rogatus, potius tenetur pati mortem, quam Ducis consilia aperire. Hoc tamen intelligo quando secretum accepit via iusta. Si enim vi, aut fraude illud sciuit, vt iniuste illud accepit, ita etiam iniuste reuelabit, vt manifestum est.

7 QVÆST. *Quid censes de audiente detractorem?* RESP. Dico *primum.* Quando quis delectatur delectationibus ex odio eius, de quo detrahitur, gaudendo pro tali infirma inimici, tantum peccat, quantum malum est ipsa infamia. Dico *Secundo.* Detractionem audire ob solam vanam sciendi curiositatem, & otiositatem, est solum veniale. Ita Tolet. *lib. 5. cap. 67.*

8 QVÆST. *Quantum peccat, qui non impedit detractorem?* RESP. Qui, cum superior est, & ideo potest impedire detractionem, & non impedit, tantum peccat, quantum est damnum tertij proueniens ex detractione. Dixi cum superior est, quia priuata persona excusatur ob multas rationes, vtpote, quia videt se nihil profecturum; quia audax æstimabitur timet detractoris iram: quia non propter reuerentiam ipsius prælati, aut superioris detrahentis, si ipsum reprehendat. Ita Toletus citatus, quæ colligit ex D. Thom. 2. 2. *quæ. 73. art. 4.*

CAPVT XX.

De nono Decalogi præcepto.

Non concupisces vxorem proximi tui.

DE hoc Præcepto, quidquid dici poterat, dictum est ad Sextum præceptum: propterea interrogationibus repetendis supersedeo.

CAPVT

CAPVT XXI.

Decimum Decalogi præceptum.

Non desiderabis domum proximi tui, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, non omnia, quæ illius sunt.

QVAESTIO. *Quid prohibetur hoc præcepto?* RESP. Omnis species auaritiæ. Est autem auaritia appetitus diuitiarum voluntariè inordinatus. Tres autem virtutes offendit huiusmodi appetitus. Offendit iustitiam, cum appetit possidere, vel retinere aliena iniusto modo: nempe per vim, fraudem, aut dolum. Offendit liberalitatem cum denegat, quæ tenetur eroganda superflua. Verumtamen de hac obligatione dicam cum me de eleemosyna rogaueris. Offendit charitatem, quando sic erga diuitias affectus est, vt eas præferat necessitati proximorum.

Finis primæ partis.

EXAMINIS THEOLOGIÆ MORALIS

Seu Praxeos Casuum Conscientiæ.

PARS SECVNDA.

Præceptorum Ecclesiæ, & Censurarum, Pœnarumque materias complectens.

Egimus in prima parte de præceptis decem Decalogi. Nunc de præceptis quinq; Ecclesiæ, deq; Censuris, ac pœnis, quæ eiusdē sunt Ecclesiæ iussa, nobis agendū supereſt. Quoniā vero ad intelligenda, quæ dicenda sunt, facem præfert legis humanæ cōmunis

notitia, eam præmittendam censuimus, vt postea ad singulas leges, singulaque præcepta veniamus.

De Lege Humana.

De Legis Humanæ etymologia, & definitione. §. 1.

1 *De etymologia huius nominis Legis.*
2 *De definitione Legis.*

CAPVT I.

1 QVAESTIO. *Vnde dicta est lex?* RESP. Dicta est a legendo. Ita D. Thom. 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 1. Scot. *in* 4. *d.* 15 *qu.* 2. *art.* ex Cassiodoro, & Isidor. 2. *Etymolog.* Dicta est a legendo, quia plerumque leges humanæ referuntur in scriptis. Ita Isidorus *citato loco* Dicta est ab eligendo. Sic Tull. teste Sot. 1. *iust quæst* 1. *art.* 1. Augustin. 2. *p. quæst. Testam. quæstio.* 5. Nempe, quia per eam sciunt subditi, quid eligendum est, & sequendum in operationibus.

2 QVAEST. *Quo pacto definitur lex?* RESP. Est ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet promulgata. Ita D. Thom. 1. 2. *quæst.* 90 *art.* 4. sequitur Nau. *de leg pœn. numer.* 1. *tom.* 2 *conclus.* Eam vero ab effectu sic definiunt Sot. 1. *iust quæstio* 1. *art.* 1. Castro. *libr.* 1. *de leg. pœn capit* 1. Est æquitatis, iniquitatisque regula. Dixi ob bonum commune: quia si executio legis est contra bonum commune, talis lex est nulla. Quam veritatem docuit Plato. *dialog.* 5. *de legibus.* Aristot. 4. *Polit. cap* 1. Tul. 1. *&* . *de legib.* & Isidor Habetur *Can. Erit dist.* 4. Probatur ratione. Quia lex est communis regula, & mensura operationum humanarum, teste Platone *in Minoe.* Est commune præceptum, sic appellatur ab Arist. 5. *Eth. & in L. lex & L. iura ff. de legib.* Est instrumentum Principis, vt primi motoris actionum subditorum: atqui prima mensura, commune præceptum, primi motoris instrumentum, debet tendere ad bonum commune, ergo & lex.

3 QVAEST.

3 QVÆST. *Huic tuæ responsioni videtur obstare L. 1. §. huius studij. ff. de iustit. vbi ius publicum à priuato distinguitur, quod priuatum tenuit ad singulorum vtilitatem. Tales videntur leges Priuilegiorum. Leges publicorum, Minorum Seruorum, Vectigalium quæ Regis, ac Principis imponuntur vtilitati. Dic igitur, quid in hoc censeas?* RESP. Dico vnum. Priuilegia esse leges. Ita appellantur *cap. Priuilegia dist. 3.* quod perperam negarunt Gloss. *capit. Erit autem lex dict. 4.* & Castro 1. *de leg. pœn. cap. 1.* & alij Ratio est, quia falsis nituntur fundamentis. Glossa ait priuilegia non respicere bonum commune, & hoc saltem in priuilegijs contentis in corpore iuris falsum est. In priuilegijs alijs ratio communis boni attenditur, conducit enim bono communi bene meritos maioribus afficere præmijs, vt eorum exemplo alij ad virtutem concitentur. Castro ait leges ferri generaliter: priuilegia vero specialiter: & ideo appellari leges priuatas, *cap it Priuilegia, dist. 3.* Et hoc falsum etiam est, saltem in priuilegijs personalibus communiter, qualia sunt concessa Mendicantibus, pupillis, & alia. Dicũtur verò priuilegia leges priuatæ, quia in ijs aliquid particulare conceditur. Ideo Durand. *de iurisdict. eccles. quæstion. 2. artic. 2.* definit: priuilegium est ius, quod continet specialem gratiam concessam alicui. Alij aiunt leges esse iura communia, priuilegium vero eximi à iure communi. Ita enim definitur priuilegium. Est ius priuatum contra ius commune. Sic Hostiens. *in summ.* sed hoc falsum est: qui statuta in fauorem pupillorum, militum, & similium appellantur leges, & tamen eos eximunt à iure communi. Aduerto tamen in priuilegijs duo consideranda esse, nimirum fauorem erga priuilegiatam personam, & obligationem seruandi ea erga magistratus Reipublicæ. Considerata quidem priori modo, non sunt leges, neque obligant, potest enim priuilegiata persona renunciare suo fauori speciali. Ita Angel. *verb. Priuileg.* Probatur *ex capit. Cum accessissent, de probationibus cap. Quod ob gratiam, de reg. iur. in 6.* vbi Glossa *L. quod fauore. Cod. de legib.* Considerata vero modo posteriori sunt leges, & obligant ad sui obseruationem, respiciuntque bonum commune. Tales sunt etiam leges pupillorum, Minorum, Seruorum, & Vectigalium.

De potestate condendi leges ciuiles. §. 2.

1 *An laica Communitas possit condere leges.*
2 *Penes quos sit potestas condendi leges ciuiles.*
3 *A quo Reges habeant potestatem condendi leges ciuiles à Communitate.*
4 *An Communitas possit hanc potestatem concessam reuocare.*
5 *An Papa possit condere leges ciuiles.*
6 *An Papa possit reuocare, seu annullare leges ciuiles.*

1 QVÆSTIO. *Estne in Communitate laica potestas condendi leges ciuiles?* RESP. Maxime. Quam veritatem ostendit ipsum ius naturale. Ita Philosophus 6. *Ethic.* & 1. *Politic.* & D Thom. 2. 2. *quæst.* 90. *art.* 1. *ad* 2. vt iam dixisti.

2 QVÆST. *Penes quos est potestas condendi leges ciuiles?* RESP. Penes ipsam Communitatem. Insuper penes Reges, & Principes ab ipsa Communitate creatos. Ita Philosoph. & Diu. Thom. *locis citatis*, & Plato *toto libr. de Republica.*

3 QVÆST. *A quo acceperunt Reges huiusmodi potestatem?* RESP. Quamuis aliqui Reges illam immediatè à Deo acceperunt, vt Saul. 1. *Reg.* 10. Dauid 1. *Reg.* 16. Iehu 4. *Reg.* 9. & alij. Tamen omnes alij illam à Deo mediatè accipiunt, per ipsam Communitatem. Ita Cou. *pract. qu. capit.* 1. *conclus.* 1. Nauar. *cap. Nouit. de iudicijs nota* 3. *numer.* 119. Maranta. 3. *p.* Specul. *numer.* 25. & 26, ex *L.* 2. §. *nouissime ff. de orig iuris*, & *L* 1. *ff. de constitut. Princip.* Ledesm. 2. 4. *quæst.* 18. *art.* 3. *dub.* 10. Castro *de leg. pœn. lib.* 1. *cap.* 1. fauet D. Thom. 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 3. dum ait condere leges pertinere ad ipsam Communitatem, vel ad eum, qui eius vicem gerit, & 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 3. *ad* 3. ait Principem non habere potestatem condendi legem, nisi inquantum gerit personam multitudinis. Hinc fit, vt non minus teneantur Reges legibus fundamentalibus regni, quibus scilicet

licet constituitur, restringitur, aut extenditur eorum iurisdictio, atque tenentur priuati quiuis communibus pactis, & conuentis, sicuti bene notauit Toletanus *lib. 7. de Repub. cap. 16 num. 8.*

4 QVAEST. *Potestne Communitas huiusmodi potestatem concessam Regibus iterum reuocare?* RESP. Minime quidem. Ita communiter Doctores. Verumtamen propter ipsorum Regum tyrannidem potest Ita Maranta *citato loco* de sententia Baldi, & Aretini. Ratio est. Quia licet communitas talem potestatem à se actualiter abdicauerit, non tamen irreuocabiliter, vt ait Nau *cap. Nouit. de iudicjs. not. 3. num. 119.* & Almain. *de auctorit. Papæ.* Et ideo si Rex in ferendis legibus commissionem sibi traditam excedat, non ligatur ijs populus, adnotauit Innocent. *ca 1. de locato*, &c. *A nobis de elect.*

5 QVÆST. *Potestne Papa concedere leges ciuiles politicam Rempublicam obligantes?* RESP. Suppono, vt probabiliorem sententiam, quæ Papæ non concedit per se dominium temporale, directum in vniuersum mundum. Quam probant Bellarm. *lib. 5. de Rom Pontif.* Turrec. *libr. 2. sum cap 113.* Caiet. *in Apolog. cap. 13.* Sot. *in 5 d. 45. quæst. 2. art. 1.* & Victor. *in relect. 2. de potest. ecclesiast.* Dico igitur, Papam non posse condere leges ciuiles, nisi in terris, in quibus habet dominium temporale.

6 QVAEST. *Potestne Papa leges ciuiles Regum reuocare?* RESP. Potest cum contrariæ sunt fini supernaturali. Ita Bellarm *citatus*, & omnes. Quia in hoc Respubl. politica subordinata est gubernationi spirituali. Et ideo cum inueniuntur contrariæ duæ leges, alia ciuilis, alia ecclesiastica, si in executione datur periculum animarum, standum est ecclesiasticæ, non ciuili. Ita tradit Gloss. *capit. Possessor, de reg. iur. in 6.* Felin. *ad capit. Ecclesia de constitut* Panorm *ad cap Cum haberet de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit* Barth. Auth. *Ex complex. Cod. de incest nup.* Fortun. *tract de vlt. fin. de iur. can. numer. 3.* Imola *cap. Quoniam de præscrip. num. 5.* & ideo abrogata est lex ciuilis de præscriptione cum mala fide *ca. finali de præscri.* Lex denegans alimenta filijs illegitimis. *cap. Cum non haberet.* Vt notant Couar. *2. p. Epitom. cap. 8. §. 6.* & Gomes. *ad 6. L. Tauri. num. 37.*

CAPVT

CAPVT II.

De Poteſtate condendi leges humanas.

§. Quoniam ab ipſo Naturæ Duce, ius habet omnis Communitas condendi leges erga ſuos, vt docet Philoſophus. 6. *Ethic.* & 3. *Polit.* & ex eo D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 50. *art.* 1. *ad* 2. Omnis vero Communitas, aut eſt eccleſiaſtica, aut ciuilis. Quanquam noſtro inſtituto bene ſatisfieret, ſi de ſola poteſtate condendi Eccleſiaſticas leges in præſentia ageremus: maioris tamen doctrinæ gratia, etiam de poteſtate condendi leges ciuiles interrogationes proponam. Vtraque enim Communitas eſt corpus myſticum, & ipſa natura potens eſt ſua membra legibus gubernare.

De Poteſtate condendi leges Eccleſiaſticas. §. 1.

1 *An ſit in Republica Eccleſiaſtica poteſtas condendi leges.*
2 *A quo accepit huiuſmodi poteſtatem.*
3 *Penes quos eſt hæc poteſtas.*
4 *De Capitulo Sede vacante.*
5 *De Collegio Cardinalium.*
6 *De ſuperioribus Religionum.*

1 QVÆSTIO *In primis rogo, eſtne in Republica Eccleſiaſtica poteſtas condendi leges obligantes?* RESP. Negant hæretici, quos referunt D. Anton. *titul.* 11. *cap.* 7. §. 2. Bellarm. *lib.* 4. *de Rom. Pontif. cap.* 15. Vruntur Diuinæ Paginæ teſtimonijs. *Redemit nos à maledicto legis.* ad Galat. 3. Item Legem mandatorum decretis euacuans. *Non ſumus Ancillæ filij, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos donauit.* ad Gal. 4. Veruntamen hæc teſtimonia loquuntur de exemptione à lege Moſaica, à qua Chriſtus Dominus nos exemit. Dico igitur. De fide eſt eſſe in Eccleſia poteſtatem condendi leges Eccleſiaſticas habentes vim coactiuam

uam erga subditos Ecclesiæ. Ita communis sensus Catholicorum.

2 Qvæst. *A quo est hæc potestas condendi leges Ecclesiasticas, hoc est, à quo accepit Ecclesia hanc potestatem condendi leges Ecclesiasticas?* Resp. A Christo Domino. Ita probat Victor. *in relect. de potest. Eccles.* Ratio est, quia hæc potestas deducta est, & deriuata ab Apostolis, sed Apostoli illam acceperunt à Christo Domino, cum Dixit Petro, *Pascue oues meas*, & testatur Paulus. 2. *Corinth.* 10. *Potestatem, quam dedit mihi Dominus*; ergo &cæ. Hoc voluerunt Apostoli significare in primo Consilio Hierosolymitano, cum dixerunt. *Visum est spiritui sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis, quam hæc necessaria.* &cæt. quasi dicerent, per hanc potestatem, quæ nobis per Christum à Spiritu sancto fuit communicata.

3 Qvæst. *Penes quos est huiusmodi potestas?* Resp. Penes summum Pontificem. Penes Ecclesiam in Concilijs congregatam. Penes Concilia Prouincialia cum suo Primate. Penes Concilia diœcesana cum suo Episcopo. Penes communitates minores, vt Capitula Canonicorum, Vniuersitates, Collegia, & similes. De summo Pontifice, & de Concil. generali, legitime auctoritate Apostolica congregato, Habetur *cap. Regula. dist.* 3. Ostendit Bellarm. *lib.* 4. *de Rom. Pont. cap.* 16. Patet ex 15. *Actor.* in primo consilio Hierosolymitano Vbi decretum est de abstinendo à sanguine & immolatis idolorum. Quod decretum neque obligabat ex iure naturæ, vt manifestum est, neque traditum fuerat à Christo Domino, vt constat; neque vim accipiebat à lege Mosaica, quia iam abrogata erat; ergo ab auctoritate Concilij. De Concilijs Prouincialibus, & Diœcesanis probat vsus Ecclesię, ostendit Hostiensis *in sum. tit. de constit. §. quis possit statutum facere.* Innocent. & Compostel. *cap Cum omnes* & *ca. Cum accessissent, eodem titu.* Probatur, 1. Quia Paulus *Acto.* 20. eos dicit à Christo Domino positos ad regendam Ecclesiam Dei. *Quos Spiritus sanctus*, inquit, *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Quem locum de Episcopis interpretatur Concil. Trid. *sess.* 23 *cap.* 4. De minoribus Communitatibus, qualia sunt capitula Canonicorum, Vniuersitates, Collegia, Confraternitaets, & similia, patet ex

cap.

cap. Quæ contra dist. 9. cap. Catholica dist. in. 11. cap. Conquestum de ser ius. Constat *ex L. Per iniquum Cod. de iurisdi. omn. iud.* & *L. omnes populi ff de iust. & iur.* Docet Albericus *tract. de constit. quæ. 3. num. 1.* Quæ statuta obligant solas personas earundem communitatum. Ita Bald. *in Margarita verb. statutum.* Nec huiusmodi leges ad obligandum indigent superioris approbatione, vt ipse idem Bald notat. *Capitulum tamen Canonicorum.*

4 QVÆST. *Quid censes de sede vacante?* RESP Succedit in iurisdictione Episcopali Gloss *cap. Ad abolendā de haretic.* & *cap. Cum olim de maiorit. & obedientia* Verumtamen condere non potest leges, quæ sede iam impleta valeant. Ita colligitur *ex cap 1. ne sede vacante aliquid innouetur eodem titulo.* Seruanda tamen hac in re consuetudo. Visitator tamen à capitulo electus, potest statutum condere duraturum postea, sicuti visitator Episcopi.

5 QVAEST. *Quid arbitraris de Collegio Cardinalium, Apostolica sede vacante?* RESP. Non potest condere leges obligantes orbem, nisi conducat ad electionem Papæ. Ita Panormitan *capit. Cum te, de re iudicat. num* 12. & 13. Barbant. *capi translato. de communitatibus* ex Antonio, & Baldo *in tractatu schismatis ad rubr. 6 si quis aliq. test. prohib.* & ad *L. vbi ff. de tutoribus & curat.* Iacobatius *libr. 7. de Conf. art. 5. num. 19. capit. vbi periculū. §. præterum de elect in 6.* Clem. *ne Romani §, irritum, eodem tit.* Ratio est quia iuxta Doctorum interpretationem, huiusmodi iurisdictio vel nunquam illis à Papa concessa fuit, vel per dissuetudinem abrogata est.

6 QVÆST *Quid censes de superioribus religionum circa huiusmodi potestatem?* RESP. Standum est constitutionibus religionis, & secundum eas approbatas à summo Pontifice stringenda, vel amolienda huiusmodi potestas. Quare si superiores soli, vel etiam ipsum Capitulum vellet condere leges admodum austeriores supra regulam, quam quisque professus est, eæ essent nullæ ex defectu potestatis *cap. Gesta dist 74.* Enim vero huiusmodi leges requirunt consensum singulorum in particulari. Reg. *Quod omnes lib. 6.* Ita Angel. *verb. Religiosus num. 20.* Hostiens. *cap. Relict. quod metus causa.* Sylvest. *Religio. 6 num. 6.* Cum D. Thom.

CAPVT

CAPVT III.

De vi coactiua legum humanarum, quæ ad forum externum.

De consensu subditorum requisito ad legis obligationem. § 1.

1 *An possit legislator subditos inuitos, & repugnantes cogere ad legum obseruantiam.*

1 QVÆST 10. *Potestne legislator subditos inuitos, & repugnantes cogere ad legum obseruationem?* RESP. Potest, *capit. De Liguribus.* 23. *qu.* 5 Ita Turrecremata ad *cap. Ideo d.* 4. *quæst.* 1. *num.* 2. ex Hugone, & Archidiac. Ratio est, quia potestas legis ferendæ esset ridicula, & inutilis, si eius obseruantia ex populi penderet arbitrio. Hanc vim coactiuam appellauit D. Paulus *Rom.* 13. gladium, & parere legibus, vocat parere necessitati, vt *ibidē* aduertit D. Thomas. Hæc dixerim absolute, in particulari tamen. Dico *primo.* Leges Ecclesiasticæ (ad quas condendas datur in Ecclesia iurisdictio à Christo Domino) nullum requirunt populi consensum. Dico *secundo.* Leges ciuiles latæ à Regibus (qui ab ipso populo potestatem acceperunt) etiam non requirunt populi consensum, nisi exorbitent à communi regni vtilitate. Dico *tertio.* Leges ciuiles latæ à Regibus, qui regnant iure belli, obligant absque consensu inuitos, & repugnantes subditos. Ratio est. Quia tales reges à populo non acceperunt potestatem, sed à victoria, qua rebelles sub suam potestatem redegerunt. Dico *quarto.* Leges latæ a maioribus cum consensu viuentis populi, obligant posteros etiam repugnantes, & inuitos. Ita Couar. *ca. Alma mater. 1. p. §. 9. nu* 2. cum communi, Ratio est. Quia vt idem per successionem censetur fluuius, ita & populus quotidie oriens, & occidens. *L. Proponebatur ff. de iudic.*

Contra hanc quartam conclusionem sic aliquis argumentabitur. Posteri non tenentur seruare vota maiorum;

iorum; ergo, nec leges, & ſtatuta? RESP. vota realia maiorum obligare poſteros; vt conſtans eſt Doctorum ſenſus. Nam cum ſuccedant in eorum hæreditates ex quodam quaſi contractu, ad ea obligantur. De perſonalibus ſingulorum, eſt etiam concors opinio, non teneri, niſi ipſorum poſterorum conſenſus accedat. De perſonalibus totius populi videtur Nau. *in ſum. capit. 11. num. 74.* poſteros obligare. Negandam tamen eſſe talem obligationem ex vi voti; & ideo cum re vera detur in poſteris, dico ortam eſſe ex quodam quaſi ſtatuto maiorum, ipſa conſuetudine confirmato. Quod quidem ab ipſo populo abrogari non poteſt, quia tranſijt in conſuetudinem: conſuetudo vero abrogari non poteſt à populo ſine conſenſu ſuperioris, vt infra dicam.

De Promulgatione legum neceſſaria ad earum validitatem. §. 2.

1 *An requiratur promulgatio ad legum validitatem.*
2 *Quomodo valida erit promulgatio legum.*
3 *An neceſſe ſit, vt talis promulgatio fiat in ſingulis vrbibus regni.*

1 QVAESTIO. *Requiriturne promulgatio legum ad earum obligationem?* RESP. Requiritur. Ad ciuiles conſtat *ex Auth. Vt factæ nouæ Conſtitutiones, collat. 9. ibi* Gloſſ. *& Doctores*; & *L. leges ſacratiſſima Cod de legib.* Ad eccleſiaſticas vero ex *capit. 1. De poſtulat. prælat. & ibi Panormitan. cap. in iſtis diſtinct. quarto §. leges.*

2 QVÆST. *Quomodo promulgatio valida erit?* RESP. Quouis ſigno externo fiat expreſſiuo imperij ſuperioris, ſatis eſt ad inducendam huiuſmodi obligationem. Ita Fulg. *L. De quibus. num. 1. ff. de legib* Ioan. And. *ad reg. Nemo poteſt lib. 6.* Felin. & Riffa. *in rubr. de conſtitut.* Selua *de benefic. quæſt. 22. num. 14* & claret *ex cap. 1. de iureiurand. in 6.* & *ex Clemen. Dudum de ſepult. §. Nos etenim cap. Inſtitut. 25. quæſt. 2.* Niſi alicubi conſuetudine approbata introductum ſit, vt non niſi certis ceremonijs promulgatio valida cenſeatur.

3 QVAEST. *Eſtne neceſſarium, vt hæc promulgatio fiat in ſingulis vrbibus?* RESP. Minime, ſed eſt ſatis, quod in curia

curia principis, aut loco celebriori Prouinciæ inculcetur *cap. Depoſtul. Prælat.* traditque Panor. *ad cap. Cognoſcentes de conſtit.* & Bald. *ad Leges ſacrat. Cod. de legib.*

De tempore, quo incipiunt leges obligare, poſtquam promulgatæ ſunt. § 3.

1 *Quando incipiunt leges obligare.*

QVAESTIO. *Quo tempore incipiunt leges promulgatæ obligare?* RESP. Dico *primum.* Si in ijs exprimitur tempus, ex tunc, *capit. Cum ſingula de præb. libr 6.* Gloſſ. *in Clement. 2. de hæret. verb. ex tunc.* Dico *ſecundum.* Leges quas condunt Vniuerſitates, capitula, Epiſcopi, & ſimiles minores magiſtratus, obligant ſtatim poſt ſolemnem promulgationem. Ita Hoſtienſ. *in ſum. titul. de Conſtit. §. quando.* Roteus. *p. 3. de ſynod.* Sylu. *verb. Lex. quæ. 6.* Turrecr. *ad cap. In iſtis. §. leges d. 3.* Nauar. *in ſum capit. 23. numer. 44.* & *conſ. 1. de conſtit. quæſt. 4.* Dico *tertium.* Lex noua continens ius antiquum, ſeu declaratoria tantum iuris antiqui obligat ſtatim poſt promulgationem. Ita Turrecrem. *ſupra.* Ioan. And. Paulus, & Gloſſ. *in proœm. Clement. §. de cætero.* Francus, & Gloſſ. *ſupra data ſexti.* Hoc intelligo, niſi tale ius antiquum per contrariam cõſuetudinem præſcriptum abrogatum eſſet. Vel nouam pœnam adijciat ſupra ius antiquum: in his enim eadem eſſet ratio, ac ſi nouum ius crearetur. Dico *quartum.* Leges ciuiles Principum ſupremorum: cum nouum ius continent, neque tempus obligandi præſcribunt, obligant in quauis prouinciæ parte à duobus menſibus poſt promulgationem, ſic habetur. *Authent.* Vt factæ nouæ conſtit. Ita Doctores communiter, qui leges teſtamentorum ad omnes extendunt Panorm *ad cap. 2. de conſtitu.* Hoſtienſ. Ioann. Andr. & Felynus *ad idem capit.* Bald. *ad L. Leges ſacrat. Codic. de legibus.* Roſell. & alij; *verb Lex.* Standum tamen eſt iuri vniuſcuiuſque Regni. Nam in Luſitania leges promulgatæ in regia Cancellaria, aut domo Supplicationis, valent in Curia poſt octo dies, aliis in locis poſt tres menſes, licet in illis non fiat promulga-

tio. Ita *lib. 1. Ordin. tit. 2. §. 10.* Dico *quintum*. Leges à summo Pontifice latæ, solemniter Romæ promulgatæ, obligant ibidem post duos menses Ita commune interpretamentum Doctorum. Ratio est, quia de hoc nihil decretum in iure canonico: standum est ergo iure ciuili: nam quæ in iure canonico determinata non sunt, determinanda sunt iure ciuili: per *cap. 1. de noui operis nunciat. ca. Si in adiutor. d* 10. notatque Innocent. *ad cap. final. reb Eccles. non alien.* in iure verò ciuili *Authent. Vt fact. noua constit.* obligat post duos menses. Quando verò huiusmodi Pontificiæ leges incipiant obligare in quauis prouincia orbis, lis est magna inter Doctores. Prima opinio requirit promulgationem earum, in vnaquaque prouincia. & ait non nisi post duos menses à promulgatione ibidem obligare. Ita Gloss. Felinus, Decius, & alii *ad capit. 2. de constitu.* Nauar. *in sum capit. 22. numer. 44.* sequuntur Panor. *ad ca. 2.* citatum. Angel. *ver. Lex. num. 15.* Conrad. *2. quæst. 9. art. 4.* Ratio eorum est iam assignata, quia standum est iure cõmuni. Secunda opinio requirit eiusdem promulgationem in prouincijs singulis, ait vero, si tam elapsi sunt duo menses à promulgatione facta Romæ statim obligare à primo die promulgationis in prouincia factæ. Ita Sot. *1. iust. qu. 1. ar. 4.* Med. *2 qu 90 ar. 4.* Pol. latius *in 3. d 37. d 1.* Inter eos tamen adhuc est dissidium. Nam Medina adhuc exigit publicationẽ in quasi diœcesi. Atq; hoc de pœna certum est, nam *cap. Cum infirmitas, de pœn. & remiss.* ita decernitur: & postea decreuit Greg. XIII. Ratio eorum est, quia videtur nimis durũ obligare post duos menses Indos, & alios remotissimarum partium orbis incolas, legibus, quarum notitia ad eos permeare nequiuit. Tertia opinio asserit huiusmodi leges obligare post duos menses à promulgatione, facta Romæ, in toto orbe terrarum. Ita Ioan. And. *super data sexti.* Panormita. *ca. Nouerit de senten. excommun.* Nauar. *tom. 1. cons. cap. qu 4. ibid. qu. 6. §. 3.* Et hic est stylus Curiæ Pontificiæ, secundum quem in ea deciduntur causæ totius orbis per leges Pontificias, postquam Romæ promulgatæ sunt. Casus est expressus, *ca. prim. de postu. prælat.* de quodã Episcopo cauſante ignorantiam legis, contra quam iuit, &c.

Vt

De legibus irritatorijs, reuocatorijs, & priuilegiatiuis, quo ad earum validitatem. §. 4.

1 *An leges irritatoriæ obligent ignorantes.*
2 *De legibus reuocatorijs.*
3 *De legibus priuilegiatiuis.*

1 QVÆSTIO. *Obligantne leges irritatoriæ ignorantes eas, ad validitatem contractus?* RESP. Maxime. Itaque licet quis ignoret matrimonium esse inualidum contractum in secundo gradu consanguinitatis: si contrahit, non facit validum contractum Ita Nauar. *cap.* 23. *num* 44. Palu. *in procem. Clem.* Decius *ca.* 2. *de Consti* Fely, *ibidem* & alij Et ideo omnium resolutio est, legem irritantem statim à publicatione valere, *ca. Dudum. ca. Quoddam. ca Postquam. de præb. in* 6. docetque Panor. *ca. Staphilæus. de grat spectat. forma.* 8. *numer.* 8. Gloss. *cap.* 1. *de conc. præb.* & Franc. *in data sexti.*

2 QVÆST. *Quid censes de reuocatorijs?* RESP. Dico *primum.* Post factam reuocationem priuilegiorum, quicunque certior factus est, non potest illis deinceps vti. Dico *secundum.* Leges reuocatoriæ gratiarum & beneficiorum, quorum consecutio conceditur absque dispendio rei familiaris, statim obligant ignorantes à promulgatione earum. Et ideo etiam in conscientia talis, nec consequitur huiusmodi gratias, nec facit fructus beneficij, si beneficiatus est. Dico *tertium.* Leges reuocatiuæ priuilegiorum, quorum fruitio pertinet ad essentialem animæ salutem, qualis est absolutio à peccatis, non sunt validæ erga ignorantes, cum ignorantia est communis in prouincia, vel saltem in loco, vbi concessa erant priuilegia. Hanc deducunt Auctores ex *L. Barbarius. ff. de offic. prat.* per quam legem valent acta cum communi errore facti, & titulo siue vero, siue præsumpto, & habito vt vero. Quando vero communiter ignoratur, priuilegia esse reuocata, datur communis error facti: ratione vero Bullæ, seu priuilegij, datur titulus præsumptus, tenent igitur, quæ sic fiunt, non solum foro externo, sed etiam in conscientia.

3 QVÆST. *Quid censes de legibus priuilegiatiuis?* RESP. Leges priuilegiatiuæ statim obligant à sua promulgatione. Ita Panorm. *cap. 2. de constit.* Paul. & Gloss. *proœm. Clement. verb. de cætero. ibidem.* Felin. Anchar. *conf.* 319. Rom. *conf.* 330. Gemin. *cap. 2. de concess. præbend. numer.* 4. Franc. *cap. ex parte. 5 de concess præbend. L. Diuæ memor. Cod. de decurio lib.* 10. *ca.* 1. *de concess præb.* Verumtamen aduertendum est, has leges priuilegiatiuas statim obligare, quo ad fauorē, non vero quoad pœnam appositā ijs, qui cōtra tales priuilegiū iuerint. v. g. conditæ sunt leges priuilegiatiuæ in fauorē Ducis Brabantiæ, ne quis venetur intra sum septum sub pœna verberum, quo ad pœnam est lex penalis, & ideo non obligat statim, sed post tempus aliarum legum. Latæ sunt Leges Pontificiæ in fauorem talis Ecclesiæ sub pœna excommunicationis ipso facto: obligat statim, quo ad fauorem, & eo vti potest talis Ecclesia, verum contrafacientes non incurrent excommunicationem, nisi post duos menses à promulgatione earum.

De acceptatione Legum, an requiratur ad earum validitatem. §. 5.

1 *Quid dicendum de acceptatione legum.*
2 *Quæ lex censenda dura, quæ irrationabilis.*

1 QVÆSTIO. *Quid censes de acceptatione legum?* RESP. Dico primum. Non peccant, qui legem duram, & prudenti iudicio irrationabilem non acceptant. Ita Gloss. *cap* 1. *de Treug & Pace,* & Felyn. *ibidem.* Colum. 4. Gemin. *cap. In istis. §. Leges. d.* 4. Cardin. Alex. *ibid.* Zabarel. *in proœm. Cle. §. vniuersit. qu.* 2. Iason. *L. Non nouum. n.* 2. *Cod de iudic.* Nau. *in sum. capit* 33. *nume.* 41. Probatur. *capit. In istis §. leges. dist* 4. vbi leges confirmari dicuntur cum moribus vtentium confirmantur, & ex *L. De quib. ff de legib.* hisce verbis. *Nam cum leges nulla alia causa teneant, quam quod iudicio populi receptæ sunt.* Ratio est, quia multæ leges moribus patriæ non conueniunt.

2 QVÆST. *Quæ lex censenda est dura? quæ prudenti iudicio irrationabilis.* RESP. Si ciuilis est, quæ patriæ moribus contradicit. Si Ecclesiastica, quæ antiquæ, & laudabili con-

bili consuetudini aduersatur. Ita Ancharan. *cons.* 214. Turrecrem. *capit. In istis. §. ideo. dist.* 4. Dico secundum, Quando lex est conueniens, & rationabilis, peccant illam non acceptantes ab initio. Postquam tamen per contrarios actus non recipitur, cessat illius obligatio. Hæc conclusio certa est, & indubitata apud omnes.

CAPVT IV.

De obligatione legum humanarum, quo ad forum internum.

Quantum obliget lex humana actus internos. §. I.

1 *Quid possit lex humana erga internos actus.*

1 QVÆSTIO. *Potestne lex humana quidquam præcipere quo ad actus internos?* RESP. Actus purè interni non non subiacent legi humanæ. Ita omnes ferme Theologi. Durand. *in* 4. *d.* 17. *quæst.* 1. Palud. *quæst.* 7. & *d.* 15. *quæst.* 5 *art.* 2. Gabriel. *quæst.* 1. *dub.* 5. & *lect.* 64. *in canon. lit.* K. Med. *de orat. quæst.* 29. Tabie *excom.* 5. *casu.* 4. *num.* 4. Cast 2. *de iust. hær. pun. cap.* 13. Ierson. Alfab. 12. *lit.* C. & D. Almain. *de potest. Ecclesiast. cap.* 7. D. Ant. 3 *p. tit.* 13. § 4. *cap.* 7. Sylu. *hora canon. quæst* 1. & *excommun.* 7 *quæst.* 2. videturque expressa D. Thom. 1. 2. *quæst.* 904. *art.* 4. his verbis. *In his quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed Deo.* Eam tenuere ex canonistis Nauar. *in sum. cap.* 23. *num.* 38. & *de pœn. disp.* 5. *numer.* 24. Couar. *Reg. peccatum. num* 7. Simanch. *instit. capit.* 24. Couar. Hostiens. *cap. Mulieres.* Adeo denique est communis, vt merito dixerit Nauarrus aliam à pauciſſimis Theologis defendi, & à Iurisperitis sacræ Theologiæ omnino expertibus. Probatur ex *cap. Erubescant. d.* 34 *cap. Consuluisti* 3. *quæst.* 5. *capit. Cogitatio. de pœnit. d.* 1. *cap. Humanæ.* 22. *quæst* 5. *Sicut. de simonia cap. Tua nos. eodem tit.* In quibus dicitur, occulta, & incognita soli Deo esse relinquenda, neque pertinere ad iudicium Ecclesiæ. Ratio est.

Quoniam eiusdem legislatoris est actus iudicandi ill quod prohibet, aut iubet, sed legislator humanus nequ iudicare de actibus mere internis. Ita enim D. Paulus 1 Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quo ad vsque veniat Dominus, qui manifestabit consilia cordium.* Quasi diceret a solum Deum pertinere de arcanis animi iudicare, qu quidem soli Deo patent. 1. *Reg.* 16. ergo non potest ill actus, vel præcipere, vel prohibere. Dico secundum. A ctus interni prout circumstantiæ sunt, & qualitates actu um externorum, possunt ab Ecclesia & præcipi, & prohi beri. Ita Maior. *in* 4. *d* 12 *qu.* 7. §. Contra primam conclu sionem, Adrian. *quæst.* 2. *de confess.* Pygius *de Ecclesiast. Hie rarch.* Rosel. *absolutio* 1, *nu.* 28 *ibid de potest. Papæ qu* 13. Ca ietan. 2 2. *qu.* 11 *art.* 4. *& in sum. tit. hæresis.* Dried. *de liber tate Christiana lib.* 3. & 5. Sot *de iust. lib* 10. *quæ.* 5. *art.* 5. Le desm. 2. 4 *quæ.* 16. *art.* 6 *dub.* 4. D. Anton 3. *p. tit.* 24. *cap.* 4 Nau. *de sim nu.* 20. *&* 21. Probatur ex Clem. 1. *de hæretic* vbi excommunicantur Inquisitores, qui odio, vel amor inquirunt iniuste, aut omittunt inquirere de hæresi su spectos. Et *Clement.* 2. *de statu monachorum.* vbi excom municantur religiosi, qui animo nocendi suis prælatis ad curias Principum sæcularium se conferunt. Ex *capit. De lentes, de celeb. Miss.* vbi præcipitur Ecclesiasticis recitare horarum studiosa, atque deuota per internam mentis attentionem, & animi effectum, vt ait D. Thom. 4. d. 15 *qu.* 4. *art.* 2. *qu.* 4. *ad* 2. & Nauar. *in sum cap* 25. *nu.* 166. Imo idem prohibetur de iure ciuili: nam *L. Is qui cum telo. Cod. ad L. Corneliam de sicarijs* punitur gestatio teli animo occidendi hominem. Ratio est, quoniam actus humani cadunt sub legem humanam, prout boni, vel mali, sunt autem boni, vel mali ab actu interno, ergo prout sic cadunt sub legem humanam.

De obligatione legum humanarum in conscientia quoad culpam. §. 2.

1 *An leges Ecclesiasticæ obligent in conscientia.*
2 *An leges ciuiles obligent in conscientia.*
3 *An præceptum parentum obliget in conscientia filios.*

4 *An præcepta viri obligent in conscientia vxorem.*
5 *Quid dicendum de præceptis dominorum erga mancipia.*
6 *An leges humanæ obligent cum probabili vitæ periculo.*

1 QVÆSTIO. *Suppono, vt Catholicam veritatem, dari in Ecclesia legitimam potestatem condendi leges, vt claret ex Concil. Constant. sessione 8. & 15. damnando Ioannem VVicleph, & Ioannem Hus. Item ex Bulla Leonis II. damnando Lutherum, quæ videri licet apud Pygium libr. 5. Eccles. Hierarch Clitou. lib. 1. Ante Lutheri Rosensem ad art. 27. Lutheri, & Bellarm. libr 4. de Roman. Pontifice. Suppono item, vt catholicam veritatem dari in Republica ciuili eandem potestatem ex iure ipso naturali. Quæro igitur vtrum leges Ecclesiasticæ obligent in conscientia?* RESP. Leges Ecclesiasticæ, etiam latæ de ijs, ad quæ ex iure diuino non tenemur, obligant in conscientia. Hæc est catholica veritas. Probatur ex *capit* 15. *Actor.* vbi Apostoli præceperunt Christianis per verba obligantia in conscientia, quædam ad quæ ex diuino iure minime tenebantur. Ita enim decreuerunt: *Visum est Spiritui Sancto, & Nobis, nihil vltra vobis imponere oneris, nisi hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis.* Hæ & aliæ Apostolorum, leges appellantur *eodem capit.* Præcepta Apostolorum *capi. vero, Ibid.* nuncupantur dogmata. Diuus vero Chrysosto. *homil.* 33. *in acta Apostolorum* vocat imperia. Quod verò obligauerint in conscientia, constat ex eo, quod dicantur necessaria: nimirum ad salutem animæ. Quod vero abstinere ab immolatis esset ex solo iure positiuo, docet Diu. Chrysostomus *homilia* 23. *in Acta.* Modo vero per dissuetudinem talis lex abrogata est, vt notauit Vict. *in relect. de temperantia, num.* . Quæ de re latè Baron. *tom.* 1. *Annalium, circa annum Domini,* 51. & ostendunt Med. *tract. de ieiunio. ca. De eius instit.* Ledesm. 2. 4. *quæ.* 17. *art* 5. Maior. *in* 4. *d.* 15. *qu.* 4. Probatur itē ab experimento, & cōfesso apud oēs. Enimvero lex de ieiunio quadragesimali, est mere Ecclesiastica, vt cōstat: ex iure. n. diuino nō tenemur ieiunare quadraginta dies, vt probāt aucto-

res proximè citati. Item lex de non laborando diebus dominicis, vt docet D. Thom. 2.2. *quæsti.* 122. *art.* 4. *ad* 2. Cou. *lib.* 4. *resolut. cap.* 19. *num.* 6. Nau. *cap.* 13. *num* 1. & tamen huiusmodi leges obligant in conscientia. Nam culpam frangentis ieiunium adeo olim detestabatur Ecclesia, vt eam grauissimis pœnis affecerit, quoniam *can. Apostolorum* frangens clericus deponebatur, frangens laicus excommunicabatur, sicuti decretum est per Concil. Grangrense *cap.* 29. In Concil. vero Tolet priuabatur communione in Paschate. Præterea non est communis diuinum ius clericos addiscere medicinam : & tamen excommunicantur clerici, qui vltra duos mẽses in schola medicinæ operam dederint, aut ciuili iuri. *capit. super specula ne clerici, vel monachi,* & *Clementin. Ne in agro statu monach. § quia vero.* Item non est contra ius ciuile num arma intra monasterij claustra habere sine licentia Abbatis : & tamen excommunicantur monachi ea habentes Clem. *Ne Clerici, vel Monachi.* Tam grauis vero pœna non imponitur, nisi ex culpa contra legem. Quæ vero huiusmodi culpa sit mortalis, constat ex grauitate pœnæ, quæ vt iusta sit, debet æquiparari culpæ.

2 QVÆST. *Quæro vlterius, obligentne leges ciuiles in conscientia?* RESP. Obligant. Et oppositum asserere hæresi proximum est, aut saltem temerarium. Constat ex Paulo, Roman. 13. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi damnationem acquirunt.* Colligitur vero ex sequentibus verbis loqui Apostolum de animæ damnatione, ait enim: *Ideo necessitati subditi estote, non tantum propter iram, sed propter conscientiam,* hoc est, non solum propter præsentem vltionem, sed propter futuram in iudicio diuino, accusante conscientia, vt ibidem interpretatur Ambrosius. Longiores probationes, & attestationes legere est apud Sot. 1. *iust. quæst.* 6. *art.* 4. Castro. 5. *de leg. pœn. capit.* 4. Couar. *regul. peccatum.* 2. *pa.* §. *num.* 3. Alciatum *cap. Cum contingat. de iureiur.*

3 QVÆST. *Quid censes de præceptis patrum erga filios?* RESP. Obligant in conscientia, etiam ad mortale. Colligitur ex *capit. Si dominus.* 11. *quæst.* 3. sed de hoc quamquam iam respondi *ad* 4. *præceptum,* volo refricare memoriam & iterum quid in hac materia occurrit, propalare. Pri-

bar-

batur igitur efficacius hæc veritas ex *capit. 23. Deuteron.* vbi decernebatur pœna mortis filio contumaci : pœna autem mortis in lege veteri non nisi pro culpa mortali imponebatur, vt tradit Vict. *de potest Eccles.* Hæc vero contumacia, vt sit mortalis, debet esse erga præceptum rei grauis. Grauis vero res esset, si pater præciperet filio, vt caueret à noxijs sodalium familiaritatibus. Aut si præciperet filiæ, ne è fenestra prospiceret libidinose prætereuntes ad stuprum, vel clandestinum matrimonium. Aut si itidem præciperet, vt illum potius, quam hũc coniugem accipiat, quia id interest ad status, & dignitatis decentiam. Ita Nauar. *ca. 14. num. 12.* & Medin. *de Instr. conf. cap. 14. §. 14.*

4 QVAEST. *Quid censes de præceptis viri, erga vxorem?* RESP. Tenentur vxores præceptis coniugum suorum sub culpa lethali, aut veniali, iuxta grauitatem, leuitatemve materiæ præceptæ obedire in conscientia. claret ex D. Paulo. *Ephes. 5.* & *Coloss. 3. Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino.* Grauis vero res esset, si ex iusta causa maritus præciperet, ne domo exeat. Ita Sot. *1. iust quæst. 6. art. 4 ad 2.* Nauar. *in sum cap. 14. num. 20.* Medin. *de Instru. confess cap 16 §. 13.* & alij plures.

5 QVÆST. *Quid opinaris de præceptis dominorum ergà mancipia?* RESP. Mancipia, si seruitus iusta sit, obedire tenentur in conscientia in ijs, ad quæ se extendit potestas dominorum, si præcepta licita sint, & honesta. Claret ex D. Paulo *Ephes 6.* & *Coloss. 3.* & *ex 1. canonica* Diu. Petri, & *ex cap. 1. de coniug. seru.* Non se vero extendit potestas dominorum quo ad matrimonium mancipiorum. Et ideo dominus impediens, aut efficaciter præcipiens seruo ne contrahat, peccat mortaliter, vt docet Nauar. *cap 14. num. 21. §. 4.* Scot. *in 4. d. 36. quæst. vnica.* Richard. *ibidem. art. 4 quæst. 1.* & alij, quos Deo auxiliante referam in *materia de Matrimonio.*

6 QVÆST. *Obligatne lex humana ad sui obseruationem cum probabili mortis periculo?* RESP. Dico *primum*, Interueniente fidei, aut Christianæ religionis iniuria per contemptum legis aut virtutis, quælibet lex, etiam leuissima, obligat cum mortis periculo. Ita Maior. *in 4. d. 18. quæ. 4.* Sot. *d. 22 quæst. 1. art. 4.* & *de iust. lib. 1. quæst. 6. art. 4.* Ledesm. 2.

desm. 2. 4 *qu.* 25. *art* 3. Couar. *ca. Alma mater.* 1. *p.* §. 3. *num.* 9. & Doctores communiter. Ratio est. Quia interueniente hoc contemptu, & iniuria, nequaquam potest actus cohonestari. Dico *secundum.* Interueniente scandalo potius mortem oppetere tenemur, quam transgredi leuissimam mortem. Probatur *ex* 2, *Mach.* 6. vbi Eleazarus mortem potius elegit, quam simularet comedisse carnes, lege prohibitas, ne adolescentes scãdalizarentur. Dico *tertiũ*, Sublato contemptu, & scandalo, nulla lex humana regulariter obligat cum mortis periculo, nisi in rebus maximi momenti. Ita Medin. 1. *qu.* 90. *art.* 4. Syl. *verb. metus. qu* 7. Angel. *in morali. cap.* 6. Felynus *cap.* 1. *nu.* 48. Nauar. *in sum. ca.* 15. *num.* 48. & omnes Auctores primæ propositionis. Probatur in primis ex declaratione Ecclesiæ Nam *caput. Consilium, de obseru. ieiunij.* dicitur, propter periculũ mortis, & ægritudinis posse solui ieiunium. Deinde ratione. Lex diuina positiua non obligat cum tali periculo. Nam Dauid propter necessitatem comedit panes propositionis, quod non licebat, nisi sacerdotibus, nec peccauit, vt constat ex approbatione Christi Domini, *Matth.* 20. qui eo facto excusauit Discipulos euellẽtes sabbatho spicas, & probat D. Thom. 3 *p. qu* 40 *art.* 4. *ad* 3. Imo neque ipsa lex naturalis: illa enim iubet debitum reddere coniugi petenti, & tamen excusatur à redditione coniux, ob periculum probabile mortis, aut grauis ægritudinis, vt docet D. Tho, *in* 4. *dist.* 32. *qua. vnica art.* 1. Ioan. Med. *Cod. de resti. quæstion.* 1. Caiet *in sum. verb. Matrimonium.* de quare longior in propria materia redibit sermo; ergo nec obligabit lex positiua humana. Dixi (regulariter) quia Rex potest sub mortali obligare subditos, vt eant ad bellum iustum cum periculo mortis. Et Episcopus præcipere potest sacerdoti, vt tempore pestis adsit ægrotantibus ad subueniendum ægrotis, & periclitantibus in vita spirituali. Ita constanter Doctores contra Almainum *tract.* 1. *& 5. prop.* 4. *suar. moralium.* asserentem per metum cadentem in constantem virum excusari homines in ijs, quæ sunt mala, quia humana lege prohibita. Verumtamen quamuis à communi Doctorum, nunquam recedendum sentiam absque euidenti ratione, facile soluuntur superiores rationes, quia in priori casu, quiuis singularis tenetur

subire

subire periculum mortis pro bono communis pacis. In secundo vero, quinis tenetur subire damnum vitæ temporalis pro bono proximi spirituali in illa extrema necessitate, & ideo dici potest obligare ad id ex ipso iure naturali. Potest vero Rex, & Episcopus cogere quemuis ad implendum id, ad quod tenetur iure naturali.

De obligatione humanarum legum pœnalium in conscientia quo ad culpam. §. 3.

1 *Quot modis fiat lex pœnalis.*
2 *Quantum obligat in conscientia lex pœnalis.*
3 *Quæ sit lex præsumptiua.*
4 *Quantum obligant leges præsumptiuæ.*

1 QVAESTIO. *De obligatione legum pœnalium, quo ad culpam in conscientia te interrogaturus, prius quæro, quot modis fiant leges pœnales?* RESP. Duobus. Aut enim lex est purè pœnalis, hoc est decernens pœnam tali, vel tali delinquenti in lege diuina, vel naturali. Qualis fuit in lege veteri circa filios in parentes maledicos. *Leuit.* 20. *Qui maledixerit patri, aut matri, morte morjatur.* Aut est mixta, nimirum illa, quæ aliquem actum præcipit, & transgressori pœnam apponit, actum inquam, ex eo malum, quia ab humana lege prohibitum.

2 QVAEST. *Quantum obligat in conscientia lex pœnalis?* RESP. Vtraque hæc pure, siue mixte pœnalis obligat in conscientia pro ratione materiæ paruæ, aut magnæ. Ita D. Tho. 2. 2. *qu.* 108. *art.* 4. *ad* 2. Sot. 1. *iust. qu.* 6. *ar.* 5. Ioan. Medin. *de rebus restit.* Syl. *Inobedientia* §. *finali.* Angel. *ibid.* Medina. 1. 2. *quæstio.* 90. *artic.* 4. Couarru. *regul. pecc.* 2. *p.* §. 5. *numer.* 2. Ratio est. Quia lex mixte pœnalis præter pœnã appositam habet rationem præcepti, ergo in ea datur obligatio præcepti. Imo roboratur tale præceptum per pœnã, sed obligatio præcepti, obligat in conscientia: ergo &cæt. Lex vero pure pœnalis apponit iustam pœnam: pœna vero iusta non debetur, nisi culpæ, vt aduertit D. Augustin. 1. *retract. cap.* 9. & D. Thom. 1. 2. *quæst.* 87. *artic.* 7.

Castro,

Castro. 1, *de leg. pœn. cap.* 3. vbi laudat dictum Gersonis *lect.* 1. *de iust. spirit.* asserentis culpam, & pœnam dici correlatiue. Atque ex diuersitate culpæ, orta est diuersa appositio pœnæ maioris vel minoris. Confirmatur à similitudine, & paritate rationis, præceptum diuinum positiuũ, quo Deus prohibuit primis parentibus eium pomi, habuit appositam pœnam, & tamen obligauit eos in conscientia; ergo sic obligabit lex positiua pœnalis purè humana.

3 QVÆST. *Rogaturus de legibus præsumptiuis quantum obligent ad culpam, rogo prius, quæ est lex præsumptiua?* RESP. Illa, quæ procedit ex præsumptione veri, siue à parte rei sit verum, siue falsum.

4 QVÆST. *Quantum obligant huiusmodi leges præsumptiuæ?* RESP. Si res ita se habet, vt lex præsumit, certum est obligare in conscientia. Dico *secundum.* Actus vel contractus in rei veritate factus non seruato ordine legis præsumptiuæ illum actum annullantis, tenet in conscientia. Ita Innocent. *cap. Quapropter, de elect. cap. Si celebrat. de cleric. excommun.* Panorm. *cap.* 1. *de restit. in integ.* Dominic. *cap.* 1. *de sponsalib. in* 6. Iason. *L. si post diuis. Digest. de iur. & fact. ignor.* Abb. *cap. relatum de testibus.* Glos. *L. Cum illi. §. ea Digest. de transact.* fauetque lex *ibidem*, cum dicit valere transactiones absque solemnitate, quando continent vtilitates eius in cuius fauorem solemnitas requirebatur. Imola. *L. Cum lex. Digest. de fide iussor.* cum cum Tiraquell. & alijs, quos citat Pinel. 3. *p.* Nauarrus *cap.* 25 *numer.* 2. Angelus *Lex.* §. 4. Sylueit *ibidem.* §. 9. *casu* 3. Adrianus *quodlibet* 6. Couarruuias *cap.* 1. *numer.* 6. *de testam.* Felynus ad *cap. Canon.* stat. 39. eamque appellat communem Theologorum sententiam. Barthol. *Leg.* 1. *numer.* 45. *Cod de sacrosanct. Eccles.* Ideo validi sunt in conscientia contractus facti à minore, vel muliere sine fraude contra formam legis, vt notat Iason citatus. Valida item electio in conscientia facta cum vero consensu, non tamen seruata forma canonum in eligendo, vt notant Panorm. & Dominicus citati. Idem dicendum de testamento, vero animo, sine vi, & fraude facto, quamuis desint solemnitates ciuiles, vt notat Anchar. & Nau. *supra.* Hinc dico *tertium.* Non peccat, qui vtitur actu, siue

siue contractu valido naturaliter, quamuis factus sit contra legem positiuam illum irritantem. E contra vero peccat, qui contra obligationem naturalem se tuetur exceptione legis præsumptiuæ. Exemplum primæ partis est: si hæres factus pet minus solemne testamentum bona defuncti retineat. Vel electus, non seruata iuris solemnitate, habeat beneficium. Si enim nec fraus, nec vis intercessit, tuti sunt in conscientia. Exemplum secundæ partis est. Si filiusfamilias reddere nolit accommodatas pecunias, seque tueatur exceptione Senatusconsulti Macedoniani prohibentis creditoribus tale mutuum, & eos damnantis iacturæ mutuatæ pecuniæ, non est tutus in conscientia, vt notat Adrianus *supra*. Item quamuis lege ciuili non detur actio contra vendentem, vel ementem iniuste, nisi deceptio excedat medietatem prerij iusti, tamen qui decepit, restituere tenetur in conscientia. Idemque dicendum de eo, qui se tuetur exceptione rei iudicatæ, vt habetur *ff. 44. titul. 2.* nam si cognoscat sententiam fuisse iniustam, restituere tenetur quidquid ex vi illius iniuste possidet. Dico *quartum*. Non peccat, qui transgreditur legem in falsa præsumptione fundatam. Aut non seruat iudicis sententiam pro falsis probationibus latam Ita *cap 1. de sentent. & re iudic. in 6.* Est casus expressus *cap. Trans. de restit. spoliator.* & *cap Inquisit. de sent. excomm* circa eum, quem Ecclesia excommunicat, ad cohabitandum cum reuera non sua, probata tamen externe sua. Exemplum etiam est, hæres qui bona fide non fecit inuentarium, iste ex præsumptione obligatur ad soluenda debita. § *sanximus. Authent. de hæred.* In conscientia tamen non tenetur vltra vires hæreditatis. Ita Barthol. *in repetit. lib. 1. Cod. de sacros Eccles.* cum Bald. & Andr. quos citat, & sequitur Iason, *in rubr. ff de acquirend. hæredit.* Exemplum etiam est ille, qui de iuris spe recipiendæ pecuniæ, confessus est se illam recepisse, postea ex confesso damnatur ad soluendum: iste non tenetur in conscientia stare tali sententiæ, vt manifestum est.

(.·.)

Quæ

Quæ intentio Legislatoris obliget ad culpam grauem, & leuem. §. 4.

1 QVAESTIO. *Quomodo internosci poterit, quæ lex obliget ad mortale, quæ ad veniale peccatum, ex intentione Legislatoris?* RESP. Dico *primum*. Obligatio ad culpam pendet ex intentione Legislatoris. Ita D. Thom. *in 4. d. 15. quæst. 3. art. 3. & 4.* Gabr. *in 4. d. 16. quæst. 4. art. 3.* Caiet. *præceptum §. intentio.* Ratio est. Quia actus agentium non operantur vltra eorum intentionem. Dico *secundum*. Intentio Legislatoris non potest obligare ad quantumcumq; velit. Ratio est. Quia irrationabile esset pro re leuissima obligare ad mortalem culpam. Ita Driedo *num. 2. de libert. Christian. ca. 1.* & Castro. 1 *lib de leg pœn. ca.* 5. Nam neque ipsa lex diuina obligat semper ad mortalem culpam ex suo genere, vt lex de non mentiendo, &c. & aliæ. Dico *Tertium*. Intentio Legislatoris, volentis obligare quantum potest per legem præceptiuam in materia graui, nimis ponderosa & magni momenti ad bonum commune, seu Ecclesiasticus sit, seu seculàtis legislator, obligat ad mortale. Ita Victor. *de potest ciuil. num. 29.* Soto 1. *iust. quæst. 6. art* 4. Angel. *lex.* Sylu *ibidem.* Panormit. & Felin. *ad cap. Concupis. de constit.* Talis intentio cerneretur in præcepto, quo tempore famis, vel belli Rex imperaret, ne frumentum, armave exportentur è Regno. Id enim vergeret in magnum detrimentum regni.

Quæ verba legis inducunt culpam grauem, quæ leuem. §. 5.

1 QVAESTIO. *Quæ verba legis ostendant obligationem ad grauem, aut leuem culpam?* RESP. Dico *primum*. Nullum est verbum, secundum se sumptum, ex cuius præcisa significatione colligatur legis obligatio grauis. Ita Nauar. *ca. 23. nu. 5* Caiet. 2. 2. *qu. 186.* Castro. *de leg. pœn. ca. 1.* Dico *secundum*. In iure canonico, quando lex circa rem grauem proponitur per verbum præcepti, aut æquipollens, obligat ad mortale. Ita docent Angel. *lex verb.* Syl. *verb. præceptum.* Gabr. Caieta. Castro. Nauar. citati *supra* Canonist. *ca. concupis. de constit.* Ita manifeste decernitur. Clem *de verb. sig.* circa regulam D. Francisci; secun-

secundum ius commune. Dico *tertium*. Hęc verba æquipollentia præceptiuis: Tenentur necessario. Non licet omnino. Necesse est, & similia. In virtute obedientiæ. Sub interminatione diuini iudicij. Auctoritate Apostolica. Districte, & similia verba indicant obligationem grauem. Ita Med. *qu. de necessitate ieiunij*. Dico *quartum*: Hæc verba, Debet, Non oportet, & similia, consideranda sunt ex materia circa quam traduntur, & iuxta grauitatem, aut leuitatem materiæ de ijs iudicandum est. Ita Vocabularium vtriusque iuris *in verb. Debet*. Panorm. *ca. Intellexi. de iudic*. Felyn. *cap. Nam concupis*. Gab. *in* 4. *d.* 16. *qu.* 3. *art.* 1. Sylu. *verb. præceptum. qu.* 2. colligitur ex *cap.* 1. *de despons. impub.* & ex Concil. Trid. *sess.* 2. Dico *quintum*. Hæc verba Decernimus. Statuimus. Ordinamus. ex vsu non habent in iure canonico vim obligandi ad mortale. Ita D. Tho. 2. 2. *qu.* 186. *art.* 9. *ad* 2. Dico *sextum* In iure ciuili non est iudicanda culpa secundum intentionem Legislatoris ex verbis, quibus legem decreuit, sed ex materia, & circumstantijs eius. Ita Nauarr. *supra num.* 52.

Quæ pœna apposita legum transgressoribus, indicat culpam grauem, quæ leuem. §. 6.

1 QVAESTIO. *Quæ pœna apposita legum transgressoribus grauem, aut leuem culpam indicabit?* RESP. Dico primum. In iure ciuili pœna capitis, carceris, exilij perpetui, proscriptionis omnium bonorum, & similes arguunt culpam mortalem. Leuiores vero pœnæ, vt carceris, aut exilij ad breue tempus, pecuniæ mulcta, & similes leuiores, arguunt culpam venialem. Ita Castro *de leg. pœn. cap.* . Sylu. *verb. præceptum*, & Armil *ibidem numer.* 8. Sot. 1. *iust. qu. st.* 6. *art* 4. Caietan. *verb transgressio præcepti*. Ratio est. Quia pœna, iuxta regulam rationis adæquanda est culpæ, alioqui iniuste fuit apposita pœna grauis, pro culpa leui, & è contra. Dico *secundum*. In iure canonico pœnam excommunicationis, seu latæ, seu ferendæ sententiæ, obligat ad mortale. Ita colligitur ex *cap. Episcop.* & *cap. Nullus.* 11. *qu. st.* 3. Nisi ante iudicis sententiam concedatur ab ipsa lege admonitio, nimirum: nisi admonitus

nitus resipiscat, excommunicetur: hæc enim verba indicant leuem culpam. Sic adnotarunt Caietan *verb. præceptum §. pœn.* Nauar, *sup. numer. 52.* Henriq. *de synod. numer. 262.* Pœna tamen suspensionis non arguit obligationem ad mortale. Ita Caiet. *verb. suspensio.* Nauarr. *cap. 27. num. 151.* Neque item pœna irregularitatis. Ita Castr. *citato loco* & Nau. *num. 220.* Couar. *relect. de homicid. p. 2. §. 4. numer. 9.* claret *ex capit. Tuanos. cap. Ad audien. primo de homic. voluntar.* Turrecr. *ad capitu. quauis. de consecr. dist. 4.* Ratio est. Quia huiusmodi pœnæ incurri possunt ob solam culpam venialem. Verumtamen pœna interdicti obligat ad mortale. Ita Sylu. *interdicti. 3. quæst. 1.* Sot. *in 4. d. 22. qu. 3. art. 1. conclus. 3.* Couarru. *capi. Alma mater. 2. p. §. 1. num. 5.* Ratio est deducta ex his Doctoribus, quoniam huiusmodi pœna non incurritur, nisi propter grauem culpam.

CAPVT V.

De obligatione legum humanarum, quo ad culpam.

De obligatione subeundæ pœnæ impositæ, per iudicis datam sententiam. §. 1.

1 *An reus teneatur subire pœnam à iudice iudicatam.*
2 *An mortuus possit damnari pro crimine commisso dum viueret.*

1 QVAESTIO. *Post iustam sententiam iudicis latam, ut eneturne legis transgressor ad pœnam impositam?* RESP. Tenetur ad eam patiendam. Ita D. Thom. *2. 2. qu. 62. art. 3.* Caietan *ibidem.* Sylu. *verb. ex §. 9.* Ang. *ibidem §. 4.* Gab. *in 4. d. 15. quæst. 4. art. 2. concl. 2.* Maior. *ibid. quæst. 2.* Sot. *1. 1. iust. quæst. 6. art. 6. conclu. 5.* Bald. *in L. Id quod pauperibus. quæst. 9. Cod. de Episcop. & cleric.* Felyn. *capit. 1. de const. in 4.* Nauarr. *cap. 23. numer. 66.* Dico *secundo.* Quando pœna est atrox, vt mortis, aut alterius grauis damni corporalis, non potest quis cogi ad eam exequendam. Ita Simanch.

Simanch. *in institutionibus. titul. 4. numer.* 201. Nauarrus *comm. 4 de regul. num.* 63. Compelli tamen potest circa media remote ad id ordinata, vt est procedere ad locum supplicij, ascendere scalam, &c. Ita cum citatis Doctoribus, Angel. *verb. Pœnitentia* §. 3. Couarru. *2. p epit. cap. 6. §. 8. numer.* 10. *illat. secundo de pœnitent. confiscat.* vbi asserit non teneri reum bona sua offerre fisco, sed obedire iudici exequenti, & non resistere ministris, nec aliquid ex bonis subtrahere. Idem dicendum est de verberatione infami, de mutilatione membrorum, & alijs atrocibus supplicijs. Ratio est. Quoniam abhorret à natura, vt idem in se atrocem pœnam exequatur. Dico tertio. Pœnas leuiores tenetur reus in seipsum exequi. Ita omnes citati Doctores. Primæ vero leuiores censentur exilium vsq; ad tempus per sententiam latam impositum. Incarceratio item posita per sententiam in criminis pœnam, verberatio inter religiosos ad paternam correctionem, vt notat Castro. *2. de leg. pœn cap.* 3. Nunquam tamen pecuniæ solutio imposita per sententiam, in criminis pœnã, vt satisfiat soli iustitiæ, non parti, censetur pœna leuis, iuxta Sot. & praxim, & ideo non debetur antequam exigatur.

2 QVÆST. *Poterunne leges damnare mortuum in pœna bonorum, & pecuniarum, pro crimine, quod dum viueret, commisit?* RESP. Si pœnæ ipso facto, & iure post commissum crimen debeantur, potest post mortem sceleratj, ferri sententia declaratoria earum, & ad illas soluendas tenentur hæredes, fisco, vel alij operi pio applicandas. Si exercetur in hæreticis, vt notat Castro. *lib. 2. de iust. hæret. pun. cap.* 19. & Sylu. *verb. hæres.* ex Panormitano communiter recepto. Et patet ex *cap. Accusatus. de hær. in 6. §. in eo.* Idem dicendum est, de Apostatis: de crimine læsæ maiestatis, & alijs, vt notat Gloss. *lib. 1. Cod. Si reus accusatur.* Et constat ex *L. Eo missa. ff. de publican.*

De obligatione subeundæ pœnæ impositæ ab ipso iure. §. 2.

1 *An debeantur pœnæ à die commissi criminis.*

2 *De verbis quibus significatur in iure, incurri pœnam*

appositam à momento commissi criminis.

1 QVAESTIO. *Debenturne pœnæ, ipso iure impositæ in conscientia à die commissi criminis, ante sententiam iudicis declaratoriam?* RESP. Dico primum. Quando in lege apponitur pœna, dicendo solum, Ipso iure, vel ipso facto, nec alia adhibentur verba, non tenetur reus, ante iudicis sententiam pœnam exequi. Ita Calderin. *tractat. de hæretic. capit.* 25. Francus *in 6. de homicid.* Nauar. *cap.* 25. *num.* 118. Sylu. *verb. emphyteus.* Imol. *ad L. Manichæos Cod. de hæret.* illis verbis (*Qui manichæus fuisse conuincitur*) oportet igitur, vt conuincatur. Ratio est, Quia nemo tenetur suum crimen manifestare non rogatus iuridice *cap. Quos aliquando de pœnitentijs. d.* 1. Id autem necessario sequeretur, si reus teneatur in conscientia ante sententiam bona sua fisco offerre, officium aut beneficium relinquere. Est denique pro hac sententia ipsa consuetudo, optima legum interpres, vt adnotauit Nau. *sup.* Dico *secundum.* Huiusmodi rei non ipso iure amittunt dominium, & possessionē bonorum aut beneficiorum. Ita Couar. 2. *p. epit. cap.* 6. §. 8. Sot. 1. *iust. quæst.* 6. *art.* 6. Nauar. *com. de datis, & promissis, notabili* 31. *num.* 41. quānis *in sum. cap.* 23. *num.* 67. oppositum tenuerit Syl. *confess.* 1. *qu.* 19. *casu.* 3. Probatur conclusio quo ad dominium bonorum ex *L. Qui & à quibus*, vbi Paul. Iurisconsultus supponit reum læsæ maiestatis retinere dominium suarum rerum, & ex *L. Maiestatis rei. Cod. ad legem Iuliam*, illis verbis (*Ab eo die dignus est pœna*) expectanda nimirum per iudicis sententiam. Accedit *L. post contractum. ff. de donat.* vbi habetur valere donationes factas à reo post contractum crimen, cui est annexa pœna amissionis bonorum ante sententiam iudicis reuocante in ipsas donationes.

Probatur deinde conclusio, quo ad beneficia Ecclesiastica ex *cap. Vt commissi proban. de hær. in 6.* illis verbis. *Priuandi, vel priuandos esse denunciandi*, nam illa particula, *vel*, non sumitur disiunctè, sed expositiue, vt notat *ibidem* Geminianus, Ioannes Andr. & alij. Eandem conclusionem circa officia ciuilia probat Molin. *tom.* 1. *iust. tractat.* 2. *disputat.* 87. Ratio totius conclusionis sumitur ex intentione legislatoris nolentis iuxta Doctorum interpretamen-

pretamentum obligare reum ad tantam acerbitatem exequendam per se ipsum circa impositas pœnas. Hinc infero primum, huiusmodi reos posse viuere ex rebus suis, alere familiam, alienare bona titulo gratioso, donando, mutuando, dando: dummodo non fiat in fraudem fisci, qui post sententiam ignorare potest, apud quem sint ea bona sic alienata. Alienare quoque potest titulo lucratorio. Non tamen titulo oneroso, nec vnde resultet præiudicium tertio. Ratio est. Quoniam fiscus potest omnia hæretici bona à die commissi criminis occupare, vbicunque fuerint reperta, etiam non soluto precio, vt notat Angel. *verb. pœna* §. 1. Nisi contrahens cum tali criminoso, sciat periculum, & velit sic periculose contrahere, vt notat Molin. *supra citatus*. Hæc illatio est Bart. *l. Post decretum*. Sot. Syl. Vict. & Molin. *locis allegatis*. Infero secundo: huiusmodi reos posse vti officio, & beneficio, quo ante commissum crimen vtebantur. Ideo gesta per eos valent. Ac proinde si fuerit parochus, aut Prælatus, exercere poterunt suum munus, nimirum conferre ordines, vel audire confessiones, vt asserit Richard. *in 4. dist. 28. qu. 1. art. 7*. Sylu. *confess. 1. quæst. 19*. si fuerit tabellio, poterit conficere publica instrumenta, valida, & firma, Adnotauit Gloss. *in Auth. de tabellionibus* §. *penult.* Quod similiter dicendum est, de alijs officijs.

2 QVAEST. *Præter illa verba (ipso facto, vel ipso iure) solent addi alia verba, nimirum (Non expectata alia declaratione) sic habetur in Concil. Lateran. teste* Nau. *cap. 27. num. 10. & in decret Pij II. Extrauag. Ambitiose de rebus Ecclesiæ non aliena?* RESP. Hæc simpliciter verba non obligant in conscientia statim a die commissi criminis. Ita Simanch. *tit. cita nu. 44*. Cou. 2. *p. de sponsal ca. 6. num 10*. Imo nec si dicatur, (Nulla alia sententia expectata) Hæc enim verba non excludunt sententiam declaratoriam criminis, sed solum condemnatoriam. Si tamen addatur (Nulla alia expectata sententia declaratoria) vel (ipso facto) (Non erit tuta conscientia) vel quid simile, explicans mentem legislatoris, volentis obligare statim, secundum eadem verba iudicandum est. Ita intelligitur ab omnibus Concil. Trident. *sess. 25 cap 1. de reform.* Priuans fructibus non residentes vltra tres menses, qui ex tunc

tuto in conscientia eos percipere nequeunt, propter verba ipsius textus.

De obligatione subeundæ pœnæ mere priuatiuæ, à iure ipso impositæ. §. 3.

1 QVÆSTIO. *Quid censes de pœnis mere priuatiuis?*
RESP. Dico primum. Excommunicatio, irregularitas, suspensio, & similes pœnæ, quæ priuant solis bonis spiritualibus, statim obligant in conscientia, si ipso iure apponantur. Ita communiter Doctores, & obtinet praxis, quantumuis occultum sit crimen, vt constat ex Concil. Trident. *cap. 6. de refor.* vbi decernitur, posse Episcopum dispensare in irregularitate orta ex crimine occulto, præterquam in ea, quæ oritur ex homicidio voluntario.

Dico secundo. Qui propter crimen priuatur beneficijs, aut officijs, seu secularibus seu Ecclesiasticis habitis, non ideo priuatur habendis. Ita constat ex Clem. 1. §. *ipsius de pœn. & ibi Gloss. verb. abstinent.* Neque item vice versa, quoties priuatur habitis, inhabilitatur ad habenda. Ita Cou. 2. *resolut. cap. 8. num. 4.* Ratio est. Quia priuatio non est imponenda, nisi in casibus à iure expressis, vt notant Panormitan. *cap. vltim. de iur. patron. cum Gloss. ibid.* & quo ad hoc similis est irregularitati, quæ non oritur ex vllo crimine, nisi sit in iure expressum. *capit. Is qui de sent. excommun. in 6.* Cum ergo in iure solum exprimitur, vt reus priuetur habitis, non debet fieri extensio ad habenda, nec vice versa. Et ideo, qui duo obtinet beneficia in eadem Ecclesia, si priuetur vno, non ideo priuatur altero. Ita Rebuf. *de nomin. quæstion. vltim. num. 7. de concess. præb.* Clarius exemplum est in excommunicato, vel irregulari. Nam collatio facta excommunicato, vel irregulari, est ipso iure nulla, præterquam in certis casibus, quos afferunt Nau. *cap. 27. num. 240.* & Sylu. *excommunicatio. 4. num. 4.* & tamen excommunicatus, & irregularis non amittunt beneficia iam habita. Ita aduertit Nau. *cons. 35. de sim.* ex Innoc. *in cap. cum nostris de concess. præb.* Dico tertio. Lex pœnalis, reddens ipso iure inhabilem, &

incapa-

incapacem ad officium, aut beneficium, aut dignitatem obligat in conscientia, statim à die commissi criminis, ita Couarru. *reg. pec. 2. p. §. 8.* Caiet. *2. 2. quæ. 62. art. 3. cum aliis.*

De pœna conuentionali, quantum obliget in conscientia. §. 4.

QVÆSTIO. *Quid arbitraris de pœna conuentionali?*
RESP. Dico primũ. Quando pœna conuentionalis debetur ad satisfactionem interesse, obligat in conscientia ad sui solutionem, antequam exigatur. Ita Caiet. *verb. pœn.* Cord. *lib. 1. quæst. 36. ad 2. contr. 1. concluſ.* Ab. *regul. possessio 95. de regul. iuris in 6.* quem sequitur Felyn. vt refert 1. Couar *2. p. epit. num. 11.* & Nauar. *in Manuali.* Ratio est Quia hic interuenit lucrum cessans, vel damnum emergens, licet ergo huiusmodi conuentionalis contractus, fiat in mutuo, obligat in conscientia, antequam exigatur, quoniam non exigitur ad ignorantiã, vel quid aliud impedimentum, nullus enim inuenitur, qui lucrum cessans, aut damnum emergens sciens, & volens liberaliter remittat. Dico secundùm. Pœna purè conuentionalis, quæ non debetur ob interesse, sed solum ob amissionem, aut actionem aliquam culpabilem contra contractum, debetur quidem in conscientia, si petatur ab alio contrahente. Ita omnes Auctores superioris propositionis, & Nauar. *de pœn. d. 1. in 3. p.* Gloss. *numer.* 20. & 21. Ratio est. Quoniam in pœna conuentionali interuenit pactum, & promissio ad pœnam soluendam: at vero ex pacto, & promissione oritur obligatio naturalis, non debetur vero antequam petatur, quia contractus solum obligant secundum propositum contrahentium. *L. 1. §. & si conuenit. ff depositi de regul. iuris in 6.* intentio vero, & propositum contrahentium in hac pœna conuentionali secundum receptam praxim, & consuetudinem est, vt hæc pœna soluatur, si petatur. Quæ veritas probari potest à simili. Nam is, cuius prædium, aut res alia emphyteutica cecidit in commissum, non tenetur id manifestare illi, apud quem est dominium directum, vt probat Nauar. *com. 65. de pœn.* nec emphyteuta tenetur in

conscientia relinquere feudum, aut emphyteusim, quæ cecidit in commissum, vt latè probat Tiraquel *ad Glossam Reuertatur*, & Syl. *verb. emphyteus. quæst.* 2. post Bartho, qui duo requirit, vt emphyteuta cadat iure suo, voluntatem scilicet domini exigentis, & sententiam declaratoriam, quod fuerit in mora soluendi. Nam qui non petit solutionem, censetur eam remittere.

De pœnis appositis per statuta alicuius Communitatis, seu Collegij. §. 5.

1 QVÆSTIO. *Quid censes de pœnis quas apponunt statuta alicuius communitatis.* RESP. Censeo tenentales collegas in conscientia egredi a collegio etiam antequam requirantur, & soluere sumptus, quos fecerunt, quamdiu vixerunt in collegio absque tali conditione. Ratio est. Quia talis collega erat ipso iure inhabilis ad electionem, & ideo si electio fuit nulla, etiam receptio, seu amissio nulla fuit.

De pœnis appositis per statuta alicuius Vniuersitatis, seu Academiæ. §. 6.

1 QVÆSTIO. *Quid censes de pœnis, quas apponunt statuta alicuius Vniuersitatis, seu Academiæ, priuantibus suffragatores iure suffragandi?* RESP. Sot. 1. *de iust. quæst.* 6. *art.* 6. Ledesm. 2. 4. *qu.* 118. *art.* 2. *concl.* 3. & alij respondent tales suffragatores non priuari in conscientia iure suffragandi, antequam condemnentur, licèt non seruent conditiones appositas; & ideo si non laborent infamia, vere posse respondere cum amphibologia Rectori, sub iuramento interroganti. Si tamen infamati fiat de talibus conditionibus appositis, nequaquam posse vti amphibologia, & ipso iure priuari iure suffragandi. Ratio eorum est, quia aliter vix vlla esset collatio cathedræ, aut electio ad dignitatem ecclesiasticam facta tuta conscientia, constat enim plerosque ambitus corruptela implicatos (quæ præcipua est conditio ad vniuersitatis munia) suffragium præbere, ideo si quæ statuta contrariũ decer-

decernerent, inualida essent, quia periculosa, & ideo nulla vi pollerent, vt ex *supradictis* patet. Oppositum docet Medin. & ij, quos refert, *quæ. citat.* & Gom. *supra lege vetr. Taur. num* 15. Dico tamen huiusmodi non conditiones, vel pertinere ad substantiam, vt ita dicam suffragatoris, vel ad præsumptionem iniusti suffragij. Ideo si cõditiones pertinent, vt ita dicam, ad substantiam suffragatoris, quales sunt esse scholasticum, esse relatum in albo scholasticorum, residere in scholis, & aliæ similes obligant in conscientia ad veritatem aperiendam, & suffragium ipso iure est ipsis deficientibus nullum, & irritum, si vero detur iniuste, subiacet restitutioni damnorum. Dico secundum. Si conditiones pertinent ad præsumptionem (qualis est loqui cum candidato) quia præsumitur accepisse pretium suffragij dandi, vel negandi, & similes, non obligant in conscientia, quando reuera non fuit causa præsumptionis, quoniam si loquutus est, loquutus est de alijs rebus non pertinentibus ad suffragium, & ideo ita rogatus potest vti amphibologia, & negare se loquutum fuisse cum candidato, nimirum ad corruptelam.

CAPVT VI.

De obligatione legum humanarum, quo ad personas.

De vi legum ciuilium erga Ecclesiasticas personas. §. 1.

1 *An personæ Ecclesiasticæ subiaceant legibus ciuilibus.*

2 *Quæ leges dicendæ sint Ecclesiasticæ libertati contrariæ.*

3 *Qua vi leges ciuilet obligant Ecclesiasticas personas.*

4 *An Principes sæculares possint legibus profusam clericorum licentiam cohibere.*

5 *An possint clerici suo foro, & priuilegijs renunciare.*

6 *Quando fruuntur Ecclesiastici priuilegio fori.*

7 *Quid faciendum clerico inuento à magistratu seculari in flagranti delicto.*

8 *An clerici accusati vt rei, puniendi sint pœna à legibus taxata.*

9 *Quæ dicendæ sunt Ecclesiasticæ personæ gaudentes priuilegio fori.*

1 QVAESTIO. *Subiacentne Ecclesiasticæ personæ legibus Principum sæcularium?* RESP. Dico primum. In causis pure Ecclesiasticis ipso iure diuino sunt liberi ecclesiastici à potestate Principum sæcularium. *cap. Certum est, & cap. Imperator d.* 96. Ita Vict. *de potest. Eccles. quæst.* 2. *titu. Vtrum clerici sint exempti propos.* 2. Felyn. & Couarru. *ad cap. Ecclesia de constit.* post Panorm. & Innoc. & alios quos refert. Causæ vero pure Ecclesiasticæ sunt, quæ pendent ex Euangelio, ex Concilijs, & ex Sanctorum Patrum decretis, qualia sunt sacramenta, definitiones fidei, distributiones Episcopatuum. Quam veritatem circa sacramentum matrimonij expresse decreuit Conc. Trident. *sess.* 24. *canon.* 12. sed hac de re in propria materia latius agemus, quia circa naturalem contractum in quo fundatur huiusmodi sacramentum, disponere potest lex ciuilis. Ratio est. Quia legislator non potest ferre leges, nisi quatenus pollet potestate circa finem legum; finis vero legum circa causas mere ecclesiasticas, est vltima fœlicitas per media spiritualia conquirenda, sed potestas ciuilis nulla pollet potestate circa hunc finem, ergo &c. Dico secundum. A legibus ciuilibus, quæ potestati Ecclesiasticæ non repugnant, nec sacris canonibus sunt contrariæ, sed aliquid generatim præscribunt circa temporalem gubernationem Reipub. cuius Ecclesiasticæ personæ non sunt exemptæ. Ita habetur *cap.* 1 *de noui operis nunciatione. cap. Si iam adiutorium dist.* 10. Ita Vict. *de potestat. Ecclesiast. quæst.* 2. *tit. vtrum Eccles. sint exempt. propos.* 4. *cum plurimis.* Ratio est. Quia ecclesiasticæ personæ sunt membra Reipublicæ sæcularis, & ideo subiacent

iacent capiti: caput autem est magistratus secularis. Ideo D. Paul. Cæsarem appellauit *Act.* 6. & *ad Roman.* 13. ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, quem locum exponens D. Chrysostom. ait, sacerdotes & monachos, subditos esse debere legibus sæcularibus, quatenus inseruiunt ad bonam Reipub. gubernationem, fini supernaturali minime contradicentem. Vt res patefiat, plura exempla adducunt Abbas, & Felyn. *ad ca. Ecclesia de constit.* verbi gratia, hæres, qui non implet voluntatem defuncti; priuatur hæreditate, similiter priuabitur hæres clericus, qui eam non impleuit. Item sunt casus, in quibus per leges ciuiles amittitur possessio; in ijs etiam illam amittent personæ Ecclesiasticæ. Insuper sunt leges taxantes pretium rerum, ijs stare tenentur clerici. Non tamen necesse est, vt leges ciuiles ad obligandas Ecclesiasticas personas, quatenus partes Reipublicæ, sint approbatæ, positiua, vt ita dicam, approbatione, à Papa sicuti existimauit Felyn. *cap. Eccles de constit. num.* 69. Sed satis est si non reprobentur: quatenus enim summus Pontifex, nec approbat, nec reprobat leges ciuiles, ijs standum est.

2 QVÆST. *Dixisti Ecclesiasticas personas teneri legibus ciuilibus, Ecclesiastici libertati minime contrarijs: Quæro igitur quæ leges ciuiles dicentur Ecclesiasticæ libertati contrariæ?* RESP. Quæ rales sint, latè docet Felyn. *cap. Eccles. titul. de constit.* Eæ tamen sunt, quæ clericis interdicunt ea, quæ iure diuino, canonico, & imperiali maiori illis concessa sunt. Vt si impediantur ab exigendis decimis: si protrahantur ad sæcularem iudicem. Sunt insuper eæ, quæ pro Ecclesiasticis personis tantum feruntur, vt si feratur lex, ne monialis succedat hæreditati defuncti ab intestato; cum tamen reliquæ fœminæ admittantur hæredes. Ita Paul. à Castro *cons.* 335. Facta enim videtur talis lex in odium, & præiudicium religionis, & libertatis Ecclesiasticæ. Ita colligitur ex *cap. Bene quid dist.* 96. & docet Sot 1. *iust. quæst.* 6. *art.* 7.

3 QVÆST. *Qua vi leges ciuiles obligant Ecclesiasticas personas?* RESP. Directiua, non coactiua. Ideo trahi non possunt ad iudicem sæcularem. Imo excommunicantur in Bulla Cœnæ Domini, qui clericos pertrahunt ad tale iudicium.

4 QVAEST. *Demus (quod omen Deus auertat) tantam esse clericorum licentiam, libere sese gerentium, laicosque notabiliter offendentium, vt Respublica patiatur magnum detrimentum. De qua profusa audacia admoniti Episcopi, & summus Pontif. connitentur, neque clericorum profusos mores coerceant: Possuntne tunc Principes seculares vti potestate, clericosque pœnis coercere?* RESP. Possent. Ita Vict. Sot. & Molin. *citat.* Ratio est. Quia tunc natura ipsa duce, Magistratus Reipubl. habent ius ad dirigendos regni incolas in bonum Reipublicæ ad bene, beateque viuendum.

5 QVÆST. *Possuntne clerici renunciare huic foro, & priuilegijs?* RESP. Minime, *capit. Si diligenti de foro competenti.*

6 QVÆST. *Pro maiori cognitione huius materiæ, quæro vlterius, quando fruuntur Ecclesiastici priuilegio fori?* RESP. Quando sunt rei *cap. Experientia* 11. *quæst.* 1. Actores vero nisi in causis Ecclesiasticis, vt notat *ibidem.* Turrecr. In quibus autem causis possit clericus iudicari à iudice seculari, vt reus, docet Sylvest. *Iudex* 1 *qu.* 2. *num.* 4. tradunt etiam Ord. Lusitan. *lib.* 2. *tit.* 1. §. 2.

7 QVÆST. *Quid faciendum clerico inuento à magistratu seculari in fragranti delicto?* RESP. Detinendus est, vt præsentetur suo Prælato. Sic notat Gloss. *capit. Cum non ab homine de iudic.* Consentiuntque *ibi* Doctores, Terminum vero præscribunt Ord. Lusitan *titul.* 1. §. 21. viginti quatuor horarum spatium. Notat tamen Nauar. *cap.* 23. *num.* 83. non esse censendum fragrans delictum, gestationem vestium prohibitarum, vel armorum, nisi sit vehemens præsumptio, quod clericus moliatur crimen statim patrandum.

8 QVAEST. *Accusati clerici, vt rei, puniendine sunt pœna à legibus taxata?* RESP. Minime. Sed pro arbitrio iudicis Ecclesiastici. Ita Couarr. *de pract. quæst. cap.* 33. ex *cap.* 2. *de iudicijs.* Iudicis, dixi, Ecclesiastici, quia in causis à iudice laico iudicatis, puniendus est clericus iuxta legum scita. Vt aduertit Panormit. *cap. quod cleric. de foro compet.* In hoc tamen adhuc limitanda conclusio, quo ad causas ciuiles, non quo ad causas criminales. Non enim standum est pœna mortis, aut verberum à Cæsareo iure imposita,

posita, sed alijs à iure canonico stabilitis remissius vtendum

9 QVÆST. *Qui censendi sunt Ecclesiastici?* RESP. Clerici, etiam in prima tonsura constituti, si habeant conditiones, quas requirit Concil. Trid. *sess 26. capit. 6. de reform.* Omnes proprij Religiosi, ac Moniales *cap. De monialibus & cap. Cum illorum de sent. excomm. L. statuimus Cod. de Episcop. & cleric.* Inter eos vero numerantur eremitæ professi, vt docet Sylu. *verb. eremita quæst. 1.* Item Donati religionis professæ, siue viri, siue fœminæ sint. Sunt enim vere religiosi, & tria vota substantialia emittunt *capit. vt Tex. 27. quæst 1.* & sentiunt fere omnes *ad idem caput.* Etiam Nouitij religionum, *Gloss. Clemen. 1. de elect. verb religiosus.* In hoc saltem regno Lusitano Cõmendatarij, non gaudent hoc foro. *L. 4 Extrauag. 2. p titu. 3.* nisi sint Maltenses, quia vere religiosi, vt notat Sot. *2. de iust. quæ. 5. art. 3. ad 3.* Plura de hac materia leguntur apud Sylu. *verb. eremita.* quibus pro breuitate supersedeo repetendis.

De Legislatoribus erga leges à se ipsis conditas. §. 2.

An Legislatores teneantur suis legibus.

1 QVÆSTIO *Tenenturne legislatores stare suis legibus?* RESP. Vt respondeam, præmitto duplicem esse legum vim, directiuam nimirũ, & coactiuam. Directiua est, qua quis tenetur in cõscientia ex æquitate, & ratione. Coactiua est qua quis cogitur, etiã exterioribus pœnis stare pro legum decreto. Præmitto, deinde. Legislatorem vel esse communitatem, vel communitatis ipsius caput, vt Regem, vel Papam. Dico igitur primum. Communitas tenetur in conscientia stare suis legibus, tam ex vi directiua, quam ex vi coactiua Ita Medi. *12. qu. 96.* Ratio est; Quia leges à communitate decretæ, pollent vi coactiua, hæc autem exercẽda est in singularibus personis: personæ vero singulares communitatem faciunt. Dico secundum. Communitatis capita, vt Rex, & Prælati, tenentur suis legibus, quo ad vim directiuam, non tamen coactiuam. Ita Doctores communiter cum D. Thom. *1. 2 qua. 96. arti 5 ad 83. cap Iustum est cap. Cum omnes de cõst.* Ita *ibi* textus. *Quidquid iuris in aliũ statuit, ipse*

debet

debet vti. Quæ verba sumpta sunt ex *L. prima. ff. Quod quisque iuris.* Duo enim principia naturalia concurrunt ad stabiliendam humanarum legum vim. Primum dicit. Superiori iuxta præcipienti, obtemperandum est. Et hoc cogit subditos ad standum legibus. Secundum dicit. Seruandum tibi est ius, quod in alterum statuis. Patere legē, quam ipse tuleris. Et hoc obligat Legislatores, quo ad vim directiuam, vt manifestum est. Recte tamen aduertunt Caietan. *1.2. quæst. 96.* & Sot *1. iust. quæstion. 6. artic 7.* hanc vim directiuam solum reperiri in legibus communibus, tam subditis, quam principi, quales sunt in foro Ecclesiastico leges de ieiunando, audiendo sacro, &cæt. in foro vero sæculari leges de vendendo vel emendo tali pretio, &cæt. Non reperitur vero tale ius in legibus, quæ pro ipsis subditis tantummodo conditæ sunt, vt de non gestandis armis, de non induendo serico, & aliæ.

CAPVT VII.

De reuocatione Priuilegiorum.

De Priuilegiorum reuocatione. §. 1.

1 *An gratia expiret per mortem concedentis illam.*

2 *An mandatum expiret morte mandantis.*

3 *Mortuo Papa ante dispensationem factam Episcopo commissam, an teneat adhuc gratia, & possit fieri dispensatio.*

1 QVAESTIO. *Expiratne gratia per mortem concedentis illam?* RESP. Minime. *capit. gratiam. capi. relatum. de offic. deleg.*

2 QVÆST. *Expiratne mandatum morte mandantis?* RESP. Re integra adhuc, non solum morte, sed depositione aut translatione expirat. *cap. Mandati.* Docet Diu. Anton. *3. p. tit. 17 cap 9 § fin.* Palud. *in 4. d. 17. quæst. 4. art. vlt.* Peres *L. 2. tit. 2. lib. 2. Ordin.* Si tamen mandatum accessorium est actui

actui minime per mortem reuocabili, non expirat. Probat Henr. *de indul. ca.* 11. *num.* 4 *in Gloſſa.*

3 QVÆST. *Commiſit Papa Epiſcopo, aut Legato, vt verificata narratiua diſpenſet; interim antequam Epiſcopus diſpenſaret, mortuus eſt Papa, expirauitne gratia illa per mortem Papæ?* RESP. Minime. Ita Maiolus *lib. de irregul. ca.* 51. *num.* 6. Sylueſt. *gratia.* §. 2. Tabien §. 5. Armil. §. 5. Anton. Gabr. *tom.* 2. *tit. de præben. con.* 1. *num.* 35. qui omnes citant Federic. *conſ.* 68. Moya, & alios Doctores. Ratio eſt: Quia ex parte Papæ plene conceſſa eſt illa gratia: & ideo ante reuocationem per ſucceſſorem factam, tenet, & valet.

CAPVT VIII.

De quinque Eccleſiæ præceptis.

§. Dixiſti de præcepto humano, præcipue Eccleſiaſtico in communi quo ad vim, & obligationem animæ quam inducit ad ſui obſeruationem. Reſtat nunc dicendum de præceptis Eccleſiaſticis in ſingulari (hæc enim ſola perſequi noſtri eſt inſtituti, noſtræ profeſſionis.) Quoniam vero prima, & præcipua ſunt quinque, quæ vulgo appellantur quinque ſanctæ Eccleſiæ mandata, ab ijs interrogationes exordiar.

De ſacro audiendo. §. 1.

1 *De loco iuris, vbi continetur hoc præceptum.*
2 *Quid ſit ſacrum audire, & qua intentione audiendum ſit.*
3 *De recitatione precum in audiendo ſacro.*
4 *De integritate miſſæ audiendæ.*
5 *De ijs, qui in audiendo ſacro ei inſeruiunt miniſtrãdo, & quærendo neceſſaria.*
6 *De audientibus duarum miſſarum medietates.*
7 *De excuſatis ab audiendo ſacro.*
8 *De famulo non audiente ſacrum ob domini ſeruitium exequendum.*

9 An

9 *An teneamur audire tres missas in die Natalis Domini.*

10 *An ex duabus partibus Missæ paruis non auditis, fiat pars notabilis.*

11 *An qui excusatur à sacro audiendo, teneatur domi Deo vacare, & orationes aliquas fundere.*

1 QVÆSTIO. *Vbi continetur hoc præceptum?* RESP. Dist. 1. can missas. de consecr.

2 QVAEST. *Quid est audire sacrum?* RESP. Est corpore adesse illi, & mente tendere ad ea, quæ dicuntur. Hæc tamen mentis attentio, non tanta requiritur, vt nullatenus diuagetur inaduertenter, sed solùm eadem requirit, vt diligenter aduertamus, ne distrahatur. Quam voluntariam diuagationem haberet ille, qui cum sacrum audit, vellet scribere, pingere, vel studere, aut quid simile.

3 QVÆST. *In sacro audiendo ex præcepto poteritne quis recitare coronam Virginis, aut horas canonicas, ad quas ex statuto obligatur, aut quid simile ex pœnitentia sibi à confessario adiuncta?* RESP. Potest satisque est virtualis attentio ad missam. Ita Adrian *tract. de satisfact. quæ. 7.* Medin. *tract. de pœnit. iniuncta.* Caiet. *in sum. verb. dies festus.* Nau. *cap. 21. num. 9.* Tolet. *lib. 6 cap. 6.* Ratio est, quia ista ad eundem Deum mentisque eleuationem diriguntur. Melius tamen esset attendere ad missæ mysteria, si quies detur cogitationis.

4 QVÆST. *Estne præceptum de audiendo totam missam?* RESP. Peccaret mortaliter, qui omitteret partem notabilem. Pars vero notabilis est vsque ad Epistolam exclusiue: vel à communione vsque ad finem. Ita Tabien. *verb. missa §. 10.* & Nauar *citat. num. 2.* qui etiam epistolam totam comprehendunt, sed in hoc à Toleto reijciuntur.

5 QVÆST. *Inseruit quis altari, & aliquoties discedit ad ferenda necessaria sacrificio, veluti prunas, Thus, & similia, censeturne abesse, & omittere partem notabilem missæ?* RESP. Minime, sed omne id quod omittit coactus necessitate, reputatur illi, ac si totum audiuisset. Ita D. Anton. 3. *tit. 9.*

tit. 9. cap. 10. §. 1. Sylu. *missa*, 2. §. 1. Tabien. *ibidem num.* 50.

6 QVÆST. *Qui aliqua necessitate vrgente audit duas duarum missarum dimidietates, vt postea vrgenti negotio vacet, satisfacitne præcepto audiendi sacrum?* RESP. Satisfacit. Ita Maior. *in* 4. *d.* 45. *quæst.* 2. Nau. *cap.* 11. *num.* 2. Sot. *in* 4. *d.* 13. *qu.* 2. *art* 1.

7 QVAEST. *Ob quas causas excusatur quis ab audiendo sacro?* RESP. Ob multiplices. *In primis* cum quis timet damnum spirituale, aut proprium, aut alienum. Et ideo excusantur matres, qui domi manent, ne filiarũ pudicitia periculo exponatur. *Deinde* ad euitandum damnum corporale, vel proprium, vel alienum. Et ideo excusantur infirmi. Excusantur mancipia, quæ timent verbera dominorum, si domum solam relinquant. Excusatur vxor ad euitandas mariti rixas, si adueniens non inueniat prandium præparatum: similiter excusantur ij, qui seruiunt infirmis. Excusantur quę nutriunt infantes. Qui seruant res, ne à latronibus deripiantur. *Tertio*, qui non possunt exire domo sine iactura honoris. Et ideo excusantur, qui aptam, & decentem vestem non habent. Et quæ viduæ iuxta consuetudinem loci, incurrent notam leuitatis, si foras prodeant. *Quarto* denique excusantur illi, qui si adessent, detrimentum in re propria, vel aliena suæ custodiæ tradita paterentur. Et ideo excusantur custodes carcerum, arcium, gregum, vinearum, pratorum. Excusantur, qui nequeunt aliter sua negotia vrgentia perficere. Qui viam nesciunt, & si morentur, amitterent socios, qui viam pergunt.

8 QVAEST. *Est quis famulus, & non sinitur à domino ferme semper adesse sacro, quia illius indiget opera ad opus tunc conficiendum, teneturne dominum deserere?* RESP. Tenetur, & quærere alium. Ita Tolet. *lib.* 6. *cap.* 9. Si tamen nequiret tam facile alium ita opportunum inuenire, posset apud eundem manere. Ita idem Toletus.

9 QVÆST. *In die Natalis Domini, quando licet sacerdoti tres missas celebrare, teneturne quis plures vna missa audire?* RSSP. Minime quidem. Ita omnes, quos sequitur Nau. *ca.* 21. *nu.* 2. Ratio est. Quia id nulla lege præcipitur.

10 QVÆST. *Omisit quis partem vnam in principio missæ & aliam in fine, rogo, ex his duabus partibus fit pars notabilis,*

bilis, propter quam frangatur hoc præceptum? RESP. Et quidem. Ita Nauarr. *proxime* citatus.

11 QVÆST. *Qui propter aliquam ex prædictis causis excusatur ab audiendo sacro, teneturne ex vi præcepti vacare domi orationibus?* RESP. Asseruit Angel. *verb. feria, num.* 46. & alij *in* 3 *d.* 6. Negandum tamen est cum Nauar. *cap.* 21. *num.* 7. & alijs, quos ipse refert. Est quidem verum hunc esse ab Ecclesia intentum finem, cum præcipit audire sacrum: sed finis præcepti non cadit sub præceptum, vt ostendit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *art* 9. & 10.

De Ieiunio Ecclesiastico. §. 2.

1 *Quid est ieiunium Ecclesiasticum.*
2 *Quæ sunt de essentia ieiunij Ecclesiastici.*
3 *De cibi qualitate.*
4 *De hora competente.*
5 *An possit hora anticipari.*
6 *Quod est peccatum anticipare horam.*
7 *An possit quis mane sumere collationem, & nocte prandere.*
8 *De vnitate comestionis.*
9 *De collectione noctis.*
10 *An qui per secundam comestionem ieiunium fregit, teneatur adhuc illud seruare.*
11 *De quantitate ciborum.*
12 *De causis excusantibus à ieiunio.*
13 *An causa dubia excuset.*
14 *Quomodo se gerere debet confessarius cum eo, qui arbitratur se habere sufficientem causam ad non ieiunandum.*
15 *An teneantur domini minuere laborem seruorum, vt ita serui ieiunent.*
16 *Quando computandus dies ieiunij.*
17 *De potu in die ieiunij.*
18 *An frangat ieiunium, qui è mensa surgit cum intentione*

tentione

tentione non amplius edendi, & ad eam reuertitur.

19 *An comestio carnis ob necessitatem excusset à ieiunio.*

20 *De ætate quæ incipit obligare præceptum ieiunij.*

21 *An diues faber teneatur die ieiunij omittere laborem vt ita ieiunet.*

22 *De vendentibus cibos in die ieiunij.*

23 *Quis potest dispensare in ieiunio.*

24 *De dispensato, vt edat carnes in die ieiunij.*

1 QVÆSTIO. *Quid est ieiunium Ecclesiasticum?* RESP. Est abstinentia voluntaria à cibo iuxta Ecclesiæ ritum. A cibo, dixi, non potu, quia potus etiam vini non frangit ieiunium. Et ideo quidquid sumitur, etiam gustabile, non per modum cibi, sed ob aliam rationem, non frangit ieiunium. Hinc absque ieiunij fractione, sumitur aliquid per modum medicinæ, & per modum probationis, vt faciunt coci, & architriclini. Per modum medicinæ possunt lecturi ad mensam Religiosorum aliquid prægustare, & qui siti cruciantur, si potus nocere soleat absque cibo. Ita Sylvest. *ieiunium*, & Caiet. *ibidem* & Toletus *libr. 6. cap. 1.* Dixi (iuxta ritum Ecclesiæ) quoniam secundum illum seruanda est certa hora, & certi cibi sunt sumendi, & non alij.

2 QVÆST. *Quæ sunt de essentia ieiunij Ecclesiastici?* RESP. Tria, nimirum qualitas ciborum, hora competens sumendi cibum, vnitas comestionis.

3 QVÆST. *Qui cibi prohibentur in die ieiunij?* RESP. Omnes ex carne confecti. Præterea in quadragesima prohibentur lacticinia, hoc est omnia ex lacte facta vt caseus, butyrum, &c. Sed circa huiusmodi lacticinia seruandus est mos patriæ, & ordo præscriptus à Constitutionibus synodalibus. Ita Nau. *cap. 21. numer. 3.* & Tolet. *loco citato.*

4 QVÆST. *Quæ est hora competens sumendi cibum?* RESP. Ea, quæ secundum consuetudinem loci seruari solet paulo plus minusve, seruari autem solet vndecima.

5 QVAEST. *Potestne anticipari hora iusta de causa?* RESP. Potest, vel quia aliquis facturus est iter. Vel quia hospitem habet, vel quia negotia expectat, quæ impedient horam prandij. Et sic excusantur famuli qui ante tempus prandent, vt postea possint ministrare dominis. Quamuis isti possint, cum delaturi sunt prandium aliquem cibum sumere, vt possint facilius sustinere laborem. Moderate tamen, vt adnotat Gabriel, *in* 4. *d.* 16. *qua.* 3. Toletus *lib.* 6. *cap.* 2 §. 8.

6 QVAEST. *Quantum peccat, qui sine necessitate horam competentem anteuertit?* RESP. Nauar. *cap.* 21. *num.* 27. putat peccare mortaliter. Dicendum tamen solum peccare venialiter. Ita Alensis 4. *p. quæst.* 103. *membr.* 3. Innocen. *Rub. de obseru. ieiun.* quos sequitur Toletus *loco citato.*

7 QVAEST. *Licetne collationem, solitam nocte sumi (de qua infra) mane sumere, & ad noctem seruare prandium?* RESP. Licet ex rationabili causa, sed si non adsit rationabilis causa, peccatum erit veniale id facere. Ita Caiet. *verb. ieiunium.* Nau. *capit.* 21. *numer.* 12. & Toletus citatus.

8 QVAEST. *Circa comestionem vnicam rogo in primis. Vtrum ex causa liceat prandium inchoatum relinquere, & postea ad illud redire?* RESP. Licet, si vrgens sit negotium. Ita Tolet. *lib.* 6. *capit.* 2. *numer.* 7. quæ res dignissima est notatu.

9 QVAEST. *Quid censes circa collationes solitas nocte sumi?* RESP. Quanquam olim sumerentur tantum per modum medicinæ ad captandum somnum: Iam tamen consuetudo obtinuit, vt etiam aliquid per modum nutritionis sumatur. In hac tamen re consideranda, & seruanda patriæ consuetudo, iuxta timoratas conscientias. Nō enim est mortale talem consuetudinem seruare, licet quantitas sit aliquantulum grauis.

10 QVAEST. *Qui semel fregit ieiunium propter secundam comestionem, teneturne deinceps seruare ieiunium, & abstinere à cibo?* RESP. Minime, sed semel tantum peccauit. Ita Durandus in 4. *d.* 15. *quæst.* 4. Tabiena, & Sylu. *verb. ieiun.* Ratio est. Quia præceptum ieiunij est affirmatiuum, & semel fractum, non potest illo die iam seruari. Ita docet Nau. *sup. num.* 21.

11 QVAEST.

11 QVAEST. *Quantum licet comedere die ieiunij?* RESP. Quantum quis edere poterit, loquendo de ratione præcepti. Nam quamuis multum comedas, non franges præceptum ieiunij. Seruanda tamen in hac re sobrietas.

12 QVAEST. *Quæ causæ excusant à ieiunio?* RESP. Multiplices. *Prima* est infirmitas, siue accidentaria ex morbo siue naturalis ex complexione, propter quam quis cum inedia affligitur, patitur dolores capitis, stomachi, deliquij, &cæt. Qui dolores nequeunt euitari vnica comestione. Ideo excusantur à ieiunio prægnantes. *Secunda* causa est paupertas, qua quis nequit habere sufficiens integrum prandium. *Tertia* causa est labor, cui quis ex officio, ad alendam vitam (licet iam dies sit) incumbit, nimiam lassitudinem, & corporis debilitatem inducens. Non enim tenentur diuites cessare à labore. Ita concessit Eugenius, cuius bullæ meminit Sylues. *ieiun.* 5. §. 24. Excusat etiam labor impensus in vtilitatem Reipublicæ, vel proximi necessario reparandam, vel procurandam. Et ideo excusatur, qui belli tempore muros extruit. Qui incendium extinguit, proprium vel alienum.

Dubitari posset, an labor lectionum, quas candidati in Academijs habere solent ad solam scientiæ ostentationem, & bonum literatorum nomen comparandum eos excuset à ieiunio. Cui dubitationi respondeo, tales candidatos excusari, cum magnum honoris, aut alterius commodi detrimentum illis obueniret, si lectiones omitterent.

Quarta causa est pietas. Et ideo excusantur, qui pia opera exercent, vel corporalia, vel spiritualia, quæ cum ieiunio nequeunt æque bene exerceri, vt concionari, legere, confessiones audire, inseruire hospitalibus, peregrinari ad loca pia. Nota tamen quod huiusmodi non excusantur, nisi cum ex officio fecerint, aut ex obedientia, aut ex voto aliquo præcedente. Dixit vero Sylvester *verb. ieiun.* §. 26. excusari a ieiunio illum concionatorem, cuius conciones valde sunt vtiles populo, quamuis non ex officio, sed ex sola deuotione concionetur. Circa peregrinationes notant omnes,

non licere peregrinari tempore ieiunij, & ieiunium soluere, nisi cum ex voto peregrinatio est, nec potest talis peregrinatio commode differri in aliud tempus. Addit Nauar. *num.* 19. posse fieri, cum ex deuotione magna aliqua fit. Sed, vt credo, non id licet absque consilio confessarij iudicantis plus spiritui profuturam peregrinationem, quam ieiunium. Licet etiam peregrinari die ieiunij ad vitandum detrimentum corporale, seu temporale, veluti si quis habet socium viæ, quem amittet, nisi iter faciat die ieiunij, aut cum timet aliquod periculum, si solus incedat. Inter pias causas numeranda etiam est publica flagellatio ad imitādum Christum Dominū passum. De qua dico idem, quod de peregrinatione ob deuotionem, vel ex voto dixi. Quamuis ex alio capite etiā videatur excusare, nimirum ex publico pœnitentiæ exemplo in commune Reipublicæ Christianæ emolumentum multum cedente. Excusatur præterea à ieiunio, qui nequit debitum reddere vxori. Rursus excusatur vxor, quæ ad vitandas rixas, & odia, cum marito cœnat. Ita Tabiena *ieiun* §. 10. & Sylu. §. 15. Legatur Toletus *libr* 4. *cap.* 6. & apud illum hæc inuenientur.

13 QVÆST. *Qui causam habet dubiam ad non ieiunandum, teneturne ieiunare?* RESP Tenetur, donec à confessario, viro docto, vel à medico timorato accipiat declarationem, & dispensationem.

14 QVÆST. *Quantum peccat, qui existimans se habere causam sufficientem ad non ieiunandum, ieiunium frangit, reuera absque causa?* RESP. Venialiter, nec à confessario debet talis dure cogi ad ieiunium, sed simulata conscientia duci suauiter debet ad ieiunandum, vt vitetur error conscientiæ, quo grauius peccabit non ieiunando. Ita docet D Anton. 2. *p. tit.* 6. *ca* 2. Palud. *in* 4. *d.* 15. *qua.* 2. *art.* 1. Caie. 2. 2. *qu.* 147. *art.* 3.

15 QVÆST. *Habet quis seruos ad laborem, habet agros ad arandum, olinas ad colligēdum vineas ad amputandum: adest dies ieiunij, sed labor prædictus differri potest in alium diē: Teneturne dominus eum solum laborem seruis imponere, & eos solos operarios vocare, qui cum moderato labore possint ieiunare: an vero poterit eundem laborem seruis imponere, & operarios quoscunque vocare, licet minimè ieiunaturi sint?*

RESP.

RESP. Toletus *lib 5 cap.* 5. teneri, & non posse, allegatque Palud. *in 4. dist.* 14. *quæst.* 4. *art.* 1. Gabr. *d.* 16. *quæst.* 3. *artic. primo not.* 4. Verumtamen oppositum obtinuit consuetudo recepta ab omnibus timoratis, & religiosis viris, non enim propter ieiunium subtrahunt seruis de labore, neque operarios dimittunt.

16 QVÆST. *Vnde incipit, & vbi terminatur dies, seu tempus ieiunij Ecclesiastici?* RESP. A media nocte præcedentem diem, vsque ad mediam noctem subsequentem. Ita definitur iuxta omnem sententiam. *L. More Romano ff. de feriis*, vt refert Nau. *ca* 21. *nu* 12.

17 QVÆST. *Poteritne quis in die ieiunij sæpius bibere, quamuis sciat se potu maxime ali?* RESP. Poterit. Ita Nauarrus proxime, adducens per se D. Thomam, ita asserentem.

18 QVÆST. *Circa vnitatem comestionis rogo, an sufficiat ad fractionem ieiunij intentio, non redeundi ad mensam si iterum reuertamur ad illam?* RESP. Maxime. Ita Archidiaconus *capit. Non licet. de consecr. dist.* 1. quem sequitur Nau. *loco citato.* § 15.

19 QVÆST. *Frangitne ieiunium, qui semel tantum in eo vescitur carnibus?* RESP. Frangit. Ita Maior, quem refert, & sequitur Nau.

20 QVÆST, *In qua ætate incipit obligare ieiunium?* RESP. A vigesimo primo anno expleto. Ita Diu. Thom. cum communi. Incipit vero deobligare secundum communem opinionem a sexagesimo anno. Sed hoc iure merito relinquit Nau. *capit.* 21. *num.* 15. arbitrio prudentis, & timorati. Cum enim hoc tempus non sit à iure determinatum, communis opinio supponit in ea ætate senes esse debiles ad ieiunandum, & ideo si quis se tunc valentiorem inueniat, quam alius quadraginta natus annos, tenebitur ieiunare, vt de seipso fatetur Nau. Aiunt tamen medici hanc senum roboratam existimationem esse illusiuam: nam est ea ætas ex se adeo debilis, vt facili ex causa ab illo putato robore deturbetur, nisi cibi alimento sibi subueniat.

21 QVÆST. *Est quis faber, vel agricola bene diues, sed solet vitam suam traducere exercendo opera laboriosa, quæ secum non patiuntur ieiunium, rogo, teneturne in die ieiunij*

laborem relinquere, vt vacet ieiunio? RESP. Minime. Ita decreuit Eugenius quartus, ita Rosel. *verb ieiun.* & Syl. *ibid. qu.* 3. Quod decretum affirmat Nau. *proxime*, non esse priuilegium concessum laborantibus, sed declarationem iuris communis.

22 QVÆST. *Caupo, qui paratus est quotidie ministrare cibos accedentibus, teneturne in die ieiunij interrogare, an habeant, qui voluut comedere, causam non ieiunandi?* RESP. Minime. Verumtamen peccat mortaliter, si ex indicijs colligit petentem cibos sine causa velle frangere ieiunium, & tamen ei præbet cibos. Ita Nau. *cap. 21. numer. 27.* & ita interpretatur dicta à Gabr. *in 4. d. 16. quæst. 3. art. 3. dub. 6.*

23 QVÆST. *Quis potest dispensare cum aliquo, ne ieiunet?* RESP. Si adsit iusta causa, Episcopus, & eo absente etiam parochus, & quilibet prælatus cum suis religiosis. Ita D. Thom in *4. d. 15. quæst. 3. art. 2.* & *quæst. 147. citata* quam sequitur *ibi* Caiet. & Nauar. *cap. 21. num. 21.* Hoc quidem non est ita decretum in iure, sed receptum consuetudine, quæ quidem iurisdictionem dare potest. *cap. Cum contingat de for. compet. capit. Duo simul de offic. ordin.* Ex quo infert Caietan. non debere prælatos relinquere suæ conscientiæ subditos petentes ab ipsis dispensationem, vt liceat eis cænare aliqua de causa in die ieiunij, aut ante horam comedere. Quia potius debent eis compari, & benigne dispensando à scrupulis liberare, aut ieiunium in aliud pium opus commutare. Illum sequitur Nauar. *citatus.*

24 QVÆST. *Dispensatus, vt ieiunando comedat carnes, poteritne illas sæpius comedere?* RESP. Minime. Ita Nauar. *citato loco.*

De annua confessione. §. 3.

1 *De personis quas obligat hoc præceptum.*
2 *Quoties obligat.*
3 *An hoc præceptum sit Ecclesiasticum quo ad substantiam.*
4 *An obliget de omni peccato.*
5 *Quo ætatis anno obliget.*

6 *Qua anni parte obliget.*
7 *An tranſacto anno quis obligetur ab hoc præcepto.*
8 *Vtrum quis teneatur anticipare tempus huius præcepti.*
9 *Quid dicis de obliuioſo, cui memoria eſt infirma.*
10 *De cauſis ad differendam vltra annum confeſſionem.*
11 *An obliget hoc præceptum illum, qui non niſi ſcripta peccata poteſt manifeſtare.*
12 *Per quam confeſſionem impletur hoc præceptum.*
13 *De pœna Eccleſiaſtica, oppoſita tranſgreſſoribus huius præcepti.*
14 *An ficte confitentes, impleant hoc præceptum.*
15 *Vnde colligetur aliquem puerum peruenisſe ad annos diſcretionis.*
16 *Vbi continetur hoc præceptum.*

1 QVÆST 1 0. *Quos obligat hoc præceptum?* RES P. Omnes habentes vſum rationis, cuiuſcunque ætatis, ſexuſve, & conditionis ſint, *cap. Omnis vtriuſque de pœn. & remiſſ.* Quod intelligo, ſi habeant peccatum actuale mortale poſt baptiſmum commiſſum, nam ſola peccata actualia poſt baptiſmum commiſſa; ſunt materia ſacramenti pœnitentiæ, quia peccata antea commiſſa, per baptiſmum delentur abſque vllo ordine ad confeſſionem ſacramentalem. Ita Sot. *in 4. d. 18. qu. 1. art. 2.* Med. *de pœn. qu. 7.* Maior. *in 4. d. 17. qu. 1. ibi.* Almain. *qu. 1. art. 2.* contra Scot. *ibid. qu. 1. art. 1.* Richar. *ar. 2. qu. 4.* Adrian. *qu. 2. de confeſſ.* Ang. *confeſſ. 2 § 2.* Syl. *§. 1.*

2 QVÆST. *Quoties obligat hoc præceptum?* RESP. Semel in anno. Ita decreuit Concil. Trid. *ſeſſi. 14. ca. 5. & 8.*

3 QVAEST. *Eſtne hoc præceptum confeſſionis latum ab Eccleſia quoad ſubſtantiam, an quoad determinationem temporis?* RESP. Quoad ſolam temporis determinationem. Nam quoad ſubſtantiam eſt præceptum diuinum, vt dixi *in ſacramento pœnitentiæ.* Ita torrens Doctorum

Palud. *in 4. d. 17. quæst. 7 num. 16* Gabr. *quæst. 1. art. 1.* Sot. *d. 18, quæst. 1. art. 1.* Pet. Soto *lect. 5. de confess.* & Conc. Trid. *citato loco.*

4 Qvæst. *Obligatne hoc præceptum omnes, qui habent quoduis peccatum?* Resp. Minime, sed eos qui habent peccatum mortale, nondum confessum, colligitur ex Conc. Trid *sess. 14. cap. 5.* est communis Theologorum. Ratio est, quia hoc præceptum obligat circa materiam tantummodo necessariam, venialia vero peccata non sunt materia necessaria sacramenti pœnitentiæ, vt in propria materia ostendam. Et ideo si tempore quadragesimæ, quando obligat huiusmodi præceptum, solum haberet quis venialia peccata, non teneretur confiteri.

5 Qvæst. *Quo ætatis anno obligat hoc præceptum, quoue die?* Resp. Non potest in hoc præcepto certa ætas assignari, cum in ea incipiat hoc præceptum obligare, in qua quis incipit peccare mortaliter. Obligatur ergo quis tunc, cum habet conscientiam peccati mortalis. Hæc est communis doctrina. *in 4. dist. 17.* Richard. *artic. 2. quæst. 4. ad 6* Scot. *quæst. 1. art. 3.* Sylu. *confess. 2. quæst. 5.* Nauar. *capit. 21. num. 3.* Cord. *in sum. Hispana. quæst. 69.* Consentiunt Glossa, & Canonistæ, *cap. Omnis vtriusque.* Sot. *d. 18. qua. 1. artic. 1.* Ratio est. Quia verba textus sic habent. *Omnis vtriusque sexus cum ad annos discretionis peruenerit.* Anni vero discretionis significant ætatem, in qua homo scit peccare. Deinde. Quia isti obligantur præcepto diuino: hoc autem præceptum Ecclesiasticum solum est determinatio præcepti diuini. Denique, Quia isti obligantur alijs præceptis Ecclesiæ; tenentur enim audire sacrum in die festo, abstinere à carnibus in die prohibito, tenentur etiam confiteri,

6 Qvæst. *Dixisti obligare hoc præceptum semel in anno, qua ergo anni parte?* Resp. Aliqui dixerunt obligare tempore quadragesimæ. Ita Pet. Soto. *lect. 5. de confess.* quam obligationem licet textus expressus non imposuerit, obtinuit tamen consuetudo, & vsus fidelium, vt notauit Medina. *Cod. de pœnit. qua. 18. in 2. p. illius,* & eum vsum approbauit Concil. Trid. *sessi. 14. cap. 5,* Alij vero dixerunt non obligare pro certa anni parte, sed satisfieri huic præcepto quauis confessione facta per annum. Ita Sot. *in 4. dist.*

*dist.*18.*quæst.*1.*art* 4. Cano.*relect.de pœn.* Vict.*in sum num.* 137.Nauar.*capit.*2.*num* 9. Probatur, quia *in capit. Omnis vtriusque.* cum duo tradantur præcepta, vnum de confessione, alterum de Eucharistia, pro Eucharistia assignatur determinatum tempus Paschatis, pro confessione vero minime: sed simpliciter dicitur, saltem semel in anno confiteantur. Dicendum tamen est, hoc præceptum obligare intra annum, qui quidem computandus est à quadragesima in quadragesimam, iuxta consuetudinem receptam, quæ optima est legum interpres, & ideo qui intra annum semel confessus est, satisfecit huic præcepto Ita Vict.*in sum.num.*137. Ledesm.24.*quæst.*6.*art.*5.*dub.*6 Addit tamen probabiliter Suarius, si post confessionem vsque ad quadragesimæ finem non peccauit mortaliter: nam si peccauit, arbitratur teneri ad confitendum tale peccatum: nam verba, *capit. Omnis vtriusque,* obligant confiteri omnia peccata commissa intra illum annum.

7 QVÆST. *Non impleuit quis hoc præceptum intra annum, tenetur ne statim in sequenti anno illud implere?* RESP. Negant D.Anton.2.*p.d.*9 *cap.*9.§.3.Sylu.*Eucharistia.*3.*qu.*15. citans Archidiac. Ledesma *supra dub.*7. Ratio eorum est, quia hoc præceptum est affirmatiuum, & determinate obligat pro certo tempore: ergo eo transacto iam non obligat, vt præceptum audiendi sacrum, ieiunandi, & sin ilia. Affirmat tamen Maior *in* 4 *d.*17.*qu.*2. Sot.*dist.* 18 *quæst* 1.*art.*4.Medin.*quæst.*18.Nauar.*cap.*21.*numer.*45. Victor.*in sum.num.*137.& 147. Ratio est, quia hoc præceptum non determinat tempus, in quo præcise debeatur impleri hæc confitendi obligatio, sed vltra quod nõ debeat differri talis obligatio. Et ideo quo magis differtur, eo magis obligat, vt cum quis assignat tempus intra quod sibi certa pecunia debita reddatur, quæ obligatio eo magis accrescit, quo magis differtur.

8 QVÆST. *Tenenturne interdum fideles anticipare confessionem?* RESP. Si quis præuidet, quod transacta illa occasione non poterit in toto anno confiteri ex penuria confessarij, tenetur ex vi huius præcepti Ecclesiastici tunc confiteri. Ita Theolog.*in* 4.*d.*17. D.Bonauent.2.*p art.*2. *quæst.*2. Gabriel.*quæst.*2.*art.*3.*dub* 1. Durand.*qua.*10.*nu.*6.

Maior *quæst. 2 art. 5.* Sylu. *confessio 2. quæst. 2.* Medin. Soto, Cano, & alij citati. Ratio est, quia aliter hoc præceptum impleri nequit: Exemplum est in præcepto audiendi sacrum, quod quamuis implere possimus in meridie, si tunc sacrum fiat, tenemur tamen implere hora tertia, si post illud non sit aliud sacrum.

9 QVAEST. *Quid censes de obliuioso, teneturne statim anni anni finem confiteri, ne peccata memoriam fugiant?* RESP. Affirmant Maior. *in 4. dist 14 quæst. 2* Marsilius *ibid. quæst. 12, articul. 1 p 4.* Medin *de pœnit quæstio 16.* Ratio eorum est, quia ex iure diuino tenetur integre confiteri, cũigitur obliuiosus non possit integrè confiteri, si expectet terminum anni, tenetur confiteri ante illum. Negant tamen Sot. *in 4. d. 8. quæst. 1. art. 4.* Ledesm. 2 *4. quæst. 5. art 3, dub 8.* Vict *relect. de pœnit. num. 132.* Cano *ibid part 5.* Nauar. *cap. 2 num. 35.* Sylvest *confess 1. qu. 2.* Ratio eorum est, quia iure diuino tenetur integre confiteri omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt tempore quo obligat præceptum. Sed Ecclesia suo præcepto declarauit, præceptum diuinum obligare intra anni fines, & non pluries, ergo tunc impletur integrè cum integrè dicuntur peccata memoriæ occurrentia facto diligenti examine. Atque hæc secunda sententia suauior est, & practicè secura.

10 QVAEST. *Quibus ex causis potest extra annum differri confessio sine violatione præcepti?* RESP. Omitto impotentiam absolutam: nimiam difficultatem, quæ quidem prudentis arbitrio iudicanda, vehementem suspicionem detectionis per confessarium infamationis, vel alterius grauis nocumenti circa illud peccatum, de cuius confessione talis est probabilis suspicio: non vero circa alia, vt probe adnotauit Suarius. Quæ causæ etiam excusant à iure diuino confessionis. De duabus causis controuertunt Doctores: *Prima* est impotentia confitendi per se sine adiumento interpretis. Affirmant Sylvest *confess. 1. numer. 15.* cum multis, quos refert Caietan. *confessio. condit. 11* Sot. *in 4. dist. 18. quæst 2. articu. 6.* Ledesm. 2. *4 quæst 8 art. 3.* Vict. *in sum. nume. 173.* Pet. Soto *lect. 5. de confess.* Medin. *qua. 19. de modo secretè confitendi.* Maior. *in 4. d. 17. ibid.* Palud. Qui Doctores præter Sylvestrum excu-

sant

sant etiam à præcepto diuino, etiam in articulo mortis, stando in vi præcepti. Ratio eorum est, quia nullus obligatur ad publicam confessionem, vt colligitur ex Trident. *sess.* 14. *capit.* 5. publica autem est confessio, quæ fit per interpretem, quia *in ore duorum stat omne verbum.* In hac re certum est præceptum Ecclesiasticum non obligare. Nam verba textus *capit. Omnis vtriusque.* sunt hæc. *Omnis fidelis teneatur solus confiteri sua peccata proprio sacerdoti.* Solus, dixit, non cum alio. Quidquid vero sit de præcepto diuino (de quo in materia de pœnitentia) certum etiam est, tunc non obligare, nisi adsit mortis periculum. *Secunda* causa est de eo, qui nequit, nisi per scriptum confiteri. Sed velim, vt dubium proponas.

11 QVAEST. *Non potest quis manifestare sua peccata sacerdoti præsenti, nisi per scriptum, quia vel ipse mutus est, vel sacerdos surdus, tenenturne ex vi huius præcepti confiteri?* RESP. Tenetur quidem. Ita Sylu. *confess.* 1. *quæstio.* 15. qui alios refert, præsertim D Thom. qui quidem hoc insinuat, *in* 4. *d.* 17. *quæst.* 3. *art.* 4 *qua.* 3. *ad* 2. Palud. *ibi. quæstio.* 2. Maior. *qua.* 1. *ad* 3. Caietan. *confess. condit.* 11. Pet. Sot. *lect.* 11. *de confess.* Ratio est, quia hoc præceptum obligat, cum commode potest impleri: sed tali modo potest absque damno impleri, ergo &c. Oppositum docuit Sotus *in* 4. *d.* 17. *art.* 2. *qua.* 5 Nauar. *cap.* 21. *num.* 36. Vict. *relect. de pœn. num* 173. Medin *qua.* 19. *de modo secretè confitendi.* Pet. Sot. *lect.* 5. *de confess.* & alij. Sed eorum fundamētum est falsum, nimirum, quia scriptura est signum manifestum, & publicum, nemo vero tenetur satisfacere publice: nam adhiberi potest diligentia, qua scriptum rumpatur statim, ne manifestentur peccata.

12 QVAEST. *Per quam confessionem impletur hoc præceptum annuæ confessionis:* RESP. Dico *primum.* Impletur per eam, per quam fit verum sacramentum. Ita Theologi *in* 4. *dist.* 17. vbi Durand *d.* 14. Sot. *d.* 18. *quæstio. prim. articu.* 3. Ledesm. 2. 4. *quæstio.* 8. *articul.* 2. *dub.* 12. Pet. Sot. *lect.* 8. *de confess.* Ratio est, quia hoc præceptum solum obligat ad recipiendum hoc sacramentum. Dico *secundum.* Non satisfit huic præcepto per confessionem fictam, qua quis fallit confessorem negando peccata.

Vel

Vel quando solum externe confitetur suam malam vitam, nullum tamen propositum emendæ, quales sunt prostitutæ meretrices, vsurarij publici, & alij peccatores impœnitentes. Ita Durand. *in 4 d. 17 quæstio 14.* Sot. *d. 18. quæst 3 art. 5.* Pet. Sot. *lect. 8. de pœn.* Nauar. *ca. 10. num. 4.* Medin. *quæst. 24. de confess ficta iteranda.* Adrian. *quæst. 5. de confess dub 4.* Ratio est, quia præceptum Ecclesiasticum solū est de determinatione tēporis, in quo obligat præceptum diuinum, vt docet Conc. Trid. *sess 14. ca. 5. can. 8.* diuinum vero præceptum non impletur, nisi vera confessione. Scio oppositum docuisse Alensem *p. 4. qua. 77. memb. 5. art. 7.* Gab. *in 4 d. 17. qu. 1. art 3. dub. vlt.* Paluđ. *qua. 7.* Sylu. *confess. 4 qu.* . Victor *num* 163 existimantes satisfieri huic præcepto per quamuis externam confessionē, quia inquiunt, Ecclesia non præcipit actus internos, & *in ca. Quod quidem, de pœn & remiss.* admitti iubentur tales pœnitentes. Dico tamen Ecclesiam per accidens habere vim in actus internos, cum sine ijs exerceri nequeunt actus externi, vt videre est in præcepto orationis, sub quo cadit attentio, & deuotio interna. *Cap.* vero citatum est antiquius *cap. Omnis*, & ideo non gignit argumentum efficax. Dico *tertium* Non satisfit huic præcepto per externam confessionem, si ex aliquo, licet iusto euentu, sacramentum non fuit confectum. Ita Doct. Suar. *tom de pœn.* Ideo hi Auctores exponendi sunt, quo ad euitandas pœnas impositas ab Ecclesia non confessis, vt *in materia de pœnitentia* dicam, & *infra.*

13 QVÆST. *Quæ Ecclesiastica pœna imposita est transgressoribus huius præcepti?* RESP. In iure communi nulla est certa pœna imposita, sed solum imponenda. Ita *capit. Omnis vtriusque.* Arceantur ab ingressu Ecclesiæ, & careant Ecclesiastica sepultura, quæ pœnæ requirunt ferendam iudicis sententiam, iuxta cuius iuris tenorem recte dixit Cano. *de pœnit. p. 5. fol. 122.* requiri ad hanc pœnam, manifestationem transgressionis. In synodalibus tamen constitutionibus apponitur pœna excommunicationis ipso facto incurrenda transgressoribus huius præcepti. Quoniam vero hæc pœna non requirit probationem, incurritur etiam si crimen sit occultissimum. Vnde constat quam falso opinatus sit Durand. *in 4. d 17. quæst. 14.*

Eccles-

Ecclesiam non posse punire hoc crimen contra sensum omnium Catholicorum Doctorum.

14 QVÆST. *Incurruntne hanc pœnam, qui ficte confitentur, non habentes propositum emendæ, quales sunt meretrices prostitutæ, & publici vsurarij?* RESP Certum est puniri hac pœna, qui in exteriori foro, se præsentat parocho confessori, tanquam subditus Ecclesiæ, notorius peccator sine proposito relinquendi malam vitam, etiam in exteriori foro. Ita Cord. *in sum. Hispan qu.* 15. Ratio est, quia iste etiã exteriori foro transgreditur hoc præceptum. Res est dubia cũ quis solo in interiori foro inuenitur à sacerdote incapax absolutionis: etiã tunc affirmat Sua. & Cordoba *loco citato*. Ratio est, quia iste in foro exteriori adhuc non recipit sacramentum. Res est multo magis dubia, de impœnitente ex malitia, & incapace sacramenti, absoluto tamen à sacerdote ignorante illius impœnitentiam & fictionem, quia pœnitens se præsentat Ecclesiæ, in foro exteriori. Affirmant plurimi nullas tamen impœnitentem, & absolutum incurrere pœnas Ecclesiæ, quia inquiunt Ecclesia solum præcipit actus externos. Oppositum docet Magister Suarius. Ratio eius est, quia cum actus externi qui præcipiuntur, nequeunt fieri absque actu interiori, talis actus interior per accidens cadit sub Ecclesiæ potestatem. Item potest punire actus externos, qui informantur actu interiori, vt actus hæreticales, & similes. Non incurret vero has pœnas, qui bona fide confitetur, sed ex defectu occulto non recipit veram absolutionem. Ita Suarius. Sed existimat incurri huiusmodi censuram, quia Ecclesia præcipit, vt quis externe confiteatur vero animo, & intentione recipiendi sacramentum. Et quamuis Ecclesia non possit præcipere meros actus internos, quia non judicat de interioribus, potest tamen præcipere actiones exteriores, quæ vt debite fiant requirant actum interiorem, vt est oratio externa, & potest punire actus externos, quia informantur actu interiori, vt actus hæreticalis, per accidens occultus: & punire actus interiores, quia non informantur vero, & debito actu interiori, vt possit excommunicare, qui baptizaret exterius sine intentione baptizandi, qui oraret exterius, sine mentis intentione, &c. vt constat ex materia de legibus.

15 QVÆST.

15 QVAEST. *Ex quibus signis colligetur peruenisse iam quemuis ad annos discretionis?* RESP. Cum puer ob malè factum verecundatur, & interrogatus, an liceat innocentem interficere, aliena inuadere, superiori maledicere, & alia huiusmodi, negatiue respondet, & interrogatus, an bonum sit esurienti panem porrigere, adire Ecclesias, affirmatiue respondet. Ita Nauar. *capit. 21. numer. 33.*

16 QVÆST. *Vbi continetur hoc præceptum?* RESP. Continetur *cap. Omnis vtriusque de pœnit. & remiss.*

De Communione in Paschate. §. 4.

1 *Quo in loco continetur præceptum, de Eucharistia sumenda.*
2 *In quo differt præceptum hoc à confessionis præcepto.*
3 *Qua anni parte debet adimpleri hoc præceptum.*
4 *Peccatne contra hoc præceptum excommunicatus non communicando, per quem non stat, vt absoluatur.*
5 *Quoties obliget hoc præceptum.*
6 *An possit sacerdos absque transgressione huius præcepti communionem prorogare.*

1 QVAESTIO. *Vbi continetur præceptum Ecclesiasticum de Eucharistia sumenda?* RESP. Continetur *capit. Omnis vtriusque de pœnit. & remiss.*

2 QVÆST. *In quo differt hoc præceptum à præcepto confessionis?* RESP. In duabus præcipue rebus. *Primo.* Quia debet impleri statuto tempore, ita vt illi non satisfiat per communionem intra annum susceptam, vt satisfit præcepto confitendi per confessionem intra annum factam modo supradicto. *Secundo.* Quia qui omisit tempore debito communicare, transacto eo, non tenetur eo præcepto, sicut qui non audiuit sacrum die festo, vel non ieiunauit die præstito, non tenetur altero die sacrum audire, vel à cibo abstinere. Oppositum verò dixi *supra de præcepto annuæ confessionis.* Ita Tolet. *lib. 6. cap. 18.* cum plurimis, quos citat.

3 QVÆST.

3 QVÆST. *Qua anni parte adimplendum est hoc præceptum?* RESP. Iuxta *cap. Omnis vtriusque* in die Paschatis Sylu. *Euchar.* 3. ait implendum à die Iouis sancti, vsque ad diem Paschatis. Iuxta vero Eugen. IV. test. Nauar. *Cap.* 21. *num.* 45. à Dominica Palmarum inclusiue, vsque ad Dominicam in Albis, inclusiue. In Hispania autem ex priuilegijs Clem. VIII. qualibet die quadragesimæ, vsque ad Dominicam in Albis inclusiue. Nisi confessarius aliter expedire iudicauerit. Dixi. Nisi confessarius aliter expedire iudicauerit. Quoniam tunc non peccat talis contra hoc præceptum vsque ad illud tempus prorogatum. Causa vero iusta prorogationis non est ipsum peccatum, vel peccati occasio, quam impœnitens tollere non vult. Talis enim causa est iniustissima, sed expectata maior deuotio, vel maior experientia firmi propositi, & perseuerantiæ. Vel alia similis. Notat Viuald. *de Eucharist.*

4 QVÆST. *Est quis excommunicatus, verumtamen per eum non stat, vt absoluatur, rogo an peccat contra hoc præceptum non communicando?* RESP. Minime. Ita Nau. *capit.* 21. *num.* 45.

5 QVÆST. *Quoties obligat hoc præceptum?* RESP. Oliuiter in anno. *capit. Et si non frequentiue. d.* 1 *de consecrat.* Nimirum in Paschate, Pentecoste, & Natali. Nunc vero ex præcepto *cap. Omnis vtriusque.* solum obligamur semel in anno.

6 QVÆST. *Potestne absque transgressione huius præcepti à proprio sacerdote prorogari communio, cum ita expedire iudicauerit?* RESP. Potest, ita habetur dicto *capit. Omnis vtriusque.* Notat Viuald. *de Eucharist. tiul. de sacerdot. num.* 10.

De soluendis decimis. §. 5.

1 *Vbi continetur hoc præceptum.*
2 *A quo accepit Ecclesia occasionem, vt præciperet decimas.*
3 *Sub qua pœna obligat hoc præceptum.*
4 *Quantæ sint decimarum species.*

5 An

5 *An decimæ prædiales debeantur ex omni fructu collecto.*

6 *An debeantur decimæ Ecclesiæ ministris ex solo iure humano.*

7 *An promittat Deus aliqua bona ijs, qui rectè decimant.*

1 QVAESTIO. *Vbi continetur hoc præceptum?* RESP. Continetur *cap. Tua nos de decimis.* & alijs canonibus. Qua de re D. Thom 2-2. *quæst.* 87. & Summistæ *verb. Decimæ.*

2 QVÆST. *Vnde habuit occasionem sancta Ecclesia ad præcipiendas decimas?* RESP. Ex præcepto diuino iudiciali, imposito populo scriptæ legis, in sustentationem ministrorum templi, qui agriculturæ vacare non poterant. *Leuit.* 23.

3 QVÆST. *Sub cuius culpæ reatu obligat hoc præceptum?* RESP. Sub mortali, secundum omnes Doctores, vbi consuetudo est, vt decimæ soluantur.

4 QVÆST. *Quot sunt species decimarum?* RESP. Tres. Quædam sunt *prædiales*, quæ soluuntur ex terræ fructibus vtpote oleo, frumento, vino, & alijs eiusmodi. Quædam sunt *personales*, quæ soluuntur ex fructibus, quos homo facit sua industria, vt ex venatione, negotiatione, & alijs actibus. Quædam sunt *mixtæ*, quæ quidem partem ex vno, partem ex altero habent: quales sunt decimæ, quæ soluuntur ex fœtu animalium, quæ animalia indigent industria humana.

5 QVAEST. *Decimæ prædiales debenturne ex omni fructu collecto, an deducenda sunt prius expensæ, & semina terræ mandata?* RESP. Ex omni fructu percepto. Ita Tolet. *libr.* 6. *cap.* 20. Nau. *ca.* 21. *num.* 31. latè.

6 QVAEST. *Debenturne decimæ ministris Ecclesiasticis ex solo iure humano?* RESP. Decimæ quo ad quoram (ita vocant) id est, quo ad certam, & determinatam partem debentur ex solo iure Ecclesiæ, quæ sua lege certam portionem, & partem suis ministris assignauit. At vero quo ad congruam sustentationem, debentur ex ipso iure naturali, circa quod *dignus est operarius mercede sua.* Luc. 10.

Ita

Ita D. Thom. *quodlib.* 2. *art.* 8. & *quodlib.* 6. *art.* 10. & 2. 2. *qu.* 87. *art.* 1. *ibid.* Caiet. Nau. *cap* 21. *num.* 88.

7 QVÆST. *Quæ bona promisit Deus ijs, qui rectè decimant?* RESP. Magna quidem. Nam Malach. *cap.* 3. ita inquit. *Inferte omnem decimam in horreum: & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem, vsque ad abundantiam, & increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ, nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum* Ecclesiastici vero *capit.* 25. ita inquit. *Non minuas primitias manuum tuarum, in exultatione sanctifica decimas tuas: quoniam Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi.*

CAPVT IX.

De Excommunicatione.

Definitur Excommunicatio. §. 1.

1 *Quid est excommunicatio.*
2 *Quæ sunt communia fidelium bona.*
3 *An excommunicatus iam in gratia existens, priuetur Ecclesiæ suffragijs.*
4 *An excommunicatus, per quem non stat, vt absoluatur, fruatur Ecclesiæ suffragijs.*

1 QVÆSTIO. *Quid est excommunicatio?* RESP. Est Ecclesiastica censura, qua homo Christianus bonis fidelium communibus priuatur. Ita Tolet. *libr.* 1, *capit.* 4.

2 QVÆST. *Quæ sunt fidelium communia bona, quibus per Ecclesiæ potestatem Christianus priuari potest?* RESP. Tria. Nimirum ista exterior *conuersatio*; quæ in mutuo colloquio, & conuictu consistit, *Secundum*, Sacramentorum participatio. *Tertium*, Orationes, & suffragia Ecclesiæ. Quamobrem ista censura appellatur excommunicatio, quasi à communi bono separatio.

3 QVÆST. *Priuaturne excommunicatus orationibus, & suffragijs Ecclesiæ, licet peccatorum facta pœnitentia gratiam sit adeptus?* RESP. Probabile est non priuari. Ita censuit Diu. Thom. *in 4. d. 18 qu. 2 art. 1. ad 2.* & cum eo Toletus *lib. 5. capit. 4.* Sicut nec etiam priuatur orationibus particularibus, quas persona particularis pro illo fundit. Ita Hostiensis *in sum. de sent. excom. num. 17.*

4 QVÆST. *Si per excommunicatum non stat, vt obtineat absolutionem, fruiturne communibus Ecclesiæ suffragijs?* RESP. Fruitur. Ita Turrec. *in ca. Si quis Episc. 11. qu. 3.* Richar. *in 4. d. 18* D. Anton. *3 p tit. 24. ca. 7.* argumento text. *in cap. Dixit.* & *c. Magna* iuncta Gloss. *de pœn. d. 1.*

De excommunicationis diuisione. §. 2.

1 *Quotuplex est excommunicatio.*
2 *Discrimen inter anathema & excommunicationem.*
3 *Quæ est excommunicatio à iure, quæ ab homine.*
4 *Vnde colligetur excommunicationem esse à iure, vel ab homine.*
5 *Discrimen inter excommunicationem à iure vel ab homine.*
6 *Quæ excommunicatio intelligenda est, quæ absolutè profertur.*

1 QVÆSTIO. *Quotuplex est excommunicatio?* RESP. Duplex, maior, & minor. Maior est, quæ priuat illis tribus communibus bonis supradictis. Minor, quæ priuat sola passiua participatione sacramentorum, *cap. si celebrat. de cler. excomm. minist.*

2 QVAEST. *Qua in re differt anathema ab excommunicatione?* RESP. Non differt in vinculo: nam idem est, vt dicit Abbas *in cap cum ab Eccles. num. 5. de offic. ordin.* Differt tamen quo ad solemnitatem, cuius forma habetur *in qu. 3. cap. Debent.* Et inferre tale anathema solum est Episcoporum, iuxta Gloss. communiter receptam *in cap. cum ab Ecclesiarum de offic. Ordin.* & *ibi* Abbas *num. 5.*

3 QVÆST.

3 QVAEST. *Estne alia excommunicationis subdiuisio?* RESP. Maxime. Est enim alia excommunicatio à iure, alia ab homine. A iure est, quæ per aliquem canonem vel statutum, vel constitutionem fulminatur. Ab homine est, quæ per aliquem iudicem fertur. Vtraque aut est ipso iure, seu facto, quæ scilicet statim contrauenientes obligat absque alterius sententiæ exspectatione. Alia comminatoria, quæ scilicet expectat iudicis sententiam, vt liget.

4 QVÆST. *Vnde agnoscemus, esse excommunicationem ipso iure, aut comminatoriam?* RESP. Si tradatur hac forma, *sit excommunicatus; habeatur pro excommunicato*, est ipso iure, si autem tradatur verbis, *sub pœna excommunicationis, excommunicetur*, vel similibus, est comminatoria. Ita Gloss. *capit. Si quis ex clericis, de vita & honest. cleric.* Abb. *in cap. in quibusdam num. 6. de pœn.* Late Tiraquel. *L. si vnquam §. reuertatur.*

5 QVÆST. *Quod est discrimen inter excommunicationem à iure, & ab homine?* RESP. A iure semper est generalis. *cap. Vt animarum §. statuto. de constit. lib. 6.* Gloss. *cap. Romana de sentent. excomm. eodem lib.* Ab homine vero aliquando est generalis, aliquando particularis: contra scilicet determinatam personam *capit Romana citato.* Secundum discrimen Posita ab homine cessat cessante vita iudicis, vel quando ab officio remouetur, ita nimirum, vt iam non liget contrauenientes, non vero desinit ligare, iam ante iudicis mortem ligatos. Ita Abb. *capit. à nobis citato ibi* Felyn. *numer. 8. de sentent. excommun.* Posita autem à iure durat etiam post obitum iudicis, dum ius ipsum durat. Ita Panorm. *cap. Nobis 1. numer. 12. de sentent. excom.* communiter receptus. Tertium discrimen. Ab excommunicatione à iure, & non reseruata, potest Episcopus absoluere: non vero ab excommunicatione ab homine: *cap. Pastoralis. §. præterea. de offic. iud. ordin.* Quartum discrimen: Excõmunicatione à iure ligantur contrafacientes intra territorium legislatoris, quamuis tempore legis latæ, vel delicti non essent subditi respectu originis, vel domicilij. Ita Gloss. *capit. A nobis 1.* vbi Abbas. *numer. 6.* & Felynus *nu. 1.* Quintum discrimen excommunicatio inducta per statutum Archiepiscopi Metropolitani ligat

non tantum subditos proprios ipsius Archiepiscopi, ratione diœcesis, quam habet distinctam à suis suffraganeis, sed & eos qui suffraganeis subditi sunt, & singulos totius prouinciæ. Excommunicatio vero lata per sententiam Metropolitani tantum, afficit eos qui sunt diœcesis ipsius Metropolitani, & non suffraganeorum. Glos. *in cap. Romana § porro de sententi. excommun. lib. 6.* Doctores *in cap. A nobis. 1. citato.* Limitat vero Henric Boic. *dicto cap. A nobis. num. 6.* respectu statuti editi in Concil. Prouinciali: alias si fieret in Concilio synodali, non ligaret, nisi subditos suæ diœcesis.

6 Qvæst. *Pro qua excommunicatione accipienda est, qua absolutè profertur à iudice nulla facta mentione maioris, vel minoris?* Res p. Pro maiori. Ita habetur *cap penult. de sent. excommun.* Ratio est. Quia excommunicatio maioris tantum est absolutè excommunicatio, & simpliciter; minor vero, est secundum quid: verba autem absolutè prolata sumuntur in significatione sua simpliciter. *L. Non aliter ff de leg. 3.*

De ijs, qui possunt excommunicare. §. 3.

1 *Qui possunt excommunicare.*
2 *An possit fœmina.*
3 *An possit laicus.*

1 Qvæstio. *Qui excommunicare possunt?* Resp. Potest Papa, Concilium Generale, Concilium Prouinciale, Abbates, Generales Ordinum, Prouinciales, Guardiani. Denique omnes habentes iurisdictionem Ecclesiasticam in exteriori foro. Non potest vero fœmina. *cap. Dilecta de maior & obedient.* Nec laicus. *can. bene quidem d. 96.* adiuncta Glos. Abb. *in capi. Eccles. sancta Mariæ. num. 5. de constit.*

2 Qvæst. *Potestne fœmina ex commissione Papæ excommunicare?* Resp. Potest. Ita Panor. *capit. Decernimus de iudic* D Anton. 3 *p. tit. 25. cap. 75.*

3 Qvæst. *Potestne laicus ex commissione eiusdem Papæ?* Resp. Potest. Ita & sequitur, & ostendit Toletus *lib. 1. cap. 6.*

De

De subiecto capace excommunicationis. §. 5.

1 QVAESTIO. *Qui possunt excommunicari?* RESP. Homo determinatus, baptizatus, viuus, inferior, subditus, idem dico de fœmina. Dicitur determinatus, quia tota ciuitas, aut collegium, simul excommunicari non possunt, nisi in particulari excommunicandi distinguantur. Ita habetur *cap. Romana. §. in vniuersitatem, de Sentent excommun. in 6.* Sufficeret, si ratione criminis excommunicarentur: tunc enim non est periculum, vt excommunicatio cadat super innocentes, expositionem longiorem legito apud Toletum *lib. 1. cap. 7.*

Ob quam causam ferri possit excommunicatio. §. 1.

1 *De causa excommunicationis.*
2 *An possit ferri ob solum peccatum præteritum.*
3 *An ferri possit pro transgressione præcepti leuis.*
4 *An contrahatur non commisso peccato mortali.*

1 QVÆSTIO *Ob quam causam ferri potest excommunicatio?* RESP. Ob solum peccatum mortale. *capit. nemo can. nullus. 11. qu. 1. ca. 1. de iud. ca. Sacro. de sent. excommun.*

2 QVAEST. *Ob solum peccatum præteritum ferri potest excommunicatio?* RESP. Minime, nisi adsit contumacia præsens: nempe quando admonitus, vt desistat à peccato, id renuit facere. Quod si paratus est corrigi, nõ incurrit excommunicationem *can. nemo allegato.* Tradit Pano. *capit Reprehens. num. 3. de appell. cum communi.* Scio tamen oppositum esse probabile, circa excommunicationem Papalem in pœnam puram præteriti criminis, sicut suspendi quis potest. Ita Toletus. *lib. 1. cap 8.*

3 QVÆST. *Potestne superior ferre excommunicationem in futurum, ob transgressionem rei leuis?* RESP. Minime. Neque talis excommunicatio ligabit transgressores. Aduertendum tamen est aliquando ferri excommunicationem iusta de causa in communi, quæ in particulari

non esset iusta, nec ligaret: tamen considerata causa in communi, obligat etiam in particulari: vt si excommunicentur, qui vinearum fructus surripiunt, vel surripuerunt, nisi restituant, iusta est causa in communi, quia mortale est furtum notabilis quantitatis, & ideo excommunicatio obligat singulos, vt restituant sub mortali. Ita Sotus. 4. d. 22. qu. 1. art. 2. Tolet. lib. 1. cap. 8.

4 QVAEST. *Cum igitur certum est me non peccasse mortaliter in tali facto, incurrone excommunicationem latam ob illud?* RESP. Minime. Adnotat Palud. 4. dist. 18. qu. 1. art. 2. & Toletus *proxime*. Hinc colliges non incurrere excommunicationem illum, qui aliquid clam surripuit in iustam recompensationem, quia alia via debitum recuperare non poterat. Ita Couarr. cum plurimis, lib. 1. reso. cap. 2. num. 15. Sylvest. furtum. nu. 19. Neque item debitorem, qui excommunicatur ob debitum, cum non est soluendo: ligatur tamen cum primum potest. Ita Toletus *proxime*. Neque item, qui non reuelat crimen occultum, & iam emendatum, vel quod probabiliter speratur emendandum, adhibita fraterna correctione. Ita sanctus Thomas 2. 1. qu. 33. art. 7. ad 3. Neque item, qui non producit occultas scripturas, quæ cedunt in graue detrimentum iustitiæ producentis. Neque item, qui in iudicio non detegit crimen, quod probare non potest, secus si iuberetur solum denunciare ad correctionem delinquentis, qui non acquieuit fraternæ correctioni.

De ignorantibus excommunicationem. §. 6.

1 *An liget ignorantes illam.*

2 *Quotuplex ignorantia.*

3 *Quæ ignorantia excusat ab excommunicatione.*

1 QVAESTIO. *Ligatne excommunicatio ignorantes illa imposita, ob tale crimen?* RESP. Nulla excommunicatio, tam à iure, quam ab homine ligat ignorantes. Ratio est, quia ad excommunicationis contractionem requiritur contumacia: non est vero contumacia, vbi est ignorantia.

2 QVAEST.

2 QVAEST. *Quotuplex eſt ignorantia?* RESP. Duplex, alia iuris, alia facti. Facti ignorantia datur, cum facio rem, quam non puto me facere, vt verbi gratia, licet ſciam me occidere hominem, neſcio eſſe clericum. Iuris ignorantia datur, cum ignoro in iure eſſe poſitam pœnam excommunicationis percutienti clericum: ac proinde licet percutiam clericum, ignoro eſſe talem pœnam poſitam. Rurſus ignorantia iuris, alia eſt iuris communis: alia iuris particularis. Præterea ignorantia alia eſt inuincibilis, quam iuriſperiti appellant probabilem. Alia vincibilis, ſeu improbabilis, & hæc aut eſt craſſa, aut ſupina. Eſt vero ignorantia inuincibilis, in eo, qui, quæ ſcire debuit, non potuit, vel ſi potuit, non debuit.

3 QVÆST. *Quæ igitur ignorantia excuſat ab excommunicatione?* RESP. Dico *in primis* Ignorantia facti, ſiue liciti, ſiue illiciti ſecundum ſe excuſat ab excommunicatione, cum inuincibilis eſt: non vero, cum eſt craſſa. Ita Doctores communiter, & conſtat ex *capit. Si vero de ſentent. excommunicat.* Dico *ſecundo.* Ignorantia iuris, ſeu communis, ſeu particularis craſſa, vel ſupina, non excuſat ab excommunicatione. In hoc etiam Doctores concordes ſunt. Dico *tertio.* Ignorantia iuris particularis, cum inuincibilis eſt, excuſat ab excommunicatione, cum factum erat alias licitum. Ita habetur abſque controuerſia, *capit. Vt animarum. de conſtitut.* Dico *quarto.* Ignorantia inuincibilis iuris particularis circa factum ex ſe illicitum excuſat ab excommunicatione. Non omnes in hoc conueniunt, veruntamen ita tenet Anchar. *cap. Vt animarum. numer. 6.* Adrian. *quæſt. 1 de Clau except. 5.* Dico *quinto.* Ignorantia iuris communis excuſat ab excommunicatione. Ita D. Anton. 3. *p. tit. 25. capit. 33.* Angel. *excommunicatio. 7. cap. vlt.* Sylu. *Ignorantia. nu 16* Sot. 4. *ſent. d. 23. quæſt. 1. art. 2.* cum alijs multis. Ratio eſt, quia non dicitur contumax contra canonem Eccleſiæ, qui probabiliter illum ignorat. Et hanc ignorantiam tam iuris communis, quam iuris particularis oſtendit Toletus excuſare etiam circa factum ex ſe ipſo illicitum, cui annexa eſt cenſura. *lib. 1. cap. 8.*

De adiuuantibus causam excommunicationis. §. 7.

1 *An excommunicatio comprehendat adiuuãtes causam excommunicationis.*
2 *Licet effectus non consequatur.*

QVAESTIO. *Cum excommunicatio, seu à iure, seu ab homine fertur contra facientes, comprehenditne mandantes, consulentes, fauorem, vel auxilium præstantes?* RESP. Minime. Nisi tenore verborum id exprimatur, aut alijs iuribus id habeatur declaratum. Ita communiter Doctores, quos affert Iul. Clar. *prax. crim. quæst.* 86. §. 2. Caiet. *verbo excom.* cum alijs.

2 QVAEST. *Cum excommunicatio fertur circa facientes, & mandantes, & consulentes, comprehenditne eos, si effectus non sequitur?* RESP. Minime, ita Gloss. *cap. In audientiam. §. iniuriarum de sentent excommunic.* Couarru. *in rubric. de homicid. 2. p relect. numer quinto.* Quod intelligo, nisi aliter exprimatur in ipsa excommunicatione, vt exprimitur in ea, qua excommunicantur religiosi, qui concionantur animo contrahendi auditores à solutione decimarum, quamuis non retrahant. Clementina *Cupientes de pœnis. §. 1.*

Quæ sit forma excommunicationis. Quæ ceremoniæ ad illius valorem requiruntur. §. 8.

1 *Quæ sit forma.*
2 *Quæ ceremoniæ seruandæ.*
3 *De necessitate obligante ad restringenda interualla motionum.*
4 *Quod interuallum satis sit.*
5 *An liceat aliquando omittere monitionem.*
6 *An sit apponenda causa in scripto.*

1 QVAESTIO. *Quæ verborum formæ seruanda in ferenda excommunicatione?* RESP. Non sunt determinata verba, sub quibus excommunicatio ferenda

renda est, satis est dicere, sit anathema, excommunicetur: à communione separetur. Ita Hostien. *in sum. de sent. excommun. §. qualiter in principio.*

2 QVÆST. *Quæ ceremoniæ seruandæ in ferenda excommunicatione?* RESP. In ferenda excommunicatione ob præteritum peccatum cum contumacia, necesse est, præcedat trina monitio, cum competentibus interuallis. Ita decernitur *capit. Constitutionem. in sexto.* sufficit autem vna admonitio pro tribus datis tribus interuallis, nisi facti necessitas persuaserit ista interualla moderanda, iuxta *cap. Constitut.* citatum.

3 QVÆST. *Quæ necessitas sufficit ad interualla trium monitionum restringenda?* RESP. Si partes essent ad rixam, & arma paratæ, nec curarent admonitionem Episcopi. Ita Gloss. *eiusdem cap. Constitut.*

4 QVÆST. *Quod spacium assignandum cuique interuallo admonitionum absque necessitate restrictionis?* RESP. Spacium duorum dierum. Quando autem admonitio fit, debent dari sex dies, exprimendo, vt duo primi sint pro prima: secundi pro secunda: tertij pro tertia admonitione. Ita *Gloss. proxime citata.*

5 QVÆST. *Estne casus, in quo liceat excommunicare absque præuia admonitione?* RESP. Maxime. Si quis propter delictum aliquod ligatus est excommunicatione à iure, excommunicari potest ab homine absque præmissa monitione. Ita adnotauit Abb. antiquius *capit. Reprehensib. de apellat.* & Panormit. *eod. capit. numer. 5.* Toletus *libr. 1. capit. 9.*

6 QVÆST. *Requirituine alia ceremonia ad ferendam excommunicationem?* RESP. Requiritur, vt feratur in scriptis, in quibus exprimatur causa excommunicationis. Ita habetur *cap. Cum medicinalis, de sentent. excommunic. in sexto.* Hoc intelligo, nisi esset periculum in mora, si in scriptis daretur. Ita Angel. *excommun. 2. §. 3.* Gloss. *cap. Cum medic. de sentent. excommun. verbo. Temerarius.* Lapus *allegat. 73.* Felyn. *cap. Sacro num 7.*

De intentione excommunicantis, à qua pendet excommunicationis vis. §. 9.

1 *An pendeat ab intentione excommunicantis.*

2 *An pendeat ab intentione petentis excommunicationem.*

3 *An qui petit excommunicationem, possit prorogare tempus incurrendi.*

1 QVAESTIO. *Pendetne excommunicatio ab intentione ferentis illam?* RESP. Pendet ab eo, quod si non intendat ligare, sed tantum terrere, non ligat. Ita Panormitan. *cap. Ex parte num. 6. de offic. Ordin.*

2 QVAEST. *Pendetne ab intentione illum petentis?* RESP. Pendet, & ideo si quis petit sententiam excommunicationis ferri in eos, qui sibi ablata non restituunt, & tamen non intendit filios ligare, quamuis excommunicatio generalis sit, filij furantes non ligantur: Ita Angel. *excommunic. 3. §. 16.* Quia officium iudicis requisiti, non excedit intentionem requirentis. Hinc sequitur, quod si pars velit non incurrere excommunicationem, debitorem, ita excommunicatum, si non soluat intra certum tempus, excommunicationem non incurrere, si non soluat.

3 QVAEST. *Poteritne pars prorogare terminum præfixum solutioni, ita vt si fuerit duorum mensium, proroget ad tertiũ, & tunc velit ligari, non vero antea?* RESP. Probabilius est posse. Ita Panormit. *capi. Præterea 2. de appell. num. 4 ibid.* Decius, Toletus *lib. 1. cap. 9.*

De causæ expressione, claritate, & modo quo manifestanda est. §. 10.

1 *An requiratur expressio causæ.*

2 *An causa debeat esse manifesta.*

1 QVAESTIO. *Tenetne excommunicatio, quæ fertur absque causæ expressione?* RESP. Tenet. Ita Hostiensis *cap. Per tuas numer. 3. verbo quod si dicatur. de sentent. excommun.*

2 QVAEST. *Causa excommunicationis debet esse manifesta?* RESP. Debet, nec sufficit, vt sit nota ipsi soli excommunicanti, *cap. Si tantum. cap. Placuit. 6. quæst. 2.* Abbas. *ca. Sacrorum. 4* ibidem Felyn. *num. 1. de sent. excomm.* Gloss. *in dicto cap. Si tantum. verb. iubeatur.*

De

De pœna non seruantis ordinem excommunicandi. §. 11.

1 *De pœna omittentis trinam monitionem.*
2 *De pœna excommunicantis voce non scripta.*
3 *An hæc pœna comprehendat omnes excommunicantes.*

1 QVAESTIO. *Quæ pœna imposita est ferenti excommunicationem absque præmissa monitione trina?* RESP. Interdicitur per mensem ab ingressu Ecclesiæ. *capit. Sacro. de sent. excom.*

2 QVÆST. *Quam pœnam incurrit ferens excommunicationem voce, non scripto?* RESP. Suspensionem per mensem ab ingressu Ecclesiæ, & participatione diuinorum officiorum, ita vt exercens actum aliquem ordinis intra talem mensem, fiat irregularis à solo Papa dispensabilis. *capit. cum medicin. de sentent. excom. in 6.*

3 QVÆST. *Istæ pœnæ ligantne omnes ferentes absque præmissa monitione, & in scriptis excommunicationem?* RESP. Minime, neque enim ligant Episcopos, aut superiores Prælatos, quia in ijs non fit eorum expressa mentio, vt fieri debet ad contrahendum ab eis ipso facto iuris suspensionem, iuxta *cap. Quia pericul. de sentent. excommunic. in 6.* Nec item superiores Religionum. Ita Lapus *allegation.* 73, Felyn. *cap. Sacro num.* 7. Nam in istis prælatis, non seruatur iuris ordo, sicut in sæcularibus. Durum enim esset prælato regulari, qui sæpius in die, monet, increpat, & præcipit subditis habere pennam, & papyrum, & ante scribere, quam sup. pœn. excom. mandare.

Qui sunt effectus maioris excommunicationis. §. 12.

1 *Numerantur huiusmodi effectus.*
2 *Quæ sunt externa communia bona.*
3 *De valore contractus facti cum excommunicato.*
4 *An excommunicatus possit agere in iudicio.*

5 *An*

5 *An aliquis contractus factus cum excommunicato sit inualidus.*

9 *An possit manere sub eodem tecto, sed sub diuersis locis.*

1 QVÆSTIO. *Qui sunt effectus maioris excommunicationis?* RESP. *Primus* est priuare communibus Ecclesiæ suffragijs, ita vt nec missas, nec publicas orationes liceat pro eo fundere, aut celebrare nomine scilicet ipsius Ecclesiæ, nam nomine particularis personæ possunt quæcunque orationes pro excommunicato offerri. Ita D. Thom. *in 4. d. 18. quæst. 2. artic. 1. quæst. 1. ad 1.* etiam in memento missæ, vt ait Sylu. *excommun. 1. § 2. Secundus* effectus, est priuare susceptione sacramentorum tam actiua, quam passiua, ita vt nec sacramenta ministrare, nec suscipere absque mortali peccato possit. Ita Doctores *in can. Euangelium 3. quæst. 4. Tertius* effectus est, priuare exterius quibusdam bonis communibus.

2 QVÆST. *Quæ sunt externa communia bona, quibus excommunicatio priuat excommunicatum?* RESP. Continentur quidem in hoc versu.

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.

Negatur *os*, id est, collocutio, quouis modo, verbo, signo, scripto prolata. Negatur *orare*, id est, simul cum alijs diuinis interesse, sacro audiendo, orando, recitando, cantando in choro, diuinis officijs adesse, sacramenta suscipere. Negatur *Vale*, id est, salutatio, honoris exhibitio aperiendo caput, donorum missio, & simile quid. Negatur *Communio*, id est, humanus, & ciuilis contractus. Negatur *Mensa*, id est, simul in vna mensa conuesci, in vno lecto dormire.

3 QVAEST. *Valetne contractus humanus, & ciuilis factus cum excommunicato?* RESP. Si contrahit tanquam priuata persona, valet contractus in fauorem cum illo contrahentium, non verò in fauorem ipsius excõmunicati. Ita Hostiens. *ca. Si vere & ca. Veritatis de dol. & contumac.* Verumetiam in excommunicati fauorem valere, tenet Innocent. *cap. Veritatis num. 1. de dol. & contumac.* Abb. *nu. 35. sum. confess. lib. 3. tit. 33. qu. 1. 32. circa finem.* Sylu. *Excomm. 3. in fine.*

3. *in fine.* & ita obtinuit consuetudo, teste Henr Boic. *cap. Veritatis. citato num* 18. Licet excommunicatio sit publica, vt notat Tolet. *lib.* 1. *cap.* 11.

4 QVÆST. *Quoniam dixisti contractum factum cum excommunicato esse validum, rogo vlterius, an ipse excommunicatus agere possit in iudicio?* RESP. Minime. Ita tradunt Innocent. Abb Henriq. Boic. *supra* Ancharan *in cap. Pia. §. si quis numer.* 2. *versu. aut facit de except. L.* 6 & Probatur *ex capit. Intelleximus. de iud.* vbi responsio negatiua expres. se habetur.

5 QVÆST. *Esne aliquis contractus factus cum excommunicato inualidus?* RESP Maxime Nam si excommunicatus est beneficiatus, & contrahit super bonis Ecclesiæ, actus nihil valet capi. Veritatis. in fine. de dolo, & contumac. Ita docet Decius cum alijs, quos citat. *in capi. Pastoralis. §. verum coll.* 3. *de appell.* Quę doctrina intelligenda est de excommunicato publico: nam si est occultus, valent huiusmodi contractus. Ita Abb. *cap. Veritatis citato, num.* 3 Sylvest *excomm.* 3. *quæ* 15 *num.* 5. Toletus. *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 4.

6 QVÆST. *Poteritne excommunicatus manere in eadem domo, non vt simul conueniens, & habitans, sed tanquam in alia domo, quia sunt distinctæ cameræ:* RESP. Maxime. Ita respõdet Innoc. *ca Nuper. de sejent. excommun* Anton 3 *p. titul.* 24. *capit.* 2. Imo poterit habitare in eodem cubiculo, tanquam alienus habitator, iuxta Innocent *loco præallegato.*

Quæ culpa committitur, & quæ censura incurritur, ob communicationem cum excommunicato. §. 13.

1 De *culpa.*
2 De *pœna.*

1 QVÆSTIO. *Quæ culpa committitur in participatione harum dictarum rerum cum excommunicato?* RES P. Lethalis, si communicatur in diuinis: venialis, si communicatur in humanis.

2 QVÆST. *Quæ pœna incurritur, ob talem communicationem?* RESP. Omnes communicantes contrahunt minorem

rem excommunicationem, iuxta *capit. Nuper de sentent. excomm.* Si tamen clericus communicaret cum excommunicato à Papa sponte, & scienter in diuinis, Papalem contraheret excommunicationem, iuxta *cap. Significauit de sentent. excom.*

Qui excommunicati sunt euitandi. §. 14.

1 *Quos excommunicatos euitare tenemur.*
2 *Quis dicitur nominatim declaratus, & denunciatus.*
3 *Quid requiritur, vt quis nominatim denunciatur.*

1 QVAESTIO. *Quos excommunicatos euitare circa illa quinque, Os, orare, vale, &c. iubemur?* RESP. Solos notorios clerici percussores, & nominatim declaratos, atque denunciatos: cæteros vero, siue à iure, siue ab homine, etiam nominatim excommunicatos euitare, nec in humanis, nec in diuinis tenemur. Ita decreuit Martinus V. *in Extrauag. Ad euitanda.* Hic vero fauor non est ipsorum excommunicatorum, non enim ipsi se immiscere possunt siue in diuinis, siue in humanis. Sed semper tenentur abstinere à communione fidelium, vt notauit Nauar. *de pœn. d. 6. ca. 1. §. laboret.* Couar. *relect. cap. Alma mater. p. priori. §. 2. num. 11.* Tolet. *lib. 1. ca. 12.*

2 QVÆST. *Qui dicitur nominatim declaratus, & denunciatus excommunicatus?* RESP. Qui est, vt talis, sententia iudicis declaratus contraxisse excommunicationem, itaque poterit esse nominatim, & notorie excommunicatus, & qui sub pœna excommunicationis ipso facto iubeatur comparere, & ipse contumaciter non comparet, & tamen non est nominatim denunciatus, quia adhuc non dixit ipsum esse talem.

3 QVÆST. *Quid requiritur, vt nominatim denuncietur quis excommunicatus?* RESP. Vt nomine proprio expressio, aut alijs appositis signis, quæ significent illum esse excommunicatum, certe, & omni dubio procul. *L. Nominatim. ff. de cond. & demonst.*

Aliquan-

Aliquando incurritur maior excommunicatio agendo cum excommunicato. §. 15.

1 *Quando incurritur huiusmodi pœna.*

1 QVÆSTIO. *In quibus casibus incurritur excommunicatio maior, communicando cum excommunicato?*

Cum quis in primis cum excommunicato in eodem crimine propter quod excommunicatus est, participat, eadem excommunicatione innodatur. Ita habetur. *cap. nuper de sentent. excommun.* Participat autem, qui illi ad id crimen dat auxilium, aut fauorem, aut consilium, postquam propter illud fuit excommunicatus, non vero ante excommunicationem. Hoc vocant Doctores, participare cum excommunicato in crimine criminoso. Deinde qui communicat cum excommunicato de participantibus.

De ijs, ad quæ redditur inhabilis excommunicatus. §. 16.

1 *Ad quæ redditur inhabilis excommunicatus.*

2 *De inhabilitate ad fructus beneficij faciendi.*

3 *Cui cedunt fructus perditi ab excommunicato.*

1 QVÆSTIO. *Ad quid redditur inhabilis excommunicatus?* RESP. *In primis* ad beneficium suscipiendum: nam collatio beneficij facta excommunicato est ipso iure nulla. *ca. Pastoralis de cler. excom. minist.* Nec validatur collatio præterita, per absolutionem excommunicationis, sed indiget noua collatione. *ca. Postulasti. de cler. non ordin. minist. ibi* Gloss. & Doctores. *Deinde* quouis impetratio literarum à Papa, & quoduis rescriptum, nisi fit super articulum excommunicationis, vel appellationis, est ipso iure nullum. *ca de rescript. in 6. Tertio.* Non potest eligi ad beneficium Ecclesiasticum. *capit. Constitutis. 1 de appel.* ibi Glos. & cõsequenter, nec postulari, nec præsentari ad beneficium patronatus. Quia eadem est ratio electionis, postulationis, & præsentationis iuxta Gloss. *capit. Quoniam de election. in 6.* & Couarru. *capit. Alma mater. 1. p. §. 7. numer. 1. & 2.* Et idem esse de pensionibus censuit Gigas *tractat. de pension. qu. 24.* cui consentit Couar. *proxime*, & Toletus *li. 1. c. 13.* Item nec potest eligi in Regẽ, Imperatorem,

peratorem, vel ducem, & si eligatur, electio est ipso iure nulla. *cap. Venerabilem. de elect. Quarto* Non potest excommunicatus exercere actum Iurisdictionis. Imo facta per eum, cum publicus est, nulla sunt, & sententiæ per eum latæ, etiam nullæ. *capit. Ad probandum de sentent. & de re iud.* Ideo nec eligere, nec præsentare potest, & si faciat actus est nullus, *cap. Cum inter. in fine de elect. cap. Cum dilectus de consuet.* Ita dicunt Ioann. Andr. *capit. Pia. col. 3. in fine, de excep lib. 6* & Abbas *in cap. Ad probandum de rest. numer. 20.* Si tamen excommunicatio sit occulta, actus valet. Ita Abb. *proxime num. 15.* Felyn *num. 3.* cum communi opinione per *L. Barbarius. ff. de offic. presb. Quinto.* Non potest exercere actum ordinis cuiusuis. Imo si exerceat fit irregularis *cap. Cum medic de sentent excom. in 6.* & in Gloss. *Sexto:* Non illi manent obnoxij, qui illi promiserunt verbaliter, etiam cum iuramento, excommunicatione durante. *Can. non sanctorum. & can. iuratos 15. quæst. 6. Septimo.* Non potest accusare, testificari, patrocinari, procurare, *cap. Decernimus. de sentent. excomm in 6.* Nec reconuenire. *capit. Cum inter priorem. de except. Octauo.* Mortuus in excommunicatione priuatur ecclesiastica sepultura, & est exhumandus, si iam sepultus est. *cap. Sueris de sepult.* Hoc intelligo de nominatim denunciato, vel notorio clerici percussore. Per quem stetit absolutio ab excommunicatione, & ideo mortuus est in contumacia censuræ. Nam si confessus in articulo mortis, vel contritus, hoc est, dans signa contritionis externa obijt, absoluendus est ab eo, qui poterat censuram tollere, & humandus in loco sacro: si vero humatus est in loco profano, inde extrahendus. Ita Rosel. *absoluti §. 21.* Nauar. Manual. *cap. 26. num. 52.* notatque Rodericus *in Bulla §. 10. num. 1. Nono.* Clericus per seuerans in excommunicatione vltra annum, poterit priuari beneficijs, quæ obtinet, Abb. & Doct. *cap Cum bene. de ætat. & qualitat.* Couarru. *cap. Alma. p. 1 §. 7. numer. 10. Decimo.* Conuentus super crimine ciuiliter, vel criminaliter, & ob contumaciam excommunicatus, censetur conuictus de crimine, cuius fuit accusatus. Ita Couarru *proxime cum alijs Vndecimo.* Qui per annum permanet in excommunicatione, efficitur suspectus de hæresi. *cap. vlt de pœnis.* vbi Panorm. & Docto-

& Doctores. Hæc autem suspicio iuxta Inquisitorum praxim est leuis, ita adnotat Simanch. *capit* 27. *Institut.* Quæ doctrina etiam traditur manifestissimis verbis in Concil. Trident. *sessi* 25. *capit* 3. *Duodecimo.* Suspectus de hæresi, & ea de causa vocatus ab Inquisitoribus, iudicium subterfugiens, & ob eam contumaciam excommunicatus, si ad annum in ea persistat, tanquam conuictus de hæresi, est pronunciandus hæreticus. Ita *cap. Cum contumacia. ibi* Gloss. *in 6. capit. Excommunicat. §. qui autem de hær.* Ad hanc pœnã incurrendam requiritur vera contumacia, & vt nominatim citetur, tanquam suspectus de hæresi, saltem in communi, ita cum alijs Tolet. *lib.* 1. *cap.* 13. *Decimotertio.* Excommunicatus non facit fructus beneficij. Ita Palud. 4. *d.* 18. *quæst.* 4. Sylu. *Clericus* 4. *quæstio.* 25. Decius *cap. Pastoralis §. verum col.* 3. Armil. *excõmunicatio num.* 9. *sum. con. ess. lib.* 1. *tit.* 33. *quæst.* 81.

2 QVÆST. *Circa hunc vltimum effectum quæro ex te, an ad priuationẽ fructuum requiratur contumacia, ita vt per ipsum excommunicatum stet non absolui?* RESP. Contumaciam requirunt, Armil. & Sum. confes. proxime. Contrarium tamen tenet communis doctrina, asserens excommunicatum ante absolutionem, absolute non facere fructus beneficij. Ita Panorm. *cap. Pastoralis. §. verum num.* 21. *de appell.* Gloss. *cap. studeat. d.* 50. Hostiens. *in sum. rubr de sentent. excommun. num.* 11. Innocent. *ca. Pastoral. num.* 4. Puteol. *decis.* 280. *lib.* 1. Neque ad propria alimenta, nisi fame periret. Gloss. *in d. §. verum, & ibi* Abb. *num.* 16. Couar. *lib.* 3. *resol. ca.* 13. *nu.* 8. *vers.* 12.

3 QVAEST. *Cuius igitur fiunt fructus beneficij excommunicati?* RESP. Ecclesiæ. Ita Abbas *loco citato.* Si tamen sint distributiones, accrescunt alijs beneficiatis, non Ecclesiæ. Ita Gloss. *Clem.* 2. *versu pars dimidia. de ætat. & quali.* Decius *cap. Pastoral. §. verum col.* 3. *de appell.*

De absolutione excommunicationis. §. 17.

1 *Qui est ligatus multis excommunicationibus, indiget multis absolutionibus?*

2 *An absolutio ab excommunicatione dari possit à non sacerdote.*

3 *An excommunicatus possit absolui inuitus.*

4 *Quæ conditiones requirantur, ad valorem absolutionis ab excommunicatione.*

1 QVAESTIO. *Supposito, quod possit quis ligari multis excommunicationibus, vt habetur 3. quæstion. 4. can. Engeltrud. docetque Glossa. ibidem cum communi Doctor. Rogo, vtrum ligatus multis excommunicationibus indigeat multis absolutionibus?* RESP. Si omnes sunt relaxandæ, sufficit vna generalis, ab omni, nimirum, censura excommunicationis. Ita Innoc. *ca. Cum pro causa de sent. excommuni.* Si tamen vna relaxanda est, & non alia (vt quidem relaxari potest) plures absolutiones sunt impediendæ. Ita Palud. *d.* 18. *qu.* 5. *art.* 3.

2 QVAEST. *Absolutio excommunicationis darine potest à non sacerdote?* RESP. Potest etiamsi nec diaconus, nec subdiaconus sit Ita Sylu. *absolutio.* 1. §. 3. Angel. *absolut.* 1. §. 1. Ioan. And. & Henr. *vbi sup.*

3 QVÆST. *Potestne excommunicatus absolui ab excommunicatione inuitus?* RESP. Potest. Ita Palud. *citato loco*, Diu. Thom. 4 *d.* 18 *quæst.* 2 *artic* 5. *quæstion* 2. Imo inscius, & ignarus absolui potest. Ita Tolerus. *libr.* 1. *ca.* 14. *nu.* 5.

4 QVÆST. *Quæ conditiones requiruntur, vt apta sit, & valida absolutio?* RESP. *In primis* debet fieri absoluta, sine conditione futuri, actum suspendente, quia tunc nulla est. *capit. Actus de irregul. iurament. in 6.* vt si quis dicat, absoluo te, si restitueris. Ita Panormitan. *capit. De quibus, de baptis.* Sylu. *absolutio.* 3. §. 1. *Deinde*, absolutio excommunicationis à iure cum datur ab eo, cui de iure competit, valet, quamuis prius id non fiat, quod canon præcipit, puta satisfacere, vel quid aliud. Ita Innocent. *capit. Cum ab Eccles. numer. 6. de offic. Ordin.* Tamen non valet data ab eo, cui de iure non competit, sed ex mandato, vel commissione. Ita Nau. *cap.* 27. *num.* 37. Ang. *excom.* 3. §. 2. etiamsi sit articulus mortis, si potuit seruari forma mandati, vel canonis. *Tertio.* Absolutio obtenta in foro conscientiæ, etiam præmissa satisfactione non prodest in foro

foro exteriori. Cou. *ca. Alm. 1 p §. 11 num. 15. vers. 3. Quarto.* Facultas absoluendi à quibuscunque censuris concessa per Iubilæum, aut bullas confessarijs, solum forum interius concernunt. Ita Couar. *proxime*, & Paris. *cons. 67. nu. 20. lib. 4.* Tolet. *lib 1. cap. 14. Quinto.* Absolutio iniusta valet. *ca. venerabilibus §. vbi de sent excom. in 6.* etiamsi sit iniusta ex parte causæ. Innoc. *cap. cum ab Eccles. numer. 6. de offic. ordin. Sexto.* Nam valet absolutio, licet ex iusta causa petita per vim, metumve extorta. *cap. vnico de his, quæ vi metus. in 6. Septimo.* Non valet absolutio, quando causa est falsa. Innoc. *capit. ex parte de offic. Ordin. ibi* Glos. *verse redire.* Deducitur *ex cap. Officij* & Glos. *de sent. excom.* Abb. *cap. cum pro sua. in fine. de sent excom.*

Qui possunt absoluere ab excommunicatione. §. 18.

1 *Quilibet sacerdos in articulo mortis potest absoluere.*

2 *Non laicus etiam in eo articulo.*

3 *Seruandus etiam in eo articulo ordo maioritatis.*

4 *Potestne mortuus in excommunicatione absolui ab ea post mortem.*

5 *Quot testes requiruntur ad probandum dedisse huiusmodi conditionis signa.*

1 QVÆSTIO. *Quis potest absoluere ab excommunicatione?* RESP. In primis in articulo mortis quilibet sacerdos. Quia in eo articulo, nulla est reseruatio. Ex Trident. *sess. 14. cap. 7.* Quod ius an etiam sit diuinum, controuertunt Doctores, cuius partem affirmantem tenuit D. Thom. *in 4 sent. d 20 quæst. 1. art 3.* Durand. *4. d. 19. qu. 2.* Palud. *d. 20 qu 1. ar. 2.*

2 QVAEST. *Deficiente sacerdote, vel proprio, vel simplici in mortis articulo, potestne absoluere laicus?* RESP Minime. Ita Panorm. *cap. A nobis 2. de sent excomm.* Ratio est. Quia talis absoluendi facultas conceditur, vt absoluatur à peccatis: cum igitur laicus non possit absoluere à peccatis, neque etiam absoluere potest à censura.

3 QVÆST. *Præsente superiore, qui potest absoluere à censura, potestne absoluere simplex sacerdos?* RESP. Minime,

neque etiam in articulo mortis. Ita Innocent. *cap. 1. & cap. Nuper. de sent. excom.*

4 QVAEST. *Potesne mortuus in excommunicatione, absolui ab ea post mortem?* RESP. Potest, si petijt pœnitentiã, & signa contritionis ostendit: ab eo tamen cui reseruata est excommunicatio *cap. A nobis. 2. de sent. excomm.* & ita Panorm. & Innocent. *locis citatis.*

5 QVAEST. *Quot testes requiruntur, ad probandum dictos huiusmodi contritionis signa?* RESP. Sufficit vnus fide dignus. Ita Henriq. Boic. *cap. A nobis cit. num. 6.* Astenf. *lib. 5. tit. 16.* Tolet. *lib. 1. cap. 15.*

De Cœnæ Domini excommunicationibus præcipuis, & difficilioribus intellectu. §. 19.

1 *De excommunicatione lata contra hæreticos, & hæreticorum fautores.*
2 *An fautor hæretici sit intelligendus, qui ei fauet ad solam amicitiam ostendendam.*
3 *De legentibus libros hæreticorum.*
4 *De excommunicatione lata in pyratas.*
5 *De excommunicatione latâ in capientes naufragantium bona.*

1 QVAESTIO. *Quot sunt excommunicationis bullæ, in Cœna Domini latæ, & summo Pontifici reseruatæ?* Prima fertur contra hæreticos, cuiuscunque hæresis, & eorum credentes, receptatores, fautores, quoslibet eorum defensores, contra scienter legentes, absque sedis Apostolicæ facultate, libros hæreticorum, hæresim continentes, vel de religione tractantes, contra retinentes huiusmodi libros, imprimentes, quomodo libet defendentes, quauis causa, publice, vel occulte, quouis ingenio, vel colore: contra schismaticos, eosque, qui à Romani Pontificis obedientia pertinaciter se subtrahũt. *Hæreticus* intelligendus est, qui externe hæreticarium opus fecit. Nam ab hæresi interna, & mentali, potest quilibet proprius, vel alius habens in peccatorum absolutionem

tionem

tionem iurisdictionem, absoluere. Ita docet Alens. 2. p. quæst. 18. num. 2. D. Thom. 1. 2. quæst. 91. art. 4. D. Anton. 3. p tit. 25. cap. 4. Caiet. verb. hæresis. Palud. in 4. d. 13. quæst. 3. Toletus lib. 1. cap. 19. cum alijs multis. Intelligendus præterea hæreticus formaliter, hoc est, qui non solum externe ob metum, vel aliam passionem, sed interius fidem negauit. Et ideo qui tantum externe fidem negauit, non incurrit hanc excommunicationem. Ita D. Anton. 3. p. tit. 12 capit. 5. Tabien. verb. hæreticus numer. 1. Sylvest. hæresis 1. §. 9. Toletus proxime. Sufficit tamen quoduis signum exterius interiorem errorem manifestans, quamuis occultissimum, vt inducat hanc excommunicationem. Ita Caiet. verb. hæresis. Sylu. excommunicatio. 7. §. 3. Gloss. 14. quæst. 1. can. Achatius. 1. Palud. 4. dict. 13. quæst. 3. *Credentes* hæreticorum sunt ij, qui nullum explicitè errorem profitentes, dicunt se habere fidem, quam profitetur talis hæreticus, vt solent rustici catholici dicere se habere fidem Ecclesiæ, approbando illorum vitam, dicta, & facta. ita Archid. cap. Quicunque de hæretic. in 6. Palud. in 4. sentent. dict. 13. quæst. 3 Sylu. hæresis 1. §. 10. *Receptatores* sunt ij, qui eo solum animo hæreticos recipiunt, vt occultent ne ob hæresim comprehendantur, vel puniantur. Ita Archid. Palud. Sylu. proxime. Tabien. excom. 5. cas. 2. num. 7. Deducitur ex L. 1 ff de recept. L. Congruit. ff. de offic. præsidis. Vnde qui ob alium finem & causam recipit, non incurrit huiusmodi excommunicationem. *Fautores* hæreticorum sunt, qui ijs, vt talibus verbo, literis, aut facto fauent, vt qui mittit munera, accommodat arma quibus se defendat ab Inquisitoribus, equum, in quo fugiat Inquisitorum satellites. Ita D. Anton. tractat. de excomm. cap. 4. iuxta cap. Accusatus. de hæretic. num. 6. Præterea sunt ij, qui cum ex officio teneantur hæreticos punire, vel in carcerem mittere, non faciunt, neque contra eos procedunt, iuxta cap. Ad abol. de hæreticis. Ita Archid. Palud. & Sylu. qui addit etiam hæreticorum fautores censeri eos, qui cum iuramento se obstrinxerint de deferendis, & accusandis hæreticis, nec deferunt, nec accusant, vt sunt familiares (sic vocant) Inquisitionis. Non tamen alij, qui ex sola charitate obligantur illos deferre. Ita Sylu. proxime, & Tolet. lib. 1. cap. 19. *Defensores* hæreti-

corum vel credentium eis sunt ij, qui viribus, aut potentia defendunt hæreticos ne veniant in manus iudicum puniendi, aut excommunicandi, aut capiendi ob hæresim Ita Arch *cap. Quicunque de hæret. in 6.* Sylu. *hæresis 1. §.* 10. Item est defensor, qui patrocinium præstat, aut advocat in causa hæresis, ita Card. *in Clem. 1. de pœn.*

2 QVÆST. *Adhuc circa receptores, fautores, & defensores hæreticorum, supereſt dubium explicandum. Scilicet vtrum incurrant huiusmodi excommunicationem solum ij, qui recipiunt, fauent, aut defendunt hæreticum, affectu hæresim defendendæ?* RESP. Ita censuit Caietan. *verb. excommunicatio cap.* 1 Nau. *cap. it. 27. numer. 56.* Falsa tamen est opinio, decendumque incurrere hanc excommunicationem, etiam cum recipiunt, fauent, & defendunt scienter hæreticum in causa hæresis, vt amicitiam ostendant, beneuolentiam, &cæt. detestando hæresim. Ita Toletus *proxime.*

3 QVÆST. *Dic de legentibus libros hæreticorum?* RESP. Contrahunt hanc excommunicationem scienter legentes eos duntaxat libros hæreticorum Auctorum, qui continent hæreticorum errores, vel de religione tractat, etiam si in eis error non contineatur, seu legant ad errores impugnandos, seu cognoscendos ob eruditionem siue per multas siue etiam per paucas lineas. Hæreticorum, dixi, Auctorum, quia in nostra Lusitania non prohibentur Catholicorum libri qui de hæreticorum erroribus agunt. Qui vero aliquos libros prohibitos in Catalogo legunt, incidunt in aliam excommunicationem latam contra legentes libros prohibitos. Iudicandum tamen est iuxta sensum, & verbum cuiusque Catalogi. Enim vero in Catalogo Lusitano non prohibentur sub excommunicatione libri prohibiti ob solos bonos mores, sed sub mortali tantum peccato.

4 QVÆST. *Circa tertiam excommunicationem latam contra pyratas dic quid sentis?* RESP. Pyrata est qui in mari deprædatur. Duo requiruntur ad hanc excommunicationem. *Primum*, vt mari vagetur animo spoliandi. *Secundum*, vt non spoliet iure belli quod intercedit inter certas nationes, Syluester addit requiri, vt spoliet omnes indifferenter, non vero homines vnius tantum certæ nationis,

tionis, sed hanc conditionem superfluè appositam merito arbitratur Toletus *libr. 1 cap.* 20. Necesse tamen est, vt spoliati sint Christiani, nam qui infideles spoliant, non incidunt in hanc excommunicationem. Incidunt vero in eam, vti primum mari vagari incipiunt, animo spoliandi Christianos, antequam eos spolient. Ita Toletus *proxime*, contra Caietanum *excom. ca.* 18. Sunt etiam excommunicati receptores horum pyratarum, auxilium, vel fauorem eis dantes, vt talibus, sed ponderanda sunt verba cuiusq; bullæ.

5 QVÆST. *In quos fertur quarta excommunicatio cœnæ?* RESP. In eos qui surripiunt Christianorum naufragantum bona, siue in manibus existentia, siue ex eisdem iecta, siue in littore inuenta. In hanc excommunicationem incidunt, qui surripiunt, seu colligunt animo surripiendi, & retinendi, licet postea, mutato animo, restituant. Qui enim animo reddendi dominis, cum primum nouerit, ea capit, non dicitur surripere, nec excommunicatus est.

De excommunicatione lata in clericorum percussores, atque soli Papæ reseruata. §. 20.

1 *Vbi sit huiusmodi excommunicatio.*
2 *Quid intelligatur per manus iniectionem.*
3 *Quis per clericum intelligatur.*
4 *Quis etiam intelligatur per monachum.*
5 *An incurrat hanc excommunicationem, qui percussit clericum aut monachum mortuum.*
6 *Ad quos huiusmodi excommunicatio extendatur.*
7 *Quotuplex detur læsio.*

1 QVÆSTIO. *Quo in loco Iuris Communis habetur huiusmodi excommunicatio?* RESP. Habetur 17 *quæstio. quanto can. si quis suadente diabolo.* his verbis: *Si quis suadente diabolo huius sacrilegij vitium, vel crimen incurrerit, quod in clericum, vel monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absoluere, nisi mortis vrgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & eius suscipiat mandatum.*

2 QVAEST. *Quid intelligitur per manus iectionem?* RESP. Per manus iectionem intelligitur quicunque effectus violentus in personam, vel in adhærentia personæ, vt notat Sylu. *excommunic.* 6. §. 1. vt si quis aquam proijciat, vel puluerem, & saliuam per modū iniuriæ, iuxta Gloss *can si quis.* Imo sentio violentiam esse, sine vlla læsione, manuum iectionem. Vt habetur *cap. Nuper de sentent. excommun.* Imo ereptio alicuius rete manibus per vim. Item admonitio manus ad frenum equi. Item abscissio ephippij. Item persecutio talis, vt cogat clericum præcipitare se in flumen, vel aliud subire discrimen ad euitandum damnum. Ita Nauar. *in sum. cap* 27. *numer.* 77. *per text. cap. Nuper. § Not igitur de sentent. excomm.* Non est tamen violentia manus iectio, ea persecutio, ob quam clericus cadit, & læditur ad lapidem. Ita Sylu. *excomm.* 6. *num* 5. *vers.* 7. Incidit in hanc excommunicationem clericus, qui in seipsum violentas manus injcit. Et qui clericum sponte se verberibus subijcientem percutit non iocose. Ita text. communiter. & Abbas *in cap. Contingit* 1. *num.* 5. *de sentent. excomm.* Quia priuilegium clericale datum est in fauorem ordinis clericalis *capit.* 1. *& cap de monialibus. de sentent. excom.* Abbas *in cap. Contingit cit.* Hęc manuum iectio debet esse violēta, hoc est, præuisa, & voluntaria, non casualis, licet ob negligentiam mortalis, non inducit hanc excommunicationem. Quia non est iniurioſa. Debet esse suadente diabolo, hoc est, per peccatum mortale commissa.

3 QVÆST. *Quis intelligitur per clericum?* RESP. Per clericum intelligitur etiam primæ tonsuræ. *cap. Cum contingit de ætat. & qualit.* Licet sit excommunicatus, interdictus, suspensus, irregularis, degradatus solum verbaliter & non realiter, Ita Doctores communiter. *ca. Exparte. Extrauag. de Clericis coniug.* Gaudent hoc priuilegio etiam clerici coniugati, si tonsuram, & habitum ferant, & cum virgine contraxerint, *capit.* 1. *de cler. coniug. in* 6. & præterea alicui Ecclesiæ ex Episcopi mandato deseruiat. Eoque priuilegio possunt gaudere, si habitum, & tonsuram, quam reliquerunt, iterum assumant, amota fraude, quia per dimissionem habitus priuilegium non amise-

amiserunt. Ita Anch. *capit. vnico. de cler. coniug.* cum alijs, quos citat.

4 Qvaest. *Quis intelligitur per monachum?* Resp. Per monachum intelligitur regularis professus, vel conuersus, *cap. Non dubium de sentent. excommunic.* monacha & conuersa, *cap de monialib. de sentent. excommuni.* Imo nouitius, & nouitia. *capit. Religioso. de sentent. excommunic. in 6.* similiter, & fratres tertij Ordinis Dominici, & sancti Francisci, qui gregatim viuunt, & habitum religiosum gestant, secundum Rotam *in antiq. decis. 332. in fine.* Felinus *cap. 2. num. 10. de foro compet.* Idem dicendum de Eremitis subiectis alicui regulæ vel superiori, iuxta Sylua. *verb. Eremita. num. 2.* Idem de militibus sancti Ioannis Ierosolymitani, qui profitentur regulam sancti Augustini. Ita Sylu. *proximo loco.* Ipsi enim emittunt tria vota *per cap. Cum ad ministerium de statu regu.* Et dicuntur personæ religiosæ, ac promittunt obedientiam superiori, vt dicit Puteolus *decis. 363. lib. 1.*

5 Qvaest. *Incurriturne hæc excommunicatio percutiendo clericum, aut monachum mortuum?* Resp. Clericus aut monachus intelligitur tam viuus, quam mortuus. Ita Felin. *in capit. A nobis 2. numer. de sentent. excommun.* itaque injiciens manus violentas in clericum, vel monachum mortuum, incurrit excommunicationem Papæ reseruatam.

6 Qvaest. *Ad quos extenditur huiusmodi excommunicatio?* Resp. Extenditur in primis hæc excommunicatio ad mandantes. *ca. Mulieres. de sentent. excomm.* Deinde ad eos, qui per ratihabitionem approbant hanc manuum iniectionem suo nomine factam, factam, in quam, eo tempore, quo ipse ratificans posset eam facere, vt notat Toletus *libr. 1. capit. 23.* cum alijs, quos refert. Tertio ad consentientes tali iniectioni *cap. Quantæ.* dando inquam, auxilium, vel fauorem, vt notat Gloss. *capit. Quantæ.* Quarto, ad eos, qui cum possent impedire, malitiose nō impediunt, licet ad eam impediendam ex officio non teneantur. Ita Hostiens. *dict. capit. Quantæ ibi* Abb. *numer. 7.* & Boic. *num. 6.* Secus vero si non impediuit quis, ex negligentia, vel qua noluit se immiscere rumoribus sæcula-

cularibus. ita cum Host. Abb. Boic. tenet Syl. *excom. 6. nu. 5. versu 5.*

7 Qvæst. *Quotuplex est læsio?* Resp. Triplex: Enormis, leuis, & mediocris. *Enormis* est, in qua proceditur vsque ad membri mutilationem, vel effusionem sanguinis, vel contra Episcopum, aut Abbatem. *ita cap. Cum illorum §. qui si claustrales, in fine. de sentent excomm.* effusio sanguinis debet esse in copia, non ex naribus vnde facile effluit. *Leuis* est, quæ fit pugno, palma, manu, pede, ligno, lapide, non facientibus vulnus. *Extrauag. perlect.* cuius meminit Hostiensis, *cap. Peruenit. de sentent. excomm.* semper tamen fit cum peccato mortali. Ad iudicandum vero inter leuem, & enormem, considerandæ sunt, personæ qualitas, circumstantia loci, &c. *Mediocris* est, inter leuem, & enormem, nec de hac potest esse certa regula, iudicium tamen pertinet ad Episcopum, vt dicit Host. *ca. Peruenit. citato.*

Qui possunt absoluere ab excommunicatione Canonis. §. 21.

Ab excommunicatione contracta ob læuem læsionem, potest Episcopus absoluere, tam clericos, quã laicos, *cap. Peruenit de sentent. excommun.* & *ibi* Gloss. & Panorm. Ab excommunicatione contracta ob læsionem mediocrem, potest Episcopus absoluere clericos collegialiter viuentes: Cum alter alterum percutit. *Ita ca. Quoniam, de vit & honest. cler.* Non potest Episcopus absoluere, nec clericos, nec laicos ab excommunicatione contracta, ob enormem læsionem. Ita communiter Doctor. Monachi, & religiosi ob leuem, aut mediocrem læsionem excommunicati, possunt absolui à suo superiori. *ita cap Cum illorum. de sentent excommun.* Non tamen ob enormem: ita communiter Doctor. Percussit religiosus clericum sæcularem mediocri læsione, non nisi a Papa absolui potest, percussit læsione leui, potest absolui ab Episcopo, non tamen à suo superiore. *capit. Religioso. de sentent. excommunnicat. in 6.* Ostiarius Principis, aut alterius publicæ potestatis, qui ad detinendam turbam, tantummodo clericum percussit leui, aut mediocri

ocri læsione, absolui potest ab Episcopo, non tamen si percussit enormi læsione, tunc enim à solo Papa. *capit. si vero 1. de sentent. excommun.* Quoties datur iussum impedimentum Papam adeundi, potest violator absolui ab Episcopo cum iuramento, vt cessante impedimento, veniat ad sedem Apostolicam. *capit. de cætero de sentent. excommunic.* Item serui, cum illorum absentia sit in magnũ detrimentum domini, vel ipsi in fraudem fecerunt, vt liberarentur à seruitute, absolui possunt etiam ob enormem læsionem, nisi adeo enormis sit vt ad vitandum scandalum, vt tollendum paruum exemplum mittendi sint ad Papam, *cap. Relatum de sentent. excommun.* prætermittendum tamen iuramentum de adeundo Papa, si ad libertatem definirent, & ea obtenta tenentur adire, si non adeant, incidunt in excommunicationem latam, *cap. eos de sentent. excommun. lib. 6.* in damnationem contemptus. Absolui possunt ab Episcopo, pueri minores annis quatuordecim. *cap. sup. eo de sent. excommun.* Deinde mulieres cuiusuis ætatis, & conditionis *cap. Mulieres de sentent. excommun.* Tertio: Moniales. *capit. de monial. de sentent. excommun.* Quarto. Impotentes ad iter, vt cæci, claudi, & similes. *capit. ea de sentent. excommun.* Quinto, pauperes, qui nisi mendicando iter agere possunt. *cap. quod de his de sentent. excommun.* nisi solitus sit emendicando vitam alere, ne ob illius absentiam familia fame intereat. Item personæ delicatæ, quæ non possunt ferre laborem viæ. Nota 1. quod quando Episcopus potest absoluere, potest sacerdoti committere talem absolutionem. Gloss. *capit. de catero. de sentent excommunic.* Nota 2. quod occulti clerici percussores, absolui non possunt ab Episcopo. *capit. Porro, de sentent. excommun.* Oppositum tamen dicendum modo ex concessione *Concil. Trident.* quod Episcopis dat potestatem absoluendi à quibuscunque casibus occultis, sedi Apostolicæ reseruatis. Ex iure etiam communi *per cap. ad eminentiam de sentent. excommu.* omnis Legatus de latere, potest absoluere quoscunque excommunicatos ob manuum violentarum iniectionem.

Quæ

Quæ causæ excusent ab excommunicatione Canonis §. 22.

1 *In quibus casibus non incurritur, hæc excommunicatio.*
2 *Qui possit clericos percutere ob correctionem.*
3 *An huiusmodi correctio fieri possit per alium.*

1 QVÆSTIO. *In quibus casibus non incurritur huiusmodi excommunicatio, ob manuum violentarum iniectionem?* RESP. Primo. Quando facta est per iocum; licet iocus peccaminose excedat modum. Ita Doctores communiter. Secundo. Cum læsio fit casu, & fortuito. *capit. Si vero. 1. de sentent. excomm.* Tertio. Quando, qui percutit vi vim repellit, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ita Doctores commu. Quarto. Quando percutit incontinentem clericum turpiter inuentum cum vxore, vel matre, sorore, vel filia: Non autem cum alijs personis remotioribus. Ita Doct. communiter. Percutit autem ob calorem iracundiæ: nam si percutit in vindictam: animo deliberato, contrahit excommunicationem. Ita Sylvest. *excomm. 6. cas. 10.* Cou. *4. Decret. 2. p. cap. 7. num. 12.* Quinto. Cum quis percutit clericum cum ignorantia facti, ignorans esse clericum, quia non habeat signa clericatus. Vel si habeat, non apparebant propter noctis obscuritatem Ita *cap. si vero 2. de sentent. excommun.* Sexto. Quando mulier percutit clericum, de stupro eam tentantem, facto non verbo tantum. Ita Angel. *verb. excomm. §. 21.* Nau. *cap. 27 num. 85.* Septimo. Cum quis clericum cum vxore honeste loquentem domi inuentum, quem prius admonuerat, vt à tali colloquio abstineret, detinet per viginti horas ad tradendum eum suo iudici.

2 QVAEST. *Quis potest clericos percutere in correctionem absque excommunicationis contractione?* RESP. I. Qui habet curam eijciendi foras turbantes officia Ecclesiæ, cum clericos in minoribus reperit, officia diuina turbantes. II. Seniores clerici, possunt leuiter percutere iuniores zelo deuotionis. III. Prælati suos subditos. IV. Magistri suos discipulos. V. Domini clericos de sua familia. VI. Paren-

Parentes filios suos. Ita Toletan. *libr. 1. capit. 33* Aduerto custodes Ecclesiæ, & seniores clericos, solum alios clericos in minoribus posse percutere. Ita expresse habetur. *cap. Cum voluntate. de sentent. excomm.* Prælatis, & Magistris licet leuiter ob correctionem percutere etiam sacerdotes. Ita Panormitan. *capit. Vniuersitatis. de sentenc excomm.* Aug. *excomm. 5. §. 10.* De patre circa filium sacerdotem, Doctores controuertunt. Affirmant Sylu. *excomm. 6. §. 6.* Tabien. *excomm. 5. cap. 1. num. 8.* Negant Panorm. *cap. Cum voluntate allegato.* Gloss. *ibidem.* Et hæc pars negans, verior visa est Toleto *proxime.* Ratio eius est: Quia facultas concessa parentibus, & propinquis concessa per *cap. volunt. cit.* æqualis per idem caput conceditur dominis, erga clericos suæ familiæ: & tamen certum est, neq; propinquos, neque dominos, posse percutere clericos in maioribus; ergo neque parentes possunt tales clericos percutere. In hac tamen percussione correctionis incurritur excommunicatio, cum exceditur modus correctionis ob iram, & passionem lethaliter. Ita Sylu. *excom. 6. nu. 6.* Tabien. *excom. 5. cas. 1. num. 6.*

3 QVAEST. *Quæro an ij, quibus licet clericos ob correctionem percutere, possint id facere per alium?* RESP. Dico I. Episcopos posse: imo debere per alium clericum. *Can. non licet dist. 86.* Dico II. Abbati non licet per alium cædere monachum, vel conuersum, sed per se ipsum, nisi necessitas vrgeat *ca. Vniuersit. de sentent. excomm.* aliter faciendo, vterque excommunicatus manet. Sylu. *excommun 6. §. 6.* Dico III. Alijs ab Episcopis non licet clericos percutere per alios, nisi Abbatibus vrgente causa, & si per alios etiã clericos percutiant excommunicationem contrahunt. Ita Sylu. *excomm. 6. §. 6.* Dico IV. Episcopi, vel Abbates percutientes clericos per laicum, contrahunt excommunicationem Papalem, quam incurrit etiam ipse laicus percutiens, quauis ex iusta causa.

De mãdante, & consulente percutere clericum. §. 23.

1 *De mandante.*
2 *De consulente.*

1 QVAESTIO. *Qui mandauit percutere clericum, & ante percussionem reuocauit mandatum, admonuit mandatarium mutati propositi, incurritne excommunicationem Canonis si mandatarius percutiat?* RESP. Minime. Ita Gloss. *capit. Mulieres de sentent. excomm.* & Doct. communiter. Quæ reuocatio mandati sufficit quidem virtualis: talis erit si fecit pacem, & redijt in amicitiam cum clerico percutiendo, sciente mandatario: sic notant Ioann. de Ana. Innocent. & Panormitan. *capit. ad audient. de homicid.*

2 QVAEST. *Quid dicendum de consulente?* RESP. Valde controuersum est inter Doctores. Atque idem de eo, vt de mandante dicendum esse existimarunt Innocent. Ioã de Anan. Panorm. *locis citat.* Sylu. *homic.* 1. §. 11. addit Innocent. debere, cum non certus sit de consiliario, ab desistere velit, admonere clericum, vt caueat, saltem in generali. Alij vero arbitrantur incurrere excommunicationem, si consiliarius percutit, ex vi consilij dati, quantumuis reuocati.

De clerico se ipsum percutiente, aut patiente se ipsum percuti. §. 24.

1 *De clerico se ipsum percutiente.*
2 *De percutiente clericum ex licentia ipsius clerici.*
3 *De clerico se ipsum offerente percussioni.*

1 QVÆSTIO. *Inciditne in pœnam Canonis clericus, qui se ipsum percutit mortaliter?* RESP. Maxime. Ita Archid. *Can. si non liceat. 23. quæst. 5.* Panorm. Felyn. Ioan. And. *ca. Contingit. 1. Extra. de sent. excom.* Sylu. *excom. 6. §. 8.* Tabien. *excom. 5. ca. 1. num. 32.* quia illud priuilegium factum est in fauorem ordinis.

2 QVÆST. *Inciditne in pœnam canonis, qui percutit clericum libere se offerentem percussioni?* RESP. Incidit, *capi. Contingit. 1, de sentent. excom.* vbi Panorm. Felyn. Ioann. Andr. Gloss. cum alijs communiter.

3 QVÆST. *Manetne excommunicatus ipse clericus vltro se offerens percussioni?* RESP. Negat Ioan. Andr. & Gloss. *cap. Contingit.* citati. Quod si obijcias clericum illum participare in crimine criminoso, & ideo incurrere excommu-

nicatio-

nicationem. Respondent negatiue Quia participare in crimine criminoso, est participare in crimine, propter quod quis excommunicatus est, iàm contracta excommunicatione. Vnde si excommunicentur fœminæ, quæ cum coniugatis copulam habuerint illicitam, prima fœmina, quæ cum coniugato coierit, non contrahit prima vice excommunicationem. Sed aliæ à prima, & prima pro secunda vice, & reliquis.

CAPVT X.

De irregularitate.

De irregularitatis definitione. §. 1.

1 *Definitur irregularitas.*
2 *Quotuplex est irregularitas.*
3 *Discrimen inter irregul. ex defectu, & delicto.*
4 *Quotuplex est irregularitas ex defectu.*
5 *An quodlibet crimen, & quiuis defectus inducat irregularitatem.*

1 QVÆSTIO. *Quid est irregularitas?* RESP. Est canonica inhabilitas ad ordines suscipiendos, aut ad susceptos exercendos, à solo iure proueniens. Dixi (*canonica*) quia sunt aliæ inhabilitates à iure ipso diuino ad ordines suscipiendos: qualis est inhabilitas fœminarum, & non baptizatorum: licet enim illis conferatur ordo, non fit sacramentum, nec imprimitur character; & ideo hæ inhabilitates appellantur incapacitates, non vero irregularitates. Dixi (*à iure proueniens*) quia nunquam imponitur ab homine, vt aliæ censuræ imponuntur, suspensionis scilicet, & interdicti, &c.

2 QVAEST. *Quotuplex est irregularitas?* RESP. Duplex, Vna prouenit ex defectu. Altera ex delicto. Ita Panorm. *cap. Nisi cum pridem, de renunc. ibi* Host. Innoc. & Speculator. *lib. 1. tit. de dispens.*

3 QVÆST.

3 QVÆST. *Quod est discrimen inter irregularitatem ex defectu, & ex delicto?* RESP. Magnum sane. Nam irregularitas ex defectu, ablato defectu sæpe tollitur. Quæ vero est ex delicto, manet semper, donec dispensetur in ea. Ita Præpositus. *Can. Miror. d. 50.* Deinde, irregularitas ex delicto impedit, & suscipere ordines, & in eis ministrare; at vero irregularitas ex defectu solum prohibet ministrare in ijs, circa quæ deficit. Tertio. Quia Episcopi possunt dispensare in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto, præterquam in ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, non tamen in irregularitatibus ex defectu. Ita Concil. Trid. *sessi. 14. ca. 6.*

4 QVAEST. *Quotuplex est irregularitas ex defectu?* RESP. Octuplex. Nimirum ex defectu natalium: originis, libertionis, ætatis, honestæ famæ, corporis, animæ, sacramenti. Ita Præpositus. *Can. 1. d. 50.*

5 QVÆST. *Inducitne irregularitatem quodlibet crimen & quilibet defectus?* RESP. Minime. Nisi sit in iure expressum, ita cautum habetur *ca. Is qui de sent. excom. in 6.* & *ibi* omnes Doctores.

An in dubio iudicandus sit aliquis irregularis. §. 7.

1 QVAESTIO. *In dubio estne quis iudicandus irregularis?* RESP. Aut est dubium iuris, aut est dubium facti, in dubio iuris, nemo iudicandus est irregularis. Ita Nauar. *capit. Si quis autem. de pœn. d. 7. num. 35.* Couar. *tract. de homicid.* & hanc esse decisionem. *cap. Is qui de sent. excomm. in 6.* vbi affirmat Card. Tolet. *lib. cap. 51.* In dubio facti, quando nimirum irregularitas est in iure expressa, sed dubitatur de facto, an sit tale, quod inducat irregularitatem, quæ in iure expressa est, in quo uis foro est quisquam iudicandus, & habendus irregularis. ita *cap. ad audientiam. de homic.* vbi apponitur hoc exemplum. Vulnerauit presbyter quendam de familia sua, qui conualescens à vulnere, grauiore superueniente infirmitate mortuus est, hic erat dubium de facto, an ex illo vulnere orta fuerit infirmitas, nec ne: si enim certum esset factum, nempe ortam fuisse mortem ex vulnere, de iure

iure certa erat irregularitas: simile apponitur *cap. Significasti. 2. de homic.* Ita Nauar. Cou. & iuniores Doctores. Optima tamen hac in re distinctione vsus est Card. Tolet. *proxime allegato.* Nimirum etiam in dubio facti, cum irregularitas non inducit periculum animæ, & peccati, si non seruetur, sed solam inhabilitatem ad retinenda beneficia, vel officia, quæ quidem retineri possunt sine peccato, tunc quidem neminem iudicandum, nec reputandum in vtroque foro, vt irregularis: est enim contra naturalem æquitatem certam apponere pœnam, vbi incertum est delictum. Secus vero dicendum merito arbitratur, cum dubium facti inducit irregularitatem, quæ si non obseruetur, datur periculum peccandi, vt sacramenta conficiendi cum peccato, &cæ. quia dubitatur an dignus accedat, & ita conciliat Antiquorum placita admodum discrepantia inter se.

De irregularitate ex defectu natalium. §. 3.

1 *Qui sint tales.*
2 *Quis ex vero matrimonio natus, censetur illegitimus.*
3 *Quis ex non coniugatis natus, censetur legitimus in iure.*
4 *De eo, qui potest dispensare in hac irregularitate.*

1 QVÆSTIO. *Qui sunt irregulares ex defectu natalium?* RESP. Omnes legitime nati. *d. 56. Can. 1. & cap. 1 & vlt. de fili presb.* siue illegitimitas sit aperta, siue occulta. *capi. Nisi cum pridem. §. non tamen propter quamlibet. de renunc.* vbi omnes, quibus contradixit Castro 2. *libr. de leg. pœn.* Remouetur autem illegitimus, tum propter dignitatem ordinis, tum propter detestationem criminis paterni, tum propter periculum incontinentiæ ex imitatione paterna.

2 QVAEST. *Quis ex vero matrimonio natus, censetur illegitimus in iure?* RESP. Qui natus est ex coniugibus postquam eorum vnus factus est presbyter, alter vouit continentiam,

nentiam, qui quidem carnaliter se miscendo, sacrilegium committunt.

3 QVAEST. *Quis ex non coniugatis natus, censetur legitimus in iure?* RESP. Qui natus ex soluto, & soluta, cum ipsi postea matrimonium contraxerunt. *ca. Tanta, qui filij sint legitimi.* vbi Panorman. *numer. 7.* & Gloss. Item Gloss. *capit. Innotuit. de elect.* Deinde: Qui natus ex coniugibus, tantum externè putatis coniugibus: licet post ob litem notam per iudicis sententiam iudicentur, qui in facie Ecclesiæ contraxerunt, non coniuges, & vt tales separentur, *capit. Cum inter qui filij sint legitimi.* Vbi Panorm. aduertit etiam esse censendos legitimos filios, qui nati sunt post litem contestatam, sed non iudicatam, dummodo sit bona fides in vtroque coniuge, aut saltem in vno, vt habetur *capit. Ex tenore, qui filij sint legitimi.* Qui quidem omnes habiles sunt ad quoslibet ordines, etiam ad Episcopatum, vt docet Panorm. *proxime num. 7.*

4 QVAEST. *Quis potest dispensare in hac irregularitate?* RESP. Episcopus ad minores, & vnum simplex beneficium *capit. 1. de filijs presbyter in 6.* Ad maiores vero, & ad beneficium curatum solus Papa *capit. 1. de fil presbyt. in 6.* atque etiam ad dignitates, & personatus. *capit. nimis de filijs presbyter.* Professio etiam in religione facit habilem ad sacros ordines, non tamen ad prælationes, *capit. 1. de filijs presbyt.*

De irregularitate ex defectu originis. §. 4.

1 *Ex quo defectu oritur hæc irregularitas.*
2 *Quis potest dispensare in hac irregularitate.*
3 *Qui serui manent liberi, si ordinentur.*
4 *De Episcopo ordinante seruum, & de alijs ad talem ordinationem concurrentibus.*

1 QVÆSTIO. *Ex quo defectu prouenit hæc irregularitas?* RESP. Ex seruitute: sunt itaque irregulares mancipia. *d. 54. per totam,* & *Extrauag. de ser. non ordi.* Seruus vero intelligitur natus ex serua. nam si natus est ex libera, non est seruus. *capit. Dilectus, de seru. non ordi.*

dia. Præterea: Ante libertatem, & manumissionem; nam post eam ordinari potest *Can. nulli, distinct. 54 ca. 1. de ser. non ordin.*

2 QVÆST. *Quis potest dispensare in hac irregularitate?* RESP. Solus Papa.

3 QVÆST. *Qui serui manent liberi, si ordinentur?* RESP. Omnes, qui quauis via ordinantur. *ca. Qui venerab. qui fil. sint legit.* siue dominus consentiat, siue repugnet. Ita Hugo citatus à Glossis, & Turrec. *Can frequens d 54.*

4 QVAEST. *Qua pœna afficitur Episcopus ordinans, & præsentator, & testes, seruum offerentes ordinandum?* RESP. Si Episcopus, præsentator, & testes nouerant seruitutẽ, & contradictionem domini, restituent duplum. duos scilicet seruos aut duorum pretium. *Can si seruus. 1. d. 54.* quod duplum restituet ex tribus ille, vel illi, qui seruitutis conscij ad ordines concurrerunt. Si vero seruus Episcopum fefellit, præsentatorem, & testes: solus seruus tenetur reddere domino suum peculium; quod si non habeat, tenetur seruire domino in diuinis & spiritualibus officijs, aut honestis conuenientibus sacerdoti. *Canon frequens d. 54.* quod si in hoc contumax fuerit, degradabitur, & seruiet domino secundum D. Anton. 3. *p titu. 28. capit. 6. §. 6.* cum Innocent Raim. & Gloss. quos refert.

De irregularitate ex defectu ætatis. §. 5.

1 *Qui sunt tales irregulares.*
2 *Qua pœna punitur talis ordinatus.*
3 *Quis potest in hac irregularitate dispensare.*
4 *De pœna Episcopi talem irregularem ordinantis.*

Postulabat ordo adnumeratæ multitudinis irregularitatum, vt post irregularitatem ex defectu originis, te interrogarem de irregularitate ex defectu liberationis: sed quia hæc parum est in vsu, illam libens omitto: præcipuè, quia scio te meminisse de ea satis agere Cardin. Tolet. *lib. 1. cap. 54.* Dic igitur.

1 QVAESTIO. *Qui sint irregulares ex defectu ætatis?* RESP. Ad primam tonsuram, minores septẽnio *ca.*

Nullus. de temp. ordinan. lib. 6. Ad acolytatum, minores anno completo. *Can. in singulis dist. 77.* Ad subdiaconatũ, minores, vigesimo secundo. Ad diaconatum, minores vigesimo tertio. Ad presbyteratum, minores vigesimo quinto incœptis. Ita Conc. Trident. *Sessi. 23 cap 12.* Ad Episcopatum vero minores trigesimo anno completo. *ca. Cum iniunctis de elect. in 6.*

2 QVAEST. *Qui ante hanc legitimam ætatem ordinatur, qua pœna punitur?* RESP. Suspensionis, vsque ad legitimam ætatem, qua superueniente, non cessat suspensio per nouum ius. *Extrauag.* Pij II. quæ omnes, quæ sacrum ordinem ante legitimam ætatem præsumunt accipere, ipso iure suspendit, ita vt si illum exerceant, fiant irregulares, nec possunt etiam superueniente ætate exercere illum, ante absolutionem à suspensione. Quæ extrauagans, cõprehendit solos præsumentes, non autem ignorantes ætatis defectum, vt rectè aduertit Cardin. Tolet. *lib. 1. cap. 55.*

3 QVÆST. *Quis dispensat in hac irregularitate?* RESP. Solus Papa. *cap. Nullus. de temp. ordin in 9.* Gloss. Clem. *generalem. de ætat & qualit.*

4 QVÆST. *Qua pœna punitur Episcopus, qui sacrum confert ordinem ante legitimam ætatem?* RES P. Suspensionis. *cap. Vt non est compositio de temp. ord.* vbi Butreus notat, nõ esse ipso iure suspensum, sed suspendendum, quem sequitur Toletus *proxime.*

De Irregularitate ex defectu bonæ famæ. §. 6.

1 *Qui sunt tales irregulares.*
2 *Quotuplex est infamia,*
3 *Quis dispensat in hac irregularitate.*

1 QVAEST 10. *Qui sunt hac irregularitate innodati?* RESP. Infames. *d. 33. Can. laici, & d. 51. Can. qui in aliquo. & 6. quæ 1. Can. infames.*

2 QVÆST. *Quotuplex est infamia?* RES P. Duplex, alia iuris, alia facti. Ita Gloss. *3. quæst. 7. Can. infames. §. porro. & 2. quæst. 7. Can. ipsi Apostoli.* & Doctores commuuiter. Iu-

ris

ris vero, aut est legalis, aut est canonica, hæc est aut per leges posita, aut per sacros Canones stabilita. Infamia facti oritur ex aliquo delicto graui, & notorio, propter quod delinquens, apud graues, & bonos viros malè audiuit, eiusque mala opinio concepta est.

3 QVAEST. *Quis potest in hac irregularitate dispensare?* RESP. Papa potest omnem infamiam iuris, etiam ciuilis tollere à quocunque clerico, & etiam à laico, sibi subiecto, atque etiam non subiecto, si illius ministerio indiget. Ita Innocent. Panorm. Hostiens. *cap. Cum te de senten. & re iud.* Geminia. & Præpos. *quæst. 3. Can. Euphemium.* Tolet. *proxime.*

De irregularitate ex defectu corporis. §. 7.

1 *Ex quo defectu oritur hæc irregularitas.*
2 *Quis est iudex huius defectus.*
3 *Quis dispensat in hac irregularitate.*
4 *An sublato defectu, tollatur hæc irregularitas.*
5 *De Hermaphrodito.*
6 *An liceat sextum digitum amputare.*

1 QVAESTIO. *Quis defectus corporis inducit hanc irregularitatem?* RESP. Sit hac in re *Prima* regula. Inducit hanc irregularitatem omnis defectus siue in membro, siue in membri parte, qui infert inhabilitatem, nempe qui impedit ministerium ordinis, aut inducit notabilem deformitatem, aut generat scandalum, & abominationem. Ita Anton. Butr. *cap. vltim. de corpor. vitiatis.* deducitur ex *cap. Nonnullis de clerico ægrot.* & ex *tit. de corpor. vitiatis.* & canonibus alijs, *dict. 55.* Facit autem hic defectus irregularem ad illum ordinem, vel ad aliud ordinis exercitium, quod propter illum defectum fieri nequit. *Secunda* regula. Quando huiusmodi vitia sunt occulta, quia scilicet ex ijs non oritur deformitas, neque scandalum, nec debilitas ex ijs, nulla inducitur irregularitas. Vnde qui in pedibus careret pollice, aut digitos haberet deformes, non esset irregularis, neque etiam ille, cui virilia desunt, siue quia in cunabulis sectus est, *cap. tertio de corpor. vitiatis.* siue quia ob infirmitatem à medicis illi abscissa

ſciſſa ſunt *cap. quinto, eodem titul.* & *Can. ſi quis per ægritud. d.* 55. Etiamſi ipſemet ſibi per ægritudinem abſciderit, vt dicit Innocent. *cap. Significauit. de corp. vitiatis*, ſiue quia ſic natus eſt, vel in perſecutione cæſa ei ſunt *Can. Eunuchus d.* 55. Nec opus eſt virilia in puluerem redacta ſecum portare, vt imperitum vulgus arbitratur, ſicut notat Gl. *Can. Eunuch. d.* 55. Et Ancharan. *cap.* 3. *de corpor. vitiatis* & Ioan. Andr. cum alijs Regula tertia, Abſciſſio membri, quæ ex culpa propria eſt, inducit irregularitatem, etiam in eo caſu, quando defectus ſolus, ſi ex culpa non eſſet, non inferret irregularitatem. Vnde qui ſibi virilia amputauit, aut ſe caſtrauit etiam zelo caſtitatis, etiam ſi occulte fecerit, irregularis eſt, *Can. ſi quis abſcindit. d.* 55 & *cap. ſignificauit de corp. vit.* Similiter, qui partem digiti ſibi ex ira, & indignatione amputauit, eſt irregularis, *d.* 55. *Can. qui partem*, etiam ſi ſit talis digitus cuius defectus, niſi culpa eſſet, non faceret irregularem. Partem autem minorem dimidio intelligẽdam affirmat Toletus *lib. 6. cap* 58. membrum vero etiam occultum, vt digitum pedis. Dubitari tamen ſolet, an ad inducendam huiuſmodi irregularitatẽ neceſſe ſit, vt abſciſsio ex culpa ſit publica. Negatiue reſpondet Anton. cum Hoſt. *cap.* 3. *de corp.* aiuntque incurri hanc irregularitatem ſolum, cum notorium eſt hominem ſe ipſum ſcidiſſe, & hanc opinionem ſequitur Anchar. *cap.* 1. *de corpor. vitiat.* & Gonſal. *cap.* 2. eodem titul. Oppoſitum arbitratur verum Cardin. Tolet. eamque æquiparat abſciſsioni, & occiſioni occultæ alterius tertij, quæ licet occulta facit abſcindentem irregularem, & ita appellatur talis homicida ſui. *Can ſi quis abſcidit* 4. 55. Itaque mutilator ſui ex ira, & paſſione, irregularis eſt.

2 QVÆST. *Quis iudicaturus eſt de iſtiuſmodi inhabilitate, & deformitate, irregularitatem inducente?* RESP. Epiſcopus. Ita Innocent. *cap.* 1. *de corp. vit.* deducitur ex *cap.* 2. eiuſdem tituli.

3 QVÆST. *Quis diſpenſat in hac irregularitate?* RESP. Solus Papa. Ita Innocent. *cap.* 1. *de corpor. vitiat. ca. Cum a. vnit. de re iudic in 6* Anchar. *cap. Signif. de corpor. vitiat.* & Præpoſi. *Can. non confidat. diſt.* 50. & *ibidem.* Archidiac.

4 QVÆST. *Sublatone huiuſmodi defectu, & deformitate,*

tollitur

cessitur irregularitas absque alia dispensatione? Resp. Tollitur. Ita Præpos. *Can. ex præmissis. d.* 50 *n.* 9.

5. Qvaest. *Quid censes de Hermaphrodito?* Resp. Si in eo plus viget sexus fœmineus, ordinari non potest. Ita Gloss. *Can. si testes §. Hermaphr.* 4. *q.* 3. quia vt sic non recipit characterem, quemadmodum fœmina, secundum D. Anton. 3 *p. titul.* 28. *cap.* 6. §. 5 Sylvest. & Tabiena. Si vero in eo æque viget vterque sexus, quantum ad ordines pro fœmina reputari debet. Ita Præpos. *Can. si testes.* 3. *q.* 4. §. *eodem* cum Hugone, & Card. quos citat. Idem tenet Turrecr. Si vero in eo magis viget sexus virilis, licet characteris capax sit, tamen irregularis est, propter deformitatem monstruositatis, quæ licet sensibus non pateat, tamen cogitationi semper occurrit. Ita Anton. & Sylvest. citati, deducuntque ex *Can. illiteratos. d.* 36. *& can. vlt d.* 49. Et ideo propter populi scandalum ordinandus non est, vt ait Archidiacon. 17. *quæst.* 1. *can. Diaconissam.*

6 Qvaest. *Licetne absque irregularitatis nota; sextum digitum amputare ad vitandam deformitatem?* Resp. Licet. Ita Germian, & Præpos. *can. qui partem. d.* 55. Innocent. *cap. Signif. de corpor. vit.* quemadmodum licet alia superflua, vt callum, verrucam, & similes tumores amputare, & digitum extrahere, quia sextus digitus non est membrum, nec pars membri, vt manifestum est, sed superfluitas naturæ.

De irregularitate ex defectu animæ. §. 8.

1 *Qui sunt tales irregulares.*
2 *De temporis interuallo ad probationem sanitatis à morbo caduco.*
3 *De filijs conuersorum recenter ad fidem à Paganismo, & Iudaismo.*
4 *Quid in iure appellatur longum tempus.*
5 *Quis potest dispensare in hac irregularitate.*

1 Qvaestio. *Qui sunt irregulares ex defectu animæ?* Resp. Dæmoniaci, insani, lunatici, morbo caduco affecti. Ita Gelasius, *d.* 33. *Cũ vsquequo.* & *ibi* Glo. quanquã

D. Anton. 3 *p. tit.* 28. *cap.* 5. & Nauar. *capit.* 27 *num.* 203. appellat hos irregulares ex defectu corporis. Atque in primis dæmoniaci, siue vt appellant, energument, seu arreptitij, si non sunt promoti nunquam sunt promouẽdi, licet semel tantum vexati, ad pristinam redierint libertatem. *can. maritum can clerici. d.* 33. & Glos. *can. communiter.* eadem distinctione affirmat hoc esse sine contradictione. Si vero iam erant promoti ad minores cum vexati sunt, etiam sani, & omnino liberati, ad maiores nunquam ascendent. *Can. clerici. d.* 33. & *ibi* Glos. Si vero iam erant promoti ad maiores cum arrepti sunt, & postea liberi apparent, expectandum tempus ad probandam perfectam liberationem, qua obtenta, & probata possunt ministrare altari *Can. communiter. d.* 33. & *ibi* Glos. Hugo, Geminian. & Præposit. & Archid. Probatio autem hæc per annum, & ab Episcopo. ita Tolet. *lib.* 1. *cap.* 58. Infani, lunatici, morbo caduco laborantes, quos appellant epilepticos, si promoti non sunt, nunquam sunt promouẽdi *can. maritum d.* 33. & est communis sententia. Si iam promoti sunt, & adhuc laborant morbo, non permittuntur ministrare. *capit. Vsquequo d.* 33. si vero iam sunt omnino sani, probantur post vnum annum ab vltimo malo, & permittuntur ministrare in susceptis. 15. *quæstio.* 1. *Can. quis. § sicut ergo.* Si vero non est omnino liberatus a morbo caduco, & frequenter illo laborat, non permittitur ministrare 7. *quæst.* 2. *can. in tuis.* Si autem raro illa ægritudine laborat, sed cum corripitur, cadit cum vocis amissione, & spumæ iactatione, non est permittendus ministrare. 7. *quæst.* 1. *can. illud.* & Glos. *Can. communiter. d.* 33. & est communis sententia. Secus vero dicendum, si raro laborat, & cum cadit, cadit blande, tunc enim permittendus est ministrare 7. *quæst.* 1. *Can. illud* Idem dicendum de lunatico, & amente, si cum cadit raro, non facit turpes corporis motus.

2 QVAEST. *Dixisti, ad probationem sanitatis supra dictæ requiri tempus vnius anni, videtur id contradicere canon. Nuper* 7. *quæstion.* 2. *vbi sola triginta dierum probatio exigitur.*

RESP. Canonem citatum procedere de eo, qui negabat talem morbum fuisse vnquam passum: & tunc ad probationem facti, sola illa probatio exigebatur. Nos vero loquti

suti sumus de eo, qui sine dubio morbum passus est. Ita Gloss. *Can. nuper. cit.* & Toletus *lib. 1. capit.* 50. vbi Doctorum placita ad placidam componit pacem. Sunt præterea irregulares ex defectu animæ neophiti, id est, nouiter ad fidem conuersi. *dist.* 48. *can.* 1 *&* 2. *& Canon. qui in aliquo. d.* 51. irregulares, inquam, ad maiores ordines, non ad minores. Ita Geminian. *can. prohibentur.* Archidiacon. Præpositus. & Turrecrem. *can. quoniam d.* 48. & colligitur ex *Canon. quicunque dist.* 77. Nec item sunt irregulares ad maiores, longo post tempore probata fide eorum, & erga Ecclesiam amore.

3 QVÆST. *Suntne reputandi pro neophitis filij conuersorum ad fidem, baptizati in infantia?* RESP. Minime. Ita Turrec. *Can. prohibentur. distinctio.* 48.

4 QVÆST. *Quod spatium appellabitur longum tempus?* RESP. Decem annorum. Sunt præterea irregulares ex defectu animæ illiterati. *d.* 36. & *d.* 51. *Can. qui in aliquo.* & *d.* 55. *can. panitentes.*

5 QVÆST. *Quis potest dispensare in hac irregularitate?* RESP. Cum neophitis nouiter conuersis solus Papa. Ita Tolet. *lib. 1. cap.* 59. Cum illiteratis, qui nec legere sciunt, nec ad primam tonsuram, Episcopus. *capit. Nullus. de temporib. ordin. in* 6. notantque Geminian. Præpositus. & Archidiac. *Can. non confidat d.* 50. nunc iam res est certa ex Conc. Trid. *sessi* 23. *cap.* 4. Ad maiores vero ordines solus Papa, &c.

De irregularitate ex defectu sacramenti. §. 9.

1 *Qui sunt irregulares ex hoc defectu.*
2 *Quid est bigamia.*
3 *Quotuplex est bigamia.*
4 *An sit dicendus bigamus, qui virgini à se antea compressæ nupsit.*
5 *An sit bigamus, qui inter accusandum adulteram vxorem eam cognouit.*

6 *An sit bigamus, qui cognouit adulteram ignorans adulterium.*

7 *An sit bigamus, qui cognouit adulteram à se talem certo cognitam ex occasione coactæ habitationis.*

8 *An sit bigamus, qui bis contraxit, inualide tamen cum secunda.*

9 *An sit bigamus, qui inualide contraxit cum corrupta, & consummauit.*

10 *Occurritur difficili argumento contra nouam propositionem.*

11 *Qui dispensat in hac irregularitate.*

1 QVAESTIO. *Qui sunt irregulares ex hoc defectu?* RESP. Sunt bigami. *ca. debitum. de bigamia.*

2 QVAEST. *Quid est bigamia?* RESP. Est Triplex. Vera, interpretatiua, & similitudinaria. Vera est, cum re ipsa interueniunt multæ nuptiæ. Interpretatiua est, cum qui contraxit cum vidua, aut corrupta, aut cognouit vxorem, quę post matrimonium commisit adulterium. Similitudinaria est, cum quis post votum solemne castitatis contraxit cum aliqua. *Can. quot quot 17. quæst. 1.* Vel cum quis viuente adhuc propria vxore contrahit cum alia. *cap. nuper. de bigam.* Vtraque bigamia facit irregularem. Est itaque bigamus, & irregularis, qui plures successiue duxit vxores legitimas. *Can. qui sine crimine. d. 26.* siue vnam ante baptismum, alteram post. *Canon. acutius. d. 26.* siue vtramque ante baptismum. *Canon. vna. d. 33.* Ad hanc speciem bigamiæ contrahendam requiritur, vt cum vtraque habita sit copula carnalis. Ita Doctores *ex cap. Debitum de bigamis.* Est bigamus, & irregularis, qui contraxit cum vidua iam à primo marito cognita, & eam cognouit carnaliter. *Can. curandum est. d. 34. & capit. 2. de bigam.* quanquam viduam duxerit, & cognouerit ante baptismum. *Can. si quis viduam. dist. 34.* Est bigamus, & irregularis, qui duxit & cognouit corruptam ab alio. *Can. qui in aliquo. d. 51. & Can. curandum est d. 34.*

Hæc

Hæc irregularitas contrahitur, licet maritus ignorauerit vxorem iam esse ab alio cognitam. Ita notat Panorm. *capit. super eo de bigam. numer 7.* & Gloss. *Can. nemo. d. 32.* & est communis sententia. Est præterea bigamus, & irregularis, qui cognouit vxorem, post vxoris adulterium. *Can. si cuius. Can. si laici d 34.*

4 QVAEST. *Estne bigamus, qui corripuit virginem, & postea cum ea contraxit?* RESP. Minime. Ita communis sententia, Hostiens. *in sum. tit. de bigam. §. circa quæst. 6. & capit sane. 1. de cler. coniug.* Archid. *d. 32. Can. nemo.* Panor. *cap. Debitum num. 2. de bigam.* Gloss. *cap. sane. de cler. coniug.* Gofred. *de bigam. num. 5.* D. Thom. in *4. d. 27. quæsti. 3. art. 1. quæ. 3. art. 2.* & alij.

5 QVAEST. *De eo, qui cognouit vxorem adulteram, tria te rogo. I. Estne bigamus, qui inter accusandum vxorem de adulterio, eam cognouit carnaliter?* RESP. Maxime. Ita Gloss. *Can. si cuius. dist. 34.* & *ibi* Turrec, & Gofred. *de bigam. num. 9.*

6 QVAEST. *Rogo II. Estne bigamus, qui adulteram cognouit ignorans adulterium?* RESP. Maxime. Ita communior Doctorum pars, cum Panorm. *cap. Super eo. de bigam.* quam sequitur Tolet. *lib. 1. cap. 16.* vbi discrepantes refert opiniones.

7 QVÆST. *Rogo III. Estne bigamus, qui coactus ab Ecclesia habitare cum vxore, quam ille solus maritus scit fuisse adulteratam, eam cognouit.* RESP. Communis opinio respondet affirmatiue. Ita de irregularitate latè Card. Tolet. *lib. 1. ca. 60.*

8 QVÆST. *Quid censes asserendum, cum quis valide contraxit cum Berta, & ea mortua contraxit cum Theodora inualide, dicendusne bigamus, & ideo irregularis?* RESP. Archidiaconus *Can. cognoscamus. 34. d.* negat, cum quis secundum matrimonium nullum contraxit, & consummauit (nam sine copula nulla bigamia contrahitur, vt notat Toletus *proximè*) ignoranter. Affirmat tamen Hostiensis *in sum. de bigam. numer. 3.* & Panorm. *capit. Nuper. de bigam.* deducuntque ex *capit. Nuper.* allegato, deducta paritate rationis in hoc, atque in casibus textus Eos sequitur Toletus *libr. 1. capit. 61.* Itaque qui bis contraxit, & consummauit, siue vnum matrimonium fuerit validum, alterum

alterum inualidum, siue vtrumque inualidum, bigamus est. Ita communis Doctorum sententia. Innocent. *capit. Nuper de bigam.* Hostiens. *in sum. de bigam num.* 1. D. Anton. 3 *p. tit.* 28. *capit. cum pluribus*, quos referunt *loci citati.*

9 QVÆST. *Estne bigamus, qui nulliter contraxit cum vidua, aut corrupta, & consummauit matrimonium?* RESP. Negat Nau. *in sum. capit.* 27. Affirmant tamen Hostiens. *in sum de bigam. num* 3. §. *quot sunt species.* & *capi.* 1. *de big.* Gofred. *in sum. de bigam. numer* 10. eos sequitur Toletus *proxime*, affirmans esse communem opinionem. Quia generaliter vbi matrimonium de iure celebratum induceret irregularitatem, etiam de facto eandem infert, & ita Rota *decision.* 1 *de bigam.* alias. 457. definiuit de clerico in minoribus, qui nulliter contraxerat cum vidua.

10 QVÆST. *Verum obiectio occurrit non contemnenda, Nam superius diximus nullam esse irregularitatem inducendam, quæ non sit expressa in iure: hæ vero irregularitates proximæ non sunt expressæ in cap. Nuper ex cuius textu eruuntur. Nam sola fit mentio duorum casuum. Nempe quando est nullus secundum matrimonium, quia viuebat prior vxor; aut quando celebratum fuit ab eo, qui habebat ordinem sacrum post mortem prioris coniugis?* RESP. Respondet Cardin. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 61. §. *tertium dubium.* expressum dici in iure id, quod continetur sub expressa ratione legis, & ita accidit in nostro casu.

11 QVÆST. *Quis potest dispensare in hac bigamia ex defectu?* RESP. Dico *primo.* Papa dispensare potest cum quocunque bigamo ad omnes ordines maiores & minores, & ad quascunque dignitates. Ita D. Thom. 4. *senten. d.* 27. *quæst. & art.* 7. Archid. *Can. lector.* & *ibidem* Turrec. qui omnes allegant, & probant sententiam D. Thom. dicuntque esse communem. Ratio est, quia omnis irregularitas est introducta iure positiuo, quamquam iam a tempore Apostolorum, vt constat ex D. Paulo, & notat Tolet. *lib.* 1. *capit.* 62. Dico *secundo.* Difficile Papa dispensat cum bigamo vero; facilius autem cum bigamo interpretatiuo.

Dico *tertio.* Non potest Episcopus dispensare, ad maiores ordines cum bigamo, siue vero, siue interpretatiuo.

tatiuo. Ita Hostiens. *in sum. de bigam. in fine.* Præpos. & Gem. *in Can. lector. d.* 54. Panorm. *capit. Super eo de bigam. num.* 5. *in fine.* & satis probatur per *cap. Super eo & capit. Nuper. de bigam.* Nec itidem potest Episcopus dispensare, vt in susceptis maioribus ministrent. *cap. Super eo citato.* Neque itidem ad maiorem, etiam primam tonsuram. Ita Panorm. *cap. Super eo de bigam. numer.* 5. *in fine.* Præpos. & Gemin. *Can. lector. d* 34. Nouissime Tolet. *citato loco.* vbi affert pro se Congregationem Conc. Trid. *sessi.* 23. *capi.* 17. & sententiam Sixti Quinti, qui Episcopum dispensantem cum vero bigamo, qui duas successiue duxerat vxores, ad primam tonsuram, & beneficium simplex, iudicauit ipso iure suspensum ab ordinum collatione, dispensatum autem ab exercitio ordinis suspensum, & beneficij nullam fuisse collationem, nec fructus suos fecisse. Nec itidem potest Episcopus dispensare cum bigamo vero, aut interpretatiuo, vt in minoribus susceptis ministret. Ita Doctores citati.

De irregularitate ex delicto hæresis. §. 10.

1 QVÆSTIO. *Qui sunt irregulares ex delicto hæresis?* RESP. Hæretici, & Apostatæ, qui in hæresim exteriorem lapsi sunt. *Canon. qui in aliquo d* 50. Deinde, Hæreticorum, & Apostatarum credentes, & fautores, & defensores *cap. Statutum* 2. *de hæret.* Item omnium supradictorum filij, etiam si crimina parentum imitati non fuerint *cap. Statutum.* 2. *de hæret.* Itidem filij Iudæorum conuersorum, qui postea ad Iudaismum reuersi sũt. *cap. Contra Christianos de hæret. in* 6. & *ibi* Glossa. Itidem omnium supradictorum nepotes. *cap. Statutum. de hæret.* Vbi Gloss. & Rebuff. *in praxi de modis amitt. benef num.* 26 ita explicant, quando pater est hæreticus, vel fautor, vel aliquis nominatorum, tunc filij, & filiorum filij, sunt irregulares, non autem filij filiarum: quando autem mater est hæretica, vel fautrix, vel aliqua ex prædictis, filij tantum sunt irregulares, non autem filij filiorum. Pro filijs hæreticorum, & prædictorum intelliguntur, quicunque, & quouis modo illegitimi. Ita Gloss *cap. Statutũ de hæret.* & *ibi* Ioan. And. Hæretici vero, & alij prædicti, intelligun-

intelliguntur ij, qui tales esse, aut tales mortui fuisse probantur. Nam si sunt emendati, & in Ecclesiam iterum, vt filij reuersi, ipsi quidem manent irregulares, sed non eorum filij. Ita *cap. Statut. allegat.* Filij relapsorum, qui relapsi iam pœnitentes propter solum relapsum morte damnati obiere, non sunt irregulares. Ita Gloss. *capit. Statutum. de hæret.* qui credentes è viuis decedunt. Filij hæreticorum, qui ante parentum crimen ordines susceperunt, non priuantur ordinum exercitio. ita Gloss. *Can. satis peruersum. d. 56.* communiter recepta. Neque amittunt beneficia quæ ante crimen obtinuerunt. Ita & prædicta Gloss. & Panormit. *cap. Vergentis, de hæret,* est communis opinio.

De irregularitate ex delicto, circa baptismi sacramentum. §. 11.

1 QVÆSTIO. *Qui sunt irregulares hac irregularitate?*
RESP. In primis, qui scienter bis, aut pluries baptismum suscepit. *Can. eos quos de consecr. d. 4.* nec ad primam tonsuram admittuntur. *Can. confirmandum d. 50.* Deinde rebaptizati ignoranter. *Can. quibus de consecr. d. 4.* quæ vero ignorantia requiratur, docet Tolet. *lib. 1. cap. 64.* Quam controuersiam omitto, quia ad praxim parum prodest. Præterea. Qui bis contulit baptismum. In Doctores communiter *ex capi. 2. de apostatis.* Non tamen sub conditione, vel etiam cum ignorantia crassa. Quia iste non dicitur rebaptizare. Ita Nauar. *sup.* & Tolet. *proxime citatus.* Quarto, qui baptizatus est ab hæreticis in adulta ætate. *Can. qui in qualibet 1. quæst. 7* secus si in ætate infantili ante vsum rationis. *1. qu. 4. Can. placuit. & Can. qui apud.* Vltimo, qui per multum tempus, distulit baptismum. *Can. 1. d. 57.*

De irregularitate circa ordinum susceptionem. §. 12.

1 QVÆSTIO. *Qui sunt irregulares ex hoc delicto?* RESP. In primis qui excõmunicatus maiori excõmunicatione ordinẽ aliquem maiorem vel minorẽ suscipit. *ca. 1. de eo, qui fur. ord. sus. ca. cum illorũ de sent. excom.* Dixi maiori excõmunicatione, quia excõmunicatus mi-

nori

nori excommunicatione non efficitur irregularis. Neque ab hac irregularitate excusatur, cui habet ignorantiam iuris huius, vt notat Tolet. *lib.* 1. *cap.* 65. Deinde fit irregularis ille, qui suscipit ordines ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui. *capit.* 1. *de ordin. ab Episcop. qui renunc. Episcop.* Dixi Episcopatui, hoc est, dignitati Episcopi, quia, qui solo loco renunciauit, potest rogatus ab Episcopo suos ordinare maiori, vel minori ordine. Dixi, rogatus, quod intellige ad conferendos maiores ordines: nam licet quis habeat sui Episcopi literas (appellant, reuerendas) irregularis est, si ordines suscipiat à tali Episcopo, qui loco renunciauit. Tertio. Manet irregularis, qui ab Episcopo excommunicato ordines suscipit, etiam si ignoranter acceperit, id est, ignorans Episcopum esse excommunicatum. *cap. Cum Clericis de ordin. ab Episcop. qui renun. Episcop.* Intelligo vero id, de ignorantia crassa. *Can. ord.* 9 *quæst.* 1. Quarto manet irregularis, qui suscipit ordines minores cum subdiaconatu vno die, *cap.* 2. *de eo, qui fur. ordin. susc.* & ille, qui vno die duos sacros ordines suscipit, *cap.* 3. *de eo, qui fur. ord. susc.*

De irregularitate contracta in ministerio ordinis. §. 13.

1 QVAESTIO. *Qui fit irregularis hac irregularitate?* RESP. In primis, qui exercet actum ordinis, quem non habet, actum, inquam, ordinis solemniter. Est autem actus proprius ordinis solemniter celebratus, quem laicus in ea solemnitate exercere nõ valet, vt cantare epistolam in missa cum manipulo, Euangeliũ cum stola, baptizare solemniter, audire confessiones, Missam dicere, aut alia sacramenta conferre. Ita Panorm. *cap.* 1. *de cler. non ord. minist.* Ita Sylvest. *verb. irreg.* §. 14. D. Anton. 3. *p. tit.* 28. *cap.* 1. § 1. quem male in oppositum citat Nauar. *cap.* 27. *numer.* 242. vt aduertit Tolet. *lib.* 1 *cap.* 66. Consuetudo tamen obtinuit, vt actus minorum ordinũ quomodoliber à laico exerceantur, & ideo, qui eos exercet, non incurrit irregularitatẽ, sicut ille qui exercet actũ iurisdictionis, quam non habet, vt Doctores aduertunt. Deinde fit irregularis, qui maiori excõmunicatione innodatus, actum ordinis, quem habet, solẽniter exercet,

vt si

vt si celebrat: si cum stola cantat Euangelium, &cæt. Ita Doctores communiter *ad cap. 2. de cler. excommun. interd. minist.* Hostien. And. Panormitan. & alij Hanc tamen irregularitatem non incurrit, qui cum ignorantia probabili ministrat, secus si cum ignorantia crassa. *capit. Apost. eodem tit.* Actum vero ordinis intellige etiam minoris, Ita Panormit. *cap. si quis Presbyter. eodem tit.* Iam tamen vt receptum est, vt omnem actum minorum ordinum laicus exerceat, vt clericus. Idem dicendum est de suspenso maiori suspensione ab officio celebrante, aut actum ordinis solemniter exercente, atque de excommunicato. *cap. 1. de sentent. excommun. in 6. & cap. 1. de sent. & re iud. in* 6. licet ignorantia crassa ignoret se esse excommunicatum. Dixi, maiori suspensione, quia suspensus minori suspensione, talia exercens, non fit irregularis, vt dicit Panorm. *cap. Si celebrat. de cler. excommunicato minist.* Idem dicendum de depositio, & degradato. Dixi, suspensus ab officio, quia suspensus à beneficio celebrans, non fit irregularis. Ita Panorm. *cap. Nisi cum pridem. de renunc. num.* 19. & Gloss. 6. *Latores de cler. excom. minist. vers. ab officio.*

De irregularitate ex homicidio, & mutilatione. §. 14.

1 *Quid est homicidium.*
2 *Quid est mutilatio.*
3 *Quid in corpore humano appellatur membrum.*
4 *An digitus appellandus sit membrum.*
5 *De auricula.*
6 *De mamilla.*
7 *Corollaria deducta ex definitione mutilationis.*
8 *An ex mutilatione oriatur æqua irregularitas, atque ex occisione.*
9 *Quot modis fit homicidium.*
10 *De clericis accusantibus criminosos.*
11 *De ratihabitione, & amissione.*

1 QVAESTIO. *Quid est homicidium?* RESP. Est privatio vitæ corporalis humanæ.

2 QVAEST.

2 QVÆST. *Quid est mutilatio?* RESP. Est abscisio alicuius membri, aut partis membri humani, cum realiter à reliquo corpore separatur.

3 QVÆST. *Quid est membrum in corpore humano?* RESP. Est in corpore humano pars, quæ in eo distinctum habet à reliquis officium.

4. QVÆST. *Estne digitus dicendus membrum?* RESP. Affirmant Caiet. 2.2.*q.* 65. *art.* 1. Sot. 5. *iust. q.* 2. *art.* 1. Oppositum sentiunt maior Canonistarum pars. Barth. *lib.* 2. *ff. de publ. iud* Panormitan. *c. deo diacono. ver. non.* & *c. Cum illorum de sent. excommun.* Ioan. Andr. *cap. ex iniuncto, de hæret.* cum alijs multis. Ac proinde, qui digitum abscindit, non fit irregularis, & hæc est communis Canonistarum sententia, inter quos multi, qui digitum habent pro mẽbro, negant esse membrum ad irregularitatem inducendam.

5 QVÆST. *Quid censes de auricula?* RESP. Negat Couar. Affirmat tamen Speculator, *tit. de dispensat. matrim. irregul.* §. *iuxta. in fine.*

6. QVÆST. *Quid censes de mamilla in fœmina?* RESP. Negat Couar. *sup.* Affirmat tamen Tolet. *lib.* 1. *cap.* 77. arbitraturque habere in corpore humano distinctum officium.

7 QVÆST. *Ex definitione mutilationis, quid deducitur?* RESP. In primis, per vulnerationem cum quacunque sanguinis effusione, vbi non est mors, nec mutilatio mẽbri, non induci irregularitatem, vt notauit Panormitan. *cap. de diacon. qui cler. verb. noue.* & *cap. Clericis. ne cler. vel monach.* Deinde, qui membrum debilitat alterius, sed non abscindit, licet illud reddat impotens ad suum munus exercendum, non dicitur mutilare. ita cum communi Panorm. *capit. De diacono* & *cap. Clericus citatus.* Præposit. *ibidem.* Felyn. *cap. Cuius illorum. de sent. excommun.* Francus *capit. Is qui. de sentent. excommun. in sexto.* Quam opinionem late probat Toletus *proxime.* Et ideo qui alium excęcat, sed oculum non foras eruit, non est mutilator. Neque qui homini mortuo abscindit membrum aliquod, neque qui fœtum, antequam animetur, occidit: animatur vero in visceribus maternis, quadragesimo die, si est mas. Octogesimo, si est fœmina. Ratio

est manifesta. Quia nec separat membrum à corpore, qui alium solummodo excæcat, neque priuat vita sensibili humana, qui vel membrum hominis mortui præscindit, aut fœtum non animatum enecat: vt patet ex Philosophia.

8 QVAEST. *Sequiturne ex vtraque irregularitas?* RESP. Parem fecerunt iura mutilationem homicidio, qui enim occidit, aut mutilat, siue licite, siue illicite, irregularis est. *Clem. si furiosus. de homicid.* Verum multo diuersa irregularitate, quia qui occidit, aut mutilat iustè, vt cum ministri iustitiæ occidunt, aut mutilant malefactores, vel si quis aggressorem occidit, aut interimit, fit irregularis ex defectu lenitatis, (ita appellant) qui occidit aut mutilat iniuste, fit irregularis ex delicto.

9 QVÆST. *Quot modis fit homicidium?* RESP. Tribus voluntate, necessitate, aut casu. Voluntate vero fit, aut iuste, aut iniuste. Iuste fit, cum quis auctoritate publica fungens, malefactores, aut interficit, aut interficere facit, vt tortores, iudices, testes. Sed magnopere aduertendum est, requiri in iudice, aut publico ministro occidente iustum animum. est autem iustus animus, cum more iustitiæ, & nõ zelo vindictæ occiditur malefactor, aut hostis communis. 23. *quæst.* 4. *can. ea vindicta. & 23. quæst.* 5. *can minister.* vbi Archid. id adnotat. & 23. *quæst.* 1. *can. quicunque, & ibi* Gloss. *&* 11. *q.* 3. *can. Episcop. presbyter. & ibi* Doctores. Si enim occidat animo vindictæ, fit irregularis ex delicto, sed cum limitatione, quam recte Tolet. *lib.* 1. *cap.* 74. adiunxit, scilicet, quando principalius occidit, quia priuatum inimicum occisurus, licet non fungeretur auctoritate publica. Necessitate si quando quis coactus necessitate, ad defensionem mouetur iniustæ oppressionis, aggressorem occidit. Potest autem defendere, vel vitam propriam, vel vitam proximi, vel bona temporalia. Potest autem quis defendere vitam propriam occidendo, vel mutilando, vel cum moderamine inculpatæ tutelæ, quando scilicet nulla alia ratione potest mortem, aut mutilationem propriam euitare, quam occidendo, vel mutilando. Vel non seruato moderamine inculpatæ tutelæ, quia nimium poterat aliter effugere manus aggressoris. Dico igi-

tur

tur I. Cum quis seruato moderamine inculpatæ tutelę aliumoccidit, vel mutilat, nec peccat (nisi faciat ex odio, aut vindicta) quia iure naturali vi vim repellere licet: nec manet irregularis. Clemen. *Furiosus. de homicidio.* Etiam si sit persona Ecclesiastica, vt ibi manifeste declaratur. Dixi; vitam propriam, quia si quis occidit ad euitandam propriam mutilationem, quam non nisi occidendo inimicum euitare potest, licet non peccet, manet irregularis ex defectu, hoc dictum diserte probat Tolet. *lib. 1. cap. 74.* Quia per *Clem. Furiosus.* citatam sola irregularitas iuris antiqui sublata est, quæ etiam in defensione propriæ vitæ seruato moderamine inculpatæ tutelę cõtrahebatur. Dico *secundo.* Qui occidit, aut mutilat non seruato moderamine inculpatæ turelæ, semper manet irregularis: sed magno cum discrimine.

Nam cum quis peccat, occidendo, aut mutilando non seruato moderamine: qualis est Ecclesiasticus, qui vitæ poterat per fugam consulere, cum teneatur Christi humilitatem imitari ratione sui status, nec ei fuga cedit in dedecus, imo in honorem ob imitationem Christi, manet irregularis ex delicto. Cum vero quis occidit, aut mutilat non seruato moderamine sine peccato, qualis esset miles glorioſus, qui licet posset vitam tueri fugiendo inuatorem; non tamen tenetur fugere; quia illi fuga vertitur in ignominiam, manet irregularis ex defectn. Dico *tertio.* Qui ad defendendam vitam proximi, alium occidit, aut mutilat, non peccat. Ita definitur *cap. Dilecto. de sentent. excommun. Quia vnicuique mandauit Deus de proximo suo &c.* Non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus. Manet tamen irregularis. ita Gloss. *Clem. vnic. de homicid.* si vero seruauit moderamen inculpatæ tutelæ, manet irregularis ex defectu: si autem non seruauit ex delicto. Dico *quarto.* Qui occidit, aut mutilat in bonorum temporalium defensione, irregularis est. Verum latum est discrimen: nam cum licet occidere, vel mutilare raptorem ad conseruanda bona propria, vt licet homini laico sæculari, irregularitas ex defectu: cum vero non licet, vt non licet, personæ Ecclesiasticæ, vel cum res tẽporalis est parui momenti, tunc irregularitas est ex de-

licto. hac de re Toletus latè, & disertè. Dico *quinto*. Suppono quod homicidium casuale est, quod fit præter intentionem occidentis, aut facientis id, vnde mors secuta est. Qui operam dabat rei illicitæ, ex qua mors: siue per se, siue per alium est secuta, etiamsi fit præter eius intentionem, est irregularis ex delicto, etiam si omnem diligentiam præmiserit, ne quis occideretur. Ita Sylvest. *homicid.* 2. §. 2. Couar. Toletus, & est communis sententia. Hinc manet irregularis qui percussit alium animo non occidendi, licet mortuus sit ex infirmi, aut medicorum incuria, aut ex morbo percussioni superueniente, quia operam dabat rei illicitæ. Item manet irregularis, qui iniquam rixam cum alio habuit, quem amici in auxilium aduenientes, illius inuitu occiderunt. Ita Panorm. & Anani. *cap. Petrus de homicid.* quia dabat operam rei illicitæ. Item manet irregularis, qui percussit alium, licet nec lethaliter, nec animo occidendi, tamen ea percussione, vt factus sit impotens ad fugiendum, & ob id superuenientes illius inimici, illum occiderunt. Ita Anan. *cap. Significasti. numer.* 46. & *ibi* Panormitan. quia dabat operam rei illicitæ. Item manet irregularis clericus in maioribus, vel in minoribus habens beneficium, chirurgiam exercens, si quem incidit, aut adusit: ita vt ex ea incisione, vel adustione mors secuta sit, licet ex incutia infirmi. *capitu. Tua nos. de homicid.* quia dabat operam rei illicitæ, clerico enim interdicitur vsus chirurgiæ. Item manet irregularis, qui inhonestè ludens cum prægnante muliere, ita eam per iocum attrectauit, vt aborsus animati fœtus fuerit subsecutus. *cap. Sicut. 2. de homicid.* quia dabat operam rei illicitæ. Deinde manet irregularis, qui medicinæ ignarus, bono tantum zelo motus, dedit infirmo potionem, ex qua orta est mors.

Potionem, inquam, etiam aquæ, vel vini, &c. sine medici consilio Ita Innocent. *capitu. Tua nos de homicid.* & Præposit. *Can. 1 distin. 50. numer. 27.* Item manet irregularis, qui in torneamentis, alterum percutit solo animo ludendi, & vires exercendi, si moriatur ex vulnere, quia hic ludus est prohibitus *cap. Fœlicis. de torneam.* item manet irregularis, qui tenellum infantem secum in lecto collo-

collocauit, & dormiens oppresſit, cum prohibitum ſit, ſecum tenellos infantes in lectulo collocare per noctem. *Can. conſuluiſt. 2. quæſt 5.* niſi ad id cogat paupertas, & tunc adhibenda eſt omnis cura, ne ſequatur oppreſsio, quæ cura ſi defuit, contracta fuit irregularitas, ita Tolet *proximo loco.* Dico *ſexto.* Qui operam dabat rei licitæ, ſi tamen non adhibuit prius diligentiam, ne mors ſequeretur, ſi ea fuit ſecuta, irregularis eſt, exempla multa habentur in Toleto. *lib. prim. capitu. 75.* Non eſt tamen adhibenda diligentia, niſi quando eſt periculum mortis, ac mutilationis in tali re licita, vt adnotat Panorm. *capitu. ex literis. 2. de homicid.* & Anan. *ibid.* Hinc manifeſte colliges non eſſe irregularem eum, qui cum daret operam rei licitæ, adhibuit omnem diligentiam moralem, ne mors alicuius ſequeretur, & tamen caſu fuit ſubſecuta. Ita omnes Doctores, &c. Colligo ſecundo in caſuali homicidio ſemper irregularitatem eſſe ex delicto, quia videlicet, aut irregularis dabat operam rei illicitæ: aut quia cum daret operam rei licitæ, non adhibuit omnem diligentiam. Ita D. Thom. 2.2. *q.* 64. *art* 8. Panormitan. *cap. ad aures. de ætat. & qualit.* Præpoſit. *Can.* 1. *d.* 50. *nu.* 26. probaturque ex *cap. Ioannes c. Dilectus de hom.* vt probat Tolet.

Aduertendum tamen eſt, non quamuis rem illicitam, vnde mors caſualiter fuit ſubſecuta, cenſeri illicitam ad effectum irregularitatis: ſed eam ſolum quæ ex genere ſuo, eſt periculoſa homicidij, ita Sot. *lib. 5. iuſt. q.* 1. *art.* 9. Couarr. & Socin. *c. ad audientiam. de homicid.* & Anchar. *c. vlt. de hom. in 6.* ſed hęc doctrina intelligenda cum res illicita, cui dabatur opera, non fuit immediata cauſa mortis: ſi enim fuit ita immediata cauſa, inducit, quomodolibet ſit illicita, irregularitatem, vt late probat Toletus *proxime*, qui hac de re latius, & diſertiſsime pertractat. Dico *ſeptimo.* Qui mandat alteri, vt occidat, aut mutilet vel aliquid agat, vnde procedat mors, aut mutilatio, irregularis eſt. *c. Si quis viduam d.* 50. Verũ qui re integra reuocauit mãdatum expreſſe, & ſine fictione, mandatarius tamen noluit acquieſcere, ſed occidit, & mutilauit, mandans non eſt irregularis. Ita Innocent. *c. Ad audientiam de homic. ibid.* Ancharan. & Anani. Nec

idem, dum mandatarius occidit nomine proprio, non mandantis. Ita Ioan. And. & Anchar. *c. ad audientiam. de homicid.* Nec item cum mandatarius occidit, post tempus a mandante præscriptum. Ita Anan. *in cap. ad audient. cit.* Dico *Octauo.* Consulens alteri, vt occidat, aut faciat aliquid, vnde mors sequitur, irregularis est, ita Præpos. *Can. si quis viduam. d.* 50. & alij, *supra citati:* par enim ratio est de consulente, atque de mandante. Vnum tamen latum discrimen est, quod non sufficit reuocare consilium ad fugiendam irregularitatem, si consiliarius ex vi consilij occidit, vel mutilauit, vt notat Innocent. *in cap. ad audient. de homicid.* communiter receptus: sicut sufficit in mandante, vt iam supra ostendi. Non est tamen irregularis clericus, qui in bello iusto excitat milites ad bellandum, dummodo eos non excitet ad occidendum, vel mutilandum, licet postea in ipso conflictu sequantur, homicidia, & mutilationes. Ita Panormitan. *cap. Petitio. de homicid.* & Gloss. *Can. clericum. d* 50. Dico *nono.* Qui ita defendunt homicidas, vt hominum occisiones, tuto, & liberius efficiant, vel animosius, irregulares sunt, *cap. Sicut dignum. de homicid. §. illi etiam.* si autem defensio fuerit iusta, vtpote in homicidio iusto, & in personis non prohibitis erit ex defectu.

Si vero ad homicidium iniustum, vel ad iustum personis Ecclesiasticis, erit ex delicto: & sic adest intentio mortis erit ex homicidio voluntario: si vero est præter intentionem, erit casuale, iuxta superius dicta de mandante, & consulente. Hanc ob rem sunt irregulares fiscalis notarius, testes, qui literas scribunt, in quibus iubetur officiali vt occidi faciat aliquem malefactorem, satellites, notarij sententiam mortis scribentes, notificantes eam reo cum auctoritate, quique interfunt, dum reus occiditur, auctoritatiue, & tanquam fautores, accusator in causa sanguinis, aduocatus contra reum, aduocatus qui defendit reum contra auctorem, erga quem exigitur pœna talionis, quæ illi irrogata est cum morte vel mutilatione. Ita Præpos. *Can.* 1. *d.* 50. *n.* 16. Panor. *cap. Ex his. de excess. prælat.* & patet ex *Canon. aliquantos d.* 51.

10 Qvaest. *Possuntne absque irregularitate clerici, con-*

quere

queri, & querelam deponere etiam apud iudices seculares, contra suos malefactores in defensionem sui, & rerum suarum, etiam super criminibus, in quibus pœna sanguinis venit imponenda? RESP. Possunt. *cap. Prælatus. de homic. in 6.* si protestentur se nolle vindictam, & sanguinis pœnam, quæ protestatio satis est, si verbo fiat. Possunt etiam eosdem malefactores in sui rerumque suarū defensionem capere, & iudici tradere, vt tenet Socin. *cap. Ad aud. de homicid. n. 52.* Pro rebus suis intelliguntur bona temporalia, serui, ancilla, &c. non tamen amici, aut alio vinculo coniuncti, vt notat Francus *supra.* Hæc tamen protestatio debet esse vera: si enim verbo tenus protestetur, se non ob vindictam facere, tamen reuera animum habet vindictæ, ita irregularis est ex delicto ac si non faceret protestationem: erit tamen in solo foro conscientiæ irregularis, dum animus vindictæ latet. Ita Hostiensis *in sum. de homicid. §. qua pœna. vers. verū circa hæc.* Archidiac. *cap. Prælatus. de homicid. in 6.* Gemin. *ibid.* & Ioan. Andr. & Francus. Item Anan. *cap. Postulasti. de homicid.* D. Anton. 3 *p. tit.* 28. *cap.* 2. §. 4. Tolet. *lib.* 1 *cap.* 80. protestatio enim supponit animum non vindicandi, & cum habenti suffragatur: aliter enim non est vera protestatio. Nec valet argumentum, quia Ecclesia non iudicat de actu interiori: iudicat enim cum ille coniunctus est, cum actu exteriori, & ita punit excommunicatione, externū actum hæreticalem, cum procedit ab interna hæresi, atque alios similes. Possunt etiam clerici absque irregularitate denunciare de crimine vergente in publicā perniciem, cum eadem protestatione, licet delinquens morte, aut mutilatione puniendus sit. ita Caiet. 2. 2. *d.* 32. *art.* 3. Nauar. *Can. inter ver.* 11. *q.* 3. *corol* 53. cum Cou. & colligitur ex *cap. Accusasti. de Accusat.*

II. QVÆST. *Præter tres modos, consilium scilicet, mandatum, defensionem, datur ne alius, per quem contrahatur irregularitas?* RESP. Maxime. In primis ratihabitio, quando nempe aliquis homicidium nomine eius factum, etiam ipso ignorante, ratum postea habet. Ita Archidiacon. *cap. si quis viduam d.* 50. Speculum. *titul. de leg. §. iuxta propositum.* Boic. *cap. sicut dignum de homic.* Sylu. *homicid.* 3. §. 2. Rossel. *homicid.* 2. §. 5. Nauar. in summ. c. 27.

num. 233. pro hac opinione facit, quia in delictis, ratihabitio mandato æquiparatur. *Reg. ratihabitionem de reg. iuris in 6.* fauet etiam *cap. si quis de sentent. excommun. in 6.* Debet autem esse eius nomine factum, tempore quo ipse posset idem facere, vt notat Panorm. *cap. 1. de conuers. infid.* scio oppositum docere Tolet. *lib. 1. cap. 81.* Hostien. Archid. Tabien Armil. Couarr. quos refert, motus eo principio, quia non inducenda est irregularitas, quæ expresse non habeatur in iure, vt habetur *cap. Is qui, de sentent. excommun. in 6.* sed non audeo Doctorum communi refragari. Alter modus contrahendi irregularitatem est omissio, nempe, quando aliquis non liberat à morte eũ, quem poterat auxiliando liberare. Quoniam tamen res est obscura, & valde controuersa, latius in ea immorabor. Quando igitur non liberatio, aut non prohibitio vim habet auxilij, aut consensus apud occidentem, tunc qui non liberat, aut non prohibet, est irregularis, quia in eo casu est auxilium, aut consensum præstare, casus est in *cap. Petrus de homicid.* Quando etiam non liberatio est illicita, & contra iustitiam (tunc autem talis est, quando quis ex officio, aut mercede tenebatur liberare) est irregularis, & homicida non liberans. Dixi (contra iustitiam) quia non liberatio contra solam charitatem non facit irregularem. Longiorem hac de re disputationem, legito apud Toletum. *lib. 1. cap. 82.*

CAPVT XI.

Quid est suspensio. §. 1.

1 *Quid est suspensio.*
2 *Certæ regulæ in hac materia.*
3 *Quis potest suspendere.*
4 *Quis potest suspendi.*
5 *Propter quid potest ferri suspensio.*
6 *Quod peccatum punitur suspensione.*

7 An

7 *An requiratur contumacia.*
6 *De forma ferendæ suspensionis.*
9 *De effectibus suspensionis.*
10 *De Absolutione à suspensione.*
11 *An clericus publicè concubinarius sit ipso iure suspensus.*

1 QVÆSTIO. *Quid est suspensio?* RESP. Est Ecclesiastica censura, priuans vsu Ecclesiastici officij, aut beneficij. Pro officio intelligo tam ordinis, quam iurisdictionis. Pro beneficio intelligo, tam beneficia curata, quam simplicia, atque etiam dignitates, & canonicatus.

2 QVÆST. *Suntne in hac materia aliquot certæ regulæ?* RESP. Maxime. *Prima* sit, suspensus ab ordine, non ob id est suspensus de iurisdictione, neque è contra, quia hæc sunt inuicem distincta, & vnum ab altero non pendet. *capit. Aqua. de consecrat. Eccles.* Aperte hoc decernitur in Episcopo suspenso à Pontificalibus, quæ quidem tantummodò pertinent ad officium ordinis. *cap. transmissa. de elect* probat Geminia. *in capit. 1. §. officiales. numer. 3. de offic. ordin. libr. 6.* notat Panormitan. *capit. Cum dilectus. de consuetud.*

Secunda regula. Suspensus ab ordine maiori, non ob id est suspensus à minori. V. g. suspensus ab officio sacerdotij, non est suspensus ab officio diaconatus. E contra vero, suspensus ab officio minoris, manet suspensus ab officio maioris. ita Hostiens. *ca. dilectus filius. de tempor. ordin.* & Tolet. *lib. 1. cap. 43.* cum communi.

Tertia regula. Suspensus simpliciter ab officio intelligitur tam ordinis, quam iurisdictionis. Ita Gloss. *cap. Cum dilectus de consuet.* Ibi Panormit. *num. 19.* Felyn. *ca. Apostolica num. 16. de exceptionib.* Tolet. *proxime* cum communi, contra Gloss *Can. audiuimus. 24. qua. 1.*

Quarta regula. Suspensus ab administratione Ecclesiæ, vel beneficij tam in temporalibus, quam in spiritualibus, non ob id est suspensus ab ordine. Ita Tolet. *libr. & ca. cit. proxime num. 12.* cum Syluest. & Abbate.

Quinta regula. Suspensus simpliciter, non appositio

ab officio, vel beneficio, intelligitur suspendi ab omnibus, Ita Sylu. *verb. suspensio* §. 5.

3 QVAEST. *Quis potest suspendere?* RESP. Omnis ille qui potest excommunicare, potest suspendere, ita Doctores communiter, vt notat Sylu. *suspensio.* §. 2. Ang *suspen.* 2. §. 3. Tolet. *lib. 1. cap. 44. num. 1.*

4 QVÆST. *Quis potest suspendi?* RESP. Sola persona Ecclesiastica. Ratio est manifesta ex definitione suspensionis. Nota tamen, quod Episcopus non incurrit suspensionem a iure, nisi de eo specialis fiat mentio, vt habetur *ca. periculos de sent excomm.* & *ibi* Gloss.

5 QVÆST. *Propter quid ferri potest suspensio?* RESP. Propter peccatum, neque absque illo quis suspendi potest. *ca. satis peruersum d. 56.*

6 QVAEST. *Quale debet esse huiusmodi peccatum?* RESP. Qualis fertur suspensio: itaq; si suspensio est leuis, erit pro peccato veniali ferri potest. ita Caiet. *verb. susp.* Nauar. *ca. 27. num. 19.* Tolet. *lib. 1. ca. 44.*

7 QVÆST. *Requiriturne contumacia ad suspensionem, sicut requiritur ad excommunicationem?* RESP. Minime. Sed imponi potest in pœnam præteriti peccati. Ita Inno. *cap. peruenit. num. 3. de excess. Prala.* Abb. *in ca. reprehensibilis num. 4. de appell.*

8 QVAEST. *Quæ est forma suspensionis?* RESP. Nulla sunt determinata verba in forma suspensionis obseruanda, sed quæuis suspensionem exprimentia sufficiunt, vt suspendo te, &c.

9 QVAEST. *Qui sunt effectus suspensionis?* RESP. Plurimi. In primis suspensus exercens id à quo est suspensus, peccat *capit. 2. de mai. & obed.* Deinde suspensus ab ordine, exercens actum talis ordinis manet irregularis. *cap. cum æterni. de sentent. & re iudic. in 6. capit. 1. de sentent. excommunic. libr. 6.* & ita omnes Doctores *ibidem.* Dixi, suspensus ab ordine, quia qui suspensus est ab officio prædicationis, licet inobediens prædicationem exercens peccet, & eo ipso sit excomunicatus, Clem. *cupientes. §. quibus. circa finem. de pœnitent.* & *ibi* Ancharan. *numer. 10.* non fit tamen irregularis, vt notat Calder. *Clem cupientes. citat.* Angel. *verb. suspensio. 3. §. 8.* Quæ doctrina intelligenda est, nisi prædicet solemniter, & ex officio: tunc enim

enim prædicando sit irregularis, vt vult Nauar. *in summ. capit. 27 numer.* 163. Tertio. Suspensus ab officio, nec potest eligi, nec eligere in beneficium aliquod. *capit. Cum dilectus de consuetud.* adiuncta *Gloss.* nec potest excommunicare, nec conferre aliquod beneficium. *cap. Quia diuersitatem, de concession. Præben.* Quarto. Suspensus a beneficio, iusta suspensione, non facit fructus beneficij, nisi ad modicam sustentationem, si est pauper: qua modica sustentatione etiam priuatur, si suspensus est ob contumaciam, vt notat Abb *cap. Apostolica num.* 7. & *ibi* Felyn. *nu.* 9. *de excep.* Couar. *verb. resolut. li* 3. *ca.* 13. Fiunt ergo huiusmodi fructus vtilitati Ecclesiæ, vt notat Imola *capi. sicut. col.* 3. *de cohabit. cler. & mul.*

10 QVÆST. *Quis potest absoluere à suspensione?* RESP. Absolutio suspensionis ab homine, pertinet ad eum, qui eam posuit, vel ad eius successorem, vel superiorem. Ita Boic. *cap. Clerici. num.* 6. *de cler. excomm minist.* Angel. *suspensio* 4. §. 1. Sylue. *ibi.* §. 8. Absolutio suspensionis a iure, à quo determinatum est tempus suspensionis, ante finitum tempus, pertinet ad iuris conditorem, vel ad superiorem, quamuis non sit aliunde reseruata. Ita Gloss. *capit. Cupientes. de elect. in* 6. & Gloss. *Clem. cupientes. de hæret.* Si tamen suspensio est à iure, non assignante tempus, neque est reseruata, potest ab ea Episcopus absoluere. Ita Innocent. communiter receptus *in cap.* 2. *de solut.* Felyn. *cap. At si clerici* §. *de adulteriis, numer.* 12. *de iudic.* & Nauar. *in sum. cap.* 27. *numer.* 162. Quam doctrinam intellige, cum suspensio posita fuit ob contumaciam, vel etiam cum ob delictum, quodquod illud sit. Ita Panormitan. *Clem.* 1. *numer.* 25. *de hæret.* & *ibi* Gloss. Innocent. *capit.* 2. *de solut.* Sylu. *suspensio. num.* 8. ex *cap. Nuper. de sent excom. verb. non renuit.*

11 QVÆST. *Estne ipso iure suspensus clericus notorius concubinarius?* RESP. Maxime. *cap. Quæsitum, de cohabitat. cler. & mul.* Est autem notorius concubinarius, qui domi habet suæ concubinam, vt vxorem. Ita Abb. *cap. Vestra numer.* 7. *de cohab. cler. & mul.* Hac tamen de re, deque alijs particularibus suspensionibus, latè Tolet. *libr.* 16. *c. capit.* 47. & 48.

CAPVT

CAPVT XII.

De Interdicto. §. 1.

1 *Quid est interdictum.*
2 *Quotuplex est interdictum.*
3 *Quis potest interdicere.*
4 *Quis potest interdici.*
5 *Ob quid potest ferri interdictum.*
6 *Quæ est forma interdicti.*
7 *Quæ ceremoniæ sunt seruandæ in interdicto.*
8 *De intimatione interdicti.*
9 *Tria prohibentur tempore interdicti: celebratio diuini officij: sacramentorum administratio: Ecclesiastica sepultura.*
10 *Quid intelligitur nomine diuini officij.*
11 *Quomodo liceat celebrare diuina officia tempore interdicti.*
12 *Qui possunt interesse diuinis officijs tempore interdicti.*
13 *Tenenturne priuilegiati tempore interdicti audire sacrum.*
14 *Quibus diebus licet celebrare diuina officia, durante interdicto.*
15 *Quam censuram incurrit, qui celebrat tempore interdicti.*
16 *An prohibeatur omnis actus ordinis tempore interdicti.*
17 *Quæ sacramenta licet ministrare tempore interdicti.*
18 *Quæ res sacræ licent tempore interdicti.*

19 An

19 *An pueris interdicatur Ecclesiastica sepultura, tempore interdicti.*

20 *De peccato violantis interdictum.*

21 *Quis potest absoluere ab interdicto.*

22 *Ad quid tenentur Religiosi, tempore interdicti.*

23 *An priuilegiatus tempore interdicti, possit secum deferre familiam ad diuina.*

24 *An innodentur censura laici, si adsunt diuinis tempore interdicti.*

25 *An pueri post rationis vsum, possint interesse diuinis.*

26 *An priuilegiati teneantur audire sacrum.*

1 QVÆSTIO. *Quid est interdictum?* RESP. Est censura Ecclesiastica, qua prohibentur diuina officia, sacramenta, & sepultura actiuè, & passiuè. Ita Nau. *cap. num.* 164. cum communi.

2 QVÆST. *Quotuplex est interdictum?* RESP. Triplex: Locale tantum, Personale tantum, locale, & personale simul. *Locale* tantum est, quo solus locus interdicitur, quod rursum est duplex: generale, quo vniuersalis locus interdicitur, vt regnum, vel prouincia: speciale, quo interdicitur peculiaris locus, vt ciuitas, oppidum. Interdictum *personale* tantum est, quod interdicit personas tantum, quod etiam est duplex, generale, quo interdicuntur vniuersim omnes personæ huius oppidi, &c. & speciale, quo interdicuntur certæ personæ. Interdictum *locale*, & *personale* simul est, quo non solum locus, sed & persona interdicitur. Exemplum est in interdicto, quod appellant deambulatorium, quo quidem interdicitur persona, & locus, quo fuerit eadem persona.

Nota tamen, quod interdictum ciuitatis, includit etiã suburbia, & ædificia prope mœnia. *cap. Si ciuitas de sent. excom.* Item, interdictum Ecclesiæ comprehendit etiam sacella, & cœmeterium contigua. *capit Si ciuitas cit.* Ita Nau. *cap.* 17. *num.* 164. Tolet. *cap* 1. *de interdict.*

4 QVÆST. *Quis potest interdicere?* RESP. Qui potest excommunicare, & suspendere.

5 QVÆST.

5 QVÆST. *Quis potest interdici?* RESP. Qui potest excommunicari, & suspendi, & ideo vniuersitas, quæ non potest excommunicari per *capit. Romana. de sentent. excommunic. in 6.* non potest interdici, per *capit Si ciuitat.*

6 QVÆST. *Ob quid potest ferri interdictum?* RESP. Ob solam culpam, vel propriam, vel alterius. Et ideo interdictum comprehendit etiam infantes, & amentes. Ita Nau. *capit.* 17. Tolet. *cap. 2. de interdict. ex Can. Minor. quæst. 4.* & ex *cap. 16. Si sent. de sentent. excom. in 6.* Adducitque pro hac sententia duplicem rationem, & vtramque satis congruam. Quoniam, inquit, interdictum est signum iustitiæ Ecclesiæ, & ideo vult, vt omnes patiantur eundem mœrorem. Deinde, quia tunc qui dedit causam interdicti, magis confunditur.

6 QVÆST. *Quæ est forma interdicti?* RESP. Non est certa, sicut nec in alijs censuris. Ideo seruanda est consuetudo in illo euulgando. Ita Cardin. Tolet. *capit. 2. de interdict.*

7 QVÆST. *Quæ ceremoniæ sunt seruandæ in euulgando interdicto?* RESP. Cum imponitur ab homine, oportet vt euulgetur in scriptis. Ita decernitur *ca. Cum medicinalis de sentent excomm. lib. 6.* Insuper debet apponi causa expressa, quæ sit rationabilis. Præterea debet præmitti trina monitio peccatoris, propter quem imponitur. Ita habetur *ca. Reprehensibilis de appell. in Decretal.* Dixi, si fiat ab homine: quia si imponitur à iure ipso facto incurritur.

8 QVÆST. *Estne opus ad interdictum totius ciuitatis, vt intimetur in omnibus eiusdem ciuitatis Parœcijs, & Ecclesijs?* RESP. Minime. Sed est satis intimari in Ecclesia Matrice. Ita habetur *cap. 1. de postulat. prælat.* notat Tolet. *cap. 2. de interdi.*

9 QVÆST. *Quæ vetantur tempore interdicti?* RESP. Tria. Nimirum diuinorum officiorum celebratio, sacramentorum vsus, Ecclesiastica sepultura. Ita *capit. Non est de sponsalib. cap. fin. de excess. prælat. cap. Quod in te. de pœn. & remiss. ca. Responso. de sent. excom. ca. Quoniam. ca. Si eo. eodem tit. in 6.* & claret ex tradita definitione interdicti.

10 QVÆST. *De vnoquoque horum trium peculiares proponam dubitationes. Atque in primis quid intelligitur nomine diuini*

diuini officij? RESP. Intelligitur Missa, Officium diurnum horarum canonicarum, Officium B Mariæ. Officium Defunctorum, Benedictio aquæ, cineris, ramorum, candelarum. Intelliguntur processiones, commemorationes quæcunque, funera pomposa, exequiæ, benedictiones nuptiales. Ita Roder. *in addition. ad crucintam. §. 5. numer.* 22. Non tamen intelligitur recitatio Letaniarum, etiam musico cantu, dummodo non recitetur à clericis superpellicio indutis, & in processione cum Cruce. Ita Doctores communiter teste Nau. *ca.* 27. *num.* 166. & 171.

11 QVÆST. *Prohibeturne horum diuinorum officiorum celebratio adeo, vt nullatenus liceat fieri tempore interdicti?* RESP. Minime. Nam singulis hebdomadis licet semel missam vnam celebrare, pro renouanda Eucharistia ad infirmos. Ita habetur *capit. Permittimus. de sentent. excommunic.* vbi Hostiensis, notat Card. Tolet. *capit.* 2. *de interdicto.* Quæ missa dicenda est summissa voce, non pulsatis campanis & foras missis inprimis excommunicatis, & interdictis nominatim. Ita habetur *capit fin. §. adijcimus. de excommunic.* & insuper omnibus, qui non habent priuilegium, vt notat *ibidem* Gloss. *verb interdictum.* Deinde ex priuilegio Bonifacij VIII. *capit. Alma mater. de sentent. excommunic.* possunt tempore interdicti generalis, missas, & diuina alia officia celebrari ianuis clausis summissa voce, secreto, expulsis omnibus foras non priuilegiatis. Ita communiter Doctores, teste Tolet. *capi. secundo de interdict.* Tempore vero interdicti specialis, etiam ianuis patentibus pulsatis cimbalis, alta voce, & solemniter. Ita interpretati sunt Bonifacij priuilegium Doctores Salmanticenses teste Roder. *in add. ad Cruciatam. §. 5. num.* 20. dummodo expellantur nominatim excommunicati, & interdicti. Quanquam oppositum docet Toletus *cap.* 2. *de interd.* asserens Bonifacium interdicti specialis non meminisse, & ideo reliquisse illud conditioni iuris antiqui.

12 QVÆST. *Dicito, qui habent priuilegium ad audienda diuina officia tempore interdicti, & ad sepulturam Ecclesiasticam?* RESP. Clerici tonsurati, & celibes etiã primæ tonsuræ fruuntur hoc priuilegio. Ita cõmuniter Doctores.

Dixi,

Dixi, clericos celibes, quia clerici vxorati amittunt omnia priuilegia clericalia, *capit. Ioannes de cler. coniug.* Duo excipio, nimirum vt eorum percussores contrahant excommunicationem *Canonis si quis.* & puniantur, vt percussores clericorum. Deinde, ne cõueniantur coram iudice sæculari. *cap. vnico. de cler coniug. in 6* notat. Card. Tolet. *cap. 2. de interdicto.* Fruuntur etiam hoc priuilegio, qui habent concessionem ab aliqua bulla. Qui priuilegiati possunt secum deferre familiam. *cap. Licet nobis. de priuileg. in 6.* Pro familia vero intelliguntur famuli domi habitantes, qui dominum exeuntem domo solent comitari. Ita Tolet. *cap. 3. de interd.*

13 QVAEST. *Tenenturne priuilegiati tempore interdicti audire sacrum?* RESP. Tenentur ita Sot *in 4. d. 22. quæst 3. art.* 1. Tolet. *cap. 3. de interd.* Ratio est, quia præceptum obligat eos, qui licite missam possunt audire: sed priuilegiatus potest illam audire, ergo &c.

14 QVAEST. *Quibus diebus anni suspenditur effectus interdicti, & ex consequenti possunt celebrari diuina officia, ac si non esset interdictum?* RESP. Ex iure nouo per concessionem Bonifacij *in cap. Alma mater.* in diebus Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. Mariæ. Item ex concessione Martini V. & Eugenij IV. in festo Corporis Christi, & octaua festi. In festo Conceptionis B. Mariæ in Ecclesijs, in quibus dicitur illius officium incipiens. Sicut lilium inter spinas. Atque in his diebus ita effectus interdicti adeo tollitur, vt diuinis intersint possint etiam ij qui dederunt causam interdicti. Sic Tolet. loco citato. Nau. *cap. 27. nu. 183. & 184.* per Extrauag. Martini V.

15 QVAEST. *Qua censura innodatur, qui tempore interdicti celebrat?* RES P. Irregularitatis. Ita ex iure probat Con. *cap. alma p. 2. §. num. 2.* Guterres *in quæ. Can. ca. 10.* Henr. *lib. 3. de interd. ca. 14. nu. 1.* Tolet. *ca. 3. de interd.*

16 QVÆST. *Prohibenturne tempore interdicti localis, emissus actus ordini alicui deputatus, solemniter exercitus?* RESP. Prohibetur. Et ideo prohibetur subdiaconus cantare Epistolam cum manipulo. Diaconus cantare Euangelium cum stola. Acolithus ministrare vinum, & aquam subdiacono: & sic de reliquis. Ita Nauar. *in sum. cap. 27. num. 17.*

cum

cum Doctoribus communiter.

19 QVAEST. *Quæ sacramenta licet ministrare tempore interdicti?* RESP. Licet ministrare sacramentum pœnitentię omnibus, præterquam illi, qui dedit causam interdicti, nisi paratus sit obedire. Item neque ei, qui tali causæ interdicti auxilium præstitit, vel consilium, nisi prius satisfacit, aut quantum in se est curet, vt satisfiat. Ita Tolet. *cap. 3. de interd.* colligiturque ex *cap. Alma mater.* Dico *secundum.* Matrimonium non prohibetur, etiam interdictis personaliter. Ita citatus Cardinalis. *num. 9.* Non sunt tamen dandæ benedictiones. Notat Viuald. *tract. de sacr. in genere.* Dico *tertium.* Eucharistiam non licer conferre, nisi solis infirmis *cap. Non de sponsalibus.* vbi Gloss. *verb. baptism.* & *verb. pœnitentia.* Infirmis vero non omnibus, sed solis constitutis in articulo mortis. Notat Viuald. *de sacrament. in gener.* & Tolet. *cap. 3. de interdict.* ex *citato cap. Non est.* & ex *cap. Quod in te. de pœn. & remiss.* Pro articulo vero mortis, intelligendū est etiam periculum probabile mortis. Ita Couar. *ca. Alma. 2. p. §. 3. nu. 2. & 3.* Armil. *verb. interdictum.* cum Abbat. Ioan. And. & alijs quos referunt. Censetur autem probabile mortis periculum, difficilis nauigatio: difficilis partus, & similes euentus iuxta Rode. in addition. ad Cruciatam §. 5. *nume. 24.* Dico *quartum.* Vrgente graui penuria sacerdotum potest Episcopus ordines celebrare. ita Sylvest. *interdictum. 5. quæst. 7.* Cou. *capit. alma. 2. p. §. 3.* & Viuald. loco citato, Neque hoc negat Toletus, quamuis oppositum absolutè asserere videatur.

Dico *quintum.* Non licet in aliquo euentu ministrare sacramentum extremæ Vnctionis. Ita communiter Doctores Viuald. loco citato. Tolet. *ca. 3. de interd.* Nauar. *ca. 27. num. 171.* Barthol. Med. *lib 1. ca. 111 nu. 13.*

18 QVAEST. *Quæ sacra licent tempore interdicti?* RES P. Pulsatio ad salutationem Angelicam. Mensæ benedictio, Oratio priuatim facta in Ecclesia, etiam si fiat ab ipsis interdictis. Cantus rerum sacrarum factus à laïcis etiam in Ecclesia Resp̄soriorum priuatum, etiam super sepulturam defuncti. ita cum communi Nauar. *cap. 27. nu. 176. & 177.*

19 QVÆST. *Interdicitur ne tempore interdicti Infantibus*

absque rationis vsu Ecclesiastica sepultura RESP. interdicitur. Ita Sylues. *interdictum.* & Cordub *quæstio.* 6. cum communi.

20 QVÆST. *Quod peccatum committit interdictum violans?* RESP. Si sacerdos est, mortale. Ita Sylu. *interdict.* 5. §. 6. Sot. *in* 4. *d.* 22. *qu.* 3. *art.* 1. Si vero sæcularis sit, veniale. Nisi faciat ex contemptu. ità Sot. & Caiet. Quamuis immerito. Nau. illum ab omni peccato excusat. Eos refert, & sequitur Tolet. *loco citato.*

21 QVÆST. *Quis potest absoluere ab interdicto?* RESP. Interdictum ab homine tollitur ab eo, qui illud posuit vel à superiore. Si est à iure, & causa cessauit, tolli potest ab Ordinario, etiamsi interdictum positum sit sub excommunicatione reseruata Papæ. Si vero causa non cessauit, à solo Papa tolli potest.

22 QVÆST. *Ad quid tenentur Religiosi tempore interdicti?* RESP. Ad illud seruandum. Ita decreuit Conc. Trid. *sessi.* 21. *ca. de reg. ca.* 12.

23 QVÆST. *Potestne priuilegiatus ad audiendum sacrum tempore interdicti secum deferre familiam?* RESP. Potest. Ita habetur *cap. Licet nobu. de priuileg libr.* 6. Pro familia vero intelliguntur famuli domi habitantes, qui dominum exeuntem domo solent comitari. Ita Card. Tolet. *cap.* 3 *de Interd.*

24 QVÆST. *Incurruntne aliquam censuram laici, qui interfunt tempore interdicti diuinis officijs, cum non emittuntur ab aliquo foras, qui si emitterentur, statim absque ingnanzia exirent?* RESP. Minime. Ita Caietan. *verb. violentia* §. *vltim.* Sot. *in* 4. *distinctio.* 22. *quæst.* 3. *art.* 1. Naua. *cap.* 27. *num.* 187.

25 QVÆST. *Possuntne pueri post vsum rationis interesse diuinis tempore interdicti?* RESP. Minime. Sed ante illum admitti possunt. Ita communiter Doctores.

26 QVÆST. *Tenenturne priuilegiati tempore interdicti audire sacrum?* RESP. Tenentur. Ita Sot. *in* 4. *d.* 22. *qu.* 1. *art.* 1. Tolet. *cap.* 3. *de interdicti.* Ratio est, quia præceptum obligat eos, qui licite possunt missam audire: tales autem sunt priuilegiati tempore interdicti: ergo, &cæt.

CAPVT

CAPVT XIII.

De cessatione à Diuinis. §. 1.

1 *Quotuplex est cessatio.*
2 *De definitione cessationis.*
3 *Explicatur cessationis definitio.*
4 *Quot modis fit cessatio.*
5 *An sit idem cessatio, atque interdictum.*
6 *In quo differunt cessatio, & interdictum.*
7 *An cessatio à Diuinis sit censura.*
8 *De priuilegio audiendi sacrum tempore cessationis.*
9 *De eodem priuilegio tempore cessationis generalis.*
10 *An liceat celebrare tempore cessationis generalis.*
11 *An priuilegiatus ad audiendum sacrum tempore cessationis, possit suscipere Eucharistiam.*
12 *An effectus cessationis suspendatur ijs diebus quibus cessat effectus interdicti.*
13 *De obligatione recitandi horas canonicas tempore cessationis.*
14 *An liceat celebrare semel in hebdomada.*
15 *Quis potest edicere cessationem.*
16 *Ob quas causas potest imponi cessatio.*
17 *An teneantur priuilegiati audire sacrum de tempore cessationis.*
18 *De pœna celebrantis tempore cessationis.*

1 QVÆSTIO. *Quotuplex est cessatio?* RESP. Duplex, vna, quæ fit ex priuilegio concesso Capitulo, conuentui, vel collegio alicui erga Ecclesias proprias, vel alienas, iuxta priuilegij tenorem, pro repellenda iniuria facta communitati. *cap. Si canonica. ca. Quamuis* & alijs, *de Officio Ordin.* Hæc autē cessatio non est censura Ecclesia-

ſtica, quia non imponitur à ſuperiore habente iuriſdictionem in foro contentioſo, & de hac nobis eſt agendum.

2 QVAEST. *Quo pacto definitur hæc cenſura?* RESP. Ceſſatio eſt ſuſpenſio organorum diuinæ laudis, decreta erga aliquem locum, vel Eccleſiam, Ita colligitur ex *cap. Dilectis. §. verum. de appellat. cap. Non verbis,* & alijs, quæ adducit Viuald. *tit. de ceſſatio.* Per organa intelliguntur miniſtri Eccleſiæ. Ita Sot. *in 4. d. 22. qu. 3. ar. 2.* & ideo definit hanc cenſuram. Ceſſatio eſt miniſtrorum Eccleſiæ ſilentium. Definiri vero aptius poteſt hoc modo. Eſt pœna, priuans diuinis laudibus in Eccleſia impoſita ad correctionem ijs, qui nolunt ſatisfacere. Vnde apparet Naua. & Toletum *Tract. de interdicto. ca 23. num. 1.* non ſatis explicuiſſe naturam huius Eccleſiaſtici remedij, cum dixit ceſſatio eſt deſiſtentia à diuinis officijs, & adminiſtratione ſacramentorum.

3 QVAEST. *Qualis eſſe debet huiuſmodi deſiſtentia?* RESP. Omnimoda, ita vt diuina officia nequeant fieri in Eccleſia etiam ſummiſſa voce, & ianuis clauſis. Non licet interdem ea durante, ſepeliri Eccleſiaſtica ſepultura in loco ceſſato. Neque alijs diuinus cultus exerceri Ita Lhamas *1. p. ca 11. § 7.*

4 QVÆST. *Quot modis fieri poteſt ceſſatio?* RESP. Duobus. Primo generaliter, vt quando ceſſatur in vno regno, vel prouincia, vel ciuitate, vel oppido. Ita Nauar. *in ſum. ca. 27. nu. 128.* Viuald. *tit. de ceſſ. numer. 4.* D. Anton. *3. p. tit. 26 cap. 2. §. 1.* Peroſin. *ca. Si canonici. ver. ceſſare.* Alio modo ſpecialiter, vt quando in vna, vel pluribus Eccleſijs ceſſatur. Ita Clem. *1. verſ. in ceſſat. Domin.* Præpoſ. & Franc. *ca Si canonici. citato.*

5 QVAEST. *Eſtne idem ceſſatio à diuinis, atque interdictum?* RESP. Olim idem erant in re, plura vero penes nomen, conſtat ex *ca. Non eſt de ſponſal.* vbi id notant Abb. & Præpoſ. *num. 8.* adnotat inſuper Sot. *in 4. diſt. 22. quæſt. 3. artic. 1.* Nunc vero in multis differunt. Ita Naua. *cap. 27. numer. 128.* Cum Calderin. & Card. quos refert Viuald. *tit. de ceſſat. numer. 5.* claret ex *cap. Alma mat. de ſent. excom.*

6 QVÆST. *In quo differunt ceſſatio & interdictum?* RESP.

In primis, quia de cessatione, & interdicto loquuntur nunc summi Pontifices, atque de diuersis censuris, patet ex Clem. 1 *de sentent. excommun.* Secundo, quia in transgressione interdicti, tam specialis, quam generalis, incurritur irregularitas Probat Bonifac. *in Clem. 1. nu. 90.* post Card. & Imolam ibidem. Non incurritur vero in transgressione cessationis, siue generalis, siue particularis. Ita Innocent. *cap. Dilectus. num* 3. quem *ibi* sequuntur Panorm. Perosi Præpos. quos refert, & sequitur Nau. *capit. 27. num* 183. *cap. Is qui de sentent. excomm. lib.* 6. Tertio, quia nulla cessatio à diuinis statuitur in iure, at vero interdictum sæpe apponitur ipso iure. Aduertit Sot. *in* 4. *d.* 22. *quæst.* 3. *art.* 2. Interdicta vero à iure proposita refert Nau. *cap* 27. *numer* 169. habentur *cap. Quanquam. de censib. lib.* 6. *Clem* 1. *de pœn. Extrauag. super gentes. de consuet.* & ideo cessationem à diuinis appellant multi quid facti, nō vero quid iuris. Ita Panormit *ca. Dilectus. num.* 7. *de appell.* Tab. *interdict.* 1. §. 1. Rosel. *interd.* 4. §. 9. Tolet. *de interd. ca.* 23. *num.* 1.

7 QVÆST. *Estne cessatio à diuinis censura?* RESP. Minime. Ita Nau. *ca.* 27. *num.* 164. Tolet. *sup.*

8 QVÆST. *Qui habet priuilegium audiendi sacrum tempore interdicti, potestne ex vi talis priuilegij, sacrum audire tempore cessationis?* RESP. Minime Ita Nau. *cap.* 27. *numer.* 188. *arg cap. Priuileg.* 3. *dist. capit. Porro. capit. sane de priuil.* Ratio est, quia interdictum, & cessatio, sunt distinctæ censuræ.

9 QVAEST. *Qui habet priuilegium audiendi sacrum tempore cessationis generalis, potestne ex vi talis priuilegij, sacrum audire tempore cessationis specialis?* RESP. Minime. Ita Nau. *citato loco.* Ratio est, quia exceptio format regulam, & ideo, qui talem facultatem concessit ad vnam, manifestè ostendit illam negare ad aliam cessationem.

10 QVAEST. *Licetne tempore cessationis generalis celebrare, sicut licet in generali interdicto, seruata forma. capit. Alma. de sentent excommun. in* 6. *hoc est summissa voce, & ianuis clausis?* RESP. Affirmant Archid. *capit. Si canonici cit.* Summa confess. *tit.* 33. *quæst.* 221. Viuald *tract de irreg. capit de interdicto.* Sylvest *cessatio.* Palud. *in* 4. *d* 17. *quæst.* 8. *art.* 3. D. Anton. 3. *p. tit.* 26. *ca.* 3. Nau. *cap.* 27. *num.* 189. Ratio est, quia

eadem apparet causa. Oppositum tamen dicendum cum Couar. *ca. Alma. p. 2. cap. 14. num. 7.* Curiel. *de cessat. col.* & ita resolutum fuit Salmanticæ anno 1523. 1533. 1586. vt testatur Campos, quos refert, & sequitur Viuald. *tract. de cess. num. 6.* Henriq *li. 13. de excom. cap. 53 num. 2.* Ratio est quia si Bonifacius suam concessionem extendi voluisset id expressisset, sicuti fecit Leo V. *in Clem. 1. de sent. excom.* ad alium euentum. Ita Card. Tolet. *tract. de interd. ca. 2 num. 1.*

11 QVÆST. *Qui habet priuilegium audiendi sacrum tempore cessationis, potestne ex vi eiusdem priuilegij suscipere Eucharistiam?* RESP. Minime. Ita Couar. *cap. Alma. 3. p num.* 1. Nau. *ca. 27. num. 178.* Campos citatus. *nu. 45.* Ratio est quia lex priuilegij extendi non debet. *L. Quod vero ff. de leg. capit. Quæ à iure com. de reg. iur. lib. 6.* Gloss. & comm. *in Authent. Quas actiones, Cod. de sacr. sanct. Eccles.* Idem de sacerdotibus non sacrificantibus notat Viual. cum Calet. Archid. *loco citato.*

12 QVÆST. *Licetne celebrare tempore cessationis, ijs diebus quibus licet tempore interdicti?* RESP. Licet. Ita communiter Doct. notat Viu. & Campos, qui ait ita fuisse Salmanticæ declaratum.

13 QVÆST. *Dic de obligatione recitandi horas canonicas tempore cessationis?* RESP. Summissa voce, & seorsim, & ideo absque priuilegio, non possunt recitare bini. Ita Valladieg *de irreg.* Cou. *ca. Alma. 1. p. §. 7. num. 7.* Nau. *ca. 23. num. 129.*

14 QVÆST. *Licetne tempore cessationis, celebrare semel in hebdomada, pro renouanda Eucharistia?* RESP. Licet. Ita Doct. communiter, & Tolet. *loco sup. citato.*

15 QVÆST. *Ad quem pertinet cessationis edictum?* RESP. Ad solum Episcopum, & ad Capitulum sede vacante. Et tunc ad cessationis edictum, debent omnes canonici conuenire, sicut ad electionem. Ita decernitur *ca. Quauis. de offic. Ordin.*

17 QVÆST. *Ob quas causas cessandum est?* RESP. Ob graues. Tale erit graue crimen contra Ecclesiam cum contumacia, vt si sacerdos, vel Ecclesiastica persona detineatur in carcere per iudicem secularem: si impediatur red-

tur redditus Ecclesiastici; si fiant statuta contra libertatem Ecclesiasticam.

17 QVÆST. *Tenenturne priuilegiati audire sacrum tempore cessationis?* RESP. Tenentur. Ita Sot. *in 4. dist. 22. quæst 3. art. 1.* Toiet. *cap. 3. de interd.* Ratio eadem, atque in interdicto, quia præceptum obligat eos, qui licitè possunt sacrum audire, sed priuilegiati possunt licite sacrum audire; ergo &c.

18 QVÆST. *Qua pœna punitur celebrans tempore cessationis?* RESP Dico primum; non incurrit irregularitatem. Ita Sylu. *cessatio 3. quæst. 5.* Nau. *cap. 27. num. 188.* Sot. *in 4. d. 22 quæst 3. art. 3.* Ratio est, quia irregularitas non incurritur, nisi sit expressa in iure *cap. Is qui. de sentent. excomm. in 6* atqui in iure nulla talis apponitur irregularitas; ergo &c. Dico secundum. Religiosi, qui non seruant cessationem generalem, quæ seruatur a matrice loci, incurrunt excommunicationem. *Clem. 1 de sentent. excomm.* Ita Cou. *capit. Alma.* Dixi generalem, quia de speciali nil in iure statutum est.

CAPVT XIV.

De Degradatione. §. 1.

1 *De Etymologia nominis.*
2 *Definitur degradatio.*
3 *Quo pacto facienda degradatio.*
4 *Effectus degradationis.*
5 *De grauitate huius pœnæ.*
6 *Varia nomina huius pœnæ.*
7 *Quis potest actualiter degradare.*
8 *An solus Episcopus sufficiat ad degradationem actualem.*
9 *An Episcopus possit degradari ab alio Episcopo.*

10 *Quæ requiruntur ad degradationem Episcopi.*
11 *Quis potest actualiter degradari.*
12 *Ob quæ delicta fieri potest degradatio.*
13 *Ob quodcunque graue scelus, an fieri possit degradatio.*
14 *De ordine degradationis faciendæ.*
15 *Discrimen inter degradatum verbaliter, & actualiter.*
16 *An sacerdos degradatus sufficiat ad matrimonium ex licentia parochi.*
17 *An sacerdos degradatus possit absoluere in articulo mortis.*
18 *An per degradationem admittatur priuilegium canonis.*
19 *An degradatus actualiter, teneatur ad horas canonicas recitandas.*
20 *De missis ad triremes, & ob laborem non recitantibus.*
21 *An degradatus possit interesse diuinis.*
22 *An degradatus exercens actum ordinis, fiat irregularis.*

1 QVÆST. 10. *Quæ est Etymologia nominis, degradatio?* RESP. Est idem ac graduum priuatio. Ita Aug. Syluest. Arm. *verb. degradatio.* & Viuald. *tract. de depos. num.* 2. translatum vero est hoc nomen ad pœnam qua persona Ecclesiastica a gradibus dignitatis, ad quos De gratia ascenderat, deturbatur.

2 QVÆST. *Quo pacto definitur degradatio?* RESP. Est priuatio legitimę executionis ordinum, & beneficiorum Ecclesiasticorum in totum absque spe restitutionis cum certa solemnitate, & priuatione priuilegij clericalis ex iusuis. Ita colligitur ex Sylu. Aug. Tab. & alijs Sūmistis, & ex Sot. quem refert, & sequitur Paulus Chrysal. *in dict. cathol. verb. degradatio num.* 2. Definiri item potest, ea amotio clerici in sacris à priuilegijs, & ordinibus sacris ob ea-

ob crimen atrox. Ita colligitur ex *c. 2. de pœnis. lib. 6. c. Nouimus de verb. sig. c. Cum non ab homine de iudic. c. Qualiter & c. Quando. de accus.* Colligitur ex D. Thom. 3. *p. q.* 82. *ar.* 8. *ad* 3. & ex Felyn. *in c. Non potest. de re iud.* Abb. in Diction. *ver. degradatio.* Astens. *lib.* 7. *tit.* 17. *art.* 1. Maior. *lib.* 3. *cap.* 22. quos refert Viuald. cum alijs. *de depos. nu.* 3. Definitur etiam breuius. Est susceptí sacri ordinis perpetua depositio. Ita Felyn. cum Hostien. & Innoc. *c. Qualiter nu.* 50. *de accusation.*

3. QVAE ST. *Quæ conditiones requiruntur ad degradationem?* RESP. Vt solemniter fiat amouendo actualiter insignia clericalia à degradato.

4 QVAEST. *Quis est effectus huius pœnæ?* RESP. Eximere degradatum clericum à iurisdictione Ecclesiastica, illumque tradere sæculari brachio. Ita Spec. *tit. de accus. §.* 2. Abb. *in cap. Ad audientiam. de crimin. fals.* quos sequitur communis sententia.

5 QVÆST. *Estne degradatio omnibus Ecclesiasticis pœnis maior?* RESP. Maior quidem. Est enim Ecclesiæ vltimum supplicium. *text. in l. vlt. ff de pœnis.* quam citat Astensis in sum. *lib.* 7. *tit.* 7. *ar.* 1. habeturque in Ecclesia, instar mortis, vt notat Viual. *in candel. tit. de degrad. num.* 7. separatur enim membrum ab Ecclesia, quasi anima à corpore, vt ait Io. Andr. cum communi, *in c. Vt inquisitionis. de hæret. in* 6. Felyn. *cap. in nonnullis de Iudæis.* Maiol. *tract. de irreg. lib.* 3. *c.* 22. *n.* 2. Dixi, degradationem esse maiorem omnibus alijs pœnis Ecclesiasticis; quia inter censuras. maior omnibus, est excommunicatio. Constat ex effectu illius, priuat enim excommunicatum participatione sacramentorum, tam actiua, quam passiua: fidelium suffragijs, Ecclesiastica sepultura, redditque talem excommunicatum iumentum diaboli. Ideo Christus Dominus pro vltimo supplicio censurarum apposuit inobedienti, *sit tibi, tanquam ethnicus,* hoc est, excommunicatus, & D. Paul. his Corinthum incorrigibilem vlt. excommunicauit. 1. *Cor. cap.* 5. notaturque *c. Audiuimus.* 24. *q.* 1. *§. sin autem. vers. Apostolus.* Deinde, quia de ea censura sic text. *c. Cum non ab homine. de iud. Cum Ecclesia vltra quid agere non habeat, &c.* Et quamuis inter censuras numeremus degradationem: dicendum tamen maiorem ex-

communicationem, esse adhuc maiorem quoad Deum, & animam: degradationem vero quoad corpus.

6 QVAEST. *Quo nomine etiam apud Auctor. appellatur degradatio?* RESP. Vocatur exauctoratio. Ita eam appellat Aug. *tract. de malef. nu.* 35. Simanch. *de Institut. Cath. tit.* 46. *nu* 69. Cou. 2. *lib. resol. c.* 10. *n.* 10. Clar. *lib.* 3. 8. *fin. q.* 36. & multi alij, quos refert Viual. *loco citato nu.* 8. Sumptum fuit vocabulum per translationem à militibus qui ob scelus commissum, exauctorantur à ducibus, per subtractionem militarium insignium.

7 QVÆST. *Quis potest actualiter degradare?* RESP. De iure solus Episcopus, Ratio Viualdi est optima, quia res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur, sed Episcopus solus potest ad gradus Ecclesiasticos clericũ euehere; ergo ille solus eum potest à gradibus deturbare.

8 QVÆST. *Sufficitne solus Episcopus ad degradationem actualem?* RESP. Minime. Sed ad degradationem presbyteri, adiungendi sunt saltem sex Abbates, ad degradationem Diaconi, vel Subdiaconi, tres. Ratio est, quia ex Cõcil. Trident. *sess.* 13 *cap.* 4. *de refor.* nunc tot abbates adiungendi sunt, quot olim adiungebãtur Episcopi: sed olim tot Episcopi requirebantur, vt ostendit Viual. *num.* 16. ergo &c. Si tamen Diaconus fuit ordinatus à Papa, non potest ab Episcopo degradari. Ita Bern. *in cap. Fe tuas de maior & obed.* quem refert, & sequitur Astensis *loco citato.*

9 QVAET. *Potestne Episcopus degradari ab alio Episcopo?* RESP. Minime. Nec à Legato à latere, nisi ex speciali commissione. *c. Inter. de transact.* notat Astensis, & Maiolus citati. sed à solo Papa.

10 QVAEST. *Quæ requiruntur ad degradatiõnem Episcopi?* RESP. Vt causa agitetur coram duodecim Episcopis, & processus, ac Episcoporum iudicium sunt deferenda ad Papã, & ab eo proferenda sententia, Ita Glo. & Doct. *cap. Non potest. de re iudic. ca. Felix.* 15. *quæst.* 7. Specul. *tit. de accus.* §. 4. Innocent. *c. Graue. de presb.* Paul. *in cap. Non potest. de iudic.* Ang. Sylu. Tab. *degradatio.*

11 QVAEST. *Quis potest degradari actualiter?* RESP. Clericus omnis. Ita Albert. *cap. Quoniam de hær. lib.* 6. Non est tamen in vsu degradatio clerici in minoribus, notat Couar. &

nar. & Salzedo, quos refert, & sequitur Vinal. *de depositi. nu.* 13.

12. QVAEST. *Prater quæ delicta quis est degradandus?* RESP. 1. Propter hæresim. *cap. Ad abolendam, de hæret. cap. degradatio. de pœn. lib.* 6. Nisi statim pœniteat, & resipiscat. *cap. Excommunicamus. de hæret. lib.* 6. Ita Tab. *verb. degradatio. num.* 4. Director. & Repert. Inquisit. 2. Item propter falsificationem literarum Apostolicarum. *cap. Ad falsariorum. de crimin. falsi.* 3. Item per coniurationem in proprium Episcopum, vel ob iniuriam illi factam. *c. Si quis Sacerdotium. 11. quæst.* 1. Hostiens. Innoc. quos refert, & sequitur Astens. *art.* 3. Clarus *lib.* 5. §. *fin.* 4. Propter Sodomiam. Ita decreuit Pius V. Proprio motu, quẽ refert Salzed *in additio. cap.* 86. *lit. C.* Nauar. *cap.* 27. *nu.* 249.

13 QVAEST. *Vltra hæc delicta suntne alia, propter quæ degradandus sit clericus?* RESP, Negat communis opin. teste Claro loco proxime citato, adeo vt nec propter occisionem ipsius Papæ, potest clericus degradari. Sed immerito: ex consuetudine enim propter atrox scelus degradantur, vt refert Bern. Dias *in praxi. cap.* 96. veluti propter monialis violationem.

14 QVAEST. *Quis est ordo degradationis?* RESP. Qui ex consuetudine seruatur.

15 QVAEST. *Quid interest inter degradatum verbaliter, seu depositum, & degradatũ actualiter?* RESP. Multum quidem: nam depositus non subiacet potestati sæculari. Ita Iul. Clarus *lib.* 5. §. *fin.* Nec est priuatus in perpetuum. Degradatus vero actualiter, subiacet potestati laicæ, & est priuatus in perpetuum, tum ordinis executione, tum beneficiorum fruitione, *ca. degradato. de pœnis. lib.* 6. & *ibi* Doct. & Asten. *lib.* 7. *tit.* 4. *art.* 1.

16 QVÆST. *Essetne verum matrimonium coram testibus, & clerico degradato ex licentia parochi?* RESP. Verum. Ita Vinal. *tract. de degrad. n.* 37. Ratio est, quia ex Conc. Trid. *sessi.* 24. *cap.* 1. *de reform.* est matrimonium verum factum coram parocho, & testibus; vel coram sacerdote de licentia parochi, sed talis degradatus, adhuc est verus sacerdos propter characterem indelebilem, ergo, &c. Vnde aperte colligitur veros esse ordines collatos, ab Episcopo de-

po degradato, quia per degradationem, non amittitur Episcopalis character.

17 QVÆST. *Potestne sacerdos degradatus absoluere in articulo mortis pœnitentem?* RESP. Potest. Ita Viual. in candelabro. 1 *p. titul. de absol. nume.* 64. & *de degradation. num.* 39. Couar. *cap. Alma. 1 p. §. 6. nu.* 8. Salzed. *in addit. c.* 33. Caned. 2. *p. collec.* 65. *num.* 2 Ratio est, quia propter instantem necessitatem, dedit Ecclesia talem potestatem cuiuis sacerdoti: degradatus autem adhuc est verus sacerdos.

18 QVÆST. *Amittitne degradatus priuilegium canonis quis* 17. *qu.* 4.? RESP. Degradatus verbaliter secundum omnes non amittit. Degradatum autem verbaliter, tale non amittere priuilegium tenuit Donas. *reg.* 99. *ampl.* 4. Cum Baldo, & Innoc. quos refert. Oppositum tamen est dicendum cum Caiet. Aug. & Sylu. *verb. degradatio. nu.* 2. Claro. *lib.* 5. §. *fin. qu.* 77. *nu* 20. cum Glossa. *cap. de Degradatio. de pœnis. lib.* 6. *ca. Accedens.* 50. *d.* Anchar. *c. Cum contingit de sent. excom* & Astens. *lib.* 7. *tit.* 47. *art.* 4.

19 QVÆST. *Teneturne actualiter degradatus recitare horas canonicas?* RESP. Tenetur. Ita Gigas. *tract. de pens. q.* 64. Decius *c. Intelleximus nu.* 25. *de iudic.* Gloss. in *cap. Presbyterum.* 28. *de verb. priuatus.* Sylu. *degradatio num.* 8. Aug. *nu.* 4. Armil. *n.* 3. Cou. *lib.* 3. *Variar. c.* 13. §. 12. cum Abbate, Innoc. & Alex. quos refert. habetur *cap. Dolentes de celebrat. missarum.*

20 QVÆST. *Missus est degradatus ad triremes: ibique laboris magnitudine caret tempore ad recitandum officium, peccatne lethaliter non recitando?* RESP. Non peccat. Ita Viual. *de degradat. n.* 42. In eo tamen, quod dicit talem degradatum teneri ad recitandum aliquoties orationem dominicam, & Angelicam salutationem, loco officij, non videtur loqui iuxta rationem. Ea est clara: nam sacerdos deobligatus ex alia causa à recitando officio, non tenetur ex vi præcepti recitare alias orationes; ergo nec degradatus in triremibus.

21 QVÆST. *Poteritne degradatus interesse diuinis officijs?* RESP. Poterit. Ratio est, quia degradatus non manet excommunicatus, & ideo quoad alia, præter exercitium graduum, à quibus deponitur, est æqualis alijs non degradatis. Ita Viuald. *de degrad. nu* 49.

22 QVÆST.

22 QVÆST. *Degradatus exercens ordinis actum, à quo est degradatus, manetne irregularis noua irregularitate?* RESP. Manet. Ita c. *Accedes* 39. *dist. ibi* Glo. & Doctor, nec dignus est dispensatione, etiam post pœnitentiam. Idem dicendum de eo, qui consecraret Eucharistiam sine celebratione missæ iuxta Viuald. de *degrad. num.* 47. cum D. Anton. quem refert.

Finis Secundæ Partis.

EXAMINIS THEOLOGIÆ MORALIS

PARS TERTIA.

In qua de septem Ecclesiæ Sacramentis:

De Diuino Missæ sacrificio.
De indulgentijs.
De Purgatorio.
De Bulla Cruciata.
De Horis Canonicis.
De Beneficijs.
De Simonia: quæstiones solitæ strictim agitantur.

CAPVT I.

De Sacramentis in genere.

§. *Antequam ad singula quæque Nouæ Legis sacramen-*

menta propius accedamus, oportet prius, quæ omnibus communia sunt in operis vestibulo patefacere, ne in singulis eadem repetendo, tædiosimus lectori, temporis iacturam inerito plurimi facienti. Ideo tractationem sacramentorum, quam Doctores sacri de Sacramentis in genere nũcuparunt, Diuino Numine propitio aggrediamur.

De Auctore Sacramentorum Nouæ Legis. Item de fine ad quem sunt instituta. §. 1.

1 *Quis instituit sacramenta Nouæ Legis.*
2 *An potuerit Ecclesia sacramentum aliquod instituere.*
3 *Ad quem finem sunt ordinata sacramenta Nouæ Legis.*

QVAESTIO. *Quis instituit sacramenta Nouæ Legis?* RESP. Christus Dominus. Ita definiuit Concil. Tridentin. *sess. 7. Can. 1.* his verbis. *Si quis dixerit sacramenta Nouæ Legis nõ fuisse à Christo Domino nostro omnia instituta, anathema sit.* Habetur *cap. Ad abolendam hæret.* Sumitur ex de Aug. *lib. de verb. Religion.* Beat. Ambros. *libr. 4. de sacram. cap. 4.*

2 QVAEST. *Potuitne Ecclesia vniuersalis etiam viuentibus Apostolis instituere sacramenta aliqua?* RESP. Minime. Ita Couar. *lib. 1. resol. cap. 10. numer. 3.* idque latissime probat. Hanc obrem falsissima est opinio Glossæ. *in principio. de pœn. d. 5.* asserentis pœnitentiæ sacramentum institutum fuisse à Conc. Nisseno. Falsa etiam opinio eorum, qui asseruerunt sacramentum Extremæ Vnctionis institutum fuisse à D. Iacobo, quos referam in proprio loco attingit Sot. *in 4. d. 1. quæst. 5. art. 2.*

3 QVÆST. *Ad quem finem instituta sunt à Christo Domino huiusmodi sacramenta?* RESP. Ad gratiam, & gloriam per illa hominibus conferendam. Et quanquam Deus Opt. Max. absque sacramentis intermedijs posset gratiã

& glo-

& gloriam hominibus conferre vt asserit Glossa. *cap. institutio de consec. dist.* 2. Voluit tamen ea Christus Dominus instituere, & sponsæ suæ sanctæ Ecclesiæ relinquere, vt faciliora remedia ad gratiam inueniendam ; vtpote quasi plenissimos fontes, è quibus hauriatur. De quo sũmo beneficio nobis multos ab hinc annos nobis gratulans Isaias *cap.* 12. dixit: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Ita Canis. *in Doctrin. Christian. tractat. de sacrament. cap.* 6.

De Numero Sacramentorum Nouæ Legis. §. 2.

1 *Quot sunt sacramenta Nouæ Legis.*
2 *Cur sunt septem:*
3 *Quæ sunt sacramenta Nouæ legis.*
4 *An sunt alia à sacramentis Veteris Legis.*

1 QVAESTIO. *Quot sunt sacramenta Nouæ Legis?* RESP. Septem. Nec plura, nec pauciora. Ita decernitur *in c. Ad abolendam. de hæret. Concil. Floren.* sub Eugen. IV. *Conc. Const. sess.* 15. *Conc. Trid. sess.* 7. *can.* 1.

2 QVÆST. *Cur septem, nec plura, nec pauciora à Christo Domino sunt instituta:* RESP. Quia id congruitas rationis exigebat. Enimuero congruum erat, vt progrediamur in gratia ad vitam spiritualem, vt progredimur in natura ad vitam corporalem. Ideo per Baptismum nascimur. Per Confirmationem solidamur, corroboramur, & augemur. Per Eucharistiam nutrimur. Per Pœnitentiam ad sanitatem animæ, quam per peccatum amisimus restituimur. Per extremam Vnctionem ad integram sanitatem, peccatorum reliquijs expulsis, redimus. Per ordinẽ idonei ministri constituimur. Per Matrimonium denique sancte gignimur, vt sancte ministremus. Ita Magist. *in* 4. *d.* 2. D. Thom. 3 *p. quæst.* 65. *art.* 1. Sot. *in* 4. *d.* 2. *quæst.* 2. Durand. *ibidem.*

3 QVÆST. *Quæ sunt ista sacramenta Nouæ Legis:* RESP. Baptismus. Confirmatio. Eucharistia. Pœnitentia. Extrema vnctio. Ordo. Matrimonium. Ita Theologi *in* 4. *d.* 1. D. Thom. 3. *p. quæst.* 20. *ar.* 2. Canonistæ *in rubr. de sacramen. iter.* Summistæ *verb. sacrament.*

4. QVAEST

4 QVÆST. *Suntne hæc sacramenta eadem, atque erant Veteris Legis?* RESP. Minime. Effectus enim multo est diuersus. nam sacramenta Veteris Legis gratiam significabant, non conferebant (vnam excipio Circumcisionem, de qua' controuertunt Doctores, quorum opiniones non recito, quia minime nostra interest) sacramẽta vero Nouæ Legis gratiã significant, & conferunt, vt veræ causæ, instrumentaque gratiæ. Hoc discrimen significant, & explicant Theologi dicendo sacramenta Veteris Legis contulisse gratiam ex opere operantis, hoc est iuxta dispositionem suscipientis sacramentum. Sacramenta vero Nouæ Legis conferre gratiam ex opere operato, hoc est: conferre certam, & determinatam gratiæ portionem omnibus accipientibus æqualem ex vi ipsius sacramenti, aliam diuersam ab ea, quæ confertur ex vi dispositionum suscipientis sacramentum. Ideo definiunt sacramentum Veteris Legis inuisibilis gratiæ, visibile signum pure signum: sacramentum vero Nouæ Legis inuisibilis gratiæ, visibile signum effectiuum.

De definitione Sacramentorum Nouæ Legis. §. 3.

1 *Quid sit sacramentum in communi.*
2 *Quo pacto definiuntur in singulari.*

1 QVÆSTIO. *Quo pacto definitur à Theologis sacramentum?* RESP. Sacramentum, inquiunt, est sacræ rei signum. Ita omnes cum D. Augustin. quem refert Catech. Rom. *super Concilium Trident. pag.* 154. haberturque *in cap. Sacrificium. de consecra. dist.* 2. Signi nomine intelligunt actionem externam, sensu aliquo externo sensibiliter perceptam. Nomine vero rei sacræ intelligunt gratiam. Ideo clariori definitione sacramentum definit Sotus *in* 4. *d.* 1. *art.* 2. Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibile signum.

2 QVÆST. *Quo pacto definitur vnumquodque sacramentorum?* RESP. *Baptismus* est ablutio corporis exterior facta sub præscripta verborum forma. *Confirmatio*, est sacra-

cramentum, in quo homo, quasi perfectam ætarem spiritualis vitæ, ac robur suscipit, ad intrepide profitendam fidem cotam Euangelij veritatem oppugnantibus. *Eucharistia*, est sacramentum, in quo sub speciebus panis, & vini simul aut seorsim vere & realiter continetur corpus & sanguinis vna cum anima, & Diuinitate Christi Domini. *Pœnitentia*, est absolutio Pœnitentis, facta à sacerdote iurisdictionem habente, sub certa verborum forma, cum debita intentione prolata, significante ex institutione diuina, & effectiua simul absolutionis animæ à peccatis. *Extrema Vnctio*, est sacramentum, in quo presbyter vngit oleo consecrato certas corporis partes infirmi probabiliter periclitantis, sub certa cum debita intentione verborum forma. *Ordo*, est sacramentum, in quo imprimitur signaculum spirituale, per quod confertur potestas Ordinato circa Diuinæ Eucharistiæ confectionem. *Matrimonium* est sacramentum, in quo gratia confertur ex opere operato mari, & fœminæ, qui contractu naturali inter se libere, mutuo coniunguntur, indiuiduam vitæ consuetudinem perpetuo retinentes, legitime habiles ad talem contractum faciendum.

De ij quibus constat vnumquodque Sacramentum Nouæ Legis, Materia, scilicet, Forma, & intentione. §. 4.

1 *De rebus quibus constat sacramentum Nouæ Legis.*
2 *Quæ est materia.*
4 *Quæ intentio requiritur.*
5 *Vnde constat materiam, formam, & intentionem, requiri ad essentiam sacramenti.*
6 *An sufficiat virtualis intentio.*
7 *An liceat in sacramentorum formis aliquid immutare.*

1 QVÆSTIO. *Quibus rebus constat vnumquodque sacramentum Noua Legis?* RESP. Tribus: Materia nimirum, forma, & intentione.

2 QVÆST. *Quæ est materia in vnoquoque sacramento?* RESP. Est elementum sensibile applicatum per actionem externam, veluti aqua, oleum, panis, aut aliquid vice elementi, sicut Deo dante in vnoquoque sacramento videbimus.

3 QVÆST. *Quæ est forma?* RESP. Sunt verba certa, & determinata. Vnde emanauit illud dictum D. Augustini: *accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Nomine vero verborum non intelligo vocalia verba, seu vocem humanam articulate prolatam, sed quidquid per quod tanquam per vocem interior animus declaratur, vt Deo fauente, dicam in materia de matrimonio.

4 QVÆST. *Quæ intentio requiritur?* RESP. Duplex nimirum intentio ministri, volentis facere, quod Ecclesia facit. Et intentio suscipientis sacramentum. Ita cum communi Tolet. *libro 2. c.* 6. Et ideo quanquam applicetur forma, & materia à ministro intendente baptizare Petrum, si Petrus non intendit recipere baptismum non manet baptizatus. Cuius intentionis quamuis *Concil. Florentin.* non meminit, illam tamen non excluſit.

5 QVÆST. *Vnde constat hæc tria, tanquam essentialia requiri ad vnumquodque sacramentum Noua Legis?* RESP. Ex communi sensu Doctorum. Ita Theologi 3. *p. D. Tho.* Canonistæ *lib. 2. Instit. Can. refert.* Summistæ, *verb. sacramentum.* Nauar. *cap. 22. numer. 2.* Sot. *in 4. dist. 1. quæst. 1. art 4.* Catechism. Roman *pag. 163. & 169* Constat ex declaratione *Concil. Flor.* sub Eugen. IV. ita decernente. Hæc autem septem sacramenta tribus perficiuntur rebus, tanquam materia: verbis tanquam forma, intentione ministri conferentis sacramentum, cùm intentionem faciendi, quod Ecclesia facit. Quorum, si aliquod desit, non perficitur sacramentum.

6 QVÆST. *Quoniam duplex est intentio, iuxta Theologorum proloquium, formalis vna, virtualis altera, rogo, quarum intentionum requiritur in ministro?* RESP Vt explicem meam mentem, dicam prius, quid intelligam per forma-

formalem, & virtualem intentionem. Formalem intentionem intelligo, actualem attentionem, hoc est actualem recordationem rei, quã perago. Hoc est, cum actualiter recordor me baptizare, me has hostias consecrare. Virtualem intentionem intelligo haberi ab illo, qui, cum agit id, quod à principio intendit agere, actualiter obliuiscitur se id agere. V.G. intendit a principio consecrare has formulas, simul cum hostia, postea cum protulit verba consecratoria, non actualiter meminit se consecrare illas formulas; talis habet virtualem intentionem. Dico igitur. Ad valorem sacramenti, sufficit virtualis intentio. Ita Nauar. pluribus in locis, teste Vinald. *tract. de sacrament. in genere.* Sot. *in 4. d 1. quæst. 5. art. 9. propos. 1. &c.* Ideo, qui Sacerdos ab initio proposuit consecrare formulas, & postea oblitus formularum protulit verba consecratoria super maiorem hostiam eleuandam, quam in manibus solum tenebat, formulas & hostiam consecrauit.

7 QVÆST. *Dixisti, formas sacramentorum esse certa, & determinata verba. Quæro igitur, vtrum liceat aliquid addere vel immutare?* RESP. Minime. Verumtamen ea, & solã verborum mutatio, vel additio impedit sacramenti confectionem, quæ sensum corrumpit. Dixi sensum. Quia corruptio circa sonum, & terminationem vocum, non tollit effectum. Igitur sex sunt obseruanda in prolatione formarũ sacramentalium, scilicet, ne fiat verborum subtractio, additio, variatio, transpositio, corruptio, interruptio. Quæ sex quidam duob. versibus comprehendit, quos refert Tolet. *lib. 2. cap. 19. num. 4.*

Nil formæ demas, nil ponas, nil variabis.
Transmutare caue, corrumpere verba, morari.

Hinc venit, vt Zacharias Papa vere fuisse baptizatum infantem doceret, qui propter inscitiam baptizantis, sub hac forma fuit baptizatus: Ego te baptizo in nomine Patrias, & Filias, & Spiritus sancta. Ita refertur *capitu. Retulerunt. de consecrat. distinct. quarta.*

De necessitate suscipiendi sacramenta ad salutem æternam. §. 5.

1. QVÆSTIO. *Quid censes de necessitate suscipiendi sacramenta Nouæ Legis?* RESP. Optimam censeo responsionem Auctoris Roma. Catechismi. pag. 168 Quæ ita se habet. Sacramentorum vnum est omnium necessarium respectu omnium, tam paruulorum, quam adultorum, scilicet Baptismus. Ita nos docuit Christus Dominus. Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum.* Quæ suscepti sacramenti intelligenda est, seu in re, seu in voto, vt dicam *in proprio loco.* Eucharistia solum est necessaria adultis, obtenta opportunitate.

Enim vero de illa habemus præceptum diuinum a Christo Domino promulgatum. Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitã in vobis.* Quod præceptum obligare saltem semel in anno declarauit Ecclesia. *cap. Omnis vtriusque sexus pœn. & remiss.* Confirmatio solũ est necessaria suscepturis primam consuram. Notat Conc. Trid. *sess. 23. cap. 24. de reform.* Pœnitentia necessaria est ei, qui incidit in culpam mortalem, data copia confessarij. Nam quamuis peccator habeat veram contritionem, & exinde certus sit per reuelationem se esse in gratia, tenetur ad salutem, peccatum confiteri data copia congrui confessarij. Nam eadem contritio inclusa votum confitendi, confirmatio & Extrema Vnctio sunt necessaria ad maiorem perfectionem.

Nam in confirmatione roboratur fides suscepta in Baptismo. In extrema Vnctione, tolluntur reliquiæ peccatorum. Et insuper conferuntur vires contra dæmonis tentationes in extrema vitæ periodo acerbius affligentis, & periculosius oppugnantis. Ordo, & Matrimonium sunt necessaria pro communitate totius Ecclesiæ. Ordo nimirum, ad idoneos sacramentorum ministros consecrandos Matrimonium ad eosdem ministros sanctè procreandos.

De

De dispositione, qua accedere debet administraturus Sacramenta Nouæ Legis. §. 6.

1 *Minister sacramentorum tenetur esse in gratia.*
2 *Non tenetur accedere ieiunus.*

1 QVAESTIO. *In qua dispositione accedere debet minister sacramentorum?* RESP. Accedere tenetur in gratia. Et ideo qui conscientiam habet peccati mortalis, tenetur vel præmittere confessionem: vel habere veram contritionem, qua iustificetur. Dixi, tenetur, vel præmittere confessionem, vel habere veram contritionem, quia non tenetur semper præmittere confessionem, si moraliter certus sit se habere veram contritionem, & per eam repositum esse in gratia. Quoniam vero de gratia certi esse non possumus absque reuelatione: satis erit ex probabilibus indiciis existimare nos habere veram contritionem, & ex consequenti diuinam gratiã sanctificantem, vt tuta conscientia sacramenta ministrare possimus: faciendo, quod in nobis est pro illa obtinenda per verum præteritorum peccatorum dolorem, quia offendimus Deum quem summe diligere debebamus: & per verum propositum cauendi in posterum ab omni lethali culpa. Administrare vero solemniter, tanquam proprius minister aliquod sacramentum in mortali culpa, est peccatum mortale. Ita Diu. Thom. 3. *p. quæstion.* 64. *articul.* 6. Sylvest. *confirmatio nume.* 1. Victor. *ibid. nu.* 26. Nau. *c.* 22. Sot. *in* 4. *dist.* 1. *q.* 5. *art.* 5.

2 QVÆST. *Debetne omnis minister sacramenti accedere ieiunus ad illud ministrandum?* RESP. De necessitate sacramenti, minime. De necessitate præcepti olim tenebatur accedere ieiunus minister Baptismi, & Confirmationis, *cap. Sacrnmenta. dist.* 1. *cap. Ieiun. distin.* 5. *de consecrat.* Hoc tamen non est in vsu: ideo per desuetudinem nullum est de hac re præceptum.

De ceremonijs seruari solitis in administratione Sacramentorum Nouæ Legis. §. 7.

1 *Vtrum signum Crucis adhibendum sit, de necessitate sacramenti.*

1 QVAESTIO. *De ceremonijs seruari solitis in administratione sacramentorum, dubium celebre controuertunt Doctores de signo Crucis sub quo omnia sacramenta perficiuntur, excepto sacramento matrimonij, an scilicet sit de necessitate?* RESP. Dico *Primum*, In nullo sacramentorum, signum Crucis est de necessitate sacramenti. Ita communiter Doctores explicantes *cap. Nunquid de consecrat dist. 5.* Quo hallucinatus est Auctor Thesauri Sacerdotalis *fol. 134.* oppositum ferme determinans his verbis. *Omnia sacramenta sacerdotalia ministerij Crucis signo perficiuntur.* Et Baptismatis vnda non nisi per Crucem sanctificata, peccata relaxat. Nec nisi Crucis signaculo quis sacerdotis gradus ascendit. Ad textum dicit. *Nunquid*, respondeo loqui interrogatiue, non autem definitiue. Dico *secundum*. In omnibus sacramentis, excepto sacramento Matrimonii, adhibere signum Crucis est de necessitate præcepti, ita Viuald. *tit. vlt. de sacrament. in genere.* Probatur aperte. Quia adhibere signum sanctæ Crucis, est vna ex præcipuis ceremonijs & ritibus ab ipsa Ecclesia præceptis, & vsitatis. Hinc colligo grauiter peccare illum, qui ex contemptu, vel malitia, vel negligentia crassa, hoc signum in administratione sacramentorum omiserit. Quod assertum non solum circa Dominicum signum, sed circa alias ceremonias ab Ecclesia adhiberi solitas affirmant cum communi sensu. Sylu. *Baptismus 1. qu. 4.* probatque latissime Viuald. *tit. vlt. de sacr. in genere. nu. 19.* Hanc ob rem graue peccatum erit in Baptismo non apponere Sal, Chrisma, Oleum cathecumenorum, non recitare catechismum. In conficienda Diuina Eucharistia omittere missæ apparatum & similia.

De

De dispositione, qua quis accedere debet ad suscipienda Sacramenta Nouæ Legis. §. 8.

1 *Vtrum ante receptionem sex sacramentorum, præmittenda sit confessio.*

1 QVÆSTIO. *Inter præcipuas dispositiones, est præmissa confessio. Rogo igitur vtrum reus peccati mortalis, teneatur præmittere confessionem antequam recipiat sacramenta?* Resp. Dico *primum*. Ante receptionem Eucharistiæ, reus mortalis culpæ, tenetur culpam mortalem coram confessario, data confessarii copia, detegere, quâ-nis ex reuelatione sciret se per veram contritionem recepisse gratiam. Ita decreuit Conc. Trid. *sess.* 13. *Can.* 11. Dico *secundum*. Ante receptionem aliorum sacramentorum non tenetur. Ita Nau. *cap.* 1. *nu.* 44. quem refert, & sequitur Viuald. *de sacr. in genere*. Dico *tertio*. Ad alia sacramenta, præter diuinam Eucharistiam, reus lethalis culpæ, tenetur accedere cum contritione: aut saltem cum attritione putata contritione. Ita communiter Doctores cum D. Th. 3. *p. q.* 64. *a.* 6. Sylu. *Confirmatio.* *n.* 4. Vict. *nu.* 26. Nau. *c.* 22. Sot. *in* 4. *d.* 1. *q.* 5. *a.* 6. Qui quidem Doctores cum communi non intelligunt inter sex sacramenta, sacramentum Pœnitentiæ. De quo suo loco dicam: & Auctores iterum referam lætius.

De effectibus Sacramentorum Nouæ Legis. §. 9.

1 *Effectus sacramentorum alij communes omnibus, qua est gratia. Alij peculiares, qui est character.*

2 *Gratia non solum secunda, sed etiam prima.*

3 *An recedente obice, redeat gratia sacramenti.*

4 *An gratia in singulis sacramentis habeat peculiares effectus.*

5 *Qui sunt hi effectus peculiares.*
6 *Quid est character.*

1 QVAESTIO. *Qui sunt effectus sacramentorum Nouæ Legis?* RESP. Dupliciter considerari possunt. Nimirum, vt communes omnibus, & vt particulares aliquibus. Effectus communis est gratia. Omnia enim sacramenta Nouæ Legis gratiam effectiue animis suscipientium, sine obice infundunt. Ita definitur *in Conc. Flor. & in Trid. sess. 7. Can 6.* Hanc infundunt ex opere operato, vel loquuntur Theologi: hoc est, ex vi solius sacramenti, æqualem omnibus. Hinc manifesti erroris damnandi sunt, qui olim asseruerunt sacramentũ Matrimonij non conferre gratiam, quos refert Nau. *cap. 22. nu. 3.*

2 QVAEST. *Quoniam duplex est gratia. Prima, nimirum qua peccator iustificatur, & ex odio reducitur in amicitiam Dei. Et secunda, quæ est augmentum ipsius præhabitæ gratiæ. Quæro exte an sacramenta Nouæ Legis infundant etiam primam gratiam?* RESP. Sacramenta Nouæ Legis, non solum secundam, sed etiam primam gratiam conferunt. De Baptismo paruulorum res est certissima. De reliquis sacramentis ab adulto susceptis cum attritione putata contritione, res est dubia, & controuersa. Verumtamen nostra conclusio ferme ab omnibus, vt probabilior, & certior approbatur. Mitto quos retuli §. 8. à quibus asseritur: traditur etiam expressis verbis à Toleto *lib. 2. cas. nu. 8.* Et inde emanauit effatum: *Homo per sacramenta ex attrito fit contritus.*

3 QVÆST. *Qui sacramenta recipit cum obice (ita loquuntur Theologi) hoc est in peccato mortali existens, sublato obice, hoc est, remisso peccato mortali per veram contritionem, recipitne gratiam sacramenti antea suscepti ex vi sacramenti præteriti, & ex opere operato illius?* RESP. Affirmat Medina absolute de omnibus sacramentis. *lib. 1. sum. cap. 6.* De Baptismo ostendam suo loco. De Confessione probat latissime Sylu. *confessio. 2. nu. 26.* & Barthol. Med. *in sum. lib. 1. cap. 121. §. 3.* insinuat Nau. *ca. 6. nu. 13.*

4 QVAEST. *Habetne gratia in omnibus sacramentis peculiares effectus?* RESP. Habet. In Baptismo datur ad delendum peccatum originale. In Confirmatione ad roborã-

dum

dum animum contra oppugnatores fidei, vt intrepide eam coram tyrannis profiteatur. In Diuina Eucharistia ad augmentum virtutum. In Pœnitentia, ad restituendam vitam spiritualem per peccatum amissam. In Extrema Vnctione, ad delendas peccatorum reliquias, & ad vires conferendas contra hostem, in extrema vitæ periodo iam iam morientes acriter oppugnantem. In Ordine, ad afficiendam animam ministri ad bene sacramenta ministranda. In Matrimonio ad vniendas coniugum voluntates vinculo pacis, & amoris.

5 QVÆST. *Qui sunt effectus particulares?* RESP. Effectus particularis est character. Hunc autem tria sacramenta conferunt. Baptismus scilicet, Confirmatio, & Ordo. Ita definiuit *Conc. Trid. sessi. 7. Can. 6.*

6 QVAEST. *Quid est character?* RESP. Est qualitas supernaturalis à Deo animæ impressa, veluti quoddam signum ouium Christi Domini, vt imprimitur in Baptismo, vel signum militum Christi, vt imprimitur in Confirmatione, vel signum potestatis, vt imprimitur in Ordine, tam in corpus Christi verum, quam in corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia. Ita habetur *cap. Consultū de tempor. ordination. cap. Displicet. 23. quæ. 4. cap. Licite 23. quæst. 7.* Conc. Trid *sessi. 7. Can. 8.* Nau. *ca. 22. num. 2.* Sot. *nu. 4. d. 1. nu. 1. ar. 2.*

7 QVÆST. *Amittiturne aliquando hic character?* RESP. Minime. Neque per peccatum vt amittitur gratia. Neque per mortem: sed in æternum conseruabitur in animis, etiam damnatorum. Ideo sacerdos resuscitatus, nec baptizandus, nec confirmandus, nec ordinandus iterum est. Ita D. Thom. *in 4. d. 2. quæst. 1.* Habetur *ca. Licite, 22. quæ. 7. ca. Quod quidem. 1. qu. 1.* Notat Armil. *verb. sacramentum. num. 1.* & Viuald. *de sacram. in gen.* Hinc manifestum est, non posse iterari in hac vita hæc tria sacramenta. Ratio est, quia effectus eorum, qui est character, semel factus nunquam amittitur.

De ijs, quæ circa sacramenta Nouæ Legis decreuit Concilium Tridentinum. §. 10.

8 QVÆSTIO *Quæ decreuit Concil. Trident. sessi. 7 circa sacramenta Noua Legis?* RESP. Memoria illa retineo, ideo facile ea recitabo. Hæresis dãnauit illum, qui dixerit aliquod eorum, quæ numeraui, non esse vere sacramentum. *Can.* 1. Aut dixerit ea, à sacramentis Veteris Legis non nisi ceremonijs differre. *Can.* 2. Aut dixerit, nullum illorum aliqua ratione esse alio dignius. *Can.* 3. Aut dixerit non esse omnia necessaria, imo aliquod eorum esse superfluum. (modo supra dicto) *Can.* 4. Aut dixerit solum significare, non vero continere gratiam, Aut eam digne sacramenta suscipientibus non semper ex opere operato conferre. *Can.* 5. 6. 7. 8. Aut dixerit, quod hæc tria Baptismus scilicet, Confirmatio, & Ordo, non imprimunt characterem in anima, & signum quoddam indelebile, propter quod iterari nequeant. *Can.* 6. Aut dixerit, quod omnia ab omnibus Christianis administrari possint. *Can.* 10. Aut dixerit non requiriri conficiendis sacramentis intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. *Can.* 11. Aut dixerit, quod confectio, aut collatio sacramenti à ministro in mortali existente nulla sit. *Can.* 12. Aut dixerit Ecclesiæ ritus omitti, vel mutari posse per quemlibet prælatum. *Can.* 13. Anathema sit.

CAPVT II.

De Sacramento Baptismi.

De Baptismi diuisione. §. 1.

1 *Triplex est Baptismus.*
2 *An omnis sit sacramentum.*
3 *Quare Theologi triplicem assignent Baptismum.*
4 *An omne martyrium appelletur Baptismus.*
5 *Cur non dicuntur omnes martyres baptizari in suo sanguine.*

6 In

6 *In quo differunt tria Baptismata.*

7 *Quo Baptismate fuit Christus Dominus baptizatus.*

1 QVAESTIO. *Quotuplex assignatur Baptismus à Theologis?* RESP. Triplex. Aquæ, sanguinis, & flaminis. Baptismus aquæ est, quo omnes Christiani baptizantur. Baptismus sanguinis est martyrium, quo enecantur infantes in materno vtero contenti, cum matres pro Christi gloria in odium fidei à tyranno occiduntur: dicuntur enim in suo sanguine baptizari. Itidem martyrium, quo trucidantur infantes ante vsum rationis ob eandem Christi, fideique causam, vt trucidati sunt Innocentes infantes ab Herode *Matth.* 2. Ita Syluest. *Baptismus.* 1. §. 2 cum Palud. & Tolet. *lib.* . *capit.* 22. *numer.* 3. & 6. Baptismus flaminis est voluntas charitate inflammata suscipiendi Baptismum aquæ, quem adultus non suscipit, quia à quo baptizatur, non supereſt, & in ea voluntate moritur, vere de peccatis commissis contritus. Appellaturque flamen, quia oritur ab igne charitatis, & contritionis.

2 QVAEST. *Suntne hæc tria baptismata à Christo Domino instituta?* RESP. Minime quidem; sed solus baptismus aquæ. Ita Conc. Trid. *sessi. de sacram. Can* 1.

3 QVAEST. *Cur igitur à Theologis appellantur baptismata?* RESP. Quia in ijs duobus baptismis, sanguinis nimirum, & flaminis infantes, & adulti saluantur, cum voto suscipiendi baptismum aquæ, quod votum adulti habent formaliter: infantes vero virtualiter in voluntate parentum.

4 QVAEST. *Dixisti baptismo sanguinis baptizari infantes, qui vel in maternis visceribus adhuc inclusi simul cum matribus in Christi seruatoris odium occiduntur: vel extra vterum in se ipsis eandem mortem patiuntur. Nonne omne martyrium appellatur baptisma?* RESP. Appellatur. Ita enim Christus Dominus suam mortem baptismum appellauit. Luc. 12. *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur.*

5 QVAEST. *Cur igitur absolutè non dicuntur omnes martyres baptizari in suo sanguine?* RESP. Quia plurimi

ante

ante ipsum martyrium baptizati erant baptismo aquæ. Insuper, quia vt baptizentur in suo sanguine, si actuale peccatum habent, & mortem in vigilia suscipiunt, indigent saltem actuali dilectione Dei super omnia, propter quam mortem constanti animo aggrediuntur, vt vult Sotus *in 4. d. 15 quæst. 1. art. 2. & dist. 17. quæ. 2. art. 1.* Si vero actualiter recordantur peccati commissi, dum rapiuntur ad martyrium, indigent actuali pœnitentia, & detestatione criminis, vt docet Suarius *disputat. 29 sect. 2. & 5.*

6 QVÆST. *In quo differunt hæc tria baptismata?* RESP. Differunt, quod baptismus aquæ solus imprimit characterem indelebilẽ: martyrium vero aureolam, gloriæ nimirum claritatem, quam appellant Theologi, gloriam accidentalem, baptismus vero flaminis nil imprimit. Differunt insuper ex remissione pœnæ. Nam Baptismus aquæ, & martyrium, remittunt cum culpa totam pœnam: baptismus vero flaminis iuxta quantitatem doloris, & contritionis. Ita Card. Tolet. *lib. 2. cap. 22. num. 3.* Sunt pro martyrio elegantia verba Cypriani, 4. *Epistol. lib. Epistol. 1.* cum rationem reddit, cur flammę tres pueros in fornace non comburerent. *Ananiæ, Azariæ, Misaëli, refrigerium*, inquit, *flammæ dederunt, præsente cum illis Domino, & probante, quod in martyres eius nil posset gehennæ ardor operari. Lib.* verò *epist. 2. epistol. 6. Fluebat*, inquit, *è martyrii vulneribus sanguis, qui flammas, & ignes, glorioso cruore sopiret.* Cautè tamen legendus Origen. *hom. 6. in lib. Iudic.* cum quo ad remissionem culpæ plus martyrio, quam baptismo aquæ tribuere videtur, pieque interpretandus. *Baptisma sanguinis*, inquit, *solum est, quod nos puriores reddidit, quam aquæ baptismus reddidit.* Enimuero baptismus aquæ dempsit culpam, martyrium verò, non à nobis tantummodo culpam, sed nos culpæ deinceps adempsit. Baptismus aquæ nos à gehenna extraxit, sed cœlo statim non reddidit: martyrium verò in ipso mortis instanti, in cœlestem patriam martyres deduxit. Hinc fit, vt iure merito dicere possimus, quod per aquæ baptismum preteritæ culpæ purgantur, per martyrium verò etiam futura perimuntur: in baptismo aquæ, peccata demissa sunt: in martyrio autem exclusa.

7 QVÆST. *Quo horum trium baptismatum, Christus Dominus*

minus fuit baptizatus? RESP. Baptismo sanguinis: mortem enim subijt in cruce sibi propter ipsius odium illatam. Cum vero à Ioanne in Iordane fuit baptizatus, sacramentum non instituit, sed prædixit, & adumbravit.

De Baptismi definitione. §. 2.

1 QVAESTIO. *Quo pacto definitur Baptismus à Christo Domino institutum sacramentum?* RESP. Est ablutio corporis exterior, sub præscripta verborum forma. Ita cum Magistro *in 3. sent. dist.* 3 Theologi communiter. Quam quidem immerito corrodit Viuald. *in suo Candel. tit. de Baptism.* Quoniam vero definitio tradita non ita claret, perspicacius addit Nau. *cap.* 22. *num.* 5. aliqua verba sic scribens. *Sacramentum baptismi, est ablutio corporis cum aqua naturali, qua vnus ab alio in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti cum debita intentione abluitur.* Vnde patet, quam diminutè dixit Hugo Victor. *in lib. de sacram.* baptismum esse ipsam aquam naturalem.

De materia sacramenti baptismi. §. 2.

1 *Materia Baptismi est aqua.*
2 *Cur sit aqua.*
3 *An deficiente aqua possit fieri Baptismus.*
4 *An fieri possit in glacie, & niue.*
5 *An fieri possit in sale.*
6 *Quid intelligitur nomine ablutionis.*
7 *An puer proiectus in puteum prolata forma, maneat baptizatus.*

1 QVAESTIO. *Quæ est materia huius sacramenti?* RESP. Duplex: quædam appellatur proxima, quædam remota. Proxima est ipsa actio abluendi exterior, appellaturque ablutio exterior. Remota est aqua elementaris. Ita Sot. *in 4 dist. 3 quæst vnica artic. 1.* & 3. Sylvest. *Baptismus* 2. ex Paludano subdiuisit. Tolet. *lib. 2. cap. 28. num. 2.* definit Conc. Trident. *sess. 7. de bapti. Can. 2.* Colligitur ex verbis Christi Domini *Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.*

2 QVAST.

2 QVAEST. *Cur hoc sacramentum institutum fuit in ablutione corporis exteriori?* RESP. Vt significaretur ablutio animæ facta interius per gratiam; & sanctificationem, qua illam Deus ab omni peccati labe emundat.

3 QVAEST. *Poteritne in extrema aquæ penuria, confici hoc sacramentum in aqua ex herbis, floribus, arboribus aliisve rebus artificiliter expressa, distillatam vocant?* RESP. Minime. Ratio est, quia ille humor non est aqua, quamuis propter perspicuitatem, & similitudinem appelletur aqua; sed substantialiter succus est. De ratione vero, & essentia huius sacramenti, est aqua naturaliter. Constat ex verbis Christi Domini *Ioann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua.* Ita definit Conc. Trident. *session. 7. de baptism.* Can. 2. ex communi Theologorum cum sancto Thom. 3. p. *quæst. 66. art. 5. & 6.* & Magist *in 4. d. 3.* potest autem fieri in quacunque aqua naturali, quæ naturalium Physicorum Philosophorumque iudicio aqua sit elementaris. Talis est aqua fluminis, fontis, stagni, paludis, maris, & pluuiæ. Ita D. Thom. 3. *p. qua. 66. art. 4.* Syl. *Baptism. 2. qu. 3.* Sot. in *4. d. 3. quæst. vnica art. 4.* Catechism. Roma. *pag. 179.* Neque impediunt accidentia, nimirum, an sit calida, an frigida, nitida, an turbida, & similia, dummodo substantialiter aqua sit. Elementaris vero est aqua quæ colligitur ex vaporibus densatis, cum ex ollæ ore euapotantur, & testaceo tegumento repercutiuntur. Item quæ hyemali tempore è parietibus, lapidibusve, velut à fonte fluit. Nam vapores essentialiter aqua sunt. Aqua verò è parietibus manans, aqua est ex aere humido in aquam verso, iuxta veram philosophiam. Ne tamen professionem moralem transgredi videamur, philosophis id disputandũ omitto.

4 QVAEST. *Quid censes de gelu, & niue?* RESP. Esse essentialiter aquam: in ijs tamen baptizari nõ posse, quia vt sic, non sunt materia apta ad abluendum. Est vero de essentia huius sacramenti ablutio. Id est in ijs liquatis confici potest baptismus. ita communiter Doctores cum sancto Thom. & alijs, quos refert, & sequitur Sylu. & So. *proxime citati.*

5 QVAEST. *Quid censes de sale?* RESP. Negat Angelus *baptism. 4. num. 3.* & Syl. *2. ad finem.* esse materiam baptismi. Affirmant tamen Armil. *verb. baptism. num. 23.* & Tabien.

bien. *baptism. 4. num. 8.* & merito, ijdem enim de sale, atq; de niue, geluq; dicendum arbitor. Est enim essentialiter aqua maris gelata æstiuo Sole, ac proinde si liquefiat, apta erit materia ad abluendum, & baptizandum.

6 QVÆST. *Quid intelligu per ablutionem?* RESP. Triplicem actionem: nimirum, vel immersionem, vel effusionem, vel aspersionem. Potest enim baptismus fieri, vel immergendo infantem, vel super eum aquam effundendo, vel illum aqua aspergendo, ita vt gutta, tangat baptizatum.

7 QVÆST. *Adest puteus aquam continens, non est remedium aquam extrahendi, est infans morti vicinus, poteritne proijci in puteum sub forma baptismi, vt baptizetur?* RESP. Minime. Ratio est, quia talis proiectio, non est ablutio, sed suffocatio. Ita cum Syl. *baptis. 4. §. 10.* Tolet. *lib. 2. cap. 19.* & communis schola.

De forma huius Sacramenti. §. 4.

1 *Quæ est forma Baptismi.*
2 *Quæ verba sunt de essentia huius formæ.*
3 *Præcipue dubitatur de pronomine Te.*
4 *An sit dicendum in nomine.*

1 QVÆST 10. *Quæ est forma baptismi?* RESP. Est hæc. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.* Ita habetur *cap. 1. de baptismo. capit. In Synodi. de consecrat. dist. 4.* in Concil. Florentin. sub Eugenio IV. *ca. 5.* & Trid. *sessi. 7. Canon. 4.* Colligitur aperte ex verbis CHRISTI Domini Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-sancti.*

2 QVÆST. *Suntne hæc verba de essentia formæ huius sacramenti?* RESP. Sunt quidem quoad sensum, non vero quoad vocum terminationem. Enim vero in Ecclesia Græca ita proferuntur: Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-sancti. De qua forma, quanquam olim dubitatum fuerit, vt videre est apud Syl. *Baptis 1. ad finem*: tamen nunc certum est ex Con. Floren. veram esse huius sacramenti formam. Pronomen Ego, excipio, quod non esse de substantia, constans est Doctorum sensus, in *cap. Retulerunt. de consecr. dist 4.* D. Tho. *3 p qua. 66. art. 5.* & *qua. 72. art. 4.* Victor. *in sum. num. 17.*

Richar.

Richard. *in* 4. *d.* 3. *art.* 4. Angel. *baptismus.* 2. *num* 1. & al[illegible] plures. Ideo secluso contemptu, illud ex negligentia omittere peccatum erit solum veniale. ita Sot. *in* 4. *d.* [illegible] *quæst. vnica art.* 5. Relicta vero forma Ecclesiæ Romanæ baptizare in forma qua vtitur Ecclesia Græca, est mortale. Ita Sotus proxime citatus. Ratio est, quia itur contra ritum Ecclesiæ vniuersalis in re grauissima, & præcepti vsu, & consuetudine roboratum: ob eandem rationem non bene vterentur verbo, Nos, loco pronominis Ego illustres personæ, quæ ex vsu, & accommodatione hominum, propter excellentiam dignitatis, ita loqui, & inscribi solent. Imo eos lethalis damnant culpæ propter inusitatam mutationem. D. Thom. 3. *p. quæst.* 66. *art.* 4. [illegible] 5. D. Bonau. *in* 4. *d.* 5. Scot *d.* 6. Palud. *d.* [illegible] *quæst.* 1. *artic.* [illegible] Sylu. *baptism.* 1, *quæst.* 6. Armil. *ibid. num.* 11. Victor. *num.* [illegible] & alij, quos refert, & sequitur Viuald. *de baptism. titul. de forma.*

3 QVÆST. *Singulatim te sciscitaturus sum. Dic, pronomen, Te, est de essentia sacramenti?* RESP. Maxime. Ita D. Thom. 3. *p. quæst,* 66. *art.* 5. Scot. *in* 4. *dist.* 3. *quæst.* 2. *art.* 3. *ibidem* Gabr. Sylu. *baptism.* 1. *quæst* 6. *ibi.* Armilla. *numer.* [illegible] Nauar. *capit.* 22. *numer.* 3. Victor *num.* 18. Catechism. Roman *fol.* 183. Habeturque *in capit.* 1. *de baptism.* & *ibi* trad. Innocent. quos refert, & sequitur Viuald. *de baptism. tit. de forma.*

4 QVAEST. *Estne de essentia huius formæ dicere, in nomine?* RESP. Maxime. Ita Gloss. *cap. Hæreticus, de consec. dist.* 4. *verb. Nominis.* Sylu. *baptism.* 1. *num.* 6. D. Thom. quem refert Angel. *baptism.* 2. *num.* 2. Vict. *num.* 16. Habetur in Conc. Florent. & Trident. *sessi.* 7. *can.* 4. & communiter asseritur ab omnibus. Ratio est, quia forma huius sacramenti, est expressiua sanctissimæ Trinitatis: cum vero sancta Trinitas sit vna essentia, & tres personæ: essentia vero vnitas sanctificetur nominis vnitate, propterea dicendum est, In nomine, & non in nominibus.

De ministro sacramenti baptismatis. §. 5.

1 *Quis est minister baptismi.*

2 *An possit aliquis seipsum baptizare.*

3 An

3 *An Angelus, vel anima separata possit baptizare.*
4 *An plures, possint simul baptizate.*

1 QVAESTIO. *Quis est minister huius sacramenti?* RESP. Proprius sacerdos, hoc est parochus. Ita D. Thom. *3.p. quæst. 67. ar. 1. 2. 3. & 4.* Sot. *in 4. d. 4. quæ. vnica. art. 1. & 2.* Adeo, vt absque illius facultate baptizans, peccat mortaliter. Ita Card. Tolet. *lib. 2. cap. 20. nu. 1.* VAngel. *baptism. 5. num. 1.* Syl. *baptism. 2. num. 1.* Vual. *de baptis. tit. de ministro. num. 2.* merito reprehendens Armillam oppositum asserentem. In casu tamē necessitatis, quilibet potest baptizare, etiam fœmina. De hoc scio olim dubitatum fuisse circa hæreticos, depositos, & similes, vt constat ex *cap. Si quis & cap. Quomodo, de consecr. 4. dist.* Tamen hodie est veritas definita in Concil. Floren. sub Eugenio IV. & Lateranensi, sub Innocentio III. & Tridentin. *sessi. 7. Can 4.* Veruntamen seruandus est ordo dignitatis. Et ideo præferendus sacerdos diacono, diaconus subdiacono, subdiaconus clerico in minoribus; inter clericos in minoribus, is, qui ad altiorem gradum iam est promotus: clericus in minoribus laico; masculus fœminæ; fidelis infideli. Ita decernitur *cap. Si quis. cap. Mulier cap. In necessitate de consecrat. distinct. 4.* D. Thom. *3.p. quæst. 67. ar 1.* Palud. & Sot. *in 4. d. 3.* Syl. Arm. & Summistæ *ver. Baptis.* Catechism. Rom. *pag. 191.*

2 QVÆST. *Potestne aliquis se ipsum baptizare, præsertim vrgente necessitate mortis, cum non adest alius qui illum baptizet.* RESP. Minime. Ita notauit cum communi Tolet. *lib. 2. cap. 20. num. 1.* Ratio est manifesta, quia ad verum baptismum requiritur declaratio pronominis *Te*, vt requiritur declaratio pronominis *Ego*, sed qui seipsum baptizat, necessario proferre debet Ego meipsum baptizo; igitur, &c. Neque ex hoc colligitur non satis à Christo Domino Ecclesiæ suæ prouisum, cum talis adultus, qui seipsum potest baptizare baptismo aquæ, possit saluari baptismo flaminis, vt iam superius respondi.

3 QVÆST. *Possetne ex diuina dispensatione minister esse huius sacramenti, Angelus, homo beatus, vel anima à corpore iam seiuncta?* RESP. Posset, ac proinde verum confer-

ret baptismum Christi. Ita communiter Doctores, te
Card. Toleto. *lib. 1. cap. 20. nu. 4.* Ex diuin
satione, quia ex libera voluntate Angeli, vel anim
nime: enim vero ex Lege Dei ordinaria reijcitur ab
ministerio.

4 QVAEST. *Possuntne plures simul baptizare, seu esse*
ministri huius sacramenti? RESP. Tripliciter possunt
concurrere ad eundem hominem baptizandum. N
rum, vel vnus proferendo formam, & alius infunde
aquam, quia scil. mutus manibus vtitur, captus vero
nibus loqui potest. Vel simul, & proferendo formam,
ministrando aquam, cum intentione baptizandi dep
denter simul vnus ab alio, quasi partialiter. Vel si
proferendo formam, & simul ministrando aquam, c
intentione baptizandi independenter ab alio, sed
endi per se solum, quod facit Ecclesia. Hoc suppo
Dico, si simul concurrant primo, & secundo modo
facere sacramentum: si verò concurrant tertio mo
verum conferre baptismum. Ita cum communi T
lib. 2. cap. 20.

De subiecto capace sacramenti Baptismatis. §. 6.

1 *De subiecto capace Baptismatis.*
2 *De monstris.*
3 *De infantibus in vtero materno.*
4 *De filijs infidelium.*
5 *De furiosis, & amentibus.*

1 QVAESTIO. *Quid est subiectum capax huius sa*
menti baptismatis? RESP. Homo vnus, non
ptizatus, ante vel post rationis vsum, habens
tentionem, ac voluntatem suscipiendi tale Eccles
cramentum, quo fiat cœli particeps, vt Christi mem
& ouis Ecclesiæ, siue veram, cum scil. iam rationis v
fruitur, siue præsumptam, cum nimirum ante ratio
vsum à parentibus baptismo traditur.

2 QVAEST. *Quid censes de monstris?* RESP. Consule
philosophi, atque iuxta eorum iudicium de pluritate
dis

diuiduorum, vel simplicitate loquendum. Ac proinde si plura indiuidua iudicantur, vt plures homines baptizandi sunt: si vero vnum, & vnus baptizandus est. Ita Tolet. *lib. 2. cap. 20. nu. 6.*

3 QVAEST. *Quid censes de infantibus adhuc in materno vtero inclusis?* RESP. Si foras manum, pedem, caput, vel quid simile emiserunt, & est periculum in mora expectandi totum egressum, aqua sunt tangendi, cum forma, & sic baptizandi. De tali baptismo facto in capite, certa res est apud omnes cum D. Thom. *3 p. quæst. 68 artic. 4.* Archidiacon. *capit. Baptizandi. dist. 5.* facto tamen in manu, vel pede, vel alia quauis corporis parte, dubitarunt plures. Vera tamen est proposita conclusio, quam tenent Panorm. & Innocent *capit. Debitum. de baptism.* Nauarr. *capit. 22. numer. 7.* & Viual. *de baptism.* Si vero toti adhuc visceribus matris detinentur, Dei iudicio relinquendi, donec mater animam exhalat, & post animæ exhalationem secanda aluus, & si adhuc viuant, vt viuere possunt, iuxta medicorum placitum, baptizandi. Ita communiter Doctores.

4 QVÆST. *Sunt baptizandi infantes filij infidelium inuitis parentibus?* RESP. Minime. Ratio est, quia iure naturali sunt ipsorum parentum. Ita Card. Tolet. *libr. 1 capit. 21. numer. 4.* Hoc præcipue verum est, cum in eorum potestate relinquendi sunt: quoniam exponuntur periculo, postea à fide recedendi, cum ad ætatem plenitudinis iudicij venerint, propter parentum prauam doctrinam.

5 QVÆST. *Suntne baptizandi furiosi, & amentes?* RESP. Si furiosi, & amentes in furiam, & amentiam inciderunt post vsum rationis, & dum eo vtebantur, baptismum petierunt, baptizandi sunt. Quod intelligo, nisi existens in notorio peccato mortali, inciderit in frenesim, à quo noluisset resipiscere, licèt baptismi cupidus. Ita Victor. *in sum. num 20.* & Viuald. *de baptism.* Tunc enim nil illi proderit baptismus ad salutem. Dixisti, si in rationis vsum baptismum petierunt, quia si non voluerunt tunc baptizari, in amentia non sunt baptizandi. Ita Diu. Thom. *3. p. quæst. 68. art. 5. & 6.* Ange. *baptis. 6. num 10.* Armil. *nu. 58.* Vict. *nu. 26.* Vig. *ver. 9.* Sot. *4 d. 4. qu. vnica. ar 12.* Si vero à natiuitate tales sūt, & habēt lucida intervalla, in

lucido interuallo, quo ratione pollent, rogandi, an baptizari velint, & si velint, baptizandi. Si verò à natiuitate tales, nunquam ratione vsi sunt, baptizandi.

De dispositione, qua accedere tenentur adulti ad baptismum. §. 7.

1 *An teneatur adultus accedere cum dolore præteritorum peccatorum.*

2 *An teneatur accedere cum proposito confitendi commissa antea peccata.*

1 QVAESTIO. *Qua dispositione accedere debet adultus ad Baptismum?* RESP. Accedere debet cum dolore præteritorum criminum, & cum proposito cauendi in posterum. Quamobrem, qui in peccato viuit, aut periculo peccandi, neq; occasionem tollere vult, non est baptizandus. Ita D. Thom 3. *p. qu.* 69. *art.* 4. & 8. Scot. in 4. *d.* 4 *ar.* 5. Sot. *disp.* 5 Viguer *de Baptis. nu.* 9 Vict. *nu.* 5. Tol. *in ca. Omnis qui de consecr. d.* 4. Atq; cum communi Tol. *lib.* 2. *ca.* 21. *nu.* 5. Dolor autem debet esse vera contritio, aut saltem attritio putata contritio. Ita Nau. *ca.* 1. *nu.* 57.

2 QVAEST. *Teneturne accedere cum proposito confitendi commissa iam peccata, aut pro ijs pœnitentiam agendi?* RESP. Minime. Ratio est, quia peccata ante baptismum commissa, per baptismum plene delentur, tam quo ad culpam quam quo ad pœnam. Ita D. Thom, 3 *p. quæst.* 69. *art.* 5. Viguer. *de Baptismo.* cum D. Augustino, & D. Ambrosio quos refert Bonau. *in* 4 *d.* 4 Scot. *d.* 5. *qua. vnica art.* 5. Bichard. *dist.* 17. Syl. *baptis.* 4 *qua.* 10 § 14. Angel. *Baptis.* Habetur *ca. vltim. de pœn. dist.* 7 *ca. Siue pœn.* iuncta Glos. *de consecr dist.* 4. & in Conc. Trid. *sessi* 5. & *sessi.* 14.

De solemnitatibus Baptismi. §. 8.

1 *De necessitate solemnitatum Baptismi.*

2 *Quid sibi volunt solemnitates Baptismi.*

1 QVAESTIO *Quid censes circa earum solemnitatum necessitatem?* RESP Non sunt de necessitate sacramenti, sunt tamen de necessitate præcepti. Itaq; illas absque necessitate cogente omittere peccatum [illegible] mortale

mortale. Atque in primis extra Ecclesiam baptizare absque eadem necessitate grauiter prohibet Victor Papa I. *in Epistol. ad Theophilum*, vt habetur *in sum. Conc. fol.* 4. & *in Clem. 1. de Baptism.* Deinde cum acciderit, quia puer pro necessitate domi baptizatus, vixerit, arbitror eum postea in Ecclesia ceremonijs solitis recipiendum.

Dubium tamen est non leue: An si post peractas, transactasque ceremonias, comperiatur puerum non fuisse vere baptizatum, repetendæ sint huiusmodi ceremoniæ. Affirmat Victor *in sum. de baptism. num.* 73. Merito tamen negat Vual. *de baptism.* argumento ducto à ceremonijs matrimonij, post quas si ob impedimentum occultum nuptiæ inueniantur nullæ, domi secreto, non vero in publico celebrandæ sunt inter ipsos solos contrahentes, amoto impedimenti obstaculo per dispensationem, propter scandalum. Quod idem videtur dicendum de baptismo nulliter facto in publico.

2 QVÆST. *Quid sibi volunt ceremoniæ baptismi?* RES P. Exsufflatio significat expulsionem dæmonis, Ideo fit in modum crucis, qua dæmones quasi puluis à facie venti effugatur. Salis gustatio spiritualium rerum gustum, & suauitatem. Saliua tum naribus, tum auribus apposita per apertionem sensuum spiritualium. Olei vnctio inter scapulas, & in pectore, & in sincipite, subiectionem Christiani militis ad portandum iugum Christi, ad pugnandum pro eo, & aduerso pectore susciepienda vulnera, ad humiliandum caput, obediendo Christi Ducis præceptis. Imo etiam ad illud opponendum pro ijs, cum Petro: *Domine, si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Candida vestis, significat animæ candorem per baptismum comparatum. Lucerna ardens in manibus, significat fidem operibus comprobandam, & hominibus ostendendam, iuxta illud Christi Domini: *sic luceat lux vestra corã hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* Ita Tolet. *lib. 2. cap.* 23. pancis mutatis, & additis.

De Patrinis Baptismi. §. 9.

1 *De nomine Patrinorum.*

2 *An possint esse duo viri simul.*

3 *An Parochus debeat Patrinos designare.*

4 *Qui prohibentur in iure esse Patrini.*

1 QVÆSTIO. *Quot patrini assumi possunt in baptismo?* RESP. Vnus siue vir, siue mulier. Vel ad summum vnus, & vna. Ita decreuit Conc. Trid. *de reform. ses.* 24. *ca.* 20. Addit vero sancta Synodus. Quod si alij vnus designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem, nullo pacto contrahant. Qua in re voluit sancta Synodus renouare statutum. *ca. Non plures. de consecr. dist.* 4. dissuetudine abolitum.

2 QVÆST. *Possuntne assumi duo viri, vt vnus vicem suppleat mulieris?* RES. Minime. Notat Tolet. *lib.* 2, *capit.* 2. *num.* 4. Explicuit Congregatio Cardin. *nu.* 490. Suadet ratio. Quoniam baptismus est generatio quædam spiritualis: & ideo debet conformari generationi naturali, atqui ad generationem naturalem requiritur mas, & femina; ergo ad generationem spiritualem vir, & mulier. Neque in hoc Episcopus dispensare potest. Quia non est supra Concilium, opposium decernens.

3 QVÆST. *Circa sacri Concilij verba. Quod si alij vnus designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem non contrahant, dubium graue suboritur, an Parochus debeat Patrinos designare?* RESP. Huius dubitationis meminit Viuald. *de baptism.* motæ iam à Nauarro *cap.* 22. *num.* Dico igitur cum ijs parochum debere à parentibus rogari, imo ex culpa vtrorumque, pluresque vno, vel duobus baptizandum tangant. omnes credit Nauarrus. Viualdus vere esse Patrinos, vera contracta cognatione spirituali. Ratio eorum est. Quia nouum Concilij valet, cum fit designatio Patrinorum; ergo vbi facta non fuerit, standum erit iuri antiquo iuxta *L. Præcipimus. C. de appell.* iuxta quam, non est à iure antiquo recedendum nisi quo ad in nouo clare excepta. At vero ex iure antiquo, seu potius ex consuetudine antiqua, tot erant Patrini, quot baptizandum tangebant: ergo, & modo.

4 QVAEST. *Qui prohibentur in iure esse Patrini?* RES. In primis Homo non baptizatus. *capit. in Baptismate. de consecrat. dist.* 4. & *ibi* Gloss. Angel. *baptis.* 8. *num.* 2. Syl. *baptis. num.* 3. Armil. *ibid. nu.* 37. D. Thom. *in* 4. *d.* 24. *artic.*

qua

quæst. 3. Richard *ibid.* Nau. *ca.* 22. *nu.* 46. Deinde. Quiuis Religiosus. *ca. Non licet.* 1. *de consecr. dist.* 4 *& cap. Placuit.* 2. 16. *quæst* 1. Ita *supra* citati Doctores Tertio. Mutus homo, & muta mulier. Ita decernitur *cap. Paruuli de consecr. d.* 4. & notat Anchar. *in Rub. de cognat. spirituali lib.* 6. *nu* 4.

De cognatione spirituali contracta in baptismate. §. 10.

1 *Quid est cognatio spiritualis.*
2 *Inter quas personas contrahitur.*
3 *An contrahatur ex solo Catechismo.*
4 *An contrahatur à non baptizato.*
5 *An contrahatur à patribus suscipientibus è sacro fonte proprium filium.*
6 *An contrahatur à patre, vel matre baptizante proprium filium.*
7 *An Bertha mater maneat cognata mariti Ioannæ suæ commatris.*
8 *Quis est effectus huius cognationis.*

1 QVÆST IO. *Quid est cognatio spiritualis proueniens ex baptismo?* RESP Est attinentia duarum personarũ inter se ratione sacramenti baptismatis iuxta Ecclesiæ statutum ita decernentis, vt tales ac tales personæ postea maneant inter se cognatæ spiritualiter. Ita colligitur ex Nauar. *cap.* 12 *num* 36. & ex D. Thom cum communi *in* 4. *d.* 40. Vnde manifestum est hanc cognationem esse de iure positiuo tantum.

2 QVÆST. *Inter quas personas acquiritur huiusmodi cognatio?* RESP. Omissa iuris antiqui determinatione, per *Conc. Trid.* omnino sublata, ita nouiter decreuit dictum sacrum Concil. *sessio.* 24 *capit.* 2 *de reformat.* his conceptis verbis, *Sancta Synodus statuit, vt vnus tantum, siue vir, siue mulier, iuxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum vnus, & vna baptizatum de baptismo suscipiant. Inter quos, & baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem: nec non inter baptizantem, & baptizatũ, baptizatiq; patrem & matrẽ tantum spiritualis cognatio contrahatur.* Hæc concilium.

3 QVÆST. *Contrahiturne hæc cognatio spiritualis ex Catechismo, ac ceremonijs, quibus suscipitur in Ecclesia infans domi propter necessitatem baptizatus, si alij assumantur Patrini ab ijs, qui domi sunt sumpti?* RESP. Minime. Ita Nauar. *capit. 22. numer* 40 & Tolet. *lib. 2. numer. 5.* Oritur tamen iuxta eosdem Auctorem impedimentum impediens matrimonium, inter eos, inter quos drimit hæc cognatio spiritualis, probatque Nauar. *ex cap. Per Catechismum de cognat. spirit. lib. 6.* Ire vero contra hanc iuris determinationem, & contrahere matrimonium existimat Tolet. esse peccatum graue.

4 QVAEST. *Contrahitne huiusmodi cognationem spiritualem non baptizatus baptizans, aut suscipiens baptizatum?* RESP. Minime. Ita D. Thom. *in 4. quæst. 1. ad 3.* & qu. 1 *ad 3.* Palud. *ibidem. quæst. 1. numer. 6.* Sot. *quæst. 1. art. 3.* Sy. *matrim. 8. qu. 3.* Nauar. *ca. 22. num. 36.* Gloss. *capit. in bapt. de consecrat. distin 4.* Ratio est manifesta, quia huiusmodi cognatio, cadit super eas personas, quæ Ecclesiæ præceptis subiacent: non baptizatus vero Ecclesiæ non subiacet. Ex eodem fundamento oppositum est dicendum de hæretico, quia baptizatus, & Ecclesiæ subditus est. Ita Nau. *capit. 12. num 35.*

5 QVÆST. *Contrahuntne hanc cognationem spiritualem pater, & mater suscipientes, vt Patrini proprium filium è fonte sacro?* RESP Contrahunt. Ita Viual. Sylu. Armil. Angel. & alij Summistæ *verb. Baptismus.* Probatur ex *ca. Ad limina. 30 qu 1.* Ratio esse potest, quia hæc susceptio, non est de necessitate sacramenti, vt manifestum est, & probat Sot. *in 4 d. . qu. vnica. art. 9.* Ergo nullus dari potest casus, in quo ipsi parentes cogantur suscipere, tanquam veri Patrini proprium filium.

6 QVÆST. *Contrahuntne eandem spiritualem cognationem ijdem parentes inter se baptizantes proprium eundem filium?* RESP Baptizantes absque necessitate cogente, contrahunt, Ita citati supra Doctores. Baptizantes verò cogente necessitate, si coniuges sint legitimi, non contrahunt, si Patres fornicarij sint, contrahunt. Ita Nauar. *cap. 22. nu.* 40. probatq; ex *cap. Ad limina. 30. qu 1.* habeturque *in ca. 1. de cog. spirit. lib. 6.*

7 QVÆST.

7 QVAEST. *Contrahitne Bertha cognationem spiritualem huiusmodi, cum marito Ioannæ, quam matrinam habet per susceptionem proprij filij Berthæ?* RESP. Minime. Et ideo mortuo marito, & mortua Ioanna potest illi nubere. Ita decreuit Pius V. *in Bulla* incipiente. *Cum illius vicem. Data Romæ anno* 1566.

8 QVÆST. *Quis est proprius effectus huius cognationis?* RESP. Respondebo statim. Si tibi placuerit: quia tamen hac de re Doctores omnes ad matrimonij impedimenta, quæstionem seruant, ibi me iterum interrogabis.

De effectibus Baptismi. §. II.

1 *Quot sunt effectus Baptismi.*

2 *An amoto obice, redeat gratia sacramenti baptismi.*

1. QVÆSTIO. *Quot sunt effectus Baptismi?* RESP. Quatuor. Primus est remissio omnis culpæ tam originalis, quam actualis ante ipsum commissæ. Et absoluta remissio pœnæ, eisdem culpis debitæ. Ita concilium Florentinum, & Tridentinum. c. *Per baptis. de consecrat. distin.* 4. ex D. Ambro. quam refert, & sequitur Magister *in* 4. *dist.* 4. Secundus effectus est infusio gratiæ. Victor, cum communi, & catholico sensu *num.* 21. Ideo confert ius ad regnum cœlorum. *capitul. Maiores.* & *ibi* Glos. *de baptis.* Tertius effectus est character, qui est qualitas quædam animæ baptizati à Deo impressa in signum Christianæ militiæ. Vt iam dixi, cum egesti de sacramentis in genere. Quartus effectus est, tollere omnem irregularitatem præter eam, quæ orta fuit ex bigamia. Ita Maiolus *libr.* 5. *cap.* 51. *numer.* 10. Couar. *in clement. Si furiosus.* 1. p. §. 2. *num.* 2. Viuald. *de baptis.* Tollit etiam omnem infamiam. Ita Angel. & Syluest. *verb. baptismus.* Sot. *in* 4. *d.* 6. *quæst.* 1. *art.* 5. 6. & 7. quos refert, & sequitur Viuald. *citatus.*

2 QVAEST. *Circa ipsius ionem gratiæ dicito. Qui suscipit sacramentum Baptismi cum obice ad gratiam, sublato obice reditne gratia. Explico plus propositam dubitationem. Accedit quis ad baptismum in peccato mortali: non recipit gratiam, vt*

certum est, Rogo, vtrum obtenta venia peccati per veram contritionem, detur illi gratia ex vi sacramenti baptismi, antea suscepti? Resp. Datur. Ita habetur *cap. Tum valere. de consecr. distinct.* 4. Docet Victor. ex communi, *tit. de baptis. numer.* 23. & Sot. *in* 4. *d.* 18. *quæst.* 3. *articul.* 3.

CAPVT III.

De Sacramento Confirmationis.

De Auctore, & definitione Sacramenti Confirmationis. §. 1.

1 *An Confirmatio sit sacramentum.*
2 *A quo sit institutum.*
3 *Quid significet nomen Confirmatio.*
4 *Quo pacto definitur sacramentum Confirmationis*

1 QVÆSTIO. *Estne Confirmatio sacramentum?* Resp. Maxime. Ita decreuit Concil. Florent. & Trid. *sess.* 7. *can.* 2. habetur *capitul. Ad abolendam. de hæret.* Can 1. *de Confirm.* Probat late Couar. 1. *resol. capitul.* 10. *numer* 1. Victoria. *num.* 40. *de Confirmat.* Viguerius *in Instit. cathol.* & omnes communiter.

2 QVÆST. *A quo est institutum?* Resp. A Christo Domino, Probant late Victoria, & Couar. *locis citatis.* Ideo caute legendus D. Bonauent. & Alens. cum videntur opinari istud sacramentum institutum fuisse ab Ecclesia. Pie tamen eos interpretari oportet, nimirum intellexisse, fuisse ab Ecclesia promulgatum, & vt verum sacramentum à Christo Domino institutum, receptum, & ad praxim vsumque deductum.

3 QVÆST. *Qui significat nomen confirmatio?* Resp. Significat robur animi. Ita Viguer. *de Confirm.* tradit text. 1. *de sacr. vnctio. per frontis.*

4 QVÆST. *Quo pacto definiri potest?* Resp. Est sacramentū in quo Episcopus vnxit baptizati frontē chrismate consecra-

secrato, sub certa verborum forma, ad accipiendum vitæ spiritualis robur, vt intrepide profiteatur fidem coram Euangelii veritatem oppugnantibus. Ita Magist. *in 4. sent.* & D. Thom. 3. *p. q.* 72. Colligit Canis. *in doct. Christ. c. 1. de Confirm.*

De materia Sacramenti Confirmationis. §. 2.

1 *Sanctum Chrisma est materia sacramenti confirmationis.*
2 *Quid est Sanctum Chrisma.*
3 *An balsamum sit de essentia Chrismatis ex necessitate sacramenti.*
4 *An sit de necessitate præcepti.*
5 *An consecratio Chrismatis sit de necessitate Sacramenti.*
6 *An Chrisma debeat esse nouum.*

1 QVAESTIO. *Quæ est materia sacramenti Confirmationis?* RESP. Est Chrisma. Ita respondet Tolet. *li. 2. c. 24. n 2.*

2 QVÆST. *Quid est Chrisma?* RESP. Est oleum oliuarum, balsamo permistum ab Episcopo consecratum. Ita habetur *capitul. de sacr. vnct.* & in *Concil. Brachar. 2. ca. 4.* Conc. Florent. sub Eugenio IV. docet Catechis. Roman. *pag.* 223. Sylu. & Armil. *verb. Confirm. nume. 2.* Victor. *num. 41.* Nau. *c. 22. nu. 8.* & communiter Doctores.

3 QVÆST. *Estne Balsamum de essentia sacramenti?* RESP. Res est controuersa. Affirmantem partem sequitur Tolet. *lib. 2. c. 24.* eamque appellat communem: Quoniam eã asserere videntur, Adria. Palud. Durand. teste Couarru. negantem tamen sequuntur Auctores in sequenti citandi, resque videtur certa ex *cap. Pastoral de sacrament. non iteran.* notat Viuald. *de sacrament. confirm. tit. de requisitis. nu. 3.*

4 QVÆST. *Estne de necessitate præcepti?* RESP. Maxime. Ita Caiet. *3. p. d. 62. ar. 2.* Sot. *in 4. d. 7. qu. 1. art. 1.* Vict. *de Confi.*

num.

num. 41. Nauar. *c.* 22. *num.* 9. Couar. *lib.* 1. *resolut. cap.* 6. *nu.* 4. Habetur *c. Pastoral. de sacrament. non iterand. c.* 5. *de sacr. unctio. c. Nouissime de consecr. d.* 5. *cap.* 1. Ideo Toletus affirmat peccare mortaliter, iuxta omnium Doctorum sensum illum, qui oleo sine balsamo confirmaret.

5 QVAEST. *Estne de essentia sacramenti, vt chrisma sit consecratum?* RESP. Maxime. Ita D. Thom. 3 *p. qu.* 73 *art.* 3. Scot. Duran. Palud. Marsil. quos refert, & sequitur Viuald. *de sacrament. Confirmat. tit. de materia. numer.* 4. Summ. stæ *verb. Confirmatio.* Sylu. *numer.* 2. Angel. *numer.* 3. Vict. *num.* 42. Nauar. *cap.* 22. *numer.* 8. Canonistæ cum Gloss. *in capitul. Peruenit* 95. *distinction.*

6 QVAEST. *Estne opus, vt chrisma sit nouum, hoc est, consecratum eodem anno?* RESP. Non est opus ex necessitate sacramenti. Si enim fiat sacramentum cum chrismate veteri, hoc est, consecrato iam præteritis annis, verum conficietur sacramentum. Est tamen opus ex necessitate præcepti, nam *c. Si quis de alio. de consecr. d.* 4. præcipitur vt hoc sacramentum fiat cum chrismate nouo: vetus autem chrisma comburatur. Ideo grauiter peccabit Episcopus, qui absque necessitate confirmaret chrismate præcedentis anni. Ita Cardin. Tolet. *lib.* 2. *c.* 22. *n.* 2.

De forma & ministro Sacramenti Confirmationis. §. 3.

1 *Quæ est forma.*
2 *Quis est minister.*
3 *An possit esse minister simplex sacerdos ex licentia Papæ.*
4 *An possit esse Vicarius Episcopi, ex licentia eiusdem Episcopi.*

1 QVAESTIO. *Quæ est forma huius sacramenti?* RESP. Est hæc, *Consigno te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti Amen.* Ita Concil. Florent. sub Eugenio IV. Ita D. Thom. 3 *p. quæst.* 71. *articul.* 3. & 4. *ibidem.* Caiet. Victor.

do

de Confirm. numer. 44. Nauar. *capitul* 22. *numer.* 8. Sot. *in* 4. *d.* 3. *quæst.* 1. *artic.* 5. Catechim. Rom. *pag* 235. Fuit autem hæc forma à Christo Domino, tanquam ab Auctore Sacramentorum edocta, sicuti ab ipsis Apostolis Ecclesia sancta accepit. Ita Angel. *confirmatio numer.* 9. Viguer. *in Instit. Cathol. numer.* 2. Catechis. Roman. ex Fabiano Papa *pag* 224. & 225.

2 QVAEST. *Quis est minister ordinarius huius sacramenti?* RESP. Episcopus solus. Ita habetur *cap Manus. capit. Nouissime. capit. Vt Episcopi. de consecrat. distinct* 5. Tradiderunt summi pontifices Eusebius I. *Epist.* 1. Leo *epistol.* 88 Innoc. I. *epistol.* 3. Gregor. *in Regist.* 3. *epist.* 9. Ioann. III. *epistol.* 1. & alij quos refert Canisius *capitul.* 3. *de confirm.* & Catechis. Roman *pagin.* 22. Decreuit Concil. Florent. sub Eugen. IV. & Trid. *sess.* 7 *can* 3. *& sessio.* 23 *can.* 7. Ostendit Couar. *lib.* 1. *resolut. capit.* 70. *nu.* 14. Quam potestatem habent Episcopi ab ipso iure diuino Christi Domini, tanquam legitimi Apostolorum successores, vt ostendunt Couar. & Vigu. *locis citatis.*

3 QVAEST. *Potestne simplex sacerdos ex commissione Papæ, chrismate ab Episcopo consecrato confirmare?* RESP. Obfirmato animo negarunt *in* 4. *d.* 7. D Bonau. Maior. Gabr. Scot. *qu.* 11. Durand. *qu.* 3. *&* 4. Adrian. *de Confirm.* Castro. *de hæresib. verb. Confirmatio c.* 10 *num* 6. quos refert Viuald. *de Confirm. tit. de ministro. numer.* 4. Affirmant tamen communiter Moderni Theologi. Sot. *in* 4. *d.* 7. *q.* 5. *art.* 11. Ledesm. *t.* 4 *qu.* 15. *art.* 11. Vict. *de Confirm.* 50. Ferr. 4. *contra Gent. c.* 60. Adducunt pro se D. Thomam. 3. *p. q.* 72. *art.* 11. *ad* 1. & *ibid.* Caiet. *art.* 3. Alens. 4. *p. q.* 82. *memb.* 1. *ar.* 3. D. Anton. 3. *p. tit* 1. *§. de ministro* Richard. *in* 4. *d.* 7. *q.* 1. *art.* 2. Palud. *q.* 4. Marsil. *qu.* 5. *art.* 3. Capr. *qu* 5. Affirmant Canonistæ Moderni Nau. *c* 22. *nu.* 8. Lindan. *lib.* 1. *Panoplia. c.* 26. Affirmant Summistæ *verb. confirm* Angel. *n.* 2. Armil. *n.* 3. Sylu. & alij. Probant ex Gloss. *ca. Peruenit.* 95. *dist.* vbi narratur eam facultatem concessisse D. Gregorium, Ideo hæc affirmans pars omnino tenenda, propter tantorum Auctorum sensum. Quæ quidem videtur probari textu expresso. *c. Quanto. de consuetudin.* 1. cuius hæc sunt verba: *Sua temeritate, secus si nostra auctoritate.* Ergo si auctoritatem implorarer Apostolicam, sacramentum conficere pos-

re posset ille temerarius sacerdos sua propria auctoritate confirmans. Non mihi tamen probatur adnotatio Vivaldi, deducens probationem propositæ conclusionis ex eo, quod Concil. Trid. *in sess. 7. Canon. 3.* definiat ordinarium ministrum huius sacramenti esse Episcopum, argumentatur enim sic Ordinarius minister est Episcopus ergo delegatus erit sacerdos. Non mihi probatur, quia multa sacramenta habent ordinarium ministrum, qui quidem non admittunt delegatum: talis est Eucharistia Ordo, Matrimonium.

4 QVAEST. *Rogo vlterius, an possit Episcopus hanc etiam facultatem committere suo Vicario sacerdoti?* RESP. Minime. Ratio est, quia hæc potestas est ordinis: Episcopus vero solam potestatem iurisdictionis potest suo Vicario concedere.

De modo conferendi hoc sacramentum. §. 4.

1 *An vnctio sit de necessitate.*

2 *Quæ corporis partes sunt vngendæ.*

3 *Cur vngatur frons.*

1 QVÆSTIO *Estne vnctio de necessitate sacramenti?* RESP. Est quidem. Ita Card. Tolet. *lib. 2. cap. 9. nu. 3.*

2 QVAEST. *Quæ corporis partes sunt vngendæ?* RESP. Vngenda est frons. Ita præcipitur. *c. 1. §. fin. de sacram. vnct. Presbyterij de consecrat. d. 4.* Institut. *lib. 2. de Confirm.* Antecedent. ibi Gloss. *verb. frontem.* Ita Sylu. *verb. Confirmatio. q. 4.* Nau. *cap. 22. num. 8.* D. Thom. *3 p. q. 72. art. 9.* Quod immerito negauit Vict. *de Confirm. nu. 11.* cum aliquibus.

3 QVAST. *Quare hæc vnctio fit in fronte?* RESP. Vt confirmati manifeste se ostendant esse Christi milites: In hoc enim sacramento Christianus fit Christi miles, cuius signo crucis in fronte munitur ad fortiter dimicandum contra fidei hostes, eamque palam, timore procul, & rubore profitendam. Ita Vig. *in Institut. Cathol. de Confirmat. versu. 2.* Catechism. Roman. *pag. 233.*

De obligatione sumendi hoc sacramentum Confirmationis. §. 5.

1 An

1 An sit præceptum suscipiendi sacramentum Confirmationis.

1 QVÆSTIO. *Estne sacramentum Confirmationis suscipiendum ex præcepto?* RESP. Dico *primum.* Nullum reperitur diuinum præceptum, de sacramento Confirmationis suscipiendo. Ita Viuald. cum communi *tractat.* de hoc præcepto: Dico *secundum.* Mortale peccatum est sacramentum Confirmationis non suscipere ex contemptu. Ita Vict. de *Confirm. n.* 48. Nau. *c.* 22. *n.* 9. Dico *tertium.* An peccatum mortale sit Confirmationem non suscipere ex crassa negligentia, controuertunt Doctores. Affirmant *in* 4. *d.* 7. Richard. & Bonau. *q.* 2 *art.* 3. Durand. *q.* 1. Marsil. *q.* 5. *art.* 4. Palud. & Maior. Sylu. *Confirmatio.* Petr. Soto. *lect.* 2. *de Confirmat.* Negant veruntamen Moderni cum Adrian. 4. *de Confirmat.* Scot. *in* 4. *d.* 7. *q.* 1. Couar. *lib.* 1 *resolut. nu.* 9. Caiet. 3. *p. qu.* 72. *art.* 8. Sot. *in* 4. *d.* 7. *q.* 1 *art* 8. Victor. & Nau. locis proxime citatis. Dico *quartum.* Conc. Trid. *sess.* 23. *ca.* 4. *de reformat.* præcipitur Episcopis, ne admittant ad primam tonsuram, nisi confirmatum. Cum igitur hoc præceptum non Ordinandis, sed Episcopo ordinanti Concilium imponat, non videntur etiam post Concilij decretum peccare mortaliter ordinandi, si absque hoc susceptо sacramento, accedant ad primam tonsuram suscipiendam. Ita Sot. *in* 4. *d.* 7. *q.* 5. *art.* 6. & 9. *d.* 24. *q.* 1 *art.* 4. sicuti ante Concilium docuerant D. Thom. *in addition. q.* 45. *art.* 5. Ledes. 2. 4. *quæst.* 73. *art.* 4.

De effectibus sacramenti Confirmationis §. 6.

1 QVÆSTIO. *Quot sunt effectus huius sacramenti?* RESP. Tres, duo quidē ex vi ipsius sacramenti, secundū se sumpti, tertius ex impositione Ecclesiæ. Effectus orti ex vi ipsius sacramenti secundū se sūpti, sunt grātia, & character, vt iā ostēdi in materia de sacramentis in genere. Effectus ex impositione Ecclesiæ, est cognatio spiritualis, eadē atque oritur ex sacramēto Baptismi. Ita decreuit Cōc. Trid. *sess.* 24. *c.* 2. Ideo Patrinus debet esse vnus, vel ad summū vnus, & vna, *c. Non plures. de consec. d.* 5. Notant. Ang. *Confir n.* 1. Sylu. & Vig. *ibi.* Itidem cognatio solum cōtrahitur inter Confirmatum, & Cōfiran-

firmantē, Confirmatiq; patrem, ac matrē, & inter susci-
pientem, ac susceptum, susceptique parentes. Assumere
vero in hoc sacramento Patrinum est de necessitate pre-
cepti, quod transgredi, est peccatum mortale. Docet
Sylu. *Confirmatio. ibid.* Viguer. Nau. *c. 22. num. 9. §. Quam
peccat.* Catech. Rom *pag. 137.*

De subiecto capace sacramenti Confirmationis & tempore, quo est conferendum. §. 7.

1 *Quibus est conferendum sacramentum Confirma-
tionis.*

2 *In qua ætate est conferendum.*

1 QVAESTIO. *Quibus est conferendum sacramentum
Confirmationis?* RESP. Omnibus baptizatis. Ita
Concil. Trident. *session. 7. Canon. 1. capit. Omnes fi-
delis capit. Nouissime. de consecratio. dist. 5. capit. Si quis
presbyter. non baptiz.* & Doctores omnes. Ratio est, quia
character Confirmationis supponit characterem Bap-
matis: ideo Baptismus appellatur ianua sacramentorum
quia ad omnia alia suscipienda est ianua.

2 QVAEST. *Cuius ætatis Christianus est capax huius Sa-
cramenti?* RESP. Hac de re multiplices fuerunt opinio-
nes. Gloss. *c. Ieiuni de consecr. dist. 5.* & alii opinati sunt
expectandos esse annos pubertatis, hoc est duodecim.
D. Anton. & Catech. Rom. *pag. 230.* arbitrantur expecta-
dum esse tantummodo septennium. Ratio eorum est,
quia debet expectari tempus, quo pueri recordenter sus-
ceptæ Confirmationis, & ideo in hoc sacramento impo-
gitur alapa, vt Confirmati postea recordentur, iuxta Sy-
lu, *Confirm. num. 4.* Dicendum veruntamen quouis tem-
pore post baptismum posse conferri, ac suscipi Confir-
mationem. Ita D. Thom. *in 4. d. 7.* VValden. *de sacramen-
to. 2. c. 55.* quos refert, ac sequitur Petr. Soto. *de sacram.
Confirm. lect. 2.* Angel. Sylu. Gabr. quos refert, ac sequitur
Vict. de *Confirm. n. 94.* Et ita obtinet praxis in Hispania
vt duorum annorum infantes confirmentur. Pro memo-
ria vero habentur commentarij in Ecclesiarum scrinijs
in quibus referuntur nomina Confirmatorum, Confir-
mantis, & Patrinorum.

CAPVT IV.

De Sacramento sacrosanctæ Eucharistiæ.

De Auctore, & definitione diuinæ Eucharistiæ. §. 1.

1 *An sit sacramentum.*
2 *A quo fuit institutum.*
3 *Quando fuit institutum.*
4 *Quo pacto definitur.*

1 QVAESTIO. *Estne diuina Eucharistia vnum è septem sacramentis Nouæ Legis?* RESP. Maxime. Ita habetur *cap. Ad abolendam de hæret.* & in Concilio Florent. ac Trident. *sess. 7. de sacr. in gen. can. 2. & sess. 13. cap. 2.*

2 QVÆST. *A quo fuit institutum?* RESP. à Christo Domino. Ita habetur *c. Cum Marthæ. de celebrat. miss.* Clem. vnica. *de reliq. & vener. sanct.* in Conc. Florent. & Trid. *sess. 13. c. 1. & 2.*

3 QVÆST. *Quando fuit hoc sacramentum institutum?* RESP. In vltima cœna. *Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.* decreuit Conc. Trid. *sess. 13. c. 1.*

4 QVÆST. *Quo pacto definitur?* RESP. Est sacramentũ, in quo sub speciebus panis, ac vini simul, vel seorsim vere, & realiter continetur corpus, & sanguis, vna cum anima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi. Ita Magist. *in d. 8.* D. Tho. *3. p. q. 73. art. 4.* Nau. *c. 22. n. 10.* Vict. *de Euch. nu. 52.*

De materia sacramenti Eucharistiæ, quoad Corporis consecrationem. §. 2.

1 *Panis est materia diuinæ Eucharistiæ.*
2 *Quis panis.*
3 *An sit amidon.*
4 *An sit far.*

5 *An tollat veritatē materiæ admistio aliorū grauor*

6 *An sufficiat ad materiam, adiungere grana cum a quo liquore expresso, ab ipsis granis.*

7 *An massa sit apta materia.*

8 *An panis debeat esse azymus.*

1. QVÆSTIO. *Quæ est materia huius sacramē quo ad consecrationem corporis?* RESP. Panis, co *Firmiter § vna. de sum. Trin. & fid. cathol. c. Ma de celebrat miss. cap. In sacramento. cap. Cum omne. de con trat. d. 2.* Conc. Trident. *per totam sess.* 13. Est sensus oma Cathol. cum D. Thom. 3. *p. qu.* 74. *articul.* 3. Alens. 4. p. 33. Docuit D. Paul. 1. *Cor.* 11. *Accepit panem, &c.*

2 QVAEST. *Qui panis esse debet?* RESP. Vsualis. Ita mine discrepante torrens Doctorum. Est vero panis sualis ille, cuius materia est à natura ipsa data in alime tum hominum. Talis est triticeus, quia triticum à natu ipsa procreatum est ad alendos homines. Talis non e hordeaceus, quia hordeum natum est ad nutriendos quos, & mulos. Talis non est miliaceus, quia milium nutrimentum auicularum. Neque furfuroſus, hoc est furfuribus tritici confectus, quia est nutrimentum n num. Neque alius quiuis cõfectus ex saccharo, & amy dalis: moderni Grammatic. appellant panem marcu Nostrates materna lingua appellant macapano. Ne panis ex radicibus rritis confectus, quo vescuntur Bra Barbari, ligneam vocant farinam. Neque confectus r oriza, hoc est de arroz. De pane autem typhaceo, se farragineo, seu siligineo, hoc est, de Cẽteo (Typha farrago, & siligo apud Grammaticæ professores, fig cat centeo) controuertunt Doctores Theologi. Ne immerito, quia ille secundum communem sententia est panis vsualis, hoc est, à natura ipsa datus, ad hom sustentationem; & est quędam tritici species à tritico d generans. Ita D. Thom. 3. *p. qu* 74. *art.* 3. Armil. *Euchar.* 1. Argent. *in* 3. *d.* 11. *q.* 2. *art* 1. Vict. *in sum. nu* 55. Sot. *in* 4. *d.* 4. *qu. vnic. art* 3. Panis vero vsualis est sufficiens materia vt docet D. Damascen. *lib* 4. *fidei cap* 14. De spelta, se lolio (Nostrates vocant ioio) & auena (Nostrates v cant auca) etiam dubitant, an sit species tritici, aiuntq

pla

plures, quia propter glebæ maciem, degenerat triticum à nobilitate seminis, vt habetur *c. Nasci. 56. dist. & c. Vetusto. 21. qu. 1.* Ideo affirmant esse sufficientem materiam diuinæ Eucharistiæ. Ita Alb. & Petr. quos refert Sylu. *Euch. q. 3.* insinuat D. Thom. *3. p. q. 74. ar. 3. ad 2.* vt refert Arm. *verb. Euch. n. 1.* Tenent Argent. Caiet. & alij, quos refert, & sequitur Sotus *in 4. dist. 9.*

3 QVAEST. *Quid dicis de amidone?* RESP. Amidon est farina è tritico in aqua putrefacto, & corrupto expressa (Nostrates appellant amido) ideo in pane ex amidone confecto, fieri nequit consecratio Ita D. Thom. Syl. Viguer. & Vict *sup.* Angel *Euch. 1. n. 4.*

4 QVÆST. *Quid dicis de fare?* RESP. Dico, quod huic tritæ & ab omnibus Theologis tactæ quæstioni, dederit immerito occasionem nominis Ethymologiæ ignorantia; quod nomen perperam ab Auctoribus scribitur, per duplex RR. Far enim nil aliud significat, quam panem, vt videre est apud Plinium *lib. 18. cap. 8.* Ideo de fare, atque de pane eadem mouenda est quæstio. Hanc ob rem nulla de fare peculiaris est dubitatio.

5 QVAEST. *Tollitne veritatem materiæ admistio diuersorum granorum à tritico?* RESP. Si in parua quantitate sit talis mistio, minime. Ratio est, quia adhuc retinet veram substantiam triticeam. Ita communiter Doctores *in 4. d. 11.* quam refert, & sequitur Ang. *Euch 1. n. 8.* Sylu. *q. 2.* Armil. *n. 2.* Viguer. D. Tho. *3. p. q 74. ar. 4.* Quod si per talem mistionem per physicam transmutationem non fiat eadem tritici substantia, sed adhuc physice substantia aliorum granorum integra permaneat, remanet Christus Dominus sub speciebus triticeis, non vero sub speciebus aliorum granorum, quas Deus nouit integras permansisse. Ita Gloss *cap. Sacramento. de cons. dist. 2.*

6 QVAEST. *Quoniam panis fit ex massa adiuncta ex pluribus granis: massa vero fieri nequit, nisi adiuncto liquore. Quæro an sufficit ad materiam Eucharistiæ adiungere granacum liquore expresso ab ipsis granis per confusionem in mortariolo?* RESP. Minime. Sed ad necessitatem sacramenti requiritur, vt materia sit facta ex farina, & aqua naturali (quia hæc sola est aqua, nam alij succus ab herbis per igneum calorem expressi, sola similitudine

appellantur aquæ) ita D. Thom. 3. *p. qu. 74. art.* 4. cum Innocent. *de celeb. miſ.* quem refert Scot. & Richard. quos refert & ſequitur Atmil. *verb. Euch. n.* 6. Sylu. *q.* 2. Angel. *nume.* 7. Petr. Sot. *in* 4. *diſt.* 9. *q.* 1. *art.* 6. Gloſſ. *cap. Si in ſacrificando. verb calix. de conſ. d* 2.

7 QVAEST. *Poteſtne fieri conſecratio in maſſa?* RESP. Minime. quia vt ſic, non eſt panis, quo homines vſci ſolent. Ita omnes ſupra citati Auctores. Requiritur igitur, vt coquatur. Ac proinde coctio eſt de eſſentia panis, apti ad materiam Euchariſtiæ. Notat Tolet. *li.* 2. *c.* 25.

7 QVÆST. *Panis debet eſſe azymus, an fermentatus?* RESP. In Eccleſia Latina debet eſſe azymus: In Eccleſia Græca debet eſſe fermentatus. Notat cũ communi Tolet *li.* 5 25. *n.* 3.

De materia ſacramenti Euchariſtiæ, quoad ſanguinis conſecrationem. §. 3.

1 *Materia ad conſecrandum ſanguinem eſt vinum.*
2 *Quod vinum eſſe debet.*
3 *Quale vinum eſſe debet.*
4 *De mulſo.*
5 *De aceto.*

QVAESTIO. *Quæ eſt materia ad conſecrandum ſanguinem?* RESP. Vinum. Ita habetur *cap Firmiter de ſumm. Trinit. & fide cathol. capit. Martha de conſ. miſſ. c. in ſacramento. ca. Cum omne. de conſecrat. diſtinct.* 2. Conc. Trident. *ſeſſ.* 13. Ita Doctores, quos *ſuperiori §.* retuli.

2 QVAEST. *Quod vinum eſſe debet?* RESP Vinum vitis, conſtat de fide in eo Chriſtum Dominum conſecraſſe Mat. 16. *Non bibam amodo ae hoc genimine vitis.* Ideo deficiente vino vitis, confici nequit hoc ſacramentum.

3 QVÆST. *Quale eſſe debet hoc vinum?* RESP. Integrum in ſubſtantia propria vini. Subſtantiam veram vini, retinet adhuc vinum aceſcens, hoc eſt, quod tendit ad acetum. Notat Victoria. In eo tamen abſque neceſſitate, non eſt facienda conſecratio. Notat Viuald. *de Euch. loco citato.*

citato; damnatque culpæ lethalis sacerdotem in vino acescente absque necessitate consecrantem, propter irreuerentiam grauem.

4 QVAEST. *Dic de mulso ex vino ad ignem cocto factum, quod nostrates appellant arrobe?* RESP. Dico illud amisisse substantiam vini. Ita Hug. Victor quem refert, & sequitur Viuald. *de Eucharisti. tit. de mater. sang.*

5 QVÆST. *Quid dicis de aceto? quid de vino multa aqua diluto?* RESP. Dico illud amisisse substantiam vini, per corruptionem. Ita D. Thom 3 *p. quæst.* 94 *art.* 5 *ad* 2. & communiter Doctores *in* 4. Rich. *d.* 1. Sot. *d.* 9. *artic.* 5. Summistæ *verb. Euchar.* Sylu. *q.* 4 Angel. *nu.* 1. Vict. *nu* 59. Armil. Viguer & alij, contra Gloss. *c.* 2 *de consecrat. d.* 6 *verb. calix.* & Innoc. *de sacr. altar.* Item amisit substantiam vini, vinum multa aqua dilutum in torculari, quod appellant Nostrates Agua pie, Latini vero loram.

6 QVÆST *Omissa interrogatione de vino adhuc in botris racemi incluso: de eo enim, atque de farina in granis contenta, quæstio est: sic enim nec vinum est, nec panis. Rogo de musto iam à botris racemorum expresso Estne apta materia ad consecrandum sanguinem?* RESP. Mustum de quo rogas, intelligo vinum non pridem à racemis expressum ante decoctionem perfectam. De eo quidem controuersia est inter Doctores. Affirmant D. Tho 3 *p q.* 74 *ar.* 5. Syl. *ver. Euch. n.* 4. Armil. *n.* 8. Sot. *in* 4 *d.* 3 *q.* 1 *art.* 5. habetur *capitul. Cum omne de consecrat. d* 2. Facit pro hac sententia consuetudo aliquarum Ecclesiarum, iuxta quam sexto die Augusti, Dominicæ transfigurationis memoriæ dicato, à sacerdote exprimuntur matura botra super calicem consecrandum in gratiarum actionem pro anni vbertate, & fructibus: quæ consuetudo seruatur in alma Ecclesia maiori Bracharæ Augustæ, Lusitaniæ vrbis clarissimæ. Docent hanc partem recenter Viuald. *de Euch.* & Tolet. *li.* 2. *c.* 24. à quibus non audeo dissentire.

7 QVAEST. *Estne apta materia ad consecrandum vinum gelatum* RESP. Minime. Ratio est, quia materia huius sacramenti, debet esse comestibilis, & potabilis: & quemadmodum massa cruda non est apta materia, quia nō est comestibilis, ita vinum gelatum, quia non est potabile vt sic. Ideo enim sacramentum Baptismi fieri nequit in

gelu, vel in niue, quia materia baptismi debet esse apta ad ablue dum, nix autem & gelu vt sic, non sunt apta ad abluen ū. Et hęc est vera ratio. Falsa vero omnino est illa, quam affert Viuald. *de Eucharist.* affirmans contra veram Philosophiam gelu, & niuem non esse essentialiter aquam.

De aqua miscenda in calice. §. 4.

1 *An sit miscenda aqua.*
2 *Quod peccatum committit, qui aquam non miscet in Calice.*
3 *Quæ quantitas aquæ est miscenda.*
4 *Quæ aqua est miscenda.*
5 *Quo tempore est miscenda.*
6 *Cur præcepit Ecclesia aquam misceri in Calice.*

1 QVAESTIO. *Estne aqua miscenda vino, consecrando?* RESP. Maxime. Non quidem ex necessitate sacramenti, vt aliqui opinati sunt, teste Soto *in 4. d. 9. qu. 1. art. 5.* Sed ex necessitate præcepti. Ita communiter Theologi, quos refert ac sequitur Victor. *nu. 60.* dom. Catechism Rom. *pag. 243.* Habetur vero tale præceptum pluribus in locis *capitul. In sacramento. c. in Calice cap. Dominę, cap. Non oportet. de conse. d. 2. capitul. Cum Marthæ. de celeb. missar.* Habetur *in Concil. Brach. III. c. 1. Carthag. III. cap. 24. Flor. & Trident. sess. 22. q. 7. Can. 9.*

2 QVAEST. *Quantum peccaret, qui scienter vel ex negligentia crassa, non misceret aquam?* RESP. Mortaliter. De scienter affirmauit Tolet. *libr. 2. cap. 25.* De negligentia crassa affirmat Viuald. de *Eucharist. tit. de materia.* Estque res certa ex grauitate præcepti.

3 QVAEST. *Quæ quantitas aquæ est miscenda?* RESP. Quantitas parua ita respondet Tolet. *lib 2. capit 25. numero 4.* quanta vero futura sit ea paruitas nō explicuit. Recte verumtamen adnotauit Viuald. *de Eucharist.* ea in paruitate aquam esse miscendam, quę tempore consecrationis iam sit in vinum philosophice conuersa per amissionem formæ aquæ, & introductionem formæ vini. Et ideo iuxta vini quantitatem, & fortitudinem maiorem, minoremus,

ue, posse aquæ quantitatem misceri. Ita D. Thom. 3. p. q. 74. art. 6. Scot & Richard. in 4. d. 11. Angel. Euchar. n. 14. ibi. Syl. Sot. in. 4. d. 9. q. 1. art. 6. Catech Rom. pag. 244.

4 Qvaest. *Qua aqua admiscenda?* Resp. Elementaris, siue naturalis, non vero artificialis. Ita Theologi omnes, & sensus asserit Catholicorum. Ratio etiam ostendit, quia omnes aliæ aquæ sunt succus herbarum, & florum, & per solam similitudinem appellantur aquę, vt iam dixi de materia Baptismi.

5 Qvæst. *Quo tempore est admiscenda aqua?* Resp. Dummodo misceatur cum intentione adimplendi præceptū Ecclesiæ ante consecrationem, quouis tempore potest calix præparari. Ita Praxis obtinuit in missis solemnibus, cum calix à Diacono præparatur, statim post inceptam missam.

6 Qvæst. *Cur Ecclesia præcepit aquam misceri in calice?* Resp. Quia in figuram huius sacramenti Melchisedech obtulit vinum limphatum. Ita Gloss. *capit. In Calic. de consecrat. distinct. 2. verb. vinum.* Deinde. quia Christus Dominus in vino aqua diluto consecrauit. Ita Viuald. late probat tract. *de Euchariſt.* Tertio ad memoriam profusi amoris, quo Christus in ara crucis fudit è pectore aquam, & sanguinem. Quarto, quia aqua significat populum, iuxta Angeli interpretamentum Apocal. 17. *Aquæ, quas vidisti, populi sunt, & gentes.* Mistio autem aquæ in vino, significat vnionem populorum ac gentium cum Christo in hoc diuinissimo sacramento. Ita adnotatur *c. In Calice. de consecr. dist. 2.*

7 Qvaest. *Demus quod ante consecrationem, aqua missa, non sit in vinum philosophice conuersa, eritne tunc materia huius sacramenti, sub quibus speciebus Christus Dominus remaneat?* Resp. Affirmat Tolet. *lib. 2. cap. 24.* hisce verbi.. Cum vino est quantitas parua aquæ adhibenda, quæ simul est materia, siue conuersa sit in vnum, siue non. Immerito tamen tantus Doctor, propriam fuit secutus sententiam, si vt verba sonant, eam habuit mentem, vt crediderit ipsam aquam esse materiam sacramenti.

De qualitate, præsentia, & quantitate panis, ac vini consecrandi. §. 5.

1 *De qualitate.*
2 *De præsentia.*
3 *De quantitate.*

1 QVAESTIO. *Qua qualitas requiritur in pane, ac vino consecrando:* RESP. Dico primum. Ad essentiã sacramenti requiritur, ea qualitas, qua vera substãtia panis, ac vini physice contineatur. Oportet enim, vt panis non sit corruptus, vt vinum sit sanum, & vere vinum: aliter non fiet sacramentum. Dico secundo. Ad decentiam tanti sacramenti requiritur, vt panis sit purus, & candidissimi coloris. Vt vinum sit liquidum, ac expurgatum: purissimo enim sacramento, purissima debetur materia. Hæc doctrina ita in confesso est apud omnes, vt superfluum sit, pro ea Auctores afferre.

2 QVAEST. *Estne opus ad veram consecrationem, vt panis ac vinum consecranda, sint moraliter præsentia?* RESP. Opus quidem est. Ita cum communi Tol. *li. 2. c. 25. nu. 4.* Vguald. *de Euch. tit. de materia pan nu. 14. & 15.* cum D Thom. *3. p. q. 74.* Scot Palud. Durand. *4. d. 11 qu. 2.* Victor. *de Euch. n. 37* Sylu. *Euch. 2. n. 6.* Sot, *in 4. d. 9. q. 1. art. 2.* Præsentia vero moralis, ex iudicio boni viri colligenda. Non sufficit tamen; quod panis, ac vinum percipiatur per visum non distinctum: sic enim percipiuntur ea, quæ per leucam distant. Neque quod percipiatur per olfactum: sic enim percipiuntur ea, quæ post parietem sunt, & longissime absunt. Non tamen requiritur ea præsentia, intra quam possint panis, ac vinum tangi. Ratio est, quia materia sacramenti, debet applicari formæ: sed forma Eucharistiæ profertur nominibus demonstrantibus præsentem materiam, nimirum, Hoc est corpus meum. Hic est calix, ergo vt verificetur, requirit materiæ præsentiam.

3 QVAEST. *Qua quantitas vini, ac panis consecrari possit?* RESP. Dico primum. Ex natura, & essentia sacramenti, quæuis quãtitas, tam quo ad magnitudinem, quam quoad paruitatem consecrari posset. Ita D. Thom. *3. p. q. 74.*

art. 2. & in 4. dist. 11. quæst. 2. Vict. Sot. cum alijs supra citatis. Ratio est, quia dari non posset tanta quantitas, quæ si moraliter præsens esse posset, non posset etiam consecrari. Dico secundum. Ex ratione præsentiæ pro arbitrio boni viri colligenda est, quanta materia panis, & vini consecrari possit. Ita expressis verbis Tolet. *lib. 5. capit. 25. numer. 5.* ita inquiens. *Vtraque materia nequaquam habet certam quantitatem, nisi ratione præsentiæ: posset enim consecrare sacerdos multos cophinos panis, & vini dolium, si præsentia ista haberet, sicut etiam minimam vtriusque quantitatem. Sed absque ratione, & sine conuenienti immodicam quantitatem consecrare, graue esset sacrilegium*, sic Toletus.

De forma sacramenti Eucharistiæ. §. 6.

1 *Quæ est forma consecrandi panem.*
2 *Quæ est forma consecrandi vinum.*

1 QVAESTIO. *Quæ est forma consecrandi panem?* RESP. Est hæc: *Hoc est enim corpus meum.* Traditur in *cap. Cum Matt. de celeb. miss. cap. Cum corpus. cap. Reuera. cap. Accesserunt de consecr. dist. 2.* Colligitur *ex Matth. 26. Marc. 14. Luc. 21. ex 1. Corinth. 11.* Docent omnes sacri Doctores. In hac forma verbum (enim) non est de necessitate sacramenti. Ita communiter Theologi cum Diu. Thom. *3. p. qua. 78. art. 1. & in 4. d. 11.* vbi Sot. *quæst. 1. art. 1. ad* Summistæ *verb. Euch.* Sylu. Armil. & Ros. Oppositum docuit Scot. *in 4. d. 9.* quem intrepide secutus est Angelus: sed immerito contra sensum Ecclesiæ, vt notauit Armil. & Viuald. Est tamen de necessitate præcepti: & ideo grauiter peccaret, qui scienter illud verbum omitteret. Ita Tolet. *lib. 2. cap 26.* Hinc colligo omnia alia verba præcedentia, nimirum. *Qui pridie quam pateretur*, & alia non esse de necessitate sacramenti, esse tamen de necessitate præcepti, & ideo peccare grauiter, qui contra vsum Ecclesiæ ea omitteret, vel ex data opera, vel ex crassa negligentia. Ita Viual *tit. de forma.*

2 QVÆST. *Quæ est forma consecrandi vinum?* RESP. Est hæc: *Hic est enim Calix sanguinis mei noui, & æterni testamenti,*

stamenti, misterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

3 QVÆST. *Sunt ne omnia hæc verba de necessitate sacramenti?* RESP. Affirmantem partem tenuit Diu. Thom. 3 *p. qu.* 78. *art.* 3. Sylu. *Euch.* 1. ad finem. Armil. *nu.* 12. & alij. Excipiunt tamen verbum; *enim*, quod dicunt esse tantum de necessitate præcepti. Ita colligitur *ex Cap. Quia corpus. ca. panis est. de consecrat. d.* 2. Tenet communis opinio. Summistæ *verb. Eucharist.* Angel. Vict. *numer.* 74 Tabien. *Euchar.* 1 *num* 27. Sot. *in* 4. *d.* 11. *quæst.* 1 *art.* 3. *& d.* 13. *quæst.* 2. *art.* 2. Gandau. *qu.* 9. *&* 110. Tolet. *lib* 2. *cap.* 26. Dico secundo. Quoniam adhuc tantũmodo probabilius est in supradictis verbis, tantum consistere essentiam formæ consecrandi sanguinis, ideo oportet, vt sacerdos proferat omnia verba supra posita.

De ministro Eucharistiæ, quoad consecrationem. § 7

1 *Qui est minister huius sacramenti.*

2 *Tenetur minister consecrare sub vtraque specie.*

1 QVÆSTIO. *Qui est minister ad conficiendum sacramentum Eucharistiæ?* RESP. Omnis, & solus sacerdos. Omnis, dixi, quia si sacerdos est, licet in peccato mortali existat, excommunicatus, suspensus, sine officio, seu beneficio, & depositus, vel degradatus verbaliter, seu actualiter, schismaticus, hæreticus, vel alio quouis vitio profano, conficit verum sacramentum, si debita intentione legitimam adhibet materiæ formam. Ita habetur 1 *qu.* 1. maxime *à cap Intra.* Ita Theologi in 4. *d.* 13. D. Thom. Rich. Sot. Ita Summistæ *Euchar.* Syl. *nu.* 3. Armil. *nu.* 15. Vict. *nu.* 90. Couar. 1. *Resolut. cap.* 10. *num* 1. Catechism. Roman. *pag.* 281. Dixi solus, quia ex iure diuino nemini alteri concessa est hæc diuina potestas. Ita D. Thom. *in suo mirabili hymno.* Cuius officium committi voluit solis presbyteris.

2 QVÆST. *Estne opus, vt minister huius sacramenti illud conficiat in vtraque specie panis, ac vini?* RESP. Dico primum. Non est opus ex necessitate sacramenti. Enimverò si sacerdos consecret panem solum, vere sub specie-

bus

bus panis, remanet Christi corpus. Similiter si consecret solum vinum, sub speciebus vini, remanet Christi sanguis, & per concomitantiam, totus Christus. Quare consecratio sub speciebus ambabus, simul non requiritur, quo ad veram consecrationem. Probat Sot. *in* 4. *d.* 11. *qua.* 2. *art.* 6. Dico secundum. Ex præcepto tam diuino, quam humano, tenetur consecrare simul vtramque speciem panis, & vini. Ita sumitur *ex ca. Comperimus. de consecr. d.* 2. probat Sotus *in* 4. *d.* 11. *qua.* 2. *art.* 6. *& d.* 12. *quæst.* 1. *ar.* 12. & de sacrificio missæ *lib.* 4. *cap.* 22. *&* 23. Sylu. *Eucharist.* 1. *quæst.* 6. Hinc manifestè colligitur non posse summum Pontificem dispensare, vt altera specie deficiente, pane scilicet, aut vino, conficiatur hoc sacramentum in vna tantum earum. Ita respondit huic dubitationi Alexander Papa teste Armil. *Euch. num.* 20. Quem refert, ac sequitur Viual. *ibid.*

De dispositione, qua quis accedere debet ad conficiendam, & recipiendam Diuinam Eucharistiam. §. 8.

1 *Quæ est dispositio requisita interior.*
2 *Quæ est dispositio requisita exterior.*

1 QVÆSTIO. *Qua dispositione accedere quis debet hoc sacramentum, seu conficiendum, seu recipiendum?* RESP. Duplici: interiori nimirum, & exteriori.

2 QVÆST. *Quæ est dispositio interior?* RESP. Gratia: ad hãc igitur obtinendam, qui conscientiam habet lethalis culpæ, tenetur prius, quam accedat, confiteri data copia confessarij. & amoto pusillorum scandalo. Quæ veritas adeo certa est, vt licet per reuelationem sciam, me esse in gratia, per veram contritionem, teneor adhuc, data copia confessarij, & amoto pusillorum scandalo, antea confiteri. Ita Theologi communiter Cano. *Relect. de pœnitent p.* 4. Sot. *in* 4. *d.* 17. *&* 18. *quæst.* 1. *art.* 4. Ita decernitur *capit. De homine, de celebrat. miss.* & in Concil. Trident. *sess.* 13. *cap.* 7. *can.* 11. Notat Toletus *lib.* 2. *ca.* 1. Dixi, data copia confessarij, quæ si non detur, & vrgente necessitate debeam sacrum facere, vel diuinam Eucharistiã sumere, si mo-

si moraliter ex pœnitudine mentis pro commissis, & proposito cauendi in posterum pro committendis peccatis colligam me esse contritum, vera contritione, quia doleo propter Deum solum offensum, quem summe diligere debebam, tuta conscientia possum celebrare, vel communicare. Ita Armil. *verb. communio.* Vict. *de Euchar. numer. 74.* Nau. & alij, colligitur ex Conc. Trid. *sessione 17. cap. 7.* Talis autem vrgens necessitas celebrandi, non præmissa confessione ex defectu confessarij, non est pura deuotio, vt sibi persuasit Caiet. *verb. communio,* cum ijs quos citat, & Nauar. *cap. 21. num. 49.* Sed est graue scandalum subsequendum pusillorum existimantium suum Parochum, seu talem personam commisisse culpam grauem, ob quam abstinet à communione. Dixi amoto scandalo, quia euenire poterit, vt præsente confessario, scandalum suboriri possit, si celebraturus, vel communicaturus, apud illum peccarum commissum confiteatur. Sunt mille euentus, duos apponam ad explicatum mez mentis, commisit V. G. puella stuprum: grauiter timet: prouocandam deinceps ad libidinem a confessore sciente eam iam semel in carnis lapsum incidisse. Commisit celebraturus stuprum cum sorore confessarij præsentis, timet iram confessarij deinceps excitandam, mortem forsitan euenturam. Isti, & similes tenentur facere quod in se est, ad contritionem consequendam, & cum ea celebrare, vel communicare exspectando, primam occasionem idonei confessarij. Item euenire poterit, vt sacerdos celebraturus ante celebrationem confiteatur, oriatur in adstantibus scandalum. Euentum narro, quem vidi non semel, aut bis, sed septies. Pro suscepto beneficio in transmontana regione parochialis Ecclesiæ Div. Petri Torti fluuij (sic oppidum appellant incolæ) agens animarum curam, eramus tres sacerdotes, ipse ego, coadiutor meus, & alius, vnus nostrum ter, & quater in hebdomada crimina publicè expiabat, alter semel in mense: proh Deum immortalem! ea obtusæ mentis hebetudo plures incolas opprimebat, vt ex sacramenti frequentatione, crebriorem animæ lapsum, ac maiorem peccatorum frequentiam colligerent, adeo, vt eam exprobrarent, & obijcerent sacerdoti.

2 QVAEST. *Quæ est dispositio exterior?* RESP. Ieiunium. Debet enim sacrificaturus, vel suscepturus Eucharistiã accedere ieiunus. *cap. Liquido de consecr. dist. 2. can. de sacrament. ad. 1. de consec.* D. Thom. 3. *p. quæst* 80. *art.* 8. Ieiunus, inquam, ieiunio naturali; ita vt nec per modum medicinæ, liceat aliquid sumere. Notat Tolet. *libr. 2. cap. 1. nu. 3.* Caietan. *in Sum verb. communio sacrament.* Naua. *cap. 21. numer. 15.* Sylvest. & Armil. *verb Euchar.* catechism. Roman. *p. 224.* Quæ institutio ab Apostolis fuit introducta, vt constat *ex Conc. Constantiens. sessi. 13* Ideo graue peccatum mortale committit, qui non ieiunus à media nocte Eucharistiam sumit. Vsus tamen Ecclesiæ obtinuit, vt infirmis, cum vrget necessitas communicandi, detur Eucharistia post cibum: quem vsum confirmat praxis in Hispania, & aliquando in Lusitania. Ieiunus tamen censendus est, qui inter abluendum os, saliuam guttula aliqua mistam deglutijt. Item ille, qui casu reliquias ciborum inter dentes relictas, non per modum cibi intromisit. Ita Card. Tol. (qui tamen latiori incedit via, apponit enim hæc verba. Dum non sit notabilis quantitas, vt videatur haustus) Viual. *de Euchar. tit. de præpar. num. 9.* Hinc excipiuntur aliqui euentus. Primus, Incepit sacerdos missam oblitus cibi, quem sumpserat, postea vero recordatur illius: tunc si ante consecrationẽ meminit, & potest absque scandalo missam omittere, tenetur illam omittere: si vero non potest, persequatur, & sumat Eucharistiam. Ita Angel. *Euchar. 2. §. 6.* Sylvest. *Euchar. 2. § 7.* Tolet. *lib. 2. cap 1.* Secundus cum sacerdos hauriendo calicem, inuenit se consecrasse aquam, vel acetum: tunc debet iterum apponere vinum, & aquam, & consecrare, & consecratas species consumere. Tertius, cum particula adhæreret calici, vel palato: infundẽdum est vinum in calice, aut in ore, siue aqua, & simul omnia deglutienda. Quartus, cum post sumptionem Eucharistiæ inuenit sacerdos in corporalibus, in patena reliquias sacramenti ante inceptas orationes, sed post sumptam ablutionem, eas sumpturus est; si vero eas inuenit post orationes, & in Ecclesia est sacrarium, in sacrario sunt reponendæ: si non est sacrarium, sunt consumendæ. Ita Caiet. *verb. missa.* & Tolet. *lib. 2 cap. 1.*

De

De effectu Sacramenti Eucharistiæ. §. 9.

1 *Gratia est effectus huius sacramenti.*

QVÆST 10. *Quis est effectus sacramenti Eucharistiæ?* RESP. Gratia. Datur illa in ipsa sumptione omnibus æqualis, siue sub vna, siue sub vtraque specie communicetur. Siue in maiori, siue in minori hostiæ quantitate. Ita D. Thom. 3. *p. quæ* 79. Sot. *in* 4. *d* 11. *quæst. art.* 1. Sylu. *Euch.* 14. *numer.* 3. Canis. *de Eucharist.* §. 9. Hæc gratia non negatur propter peccatum veniale: quamquam tale peccatum impediat gustum, & saporem suauissimum huius sacramenti. Ita annotat Tolet. *lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 8. Probabile etiam est hanc gratiam non impediri propter culpam mortalem, qua cum quis accedit ignoranter inuincibiliter existimans se perfecte pœnituisse, & in gratia per confessionem præmissam, vel existimatam contritionem habitam, deficiente copia confessarij, cum tamen, re vera, solam habeat attritionem & adhuc in peccato existat. Enim vero ignoranter inuincibiliter accedendo ad communionem, non peccatum certi esse nequimus absque reuelatione de gratia, per quam simus diuinæ placiti beneuolentiæ, iuxta illud Eccles. *Nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit.*

De speciebus Diuinæ Eucharistiæ. §. 10.

1 *An post consecrationem remanet panis, ac vinum.*
2 *An species consecratæ habeant eundem effectum, ac haberent non consecratæ.*
3 *De verme genito ex speciebus consecratis.*
4 *An maneat Christus sub speciebus consecratis.*
5 *An totus Christus maneat in hostia, & totus in calice.*
6 *Quamdiu remaneat Christus sub speciebus consecratis.*

1 QVÆSTIO. *Quid post consecrationem remanet panis ac vinum?* RESP. Sola accidentia eiusdem panis ac vini: quæ quidem appellamus species consecratas. Substantia vero panis, ac vini, transubstantiata est in corpo-

corporis, & sanguinis substantiam Christi. Et ideo accidentia panis, ac vini in hoc sacramento mirabiliter remanent sine subiecto. Ita decernitur *ca. firmiter. §. vna. de sil. Trinit. & fide cathol.* Conc. Const. *sessi* 8. Clem *vnic. de reliq. & ven. sancti.* Floren. & Trid. *sessi.* 13. *ca.* 2. *&* 4. Tradit. Catec. Rom. *pag* 146. Probat. D. Tho. 3. *p. qu.* 75. *ar.* 2. *ibid.* Caiet. Sot. *in* 4. *d.* 9. *qu.* 2. *ar.* 2. *& d.* 10. *qu.* 2. *ar.* 1.

2 QVAEST. *Habentne species consecratæ eundem effectum, quem naturaliter haberent, si propria substantia panis, ac vini remanerent?* RESP. Habent. ideo nutriunt. Ita Gloss. *Trib de conf. d.* 2. Probat Vict. *de Euch. nu.* 62. *&* 74. Sot. *in* 4. *d.* 10. *qu.* 2. *ar.* 6. Ideo cor lætificant: imo species calicis, à iudicio, si in magna quantitate hauriantur, deturbant. Ita citati Auctores, & D. Thom. 3. *p. qu.* 77. *ar.* 5. *&* 6.

3 QVÆST. *Quando in speciebus cõsecratis generatur vermis, generaturne ex ipsis accidentibus, ita vt vermis forma introducatur in ipsa accidentia, an ex substantia aliqua, ita vt forma vermis introducatur in veram materiam primam?* RESP. Quamquam mea non interest in examine Moralis Theologiæ, Philosophiæ metas attingere, respondebo, siquidem cõpulisti. Dico igitur generari illum vermẽ ex vera substantia, ita, vt ex vi dispositionũ naturaliũ existentium in ipsis speciebus consecratis, eluatur forma vermis, & in veram substantiã materiæ primę introducatur, instar aliarum generationum naturalium. Quæ quidem materia prima, non est panis, ac vini consecrati, iterum reddita, vt existimauit Innoc. III. *lib.* 4. *ca.* 11 *de sacr. altar.* Alens. 4. *p. qu.* 40. *nu.* 2. *ar.* 4. D. Tho. *in* 4. *d* 12. *art.* 2. *qu* 1. Sed est alia noua substantia, nouáq; materia à Deo denuo creata. Ita Sot. *in* 4. *d.* 10. *qu.* 2. *ar.* 1. lateq; nostrã probat conclusionẽ.

4 QVÆST. *Remanetne sub speciebus consecratis Christus Dominus?* RESP. Remanet. De fide est definitum in Con. Eph. & Latesub Inno. II. Ca 1. Constant. *sessi.* 7. Trident. *sessi.* 13. *Cap.* 3. *can.* 1. *& sessi* 21. Modus vero essendi, in speciebus consecratis est indefinitus, hoc est, remanet totus in totis, & totus in qualibet parte specierum. Ita D. Tho. 3. *p. quæst.* 76. *art.* 2. Sot. *in* 4. *d.* 10. *quæst.* 1. *art.* 3. probatque per *tex. ca. Vbi pars de consec. d.* 2. Ideo diuisis speciebus, remanet Christus sub vnaquaque diuisione, est de fide. Rem explicuit eleganter D. Thom. *in suo Hymno. Fracto de-*

demum sacramento ne vacilles, sed memento tantum esse in fragmento, quantum toto tegitur.

5 QVAEST. *Contineturne totus Christus in hostia, & totus in calice, ita vt in hostia sit sanguis, & in Calice sit corpus?* RES P. Ita procul dubio de fide asserendum. Ratio est, quia Christus Dominus est in hoc sacramento viuus: corpus autem viuum, non est sine sanguine, nec sanguis viuus, sine corpore. Et ita per concomitantiam, totus Christus, & tota diuinitas Christi, est tam in speciebus panis, quã in speciebus vini. Verum quidẽ est ex vi verborum consecrationis corpus tantum esse in hostia, & sanguinem in calice.

6 QVAEST. *Quamdiu post consecrationem, remanet Christus sub speciebus consecratis?* RES P. Tamdiu, quamdiu naturaliter remanet substantia panis, ac vini, si adhuc ibi esset. Ideo si accedat contrarium agens, quod, si ibi esset substantia panis, ac vini, eam naturaliter expelleret, aut inducendo nouam formam, in præiacentem materiam, aut contrarias dispositiones formæ panis ac vini, accidentia ipsa corrumpit, & Christus ibi esse desinit naturaliter. Ac proinde tamdiu sub his speciebus Christus remanet, quamdiu accidentia non corrumpuntur. Ita decernit in Concil. Trident. *sess. 13. can. 4.* tenuit Glos. *ca Sipo negligentiam. de consecr. d. 2. verb. in terram.* Probat Sot. *in 4. d 10. quæst. 2. articul. 8. concl. 4.* Tolet. *lib. 2. cap. 29.*

CAPVT V.

De sacrificio Missæ.

De nomine, & Auctore missæ. §. 1.

1 *Quid est Missa.*
2 *Qua certitudine habemus Missam esse legis nouæ sacrificium.*
3 *Quis Missam instituit.*

1 QVAESTIO. *Quoniam Eucharistiæ sacramentum, ut in sacrificio missæ conficitur, oportunitas exigit loci, vt ad sacra-*

sacramenti tractationem sacrificij rogationes iungamus Roge igitur quid est missa? RESP. Est legis gratiæ sacrificium, perfectionem omnium veterum Naturæ, scriptæve legis sacrificiorum continens, veluti eorum omnium recapitulatio, sicuti sacramentum Eucharistiæ miraculum miraculorum, seu memoria omnium mirabilium, vt cum regio Psalte loquar, in quo Christi seruatoris passio repræsentatur. Concil. Trid. *sessi. 2. can. 2.* & sequentibus. Nam sacerdos celebrans, Christum Dominum figurat, Sacræ, quas induit vestes, vestes, quibus Christus in passione fuit indutus, repræsentant. Amictus enim significat velum, quo velata facie rex fuit acclamatus, & liberius ab inimicis percussus. *Aue Rex Iudæorum, prophetiza nobis, quis est, qui te percussit. Matth. 26. Luc. 22.* Ita Franciscus Anton. *lib. 1 cap. 11.* Alba significat candidam vestem, qua illum lusit Herodes *Luc. 23.* tanquam insanum cum exercitu suo. Ita Francis. Anton. *lib. 1. cap. 12.* Cingulum significat funem, quo ad columnam fuit astrictus. Stola significat funem, quo ad Caluariæ locum ductus fuit. Ita Francis. Anton. *libr. 1. capit. 13. 14. 15.* Casula significat coccineam vestem, qua eum coopertum populo Pilatus ostendit, dicendo: *Ecce homo,* vociferantibus cunctis: *Tolle, tolle crucifige eum.* Altare Crucem. Has significationes apponit Tolet. *lib. 2. cap. 2 num. 6.* Calix significat sepulchrum. Patena lapidem superpositum. Ita idem Toletus.

2 QVÆST. *Qua certitudine tenendum est, missam esse legis nouæ sacrificium?* RESP. Certitudine fidei, & oppositum asserere, est hæreticum. Ita enim sensit Ecclesia ab initio sui ortus, tenuit, confessa est, docuit, & prædicauit. Decreuit in Con 12. Toletan. *cap. 5.* Et Lateran. sub Innocentio III. *Can 3.* & in Synodo generali. *c. 22. suor. decret* Et in Ephesin. *in Epist. ad Nestor.* & in Trid. *sessi 22. can. 1. 2. & 3. & 4.* Verba autem Concilij sunt hæc: *Si quis dixerit in missa non offerri Deo verum & proprium sacrificiū, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.*

3 QVÆST: *Quis missam instituit?* RESP. Christus Dominus, in vltima cœna, in qua nobis corpus suum reliquit, & sanguinem sub speciebus panis & vini, offerens

se Patri tunc cruentum sacrificium, vt latè probat Nauar. *ca solent. d. 1. de consec. & in Enchir. de orat. cap. 3. num.* 44. Ordo vero celebrandi, iam inde ab Apostolis dimanauit, vt habetur *cap. Iacobus. dist. 1. de consec.* & Concil. Trid. *sessi. 22. cap 1. & 2 & sessi. 23. cap. 1.*

De effectu, & valore huius sacrificij. §. 2.

1 *Quotuplex est fructus huius sacrificij.*
2 *Quotuplex est valor Missæ.*
3 *Quibus communicatur valor Missæ.*
4 *An possit valor Missæ alteri communicari.*
5 *An tantum prosit Missa mali quam boni sacerdotis.*
6 *An valor Missæ crescat ex maiori numero circumstantium.*
7 *An Missa plus prosit oblata pro vno, quam pro multis.*

1 QVÆSTIO. *Quotuplex est effectus, seu potius fructus huius sacrificij?* RESP. Quadruplex: nam quadrupliciter considerari potest huiusmodi sacrificium, nimirum, vt est propitiatorium, vt est expiatorium, vt est satisfactorium, vt est interpretatorium. Vt est propitiatorium, offertur pro peccatorum venia, & illam consequitur, obtinendo à Deo auxilium, ad actum contritionis, & ex consequenti gratiam, qua ex impio pius fit, & sanctificationem. Vt est expiatorium, venialia peccata delet, in eo, qui est in gratia. Vt est satisfactorium, remittit pœnas pro culpis debitas iã remissis. Vt est impetratorium, consequitur à Deo beneficia, tam spiritualia quam temporalia. Ita communiter Doctores omnes.

2 QVÆST. *Quotuplex est valor missæ?* RESP. Duplex, ex opere scilicet, operato, & ex opere operantis (sic vocant Theologi) valor ex opere operato, datur ex ipsa præcisa sacrificij oblati. Valor ex opere operantis, consistitur ex vi dispositionum, deuotionis nempe, offerentis, & eorum, pro quibus offertur. Valor ex opere operato semp-

semper est æqualis, quoniam semper offertur idem sacrificium. Valor ex opere operantis est maior, aut minor, iuxta offerentium, & eorum, pro quibus offertur, dispositionem, quæ pluris minorisve, à Deo æstimatur.

3 Qvæst. *Quibus communicatur huiusmodi valor?* Resp. In primis omnibus Christi fidelibus, nam pro ijs omnibus ex intentione Ecclesiæ Deo mittitur. Deinde prodest ei, pro quo offertur. Tertio prodest ei, qui illud offert. Ita Scot. *quodlib.* 20 ibique appellat priorem valorem generalem, secundum medium, tertium specialem; potius ipse (pace dixerim tanti viri) secundum appellarem specialem, quoniam specialiter confertur vni, aut pluribus, pro quibus specialiter offertur, tertium personalem, quia personæ sacrificantis donatur, nuncuparem; alij iudicent.

4 Qvæst. *Potestne quisquam alteri communicare valorem missæ, aut generalem, aut specialem, aut medium?* Resp. Potest. Ita Nauar. cum communi *capit.* 25. Probat satis abundè euentus ille, quem narrat Æneas Syluius *in sua orbis descriptione*, qui postea Summus Pontifex factus, Pius secundus nuncupatus est. Erat vir nobilis in Styria prouincia Belgicorum: hic grauiter à dæmone impellebatur, vt ad fugiendas viræ ærumnas, laqueo se suspenderet, adijt ille confessarium, mentis furiam, & hostis insidias detegit, admonuit hominem confessarius, vt quotidie sacrum audiret, & se securum, tutumque crederet, acquieuit ille consilio, capellanum in domum recepit, rem sacram quotidie audiebat: accidit quadam die, vt capellanus non adesset, equum ascendit, cursim pergit ad pagum, vbi res diuina fiebat, inuenit subrusticanum hominem, quæsiuit, an iam dicta esset missa, affirmat rusticus, impletur mœrore nobilis vir, cur rogauit rusticus, tanto mœrore conficeris, quia, dixit, sacrum non audiui hodie, ego reddidit rusticus, tibi missæ, qui mihi contigit, valorem liberaliter impertio; exhilarauit nobilem virum donum sacrum, pergit viam, vt ante diuinum sacramentum altaris fundat preces, fusis ijs, reuertitur, mirum auditu, inuenit rusticum eodem in loco laqueo suspensum.

5 QVÆST. *Prodeſtne tantũ ſacrificium mali, quam boni ſacerdotis?* RESP. Duo conſideranda ſunt in hoc ſacrificio primum ipſa hoſtia oblata, qui eſt Chriſtus Dominus, ſicuti in ara crucis, ſemel fuit oblatus Patri. Secundum, orationes, & deprecationes. Rurſus orationes adhuc conſiderandæ ſunt, vel, vt funduntur à ſacerdote, vel ab Eccleſię miniſtro eiuſdem Eccleſiæ nomine fuſe Deo vel, vt à particulari perſona demittuntur. Dico igitur primum. Miſſa, vt eſt ſacrificium & orationes, vt à ſacerdote tanquam ab Eccleſiæ miniſtro funduntur, nomine ipſius Eccleſiæ, tantum valent, ſi mittantur per malum quam per bonum ſacerdotem. Ratio eſt, quia donum oblatum, ſemper eſt idem; & accipiens attendit ad donum, non ad ferentem illud. Dico ſecundum. Miſſa, & orationes, pro vt à particulari perſona funduntur, plus valent fuſæ à bono, quam à malo ſacerdote. Ita D. Thom. 3. *p. quæſt.* 82. *ar.* 6. quem omnes ſequuntur. Quoniam vero ſacerdos non tantum nomine Eccleſiæ offerre debet, ſed etiam nomine ſuo, ſimpliciter dicendum eſt, plus valere miſſam boni, quam mali ſacerdotis.

6 QVÆST. *Accreſcitne valor miſſæ ex circumſtantibus?* RESP. Affirmat Victoria *in ſum. tit. de Eucha.* his verbis *Regulariter maioris valoris eſt miſſa dicta vbi ſunt multi quam vbi ſunt pauci,* quoniam circumſtantes etiam offerunt, ſicut in canone dicit ſacerdos, pro omnibus circumſtantibus, qui tibi offerunt.

7 QVÆST. *Cum ſacerdos offert pro multis, prodeſtne tantum ſingulis, quantum ſi pro vno ſolum offerretur?* RESP. Affirmat Caiet. *quodlib. 1. qu.* 18. & 3. *p. qu.* 79. *ar.* 5. Ratio eius eſt, quia valor ſacrificij circa perſonam, pro qua offertur, pendet ex illius diſpoſitione, diſpoſitio vero valus, non pendet à diſpoſitione alterius; & ideo tantum mihi prodeſt, quantum ſi pro me ſolum offerretur. Eandem opinionem latè proſequitur Beia *caſ.* 12. v. eruntamen ex alio fundamento, nimirum ex re oblata, quæ cum infiniti valoris ſit, ſcilicet Chriſtus, æqualiter offertur pluribus, quam ab vno ſolo, citatq; Can. *li.* 12. *de loc. Theol. capit.* 13. *ad finem.* Negat tamen communis ſententia, quæ tradit Scot. *quodl.* 29. ex oppoſito fundamento, quia per eo

tio gratiæ,& portio satisfactionis in hoc sacrificio collata ex opere operato ei, pro quo offertur, est finita, & à Deo certe determinata, ideo minor peruenit ad plures, quam perueniret ad vnum tantum , Scotum sequitur Nau. *de orat cap. num. 77. & ea visum. de consecr. d. 1. & cap. non mediocriter. de conjec. d. 5.*

De ijs, pro quibus licet sacrificium missæ offerre. §. 3.

2 *Pro quibus licet Missam offerre.*
2 *An prosit Missa animabus Purgatorij.*
3 *An possit Missa offerri pro paruulis defunctis.*
4 *Vnde constet Missam prodesse viuis.*
5 *An defunctis magis prosit Missa de Requiem.*

1 QVÆSTIO. *Pro quibus licet Missam celebrare?* RESP. Tam pro viuis,quam pro defunctis, qui in gratia à vita decesserunt, & in purgatorij flammis detinentur ad expiationem.

2 QVÆST. *Prodest ergo sacrificium missæ animabus in Purgatorio detentis?* RESP. Prodest. Constat id ex pluribus historijs , quas referunt D. Gregor. *libr. 4. Dialog. ca. 55.* D. Anton *3. p tit. 18.* Pet. Damian. *epistol ad Desider. Abbat.* al jque plures, quos refert Franc Anson. *libr. 3. cap. 17.*

3 QVAEST. *Licetne celebrare pro paruulis defunctis?* RESP. Licet. Ita D. Thom. *in 4. d. 13.* non quidem, vt prosit ad remissionem culpæ, vel augmentum gratiæ, sed ad solamen viuorum, & ad ostendendum tales paruulos ad vnitatem mystici Christi corpus pertinere. Tum maxime ad commendandum redemptionis mysterium in hoc sacrificio figuratum, per quod paruuli sine proprio merito, æternam salutem consequuntur. Rectè tamen admonet scrutinium *tract. de missa* cum Petro de Palude , quem refert tunc dicendam esse missam pro omnibus defunctis.

4 QVAEST. *Teneśne memoriter aliquam historiam, ex qua constet sacrum prodesse viuis?* RSP. Teneo. Refert D. Greg. *li. 3. Dialo. ca. 6.* rem memoratu dignissimam. Fiebat sacrũ pro quodam captiuo, qui existimabatur mortuus; mirum

dictu, eo die frangebantur compedes, & liber incedebat. Refert Beda *lib. hist. Angl. ca.* 22. simile scitu memorissimum. Erat apud hostes captus quidam, faciebat sacrificia pro illius libertate singulis diebus eius frater, mirum dictu, nunquam potuit vinculis detineri à domino. nunquam enim alius Sampson vincula infringebat.

5 QVÆST. *Prodestne defuncto magis missa de Requiem quam alia?* RESP. Minime quidem ex parte sacrificij, eadem enim idem: maxime vero ex parte orationum, quæ ijs peculialiter deprecatur pro animæ liberatione.

De ministro huius sacrificij. §. 8.

1 *Quis est missæ minister.*
2 *Quis primus celebrauit Pontificali apparatu.*
3 *An liceat sacerdoti omnino abstinere à celebrando.*
4 *Quod peccatum erit omnino abstinere à celebrando.*
5 *An sacerdos possit absque ministro celebrare.*
6 *Quod erit peccatum celebrare sine ministro.*
7 *An fœmina possit Missæ ministrare.*
8 *An ratione præcepti obligantis ad sacrum audiendum, possit sacerdos sine ministro celebrare.*
9 *An vrgente necessitate pro communicando infirmo morti vicino possit sacerdos celebrare sine ministro.*
10 *An monialis possit Missæ respondere.*
11 *An ex deuotione & reuerentia possit sacerdos per totam vitam abstinere à celebrando.*
12 *An teneatur sacerdos recitare ante missam officium matutinum.*

1 QVÆST 10. *Quis est minister huius sacrificij?* RESP. Solus sacerdos. *cap. 1. de consec.* Ratio est, quia in hoc sacrificio, conficitur sacramentum Eucharistiæ, minister verò Eucharistiæ sacramẽti, solus est sacerdos.

2 QVÆST. *Quis primus celebrauit Pontificali apparatu?* RESP D. Petrus Antiochiæ. Ita D. Anto. *1. p. tit. 6. ca. 8.* qui intelli-

intelligens Hugonem Victorin. *li. 2. de sac. p 8. cap. vlt.*

3 QVAEST. *Licetne sacerdoti omnino abstinere à celebratione?* RESP. Minime. Ita D. Tho. *3. p. qu* 83. *ar.* 10. videtur enim præceptum Christi Domini, præcipientis: *Hoc facite in meam commemorationem. Luc.* 22. Et D. Pauli exhortatio. 2. *Corint.* 6. *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.*

4 QVÆST. *Quod peccatum erit abstinere omnino à celebratione, ne causa?* RESP. Indecisam reliquit quæstionem. D. Tho. *p. qu.* 83. *ar.* 10 Maior, & Durand. quos refert Vict. *citato loco*, aiunt peccare mortaliter huiusmodi sacerdotē. Pro ijs videtur facere *cap Dolentes. de celeb. Missar.* vbi reprehenduntur vehementer, qui quater tantum in anno celebrant. Eos sequitur Nau. *ca.* 25. *sum.* adducitq; pro sua sententia Richar. *in* 4. *d.* 13. *ar* 12. Oppositum asseruit Caiet. 3. *p. qu* 82. quem sequitur Vict. *in sum tit. de Euchar.* dicens *citatis locis*, non contineri præceptū, sed consilium. Con. tamen Trid. *sess.* 13. *ca* 14. iubet Episcopis, vt curēt, quod presbyteri, saltem dominicis, & festis diebus sacrificent, sed hoc præceptum dissuetudine est abrogatum.

5 QVÆST. *Potestne sacerdos solus celebrare?* RESP Minime, sed indiget ministrante. *ca. Quæsiuit. de verb. signif. & d.* 1. *de consec. ca. Vt illud de correc* Conc. Tol. *d.* 1. *lib. ca.* 14. *& in can. Illud 7 qu.* 1. *ca Hoc quoque de consec. dist* 1.

6 QVAEST. *Eritne graue peccatum celebrare sine ministrante?* RESP. Graue. ita Franc. Anton. *libr.* 1. *de missa cap* 17.

7 QVÆST. *Potestne fœmina ministrare sacerdoti sacrificanti?* RESP. Minime. Ita prohibetur in conc. Magunt. *in cap.* 1. *de cohabit. cler. & mulier.* & asserunt communiter Doctores.

8 QVAEST. *Non est qui celebranti sacerdoti inseruiat, vrget tamen dies festus, & obligatio audiendi sacrum, poteritne tunc sacerdos celebrare sine ministrante?* RESP. Minime. Ita Franc. Anton. *libr.* 1. *de miss. cap* 17. Ratio est, quia cum ambo præcepta sint Ecclesiastica, maius derogat minori.

9 QVAEST. *Non est, qui adiuuet, vrget tamen necessitas faciendi sacrum (quia non est confectum sacramentum) pro communicando infirmo, poteritne tunc celebrare sacer-*

dos solus? RESP. Poterit, ipseque sibi eidem respondere & inseruire. Ita Sot. *in* 4. *d.* 13. *quæst.* 2. *art.* 5 *ad* 12. Suar. 3. *disp.* 86. *sect.* 1. Ratio est, quia præceptum ecclesiasticum non potest dǔrogare præcepto diuino.

10 QVÆST. *Quid censes de moniali, poteritne respondere sacerdoti ministranti, deficiente alio ministro, qui respondeat?* RESP. Poterit ex cratibus, cum altare in æquali distantia. Ita obtinuit monialium priuilegium teste Henriquez. 2. *tom. lib.* 9. *cap.* 30. *num.* 1. & Rodr. *in sum. de missa.*

11 QVÆST. *Licetne ratione deuotionis & reuerentiæ sacerdoti, abstinere per totam vitam à faciendo sacro?* RESP. Affirmat Rodericus, adducitque exemplum D. Martini de quo fertur, sibi præscidisse pollicem, ne habilis esset ad accipiendum sacramentum manibus.

12 QVÆST. *Teneturne sacerdos recitare matutinum ante missam* RESP. Tenetur. Non tamen sub mortali; præsertim vrgente aliqua causa. Ita Sylu. *missa.* 1. §. 6. Sot. *in* 4. *d.* 13. *qua.* 2. *art.* 2. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 7.

In quibus diebus prohibetur sacerdos celebrare. § 5.

1 *An liceat celebrare singulis diebus.*

2 *An liceat celebrare sabbatho maioris hebdomadæ*

3 *An possit Episcopus concedere facultatem celebrandi his diebus.*

4 *Quod peccatum est celebrare his diebus.*

1 QVÆSTIO. *Licetne singulis diebus celebrare?* RESP. Minime quidem in sexta feria maioris hebdomadæ: quia cum missa sit quædam passionis Dominicæ repræsentatio, ipsa tunc dies in qua Christus passus est, satis illam repræsentat, vt adnotauit Scrut *tractat. de sacr. miss.* Item sabbatho sancto maioris hebdomadæ. *cap. Sacro. de consecratione. d.* 3.

2 QVÆST. *Occurrit in sabbatho sancto dies festus, quid tunc?* RESP. Tunc quisque sacerdos celebrare potest. Ita Sot. *in* 4. *d.* 13. *qu.* 2. *ar.* 2. Suar. 3. *p. qu* 83. *disp.* 8. *sect.* 1. quos sequuntur teste Nau. oēs moderni, aiuntq; prohibitionē faciendi sacrum, tolli per obligationē audiendi illud

3 QVÆST.

3 QVÆST. *Potestne Episcopus facultatem dare sacerdoti, vt istis diebus celebret?* RESP. Potest. Ita citati Doctores.

4 QVÆST. *Quod peccatum committit, qui istis diebus celebrauerit absq; licentia Episcopi?* RESP. Mortale. iuxta Sot. *in 4. d 13. q. 2. ar. 2.* & Nau. *c. 25. n. 88.* & Suar. cum alijs, quos refert *3. p. q. 83. ar. 2. disp 80. sect. 2.* Oppositum tamen, amoto contemptu, tenet Eman. *in sum. verb. missa* cum suo Gutterrio *q. in can. num 36.*

Quoties tenetur sacerdos celebrare in anno. §. 6.

1 QVAESTIO. *Quoties tenetur Sacerdos non impeditus, celebrare in anno?* RESP. Dico primum. Tenetur saltem diebus festis quatuor Paschatum. Ita *c. Dolentes. de celeb. miss* Ita D. Tho *3. p. q. 82. art 10.* Dur. & Palud. *in 4. d 13. q. 2.* & oppositum facere est peccatum mortale Ita. Card. Tolet *li. 2. c. 2.* Dico secundum. Tenetur Curatus celebrare omnibus diebus, quibus populus tenetur audire sacrum, nisi loco suo alium subsistat. Ita Card. Tolet. *lib. 2. c. 2.*

Quoties in die licet celebrare. §. 7.

1 *An licuerit in die pluries celebrare.*
2 *An modo liceat in die pluries celebrare.*
3 *An liceat in die natalis Domini, tres missas celebrare noctu.*
4 *Quæ missa è tribus dicenda, cum vna tantum dicenda sit.*
5 *An detur euentus, in quo liceat duas vel tres missas in die dicere.*

1 QVAESTIO. *Licetne pluries in die celebrare?* RESP. Minime. Ita prohibetur *c. Consuluisti. c. Referente. de celeb. miss. c suffecit. de consec. d. 2.* & oppositum facere, non esset deuotio, sed graue peccatum mortale, contra Ecclesiæ præceptum. Ita Tol. *lib. 2. c. 3. nu. 4.* Olim hac in re habebantur multæ exceptiones, quas late prosequitur Vict. *in sum. tit. de Euch. nu. 96.* & ideo ijs su-

perſedeo referendis: ſunt enim iam per diſſuetudinẽ abrogatæ: ſeruandus tamen regionum mos (dummodo ſacerdos ſit ieiunus) iuxta priuilegia earum, de quibus late Roder. *in ſum. cap.* 246. *nu.* 5.

2 QVAEST. *Admittitne adhuc vſus vniuerſalis Eccleſiæ pluritatem miſſarum in eadem die, ab eodem Sacerdote?* RESP. Admittit, in die, ſcilic. Natalitiarum Chriſti Domini, tunc enim licet tres miſſas celebrare. Ita *ca. Conſuluiſti de celeb. miſſ.* Enim verò ſignificationes elegãter proſequitur Tol. *lib.* 2. *cap.* 3.

3 QVAEST. *Liceine tunc, eas omnes tres celebrare noſtis?* RESP. Iuxta communem opinionem minime. Sed prima dici poteſt ſtatim poſt mediæ noctis punctum tranſactum, vſque ad auroram. Secunda verò non illucescẽte die, vſque ad meridiem. Tertia poſt dictem ſtatim ſecundam. Ita Palud. *in* 4. *d.* 12. *qu.* 1. *ar.* 4. Ant. 3. *p. tit.* 13. *cap.* 6. §. & Sot. *in* 4. *d.* 13. *qu.* 2. Turr. *ca. ſufficit. de conſec. d.* 1. Durand *in Rationali. libr.* 4. *cap.* 1. Nau. *in man. cap.* 25. *num.* 87. Huic communi placito circa miſſas priuatas ſe oppoſuit Suar. 3. *p. quæſt.* 39. *diſp.* 8. *ſect.* 4. aitque communem opinionem intelligendam eſſe circa miſſas capitulares, ſeu vt ita appellemus maiores Eccleſiarum, tota ratio eius eſt, quia non eſt textus id prohibens, aut contrarium iubens.

4 QVAEST. *Quæro vlterius. Non patitur infirmitas ſacerdotis omnes tres miſſas celebrare, quam ex ijs dicturus eſt?* RESP. Iuxta tempus in quo celebrat. Ait tamen Suar. etiam noctu poſſe dici miſſam diei, ſi id poſtulet deuotio: quia licet præfatio referat hanc ſacratiſſimam diem, vel noctem, à media nocte incipit dies. Ita *loco allegato.*

5 QVAEST. *Admittitne adhuc communis Doctorum ſenſus euentum, ob quem liceat in die pluries celebrare?* RESP. Admittit, nimirum, quando Eccleſia eſt exigua, & populi magna confluit multitudo, cuius pars bona, ſacrum non audiret, ſi ſemel tantum celebraretur. Ita Suar. 3. *p. quæſtion.* 83. *articul.* 2. cum Durand. *libro* 2. *de ritib. Eccleſ. ca.* 7. qui pro ſe refert Leonem Papam *epiſto.* 81. *ad Diſcor.* Oppoſitũ tenuit Roder. *in Sum. cap.* 246. Illius ratio eſt, quia aliter ſubuenire poterit huic neceſſitati ſacerdos, nimirũ celebrando ad oſtiũ ſacelli in altari portatili ſuper aram

aram sacram, vt fieri potest iuxta Nau. & Guter, quos citat. Deinde quia tam exiguum poterit esse sacellum & tanta hominum multitudo, vt licet septies celebretur, & pluries septies, non omnes audiant sacrum.

Quando tenetur sub mortali celebrare. § 8.

1 *In quo euentu tenetur simplex sacerdos celebrare.*
2 *An teneatur ratione præcepti audiendi sacrum.*
3 *An liceat aliquando consecrare extra sacrum.*

1 QVAESTIO. *Estne in aliquo euentu simplex sacerdos obligatus ad faciendum sacrum?* RESP. Maxime, nimirum cum adest festum, & non est alius sacerdos, qui celebret. Sequeretur enim magnum scandalum, nisi id excusaret infirmitas. Ita Roder. *in sum. cap.* 246. *n.* 6.

2 QVAEST. *Maior oritur dubitatio, vtrum ratione præcepti audiendi sacrum teneatur simplex sacerdos facere sacrum, vt ipse satisfaciat huic præcepto?* RESP. Videtur affirmare Roder. *c.* 246. *num.* 6. *cit.* Oppositum tamen sentio verum ex vi præcepti solius, quoniam illo tantum obligamur audire, non facere sacrum, si sit copia, & facultas audiendi.

3 QVAEST. *Licetne aliquando consecrare extra missam?* RESP. Asserit Maior *in* 4. *d.* 9. *q.* 3. *art.* 5. cui fauet Sot. *d.* 12. *qu.* 1. ad communicandum seipsum, cum est morti proximus, vel alium in eodem articulo, neque tempus est faciendi sacrum. Negandum tamen cum Vict. *de Euch. n.* 73. cum Palud. *disp.* 9. probat Nau. *ca.* 2. *num.* 53. Habetur expresse *ca. Comperim. de consec. dist.* 5.

De stipendio pro faciendo sacro. § 9.

1 *An liceat stipendium accipere pro missa.*
2 *Quod est iustum stipendium pro missa.*
3 *An liceat pro vna missa plura accipere stipendia.*
4 *An liceat acceptatas missas differre.*
5 *An liceat missas anticipare.*
6 *De eo, qui transfert missas acceptatas, cum minori stipendio quam accepit.*

7 De

6 *De eo, qui suscipit eleemosynas pro missis dicendis in certa Ecclesia.*

1 QVÆSTIO. *Licetne sacerdotibus stipendium accipere pro faciendo sacro?* RESP. Dupliciter offerri potest sacerdoti pecunia, pro faciendo sacro; primum, vt eleemosyna Deo, illiusque ministro erogata. Atque de hoc nulla suboriri potest dubitatio vel scrupulus in dando, & accipiendo: Secundo, vt temporale stipendium oblatum ministro pro ministrando. Atque in hac consideratione etiam verissima est pars affirmans, quoniam iustũ est, vt qui altari seruit, de altari viuat. Imo certũ est posse ab Episcopis taxari tale congruũ stipendium, præcipereque sub excõmunicationis pœna, ne maius extorqueant. Ita Cord. *li. 1. q. 4. dub. 4.* Aragon. *2. 2. q. 85. ar. 3.* contra Sot. *lib. 9. Iust. q. 3. ar. 1. ad 2.* & Nau. *c. 2. n. 10.* quos etiam improbat Eman. *in sum. c. 249. num. 4.*

2 QVÆST. *Quod erit iustum, & congruum stipendium diurnum sacerdotum, pro faciendo sacro?* RESP. Quo se, & famulum honeste alere possint. Ita Rodericus *cap. 249. sum. num. 4.* Hæc autem honesta alimonia iudicanda est arbitrio prudentis viri pro loci, & temporis varietate. Honeste dixi, non laute, & opipare, sed instar honestorum pauperum. Ita D. Tho. *3. p. q. 19. ar. 5.* & Caiet. *to. 2. Opusc. tract. 83. q. 2.* Sylu. *mis. 1. q. 4.* Armil. & Angel. *verb. mis. 1. 12.* Cano. *de loc. Theol. li. 12. ca. 13. ad finem,* Samarin. *3. p. Thesaur. tit. de virt. & vtilit. mis. f. 43.* quos refert Beia *casu 12.*

3 QVÆST. *Dederunt plures eleemosynas, stipendiave tenuia, quæ non sunt satis ad alendum honestum sacerdotem cum famulo, potestne talis sacerdos pro ijs vnum sacrificium offerre?* RESP. Affirmant Sot. *9. Iust. q. 3. ar. 1. & in 4. d. 13. q. 1.* Hõcal. *Opusc. de val. mis.* Tabien. *6. restitutio. §. vlt.* Cano. *de loc. lib. 18. cap. 13.* Pet. Sot. *de Euch. lect. 7.* contra Nauar. *c. 25. n. 92. & 93.* probat rationibus Beia *casu. 12.*

4 QVAEST. *Quid censes de dilatione missarum, pro quibus iam sacerdos stipendia accepit?* RESP. Qui nimia negligentia missarum sacrificia suæ curæ commissa notabiliter differt, peccat mortaliter. Ita Nau. *capit. 2. de rest. num.*

367.

367. & Rod *in sum. ca.* 249. *num.* 7. Ratio est, quia vel sacrificium offertur pro aliqua necessitate corporali, spiritualiue: vel pro anima in purgatorio detenta: si pro necessitate, transacta oportunitate, & occasione, non consequitur effectus, qui quidem à Deo obtineri desideratur, & quidem obtineretur, si sacrificium offerretur. Si vero pro anima, patitur illa ex tali dilatione graue detrimentum detentionis in pœna, à qua liberaretur, si missa pro illa offerretur. Aduertunt tamen ijdem Doctores posse sacerdotem, qui eleemosynis vitam alit, acceptare plures missas eo in numero, vt habeat ad celebrandum quotidie, aliter carerent missis, & ex consequenti eleemosynis.

5 QVAERT. *Quid censes de anticipatione missarum?* RESP: Dico primum. Qui pro aliqua capella, vel obligatione simili, imo & deuotione alicuius personæ, tenetur certis diebus celebrare, potest illas missas prius dicere, vt ita liber maneat, ad dicendas alias, si noua eleemosyna occurrit. Ita Cord. *lib.* 1. *quæst.* 94. *dub.* 6. & Emanuel *vbi proxime*. Crediderim tamen loquendum esse hac in re cum distinctione. Nam vel illa missa iubetur offerri pro defunctis, vel pro viuis: si pro defunctis, verissima est, quia anticipata solutio semper laudatur, & anima illa eo citius liberabitur à pœna, quo citius pro ea satisfit. Si tamen pro viuis, minimè sane: quia oblatum sacrificium pro viuis, sæpe offertur, vt Deus succurrat præsentibus necessitatibus corporalibus spiritualibusue, quæ quotidie suboriuntur, sæpe etiam offertur pro satisfactione debitæ pœnæ: si vero tota pœna iam sit remissa, satisfactio deinceps pro ea oblata ex vi sacrificiorum, non illi animæ, sed thesauro Ecclesiæ reseruatur; ergo non satis fit intentioni iubentis sacrificare pro viuis statis diebus, per anticipata sacrificia. Dico secundum, pauper sacerdos qui pro hac die non habet eleemosynam pro missa celebranda, potest missam celebrare, & statim illam applicare primo offerenti eleemosynam, quem Deus scit futurum primum. Ita Nauar. quem refert, & sequitur Eman. *in sum. ca.* 249. *num.* 9. cum Aragonio 2. *quæst.* 8. *art.* 3. *pag.* 927. Henriq. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 21. *num* 2. affirmans eiusdem esse opinionis Theologos, & iuris canonici peritos

ritos Salmanticenſes. Ratio eſt, quia futura, Deo ſuæ præſentia, in puncto æternitatis reſpondenti omnibus temporis differentijs indiuiſibiliter ac primus offertur futurus Deo eſt præſens.

6 QVÆST. *Quid cenſes de ſacerdote, qui plures eleemoſynas ſuſcipit pro pluribus faciendis miſſis, & poſtea eaſdem miſſas alij committit, tribuēs minorem eleemoſynam ea, quam accepit tanquam dicturas eas?* RESP. arbitror peccare iuxta quantitatem retentæ pecuniæ. Ita Eman. *in ſum. c. 24. n.* 9. Ratio eſt, quia pecuniam retinet inuito domino ei tortam per fraudem.

7 QVAEST. *Eſt aliquis ſiue laicus, ſiue clericus, qui ex officio accipit eleemoſynas pro faciendis poſtea ſacris per alios ſacerdotes, poteſtne iſte ſibi retinere maiorem partem eleemoſynæ, quam ea ſit, pro qua ipſe curabit, vt ſacrum fiat. Sicuti fieri in domibus 8. Virginū à populo frequentatis?* RESP. Poteſt pro ſuo labore, iuxta conſuetudinem toleratam. Ita Soc. 9. *Iuſt q. 3. ar. 1.* Nau. *cap. 25. nu. 91. §. 24.* Heuriq. *lib. 9. tom. 2. c. 22.* quos affert. Ratio, quoniam tunc ita velle videtur deuoti, qui eleemoſynas relinquunt pro faciendis ſacro ijs abſentibus.

De loco, vbi celebrare licet. §. 10.

1 *Vbi licet celebrare.*
2 *Quando licet celebrare in loco non ſacro.*
3 *In qua Eccleſia prohibetur celebrari.*

1 QVAESTIO. *Vbi licet celebrare?* RESP. Non niſi in loco ſacro, hoc eſt, per Epiſcopum conſecrato, ſiue benedicto. Ita D. Thom. *3. p. q. 83. a. 3.* quem ſequitur Vict. *tit. de Euchar.* referens Gabriel. *in Can. lib. 13. & 14. lib. 2. c. 2.* ita iubetur *c. Nullus. cap. Miſſarum. cap. Hic ergo. de conſec. diſt. 1.* Iubet Conc. Trid. *ſeſſ. 22. in præcepto de obſeruantia*, aitque Nauar. *c. 23. nu. 81.* peccare mortaliter ſacerdotem, qui celebrat extra locum ſacrum, ſi ſciens, & prudens faciat contra textum *dicti cap. Miſſarum.*

2 QVÆST. *Daturne aliquis euentus, in quo liceat celebrare in loco non ſacro, ſeu benedicto?* RESP. Datur, nimirum ſi fiat ſupplicatio magna hominum multitudine confluente ad exiguum erimitorium, vel in exiguo erimitorio celebra-

lebraretur, eodem confluente multitudine missa noua, aliudve festum; tunc enim ad ostium eremitorij super aram sacram portatilem, liceret fieri sacrum, etiam absque licentia Episcopi. Ita Redor. *supra citatus* in hac materia, & Nau *cap. 25. num 82. per cap. Concedimus d. 1. consecr.* cui iuxta illius sententiam non est derogatum per Conc. Trid. *sess. 22.* adeo prohibens celebrationem extra locum sacrum, vt iuxta ipsius Nauarri sententiam, *cap. 25 nu. 81.* non possit Episcopus ad eam cõcedere potestatem. Verba autem Concilij sunt hæc. *Hoc sanctum sacrificium extra Ecclesiam, ad diuinum cultum dedicata oratoria à secularibus aut regularibus quibuscumq; non peragatur.* Addit Toletus *libro 2. capit. 2.* Esset necessitas, si occurreret præceptum audiendi Missam dum fit iter. probat Can. *Concedimus de consecr. d. 1.* Item necessitas communicandi aliquem in mortis articulo. Quod intelligit, si adsint reliqua ad sacrificium necessaria.

3 QVAEST. *In quâ Ecclesia, locove sacro, seu benedicto prohibetur quis celebrare sub graui peccato?* RESP. In interdicta, & fit irregularis, qui in ea celebrat. Et in polluta sanguine, vel semine, non tamen celebrans fit irregularis. Ita Nau. *c. 25. nu. 81. ex cap Is qui. & §. 1. de sent. excom. in 6.* Tolet. *lib. 2. c. 2.* Sot. & Palud. *in 4. d. 13. q. 2.* nisi de licentia Episcopi, quia tunc posset. Ita D. Thom. *3. p. quæst. 83. art. 3.* quem refert, & sequitur Toletus.

De Altari. § II.

1 *An liceat celebrare sine altari.*
2 *Quotuplex est altare.*
3 *Ex qua materia debet esse altare.*
4 *An oporteat altare esse consecratum.*
5 *Quæ reuerentia exhibenda altari.*
6 *Qualis esse debet ara altaris.*
7 *De ornamentis altaris.*
8 *De materia linteorum altaris.*
9 *An duo prima lintea per Episcopum consecranda sint.*
10 *An idem dicendum de corporalibus.*

11 *Quale*

11 *Quale sit peccatum sine his linteis celebrare.*

12 *Quatenus maneant corporalia benedicta.*

13 *An sufficiat lapis aræ, qui totum non capit calicem.*

14 *Quod peccatum committat, qui cum sordidis celebrat linteis.*

1 QVÆSTIO *Quoniam ad locum pertinet altare, priusquam te rogaui de loco vbi celebrandum sit, rogabo te inceps de altari. Rogo igitur. Esne peccatum mortale celebrare absque altari?* RESP. Est. *cap. Altaria de consec. d.* Ita Nauar. *in sum. capit.* 21. itur enim contra præceptum graue.

2 QVAEST. *Quotuplex est altare?* RESP. Duplex, fixum, scilicet, & portatile.

3 QVÆST. *Ex qua materia debet esse altare fixum?* RESP. Ex lapide, non ex ligno, aut ferro, aut alio quouis metallo. *cap. Altaria de consec. d.* 1. Vbi Gratianus addit. Concil. Hiponense idem determinans. Altare vero portatile potest esse ex ligno. Ita vsus obtinuit Ecclesiæ.

4 QVAEST. *Requirituine, vt altare sit consecratum per Episcopum?* RESP. Requiritur. Sed & priuilegio sanctum vt tabula lapidea (aræ lapidem vocant) rita per Episcopum consecrata superponatur altari, & super eam fiat sacrificium. Ita *c. Quoniam de priuilegio. lib. 6.*

5 QVÆST. *Quæ reuerentia exhibenda altari?* RESP. Magna. Olim altaria omnia ferreis cratibus, ne aditus pateret, custodiebantur. Ita legitur in Conc. Chalc. act. 11. Conc. Turon. *can.* 3. *& c.* 1. *de vita, & honest. cler.* Irreuerentiam circa altaria, vindicauit Deus olim acerbissimis pœnis & morte, vt narrat Niceph. *l.* 10. *c.* 29. & Theod. *l.* 3. *hist. c.* 11. *&* 12. Constatque ex alijs historijs Deum ad altaris cuiusque custodiam Angelum designare, vt irreuerentes puniat. Ita refert Pratrum spirit *c.* 4. *&* 10.

6 QVAEST. *Qualis esse debet ara altaris?* RESP. lapidea *Can. Altaria de consec. d.* 1. Integra. *capitul.* 1. *& 3. de consec. Eccles.* Consecrata, si vero non esset consecrata, non posset Episcopus dispensare, vt in ea celebraretur, posset Summus Pontifex. Ita Tolet. *libr.* 2. *capit.* 2.

7 QVÆST.

7 QVÆST. *Quibus ornamentis oportet, vt altare sit præparatum ad faciendum sacrum?* RESP. In primis oportet, vt superior pars tobalia, ita vocant, per totum tegatur. Deinde, vt super aram lapideam consecratam, extendatur linteum (Nostrates vocant guarda) aut saltem, vt dupliciter eadem tobalia. Ita *capit. Altaris palla. de consecr. d.* 1. Sylu. *mis.* 1. *q.* 1. Palud. & Innoc. & direct. curatorum. Deinde requiritur aliud linteum super illa duo, vocant corporale, quia immediate tangit, & suscipit Christi corpus sub speciebus sacris contentum. *capit. Consulto. de consecr. d.* 1.

8 QVÆST. *Ex qua materia debent esse hæc linteæ?* RESP. Ex solo lino, vt nomen sonat, corporale saltem, non ex serico, vel byssо Indico nostrates vocant *Algodam*, quia non linum, sed lanugo arborum est, seu vt verius loquar, non ex lino, sed ex arborum lanugine nectitur. Possunt tamen ad oras texi auro serico ornarique lapillis pretiosis. Ita Concil. Remense. Notat Tolet. *li.* 2. *c.* 2.

9 QVÆST. *Oportetne, vt duo prima lintea, tobalia scilicet, & aliud, quod nostrates vocant, Guarda, sint consecrata per Episcopum?* RESP. Minime. Ita omnes Doctores.

10 *Estne idem dicendum de corporalibus?* RESP. Minime quidem. Potest tamen illorum consecratio committi presbyteris, & de facto commissa est prælatis Religionum mendicantium.

11 QVÆST. *Quale peccatum est facere sacrum sine hiis linteis?* RESP. Sine tobalia, & corporalibus esset mortale: cum tobalia, & corporalibus sine secundo linteo, esse veniale. Ita Emanuel *in sum. c.* 246. *n.* 17. cum D. Thom. 3. *p. qu.* 83. *art.* 3. *ad* 8. & Suar. *ibid. disp.* 81. *sect.* 6. Tolet. *li.* 2. *c.* 2.

12 QVÆST. *Quatenus manent corporalia benedicta?* RESP. Quatenus possunt recipere calicem, & patenam cum hostia, licet aliis in partibus sint disrupta. Ita Sylu. *corporal. q.* 2.

13 QVÆST. *Lapis ara non est tantus, vt totum capiat calicem, & patenam cum hostia superposita, sed solum maiorem calicis partem, & paternæ, est ne aptus, vt in eo fiat consecratio?* RESP. Satis. Ita Palud. *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *ar.* 4. Sot. *artic.* 3. *eadem dist.* Alens. 4 *p.* 4. *q.* 38. *memb.* 3. *alias memb.* 5. *q.* 10.

§.q.10.ar.2.Sylu.altare.Nau.ca.45.nu.83. quos refert Herman.cap.246.sum.nu.15.

14 QVAEST. *Quale peccatum esset celebrare cum his vestibus notabiliter sordidis?* RESP. Mortale. Ita Palud.in 4.dist. q.2.ar.6.concl.6. Caietan.verb.miss. & ibi Sylu.1.q.2. Tolet. lib.2.cap.2.

De calice, patena, & candela. §. 12.

1 *Ex quâ materia debeat esse calix.*
2 *Quæ fuit materia calicis, in quo Christus Dominus consecrauit.*
3 *Quid significent calix, & patena.*
4 *An requiratur, vt calix sit consecratus, & patena.*
5 *Quamdiu maneant calix, & patena consecrata.*
6 *An amittant consecrationem calix, & patena quando post consecrationem inaurantur.*
7 *Quid dicendum de calice inaurato, cuius aurum absumptum est.*
8 *Quid dicis de calice tornatili, cuius partes artificio opere separantur.*
9 *An debeat esse consecrata, vel benedicta pyxis, in qua Christi corpus seruatur.*
10 *Ex qua materia debeat esse pala.*
11 *An requiratur candela accensa ad celebrandum.*
12 *Ex qua materia debeat esse candela.*
13 *Quot candelæ sint necessariæ.*
14 *Quod peccatum sit, celebrare sine missali.*
15 *An teneatur sacerdos celebrans cum Diacono, & subdiacono secreto Epistolam, & Euangelium recitare.*

1 QVÆSTIO. *Quoniam ad ornamentum altaris pertinet calix, patena & candela, de ijs statim te rogabo. Ex qua igitur materia debet esse calix?* RESP. Calix olim

olim propter Ecclesiæ inopiam erat ligneus. Postea Zepherinus Papa decreuit, vt esset vitreus, rexit autem Ecclesiam ducentesimo anno, post Christi passionem. Paulo post sanxit Vrbanus Papa, vt calix, & patena essent argentea; teste venerabili Beda *cap. 2. de loc. sanct.* Postea vero in Conciliis decretum est, vt calix sit, vel aureus, vel argenteus, vel saltem stanneus. *cap. calix. de consecr. d. 1.* Non vero ex alia materia. *cap. Vasa capit. Calix. eadem dist.* Quod decretum intelligendum est de culpa calicis, non vero de pede, iuxta omnes. Qui tamen Sacerdos modo in calice ligneo celebraret, deponitur ab officio, & beneficio. *c. vlt. de celeb. Miss.*

2 QVAEST. *Ex qua materia erat calix, in quo Christus Dominus consecrauit?* RESP. Ex argento. Ita vener. Beda. *c. 2. de loc. sanct.*

3 QVAEST. *Quid significat calix, & patena?* RESP. Calix Christi Domini Sepulchrum. Patena lapidem magnum, quo signato monumentum clausum est; de cuius magnitudine conquerebantur sanctæ mulieres cum vellent Magistri cadauer vnguentis condire, dicendo: quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Ita Tolet. *li. 2. c. 2.*

4 QVAEST. *Requiriturne, vt calix sit consecratus, & patena?* RESP. Requiritur. Et solus Episcopus potest calicem, & patenam consecrare, *cap. vnico. de sacra vnctione. §. vlt.* Notantque Sylu. & alii Summistæ. *ver. Calix.* Potest tamen hæc benedictio committi Presbiteris, vt notat Roderic. *c. 246. n. 21.*

5 QVAEST. *Quamdiu manent calix, & patena consecrata?* RESP. Quamdiu seruant integram formam, & ideo fractus calix, iterum est consecrandus. Ita Palud. *in 4. d. 13. q. 2. art. 5.* Con. 2. *Sylu Calix.*

6 QVAEST. *Non erant calix, & patena aurata, sed post consecrationem inaurantur: Aut si erant inaurata, iterum inaurantur, amittuntne consecrationem?* RESP Amittunt, & ideo oportet, vt iterum consecrentur, ita omnes cum Roderic. *loco proxime citato.*

7 QVAEST. *Consecratus est calix inauratus, sed decursu temporis absumptum est aurum, manetne consecratus?* RESP. Manet. Ita Rod. *proxime.*

8 QVAEST. *Est calix tornatilis, cuius partes artificiū opere separantur inuicem, manetne consecratus, si partes inuicem separantur?* RESP. Manet. Ita Eman. *loco proxime.*

9 QVAEST. *Oportetne vt pyxis, in qua Christi corpus seruatur in sacrario, sit consecrata, vel benedicta?* RESP. Quod non oporteat esse consecratam, tenent omnes Doctores. Nec etiam benedictam, tenet Palud. *in 4 d.13. quæst. art.4.* Sylu. *Euch. 3.qu.4.* Oppositum tamen dicendum cum Soto in *4.d.13.q.1.ar.3.* circa benedictionem.

10 QVAEST. *Ex qua materia debet esse palla?* RESP. Ex lino, iuxta Suarij sententiam. *3.p.qu.83.artic.3.disp.81.sect.6.* Ratio eius est, quia olim tegebatur calix parte corporalis, palla vero successit loco corporalis: corporale autem oportet esse lineum; ergo & palla. facitque probabilem opinionem Innocent. *li.2.de mis.c.56.* Oppositū docent Doct. in *4.d.13.q.2.art.3.* & iam obtinuit Ecclesię vsus, qui petitur has pallas ex auro, serico, rate, quem quidem merito non audet refellere Roder. *in sum.c.24.n.18.*

11 QVAEST. *Requiritur candela accensa ad celebrandum sacrum?* RESP. Requiritur *capitul. Finali, de celebrat. miss.* Et peccatum mortale, celebrare absque ea. Ita Naua. *in sum. capit.25.* quia itur contra graue præceptum.

12 QVAEST. *Ex qua materia debet esse candela?* RESP. Et cera, iuxta Ecclesiæ morem, peccaretque mortaliter, qui cum candela ex seuo, aut adipe facta, etiam data quam necessitate, celebraret, quidquid dicat Tolet *l.2.c.2.* Latis tamen esset, vrgente tali necessitate lumen forum oleo oliuarum. Ita Suar. *3.p.q.38.ar.3.disp.81.sect.9.*

13 QVAEST. *Quot candelæ sunt necessariæ?* RESP. Vna sit. Ita Grasius *c.42.n.1.*

14 QVÆST. *Quod peccatum esset facere sacrum absque missali?* RESP. Si esset periculum obliuiscendi, mortale, eo tamen amoto & sine scandalo astantium, veniale. Ita Nau. *c.25.n.84.* & 85. & Suar. *proxime* cum communi.

35 *Teneturne sacerdos cantans missam cum diacono, & subdiacono secreto recitare epistolam, & Euangelium?* RESP. Negat Nau. *de orat. miscel.27.* quia non est textus id præcipiens: & ex opposito tenetur sacerdos etiam recitare passionem feria quarta maioris hebdomadæ. Oppositum tamen docent Missalis rubricæ, & seruant, qui rubri-

briçarum studio, intellectuique incumbunt, quibus quidem potius in hac re credendum, quam Nauarro.

De vestibus, quibus indutus sacerdos, accedere debet ad altare. §. 13.

1 *Quæ sunt vestes sacræ celebrantis.*
2 *Quod est peccatum facere sacrum, sine aliqua sacrarum vestium.*
3 *Qua censura innodatur sacerdos in Diœcesi Bracharensi celebrans absque vestibus sacris.*
4 *Quod peccatum est non recitare orationes appositas, in Missali pro induendis vestibus.*
5 *De celebrante cum immundis vestibus.*

1 QVAESTIO. *Quibus vestibus induendus est sacerdos sacrificaturus?* RESP. Amicto, alba, cingulo, & casula. Oportet autem, vt huiusmodi vestes, sint benedictæ per Episcopum, aut alium ad id pollentem iurisdictione. Ita Scrut. *tract. 2. tit. de sacrificio Miss.* Tolet. *li. 2 c. 1.*

2 QVAEST. *Quod peccatum est facere sacrum sine aliqua harum vestium?* RESP. Mortale. Ita Nauarr. *c. 25. n.* 84. cũ D. Anton. *3. p. tit. 13. c. 6.* Direct. *li 1. tit. 7. §. 55.* Tolet. *lib. 2. c. 2.* adeo, vt deficiente harum aliqua vestium, deobligemur à dicendo, & audiendo sacro, etiam in diebus festis. Ita Direct. *loco citato* Addit Caiet. *1. 2. q. 96. art.* 4. etiamsi naturaliter possit quis mortem vitare, quam faciendo sacrum sine tali veste. Dura tamen est sententia, vt bene aduertit Nau. citatus, nisi mors obijciatur in contemptũ Ecclesiæ. Potest tamen in necessitate sacerdos vti manipulo pro stola, & stola pro cingulo. Ita Palud. *in q. 4. d. 13 q. 2.* Cingulum etiam non benedictum satis est. Ita Richard. *in 4. d. 13. q. 4. art. 3.* Scot. *ibid. q. 2.*

3 QVAEST. *Qua censura innodantur Sacerdotes, qui in Bracharensi Archiepiscopatu celebrãt absque sacris vestibus?* RESP. Maioris excommunicationis. Ita Concil. Brachar. tertium. *Can. 3.*

4 QVÆST. *Quod peccatum committit Sacerdos, qui dum [illegible] induit, non recitat orationes ab Ecclesia signatas pro singulis [illegible] namentis?* RESP. Si omittit ex contemptu, mortale: [illegible] negligentia sola, veniale. Ita Henriq. *li. 9. de miss. c. 24.* [illegible] Rod. *in sum. c. 246. n. 12.* & sic intelligendus Nau. *lib. [illegible] consil. tit. de celebrat. Miss. consil. 2.* absolute loquens de mo[illegible] tali.

5 QVÆST. *Quod peccatum est celebrare cum immundi[illegible] stibus notabiliter?* RESP. Mortale. Ita Tolet. *li. 2. c. 2. Rat[illegible]* est, quia magna irreuerentia fit sacramento mun[illegible] mo.

De hora, in qua licet incipere, & finire Missam. §. 14.

1 *Qua parte diei licet celebrare.*
2 *Quale est peccatum celebrare extra tempus.*
3 *Quæ hora intelligenda est pro aurora.*

1 QVÆSTIO. *Qua parte diei licet missam celebrare?* RESP. Ab aurora vsque ad meridiem inclusiue. Ita omnes Doctores & Victor *in sum. tit. de Eucha[illegible] har. numer. 97.* Non ante auroram. Ita D. Thom. *in 4. d. 13. q. 1. ar. 2.* vbi omnes Doctores. Gabr. *lect. 14. in can.* Anton. *p. tit. 13. cap. 6. §. 4.* Impendet meridies, possum quidem accipere missam, quam finiturus sum post meridiem. Ita Gabr. *lect. 14. in can.* Maior. *in 4. d. 13. qu. 4. ibid.* Sot. *[illegible] ar. 2. & lib 10. iust. q. 5 ar. 4.* Durand. *de redditibus Eccl[illegible] 7.* Et ideo meridies inclusiue intelligendus est quo ad inceptionem, non autem quo ad finitionem. Hæc communis opinio. Ioannes tamen Andreas *ca. 1. de celeb. mis[illegible] sar.* posse affirmat incipi missam, non multo post [illegible] factam meridiem. Nauarrus vero *in sum. cap. 15.* affirmat [illegible] semoto scandalo posse missam celebrari à meridie vsque ad horam tertiam, quod spatium olim appellabatur hora nona. Ratio eius est, quia non est textus id prohibens. [illegible] deinde, quia missa, est quædam Christi passionis repræsentatio, & propriissime repræsentatur in illo spatio, [illegible] quo Christus Dominus pependit in cruce. Eandem opinionem sequitur Viuald. *de Euchar. tit. de sacerd. nu. 98.* Hęc tamen opinio nequaquam admittẽda: quippe quæ [illegible]

grauiter prohibetur in Conc. Apostol. Pij V. *const. 1. quæ incipit sanctissimus in Christo, Pater.* &c. Quæ quidem constitutio directe prohibet antiquum vsum, & frequentiam ita præsumentium celebrare, non tamen tollit euentus fortuitos, in quibus adhuc iuxta Nauar. opinionem licet per id spatium celebrare, vt notat Emanuel *loco citato*. & Viuald. *de Euchar. tit. de præpar. nnmero* 50. Ex hac generali regula excipitur Episcopus, qui potest noctu celebrare, iuxta Palud. *in* 4. *d.* 13. *q.* 2. *concl.* 2. *art.* 2. post Gloss. *c fin. de priuil. lib.* 6. quos sequitur Nauar. *citatus*. Et is, qui de licentia Episcopi, vrgente necessitate, pro, scilicet, communicando infirmo nocte celebrat. Ita D. Anton. 3. *p. tit.* 13. *c.* 6. §. 4. Et per epicheam, absente Episcopo, etiã absque tali licentia oblata tali necessitate, vt aduertit Nauar. *citato loco. arg. c. Quod non est de reg. iur.*

2 QVAEST. *Quod peccatum committit, qui celebrat extra hoc tempus?* RESP. Mortale. Ita Nauar. *cap.* 25. & omnes Summistæ cum D. Thom. *in* 4. *d.* 13. *quæst.* 1. *art.* 2. Gabriel. *lect.* 14. *in can.* D. Anton. 3. *p. titul.* 13. *cap.* 6. §. 4.

3 QVÆST. *Quæ hora intelligenda est pro aurora?* RESP. Spacium horæ, & dimidiæ horæ ante radios solares manifestos. Ita Suar. 3. *p. disp.* 80. *sect.* 4. Palud. vero *in* 4. *d.* 13. *quæst.* . & Vict. *in sum. num.* 97. addunt vlterius posse missam incipi eo spacio, ante vt finiatur hora, & dimidia incipente ante solis radios manifestos. Hinc colligit Eman. *in sum. cap.* 247. *numer.* 1. posse missam incipi duabus horis, ante solis radios apertos, quia ad faciendum sacrum, requiritur dimidia hora.

Quo pacto subueniendum defectibus, qui in missa accidere possunt. §. 15.

1 *Quid faciendum in defectu vini.*
2 *In defectu panis.*
3 *In defectu formæ.*
4 *In venenosis speciebus.*
5 *In effusione sanguinis.*
6 *In deliquio sacerdotis.*

7 *Cum in tali deliquio, non inueniatur sacerdos ieiunus.*

8 *Cum non inuenitur omnino sacerdos.*

9 *Cum cecidit araneus in calicem.*

10 *Cum apparet per miraculum caro, seu puer.*

11 *An liceat omittere inceptum sacrum.*

12 *Cum superuenerit excommunicatus.*

1 QVAESTIO. *Sunt plures euentus, qui in Missa accidere possunt: ideo oportet, vt remedia præsto sint, ad ea subueniendum, dic igitur: Qui inuenit vinum cum inuenitur, esse corruptum, vel esse aquam, quid est facturus?* Resp. Accedat ad cornu altaris, & tanquam ablutionem sumpturus, accipiat verum vinum, & nemine conscio, accipiat verba consecratoria ab illo loco. Simili modo postquam, &c. Et proferat verba reliqua consecrationis omnia, nec est necesse vt consecret nouam hostiam. Ita Scot. *in 4. d. 8.* Nau. *c. 25. nu. 91.* Suarius *3. p. disp. 85.* Tolet. *libr. 2. cap. 9.*

2 QVAST. *Inuenta est hostia corrupta, aut hordeacea?* Resp. Accipienda alia, & aliud nouum vinum, & ambo consecranda denuo, sumendaque & simul species vini consecratæ: Ita Suarius *loco citato.* Verumtamen, si ex nouo vini consecratione sequeretur populi scandalum, dicens sacerdotem parum aduerrisse sacrificio, satis est, si non consecret hostiam. Ita Palud. *in 4. d. 11. q. 1. art. 2.* Angel. *missa. num. 17* quos sequitur Eman. *c. 248. n. 1.* ex parte rationis superioris dubitationis.

3 QVÆST. *Ex probabilibus coniecturis inuenit Sacerdos non protulisse verba consecratoria, vel ita mutasse eorum ordinem, vt mutata sit forma?* Resp. Proferat verba consecratoria super eandem hostiam, & idem vinum, nemine intelligente. Ita Suar. & Eman. *loco citato.*

4 QVAEST. *Inuenit quis in speciebus consecratis aliquod venenum, quid facturus est?* Resp. Eas species minime est sumpturus, sed hostia reponenda in sacrario, quo ad corrumpatur: species vero vini linteo, vel stupa, exsiccandæ, & postea hostia corrupta, & stupa, seu

seu linteum comburenda, cineresque mittendi sunt in piscinam. Aliud vero vinum, & alia hostia consecranda, vt sacrificium perficiatur. Ita communis Doctorum opinio, quam refert Rod. *cap.* 248. *num.* 3.

5 QVAEST. *Cecidit pars vini consecrati, quid facturus est sacerdos?* RESP. Circa hunc euentum est declaratio *cap. Si per negligentiam, de consec. d.* 2. his verbis. *Si aliquid de sanguine Domini stillauerit in terram, lingua lambatur, & tabula radetur: si non fuerit tabula, vt non conculcetur locus, corradetur, & igne consumetur, & cinis intra altare recondetur: si super altare stillauerit calix, sorbeat minister stillam: si super linteum, sorbeat minister, & tribus vicibus abluat calice supposito, & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recondatur.* Non quidem recitaui omnia verba textus; sed quæ modo seruanda sunt in praxi; nam pœnitentiæ appositæ dissuetudine antiquatæ sunt. Hinc merito infert Nauar. *cap.* 25. non esse corporalia, super quæ ceciderit sanguis cremanda, sed tantummodo abluenda. Quod idem dicendum est, de tapete, vel alio pretioso peristromate, super quod ceciderit hostia; satis est. n. vt locus, quem tetigit sacra hostia, aqua abluatur, & aqua ablutionis mittatur in piscinam.

6 QVÆST. *Accidit sacerdoti sacrificanti deliquium, vel quid simile impedimentum, ita vt nequeat sacrificium absoluere; quid faciendum?* RESP. Vel illud impedimentum accidit ante, vel post consecrationem. Dico primum. Si post consecrationem, absoluat alius sacerdos. Ita habetur 7. *qu.* 1. *can. nihil.* ex Conc. Tole.

7 QVÆST. *Non est alius sacerdos ieiunus. sed omnes cibo refecti?* RESP. Absoluat non ieiunus. Ita Sot. *in* 4. *d.* 13, *qua.* 2. *art.* 6. contra Sylu. *Euchar.* 2. §. 12. quia, vt rectè aduertit Toletus *lib.* 2. *cap.* 9. minus est præceptum de non omittendo sacrum imperfectum, vbi autem est maius, cessat minus.

8 QVAEST. *Non inuenitur alius sacerdos, nec ieiunus, nec non ieiunus?* RESP. Reponendum est sacramentum in sacrario, vt altera die sumatur à sacerdote. Ita omnes.

9 QVÆST. *Cecidit animal in calicem consecratum hausta, difficile?* RESP. Extrahatur, & abluatur, ablutioque vel sumatur, vel exsiccetur stupa, & stupa comburatur, &

cineres mittantur in piscinam. Ita omnes.

10 QVÆST. *Accidit miraculum in hostia, ita vt appareat caro, vel puer, vt sæpe accidisse constat ex certissimis scriptis, quid faciendum?* RESP. Reponenda est hostia in sacrario, & de miraculo certior faciendus Episcopus: nec ea noua consecranda. Ita communiter Doctores cum D. Thom. 3. *p. quæst.* 82. *art.* 4. Ratio est manifesta, quia sacrificium rectissimè peractum est.

11 QVÆST. *Licetne facili de causa relinquere incœptum sacrum?* RESP. Minime. Ita prohibetur *ca. Nulla consec. d.* 1. & ideo grauiter, & mortaliter peccat; nonnumquam aliqua innodatur censura, vt adnotarunt Nauar. *miscel. de orat.* 142. Eman. cum Salzedo *in prac. crim. cap.* 45. *pag.* 116. Dixi facili de causa, quia propter grauem, & vrgentem necessitatem id licet, iuxta eosdem Doctores.

12 QVÆST. *Ingressus est Ecclesiam excommunicatus, declaratus, nominatim denunciatus. Quid faciendum sacerdoti celebranti?* RESP. Si sacerdos nondum Canonem inchoauit, omittat sacrum, amoueatque se ab altari, si iam Canonem incepit, pergat vlterius, & sacrum perficiat vsque ad sumptionem corporis, & sanguinis Christi. Ita Emanuel *in sum. cap.* 246. *num.* 8.

Qua reuerentia accedendum ad audiendum sacrum. §. 16.

1 QVÆSTIO. *Qua reuerentia adesse debemus sacrificio?* Magna, Ita æquitas postulat, cum enim filij Israël Deum misertum fuisse eorum, & misisse Moysen ad eos ab Ægyptia oppressione liberandos adorarunt proni. *Exod* 4. Verba autem textus sunt hæc. *Audierunt quod visitasset Dominus filios Israël, & quod respexisset afflictionem, & adorauerunt proni.* Qua igitur maiori ratione tenemur sacrum audire proni, cernui, & deuoti: nil enim est aliud Euangelium, quam bonum nuncium, quod æternus Pater nostri misertus misit per filium suum, nos à peccati seruitute vindicaturum. Rem miram hac de re narrat Abulen. *in introduct. in Matth. qu.* 18. Irreuerenter se quis gerebat in sacro, neque genu, cum illa proferentur sacrosancta verba: *Et Verbum caro factum est*, flectebat, accessit semel Dæmon in procera hominis simulata forma

forma, & alapam misero grauissimam impegit, dicens: Electe improperans genu miser homuncio. Si enim, vt Ioannes dixit, *Verbum caro factum est*, diceret, Verbum dæmon factum est, nunquam nos a terra dæmones leuaremus.

Additio ad §. 1. §. 17.

1 *Cur sacrificium altaris appelletur Missa.*

1 QVÆSTIO. *Cur hoc sacrificium appellatur missa?* RESP. Aliqui deductum arbitrantur nomen à verbo mitto, quoniam in hoc sacrificio fit Christi Domini oblatio Deo Patri, mittiturq; ministerio Angelorum in cœlum. Ita habetur *cap. Quid si sanguis. de consec.* adnotauitq; Scrutin. *de miss. sacrifi.* Est tamen missa nomen hebraicum, *missach* quod idem est atq; oblatio, seu sacrificium: nam vbi legimus. *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum*, hebraica radix habet *missach*, & D. Hieronymus vertit, oblatio manuum mearum, vt adnotauit Tolet *in sum. lib. 2. ca. 4.* rectéque definit missam: *Est oblatio corporis, & sanguinis Domini sub speciebus panis, & vini facta sacrificij à Christo semel exhibiti expressiua.*

Additio ad §. 8. §. 18.

1 *An excommunicatus toleratus fiat irregularis celebrando.*

1 QVÆSTIO. *Licetne excommunicato non vitando circa censuram irregularitatis aliquando celebrare?* RESP. Si non adsit alius sacerdos, nisi excommunicatus non euitandus, & nullum scandalum scientium excommunicationem, & dispensationem noui iuris per *Extrau. Ad euitanda*, vrgeatq; dies festus, vel alia necessitas, possunt alij talem sacerdotem inuitare ad celebrandum, neq; ipse celebrans peccabit, aut incurret irregularitatem. Ita Suar. *disput. 11. de excommun. sect. 4. num* 13. probatq; verbis. *Extrauag. Ad euitanda.* Possunt cõmunicare (quibuscunq; diuinis) quæ huiusmodi facultatẽ concedunt fidelibus respectu excõmunicatorum, non euitandorum. Ita dicendum de sacerdote excõmunicato occulto, qui nisi celebret, sequetur scandalum, vel infamia illius apud eos, qui nesciunt causam, & vident illũ abstinere à celebratione

bratione missæ. Neque in eo euentu ipse se detegere teneretur, sed potest absque peccato, & censura celebrare ad illa incommoda fugienda. Ita idem Doctor.

CAPVT VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Quoniam huiusmodi Pœnitentiæ sacramentum pœnitentibus & confessariis est frequentissimum, illiusque notitia maxime perneccssaria, impensius laborandum duximus, vt ea quæ ab Auctoribus de eo tradita, clariori methodo, quam hactenus ab eisdem obseruari intelleximus, à nobis in commune commodum inculcetur. Igitur prius *sacramenti definitionem, institutionem, & necessitatem:* deinde *materiam:* tertio *formam:* quarto *ministrum, & si quæ aliæ occurrerint, præsertim de effectu, quæstiones in disceptationes afferemus.*

De Pœnitentiæ Sacramenti definitione, institutione, ac necessitate. §. 1.

1 *Quo pacto definitur.*
2 *A quo fuit institutum,*
3 *An sit ad salutem necessarium.*

1 QVAESTIO. *Quo pacto definiri potest pœnitentiæ sacramentum?* RESP. Pœnitentia est sacramentum, in quo sacerdos sibi subditum, & confitentem legitime sua peccata cum iusto dolore, & proposito satisfaciendi ab eisdem peccatis absoluit. Ita Nau. *cap. 22. num.* 1. Sotus verò *in 4. d. 14. qu. 1 art. 2.* ita illud definit: Pœnitentiæ sacramentum, est sacramentum remissionis peccatorum, quæ post baptismum cõmittuntur. Clarius ita definiri potest. *Pœnitentia est absolutio pœnitentis, facta à sacerdote iurisdictionem habente, sub certa verborum forma, cum debita intentione prolata ex institutione diuina significatiua, & effectiua absolutionis animæ à peccatis.*

2 QVAEST. *A quo fuit institutum?* RESP. A Christo seruatore. Ita Conc. Trid. *sessione 7. can. 1.* & *sessione 14. ca. 1.* Probat Sot. *in 4. d. 14. quæst. 1. artic. 1.* Illud verò Christus Dominus instituit, quando post resurrectionem in Discipulos insufflando dixit: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Ioann. 20. Matth. 16. 18.* Ita habetur *capit. Vt constitueretur. 50. d.* declarauit Conc. Trident. *sess. 14. ca 1. & can. 8.* Probat Vict. *de pœn. num. 104.* Sot. *in 4. dist. 8. quæst. 1. art. 1.* Catech. Roman. *pagin. 294.* Finis autem huius institutionis fuit, vt per hoc sacramentum peccator, qui per culpam à Deo recesserat, per gratiam in priſtinam amicitiam rediret. Ita D. Ambros. *lib. de pœn.* Canis. *de doct. Christ tit. de pœn. cap 2.*

3 QVAEST. *Est ne hoc sacramentum ad salutem necessarium?* RESP. Dupliciter potest hoc sacramentum esse necessarium: nimirum, vel susceptum realiter, vel susceptum intentionaliter, vt ita dicam: Theologi dicunt susceptum in re, vel in voto. Dico igitur *primum.* Peccatori lapso in culpam lethalem ita hoc sacramentum est necessariũ in re, data copia confessarij idonei, vt quãuis iam per veram contritionem talis peccator redierit in gratiam Dei, illam iterum ex culpa non confitendi peccata, amittat, & ex consequenti damnetur. Iustificatio verò per actum contritionis consecuta etiam datur, quia talis contritio includit votum, hoc est, voluntatem confitendi data copia idonei confessarij. Hæc est Catholica veritas suppoſita institutione huiusmodi sacramenti. Ita Doctores *in 4. dist. 14. & 17.* D. Thom. *3. p. quæst. 89. art. 2.* Oritur verò hæc necessitas non ex solo præcepto confitendi ecclesiastico, vt falso crediderunt Hugo Victorin. *lib. 2. de sacram. part. 14. cap. 1.* Alensis. *4. p. quæst. 79. memb. 3. art. 2.* Bonauent. *in 4. dist. 17. p. 2. art. 1. quæst. 3.* & probabile existimauit Scot. *ibid. quæst. 1.* Sed ex vi ipsius institutionis à Christo Domino factæ. Ita decernitur in Conc. Constantiens. & Florent. & Trident. *sessione 14. can. 6.* Traditur à Sixto IV. *in Extrauagan. contra Petrum de Osna.* quam refert Castro *verb. confessio.* Ratio est, quia Christus Dominus constituit in Ecclesia hoc vnicum tribunal. *Ioann. 20.* cum dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,*

tur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Docetur hæ veritas ab Augustin. *lib.* 50. *homil in hom.* 49. refertur *capit. Agite pœnitentiam de pœna. di.* 1. Dico *secundum.* Cum deest copia confessarij, satis est ad gratiam comparandam, & venia peccati obtinendam pœnitere de peccato commisso propter Deum offensum, cum intentione confitendi tale peccatum data opportunitate confessarij. Ita Theologi *in* 4. *d.* 14. *&* 17. D. Thom. 3. *p. quæst.* 89. *artic.* Leo Papa *epist.* 1. *cap.* 3. sumitur ex Conc. *Cauil.* 2. *ca.* Decernitur in Conc. Tri. *sessi.* 14. *ca.* 4. vbi ait, contritionem perfectam informari charitate ante confessionem re ipsa factam. Dico *tertium.* Cum per hoc sacramentum in voto tantum susceptum, remittitur culpa peccatori habenti verum contritionis actum, non est necesse, vt tale votum sit explicitum, sicuti falso arbitrati sunt aliqui cum Caiet. *Relect. de pœnitentia,* sed satis est votum implicitum, hoc est, inclusum in generali proposito seruandi omnia præcepta. Ita sumitur ex D. Thom. *in* 4. *d.* 17 *quæst.* 3. *artic.* 3. *quæst.* 1. Richard. & alijs *ibidem.* Maiore, & Sot. *dist.* Nau. *in sum. cap.* 1. *num.* 15. fauet Concil. Tridentin. *loco citato.* Dico *quartum* simpliciter rogationi occurrendo Sacramentum pœnitentiæ est necessarium ad salutem re susceptum, cum datur copia confessarij. Est vero sufficiens in voto ad salutem, cum confessarius deest. Hæc propositio claret ex tribus præcedentibus, ideo probationem non indiget.

CAPVT VII.

De Materia sacramenti pœnitentiæ. §. 1.

1 *An hoc sacramentum constet materia & forma.*
2 *Quotuplex est materia sacramenti pœnitentiæ.*
3 *Materia remota Pœnitentiæ alia necessaria, alia sufficiens.*

1 QVÆSTIO. *Constatne hoc sacramentum Pœnitentiæ forma, & materia, sicuti constant alia sacramenta?*

Resp.

RESP. Negat Scot. *in 4. d. 14. quæst. 4. & d. 16. qu. 1.* Maior *d. 14. quæst. 2. & ibiaem* Gabr. aiuntque essentiam huius sacramenti constare ex solis verbis sacerdotis. Dicendum tamen cum D. Thom. & communi Theolog. *in 4. d. 14. & 3. p. qu. 84.* Alens. *4. p. qua. 60.* hoc sacramentum constare essentialiter ex materia, & forma, tanquam ex partibus essentialibus. Probatur ex Conc. Florent. statuente omnia sacramenta. Nouæ legis esse quadam arte facta, & constare materia, & forma: & Conc. Trident. *sessi. 14.* vbi dicit materiam in hoc sacramento esse partem eiusdem sacramenti.

2 QVÆST. *Quotuplex est materia in hoc sacramento?* RESP. Duplex remota scilicet, & propinqua. Ita distinguunt Theolog. D. Thom. *3. p. qu. 84. art. 2.* Summistæ *Pœnitentia sacram.* Angel. & Syl. *num. 2.* Vict. *num. 165.* Nau. *ca. 22. nu. 1.* Sot. *in 9. d. 14. qu. 1. art. 2.* Conc. Trid. *sessi. 14. ca. 4. can. 1. & 3.* Catec. Rom. *pagi. 295.*

3 QVÆST. *Esne adhuc huiusmodi materia remota multiplex?* RESP. Maxime. Nam alia est necessaria, alia sufficiens. Ita communiter Theologi.

De materia remota sacramenti Pœnitentiæ. §. 2.

1 *Peccatum actuale est materia remota Pœnitentiæ.*
2 *Quale peccatum actuale est materia remota pœnitentiæ necessaria.*
3 *Quod peccatum est materia sufficiens tantum.*
4 *Cur peccatum veniale, & ritè mortale confessum, dicitur materia tantum sufficiens huius sacramenti.*

1 QVÆSTIO *Quæ est materia remota sacramenti Pœnitentiæ?* RESP. Est peccatum actuale, commissum post baptismum. Ita communiter Theologi. Hinc fit, vt non sit materia huius sacramenti, nec peccatum originale, nec peccatum actuale commissum ante baptismum; quia per baptismum omnino deletum vtrumque est. De actualibus vero peccatis, aliud est materia huius sacramenti necessaria, aliud sufficiens.

§. 2 QVÆST.

2 QVÆST. *Quod peccatum actuale commissum post baptis-mum est materia remota huius sacramenti necessaria?* RESP. Omne mortale, nondum ritè confessum. Ita definit Conc. Trid. *sessione 14.* dicamque latius, cum me de integritate confessionis interrogaueris. Dicitur verò tale peccatum materia necessaria, quia tolli non potest, nisi per hoc sacramentum, cum oportune datur copia fuscipiendi illud; hoc est, tolli non potest, nisi per confessionem, cum datur oportuna copia illud confitendi.

3 QVÆST. *Quod peccatum actuale commissum post baptis-mum est materia remota huius sacramenti sufficiens?* RESP. In primis est peccatum veniale. Ita Conc. Trident. *sess. 14. ca. 5. & can. 7.* Leo Papa *in Bull. contra Lutherum.* Damas. Papa *tom. de vinculo anathem.* Deinde est peccatum quodlibet iam rite confessum. Ita Benedict. XI. *Extrauag. 1. de priuileg.* contra quam falsò opinatus est quidam Guilhelm. de Rubion. *d. 15. quæst. 2.* asserens peccatum iam confessum, non posse iterum confiteri.

4 QVÆST. *Cur peccatum veniale & peccatum mortale ritè confessum, dicitur huius sacramenti, materia sufficiens tantum?* RESP. Quia vt deleatur veniale, non est necesse vt de eo fiat sacramentalis confessio: & tamen de eo atque de peccato mortali ritè iam confesso, potest iterum tanquam ex vera materia, confici sacramentum Pœnitentiæ. Ita communis sensus Catholicorum, & vsus colligiturque ex verbis apertis sacri Conc. Trident. citati, & Benedict. XI. *Extrauag. 1. de priuileg.* Docet, probat doctissimus Suarius *disputat. de essentia sacram. sect. 1.*

De materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ. §. 3.

1 QVÆSTIO. *Quæ est materia proxima huius sacramenti?* RESP. Est actus pœnitentis. Hic autem triplex est, nimirum cordis contritio. Oris confessio. Operis satisfactio. Ita Conc. Florent. & Trident. *locis citatis.* Sunt autem partes huius materiæ essentiales cordis contritio, & oris confessio, Ita Conc. Trident. *sessione 14. ca. 5. & can. 4.* asseruit de oris confessione, cum dixit illam

illam esse de necessitate sacramenti. De cordis contritione ita loquuntur Concil. Colon. Senonens. & Mogunt. Cath. Pij V. *in doctr. de pœnit.* Leo X. *contra Luther. artic. 15.* in quibus omnibus locis docetur dolorem de peccato esse de essentia huius sacramenti. Ratio est circa oris confessionem. Nam de ratione iudicij, est accusatio, & probatio, iuxta illud Prou. 12. *Qui iudicat, quod nouit iudex iustitiæ est*, sed in hoc sacramẽtali iudicio, cõfessio oris, est pœnitentis accusatio, testificatio, & probatio iuridica: ipse.n. pœnitẽs simul est reus, accusator, & testis, vt docet D. Chrysostom. *libr. 2. de sacerd.* Innoc. 1. *epistol. 1. capit. 7.* Diu. Ambrosi. *epistol. 3.* Ergo & cæt. circa contritionem est ratio, quia confessio absque dolore interno, aut est vana quædam commissi sceleris gloriatio, aut simplex quædam narratio, neutra vero est satis ad veram sacramentalem accusationem. Satisfactio, est solum pars integralis huius materiæ proximæ pœnitentiæ. Ratio est, quia absolutione facta supra veram materiam, ante impletam impositam à confessario satisfactionem conficitur verum sacramentum, ergo satisfactio non est de illius essentia. Antecedens est certum, & apud omnes receptum, consequens clarissimè infertur. Necesse tamen est, vt talis satisfactio impleatur, vt ostendam in rogationibus proprijs de hac parte; ergo, &c.

De contritione, parte prima essentiali materiæ proximæ sacramenti Pœnitentiæ. §. 4.

1 *Quid significat hoc nomen Contritio.*
2 *De peccati odio, & proposito non peccandi amplius.*
3 *Qui dolor cordis appellatur contritio, qui attritio.*
4 *De motiuo contritionis, & attritionis.*
5 *Quid est contritio.*
6 *An oporteat toties dolere de peccato, quoties illud memoriæ occurrit.*
7 *An dolor contritionis debeat esse sensitiuus.*
8 *An ad contritionem debeamus pœnitere etiam de ipsa actione peccati.*

9 *An oporteat odisse effectum subsecutum commiss peccato.*

10 *An vere contritus, statim gratiam acquirat.*

11 *An iustificatus per contritionem, teneatur pecca de quibus doluit, confiteri.*

12 *Quid est attritio.*

13 *De motiuo attritionis.*

14 *An praeter duo motiua assignata à Conc. Triden nimirum metu gehennæ, & fœditatem pecca sint alia etiam supernaturali motiua.*

15 *An ad consequendum effectum huius sacramen hoc est gratiam, & absolutionem peccati mort si, requiratur contritio, vel sit satis attritio, p gnita vt attritio.*

16 *An ad veritatem, valoremq; sacramenti Pœnite tia requiratur vera, & supernaturalis attri*

17 *In quo conueniat, & in quo differant contritio attritio.*

1 QVÆSTIO. *Quid significat hoc nomen Cordis contri* RESP. Significat cordis dolorem quo quidē ma quasi teritur. Sumitur vero à Theologis in loco pro cordis dolore, per quē peccatori displicet catum à se ipso commissum in Dei optimi maximi temptum. Quoniam verò dolere possumus de pecc dupliciter, sc. vel quia offendimus Deū, quē summe gere debebamus: vel quia cōmisimus rē secundum turpem, fœdam, & inhonestā, duplici nomine appell runt Theologi huiusmodi animi dolorem. Priorem pellarunt contritionem. Posteriorem appellarunt attri onem, vt dicam, cum vtriusq; apposuero definitione

2 QVÆST. *Est ne de ratione doloris huiusmodi aliquid plius?* RESP. Maxime. Oportet enim vt cū dolemus p catum, illud detestemur supra omne detestabile: habe musq; firmum animum illud vitandi supra omne vita sc. Ita D. Tho. 3. *p. qu.* 8 *&* 86. *&* 3. *cont. gent. c.* 158. *&* 72. *& in* 4. *d.* 17. *qu.* 2. Alb. Mag. *ibid. d.* 14. *art.* 11. D. Bon. & Alen.

& Alens 4. p. qua. 12. & 16. An vero hoc propositum debeat esse formale, hoc est, debeat fieri alio actu distincto ab actu doloris an satis sit virtuale, hoc est virtualiter inclusum in ipso doloris actu, controuertunt Theologi. Formale, & expressum requirunt Caie. *tom. 1. Opusc tract. 4. qu. 1.* Sot. *in 4. d. 15. qu. 1 art. 2. & d. 17. qu. art. 1. & lib. 2. de nat. & grad. ca. 14.* vbi contrarium vocat pernicioſum errorem, Cano *de pœn. par. 1.* Ruard. *ar. 8. cont. Luth.* Bellarm. *li. 2 de pœna. ca. 6. & 7.* Ratio eorum est, quia tam Scripturæ Sacræ testimonia, quam sacri Canones, insuper sacrorum Patrum dicta hoc propositum postulant. Postulat etiam Cone. Trid. *sessi 14. ca. 4.* ait contritionem esse detestationem cum proposito. Oppositum tamen docent Maior, & Almain. *in 4. d. 14. quæst. 1.* Veg. *li. 13. in Trident. cap. 21.* Medin. *de pœn. tract. 1. qu. 3.* Pet. Sot. *lect. 17. de pœn.* Nauar. *in sum. ca. 1. num. 15.* Adrian. *in 4. qua. 1. de pœn.* Harum opinionum dissidium doctissimè componit Suarius *disp.* de contrit. sect. 3.

3 QVAEST. *Quem talem dolorem appellarunt Theologi contritionem, quem attritionem. Quod est idem atque quærere, in quo differt contritio, ab attritione?* RES P. Nonnulli Theologi posuerunt discrimen in gradibus doloris, vt loquuntur Physici: atque dolorem hunc summe intensum appellant contritionem: remissum verò appellant attritionem. Ita Adrian. in 4. qu 2. de pœn. tribuitur D. Thomæ *in 4. d. 17. quæst. 2.* & Alens. *quæstio. 17.* Veruntamen est opinio improbabilis: imponit enim peccatori grauissimum onus: & difficillimam reddit contritionem sine Conciliorum, & Scripturæ auctoritate, imo contra illam, vt statim ostendam. Fundamentum vero illorum est falsum: nimirum, quia non potest Deus summe diligi, nisi summa intentione actus diligatur: potest enim summe diligi, & quauis actus intentione diligi, vt *infra* dicam, cum Doctiss. Suario. D. Thomas, & Alensis, aliud verbis innuunt, aliud quidem sensu docent, qui ex antecedentibus, & cõsequentibus facile eruitur. Alij Theologi dicunt, non requiri ad verã contritionẽ, summã actus intentionem: requiri tamen certũ ad intentionẽ gradũ, quem Deus nouit. Ita indicat Scot. *in 4. d. 4. qua 2.* Est tamen opinio similiter improbabilis, & sine fundamento

vllo asserta. Contra quam æque pugnant argumenta cō-
tra primam sententiam allata. Alij Theologi dicunt re-
quiri ad veram cōtritionem intentiorem dolorem, quo-
uis alio, quā habeamus pro alio quouis malo detestabili;
insuper requiri intentiorem amorem, quouis alio, quo
quoduis aliud bonū prēter Deum diligamus. Ita Pet. Sot.
lect. 14. & 15. de pœniten. innuunt verbis Dur. in 4. d. 17. q.
4. Rich. art. 1. quæst. 5. art. 3. D. Bonau. art. 2. Fundamentum
est, quia ad veram contritionem tenemur detestari pec-
catum supra omne detestabile, & Deum diligere supra
omne amabile. Hæc sententia, æque est difficilis credi-
atque duæ præcedentes, vt latè docet, & ostendit Scotus
us in citato loco. Scotus in 4. d. 14 quæst. 2. inter contritio-
nis, & attritionis actum solius moræ differentiam agno-
uit, dixitque ad contritionem veram requiri, vtcumque di-
quam temporis moram duret. Hæc autem mora quam
esse debeat, dixit solum Deum nosse. Hanc opinionem
probabilem putat Almain. in 4. d. 14. & ex parte sequitur
Caiet. tom. 1. Opusc. 4. quæst. 1. Veruntamen eorum fun-
mentum est pene nullum. Illud est, Contritio est dispo-
sitio ad gratiam: sed dispositio debet antecedere formā
ergo contritio debet antecedere gratiam. Concessa ma-
iore, distinguenda est minor, dispositio antecedens &
præuia, debet antecedere formam tempore, concedo
minorem, dispositio vltima debet antecedere tempore
formam, nego minorem. Contritio vero est vltima dis-
positio ad gratiam, & ideo non est necesse, vt illam pre-
cedat tempore: sed est satis, vt præcedat natura. Hæc
tamē Metaphysicis relinquamus. His præmissis dico pri-
mum. Discrimen inter contritionem, & attritionem, non
est intensio doloris summa, vel aliqua certa, sed satis est
substantia doloris talis (qui qualis esse debeat mox dicā)
in quocunque gradu intensionis, vel remissionis habe-
atur, vt appellatur vera contritio. Ita Gabr. in 4. d. 14. qu.
1. art. 2. conclus. 5. Sot. d. 17. quæst. 2. Medin. de pœniten. tract.
1. quæstion. 5. Veg. libr. 13. in Trid. cap. 24. Nau. in sum. cap.
1. numer. 9. D. Leo Papa epistol. 91. ita inquiens. Nec mo-
dicordia Dei mensuras possumus ponere, nec tempora definire,
apud quem nullas patitur moras vera conuersio. D. Chrysost.
epist. 5. ad Theodorum. Quantulamcunque & quamlibet
brevis

breui tempore non despicit pœnitentiam. Non patitur exiguæ pœnitentiæ amitti mercedem. Fundamentum eorum est, quia scripturæ sacræ conuersioni in Deũ absolutè promittunt remissionem peccati, sine vlla intentionis limitatione. Quem modum loquendi, seu promittendi seruat Conc. Tride. *sess.* 14. Cum vero aliqui sancti Patres hanc summam videntur postulare in peccatore intensionem doloris, eam requirunt non ad veniam culpæ consequendam per veram contritionem, & ex consequenti gratiam, & Dei amicitiam, sed ad obtinendam remissionem totius pœnæ, cui vt deleatur, debet proportionari dolor. Ita loquuntur D. Ambros. *lib. ad virg. lapsã. cap.* 8 *& lib.* 2. *de pœn. ca.* 10. D. Gregor. 4. *Moral. cap.* 17. D. Cyprian. *lib. de lapsis.* In hoc sensu reprehenduntur tepidi *Apoc.* 3. & postulatur dolor partus *Mich.* 4. *dole, & satage quasi parturiens.*

Dici etiam potest, sanctos Patres, & scripturas postulare summam intentionem non præcipiendo, sed consulendo. Locum autem Apocalypsis explicat D. Thom. *qu.* 3. *de malo arti.* 13. *ad* 1. de eo, qui cum fidem habeat, charitate caret. Exponi potest rursus de eo, qui modo bona, modo mala opera operatur. Dico *secundum.* Actus doloris, vt sit contritio, nulla indiget temporis duratione: sed simul ac elicitur, est, & dicitur vera contritio. Ita D. Tho. 3 *p. qu.* 89. *art.* 2. & 1. 2. *qu.* 113. *art.* 5. & 7. Gabr. *in* 4. *d.* 14. *qu.* 1. *ar.* 2. *concl.* 5. Sot. *d.* 17 *qu.* 2 *ar.* 4. Medin. *tract.* 1 *de pœn quæ* 5. *ad finem.* Vega *lib.* 13. *in Trid. cap* 23. Colligitur aperte ex Ezech. 33. *in quacunque hora ingemuerit peccator.* Docent hanc veritatem D. Leo, & D. Chrysostom. quos retuli in proxima conclusione. D. August. *de verb. & fals. pœn. ca.* 17. Cypr. *li. de lapsis circa finem. & epi.* 28. Hiero. *epi.* 46. & 48. Pacian *epist.* 3 *ad Simpronium.* Cœlestin. Papa *epist. ad Episcopos Galliæ cap.* 2. Vera conuersio, inquit, mente potius, quam tempore metienda est. Iulius. 1. *refertur.* 26. *quæst.* 5. Ratio est, quia ille actus, per quem infallibiliter peccator iuxta promissionem diuinam iustificatur, est, & dicitur vera contritio: sed per veram conuersionem quamcunque siue longam, inquam, siue breuem peccator iustificatur: ergo talis conuersionis actus, dicendus est, vera contritio. Dico *tertium.* Actus contritionis, &

attritionis differunt essentialiter, suntq; specifice distincti. Hæc est contra Auctores opinionum impugnatarij. Insuper contra Cajetanum, qui asserit contritionem & attritionem in eo differri, quod hic dolor acceptetur a Deo, vt vltima dispositio ad gratiam, & tunc dicitur contritio: ille vero minime, & tunc dicitur attritio. Ratio est, quia hi Auctores solum accidentariã, & extrinsecam differentiam assignant inter contritionem, & attritionem. Cum tamen assignanda sit differentia essentialis. Dic *quartum.* Actus doloris de peccato commisso, sumit ab specificam differentiam ex motiuo, propter quod peccator dolet de peccato commisso, & sic actus specifice distinctus, dicitur contritio, alius vero attritio.

4 QVAEST. *Quod est motiuum, propter quod dolet quis contritus: quod est, propter quod dolet attritus tantum?* Resp. Vere contritus dolet, quod offendit Deum, quem summe diligere debebat (appellatur communiter dolere propter Deum summe dilectum.) Attritus vero dolet de peccato, quia propter illud manet obnoxius pœnis inferni, vel dolet, quia cõmisit rem secundum se turpem fœdam, & indecoram. Hæc motiua appellat *Conc. Trid.* dolere propter pœnas inferni, vel propter fœditatem peccati. Ita Suar. *loco citato.*

5 QVÆST. *Quid est contritio?* RESP. Est dolor, per quem nobis displicet peccatum à nobis commissum super omne odibile, cum proposito vitandi illud supra omne vitabile, quia est culpa contra bonitatem Dei cõmissa, eiusq; dissoluit amicitiam, qui summe diligi debet. Hunc autem dolorem appellant Doctores perfectum. Breuius illam definiuit Toletus *lib. cap. 5. num. 1.* Contritio est præteriti peccati, vt est Dei offensa voluntaria super omnia detestabilia detestatio, cum proposito vitandi illud super omnia vitabilia, insuper cum proposito illud confitendi, data copia oportuni Confessarij. Colligitur hæc descriptio ex Concil. Colon. *tit. de pœn. pœnit.* inquit, *est displicere id quod antea placuit.* Colligitur item ex August. *libr. de ver. & falsa pœn.* quem citat D. Thom. *in Addit. quæ. 4. art. 1.* ait enim dolorem esse comitẽ contritionis? Requiritur autem ad veram contritionem, vt dolor sit de omnibus peccatis antea commissis. Ita cõstat

et

ex doctrina Sanctorum Patrum, quorum testimonia referuntur in decretis *de pœnit. d.* 1. 5. & 6. Item *ex Ezech. capit.* 18 & 33. Non tamen requiritur, vt de singulis, singulos habeamus dolores, sed est satis ex parte voluntatis vnico actu doloris pœnitere de omnibus simul sumptis. Ita communiter Theologi, quos sequitur Suar. *disp. de contrit sect.* 6. contra Sylu. & Angel. & Caietan. *verb. contritio* oppositum asserentium. Ratio est, quia nullum datur præceptum talium contritionum, & pœnitentiarum, sed solius contritionis, & pœnitentiæ. Ex parte vero intellectus, requiritur recordatio, & memoria peccatorum, vt à me commissorum. Colligitur hæc veritas expresse ab *Ezech.* 18. ait enim. *Considerans peccata sua*, id est, a se commissa. Vtrum vero ad contritionem veram requiratur omnium omnino singulorum, non solum in specie, sed in indiuiduo recordatio. controuertunt Theologi. Illum in indiuiduo postulat D. Tho. 3. *p. qu.* 87. *ar.* 1. & 1. 2. *qu.* 113. *art.* 1. & *in* 4. *d.* 17. *qu.* 2. *ibi* Palud. & Durand. Item *d.* 16. Richard. Bonauent. & Gabr. Sylu. Ang. *verb. Contritio.* Sot. *in* 4. *d.* 17. *quæst.* 2. Medin. *tract* 1. *de pœn. qua.* 3. Ruard. *artic.* 5 *contra Luther* Eruitur fundamentum huius sententiæ ex dictis *Isai.* 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Eruitur ex dictis Sanctor. Patrum. ex Chrysostom. *pluribus locis homil* 9. *ad Hebr. homil.* 46 *ad popul. homil* 4. *de Laz. & diu. libr.* 1. *de compunct. cord.* August. *de ver. & fals. pœn. capit.* 17. Gregor. 4. *Moral. capit.* 15. *& lib.* 8. *capit.* 11. Ambros. *in præf Psalm.* 37. Ratio eorum est, quia ad iuste imponendam pœnam, debet iudex in singulari cognoscere culpas: item ad applicanda medicamenta debet chirurgus in singulari cognoscere vulnera; sed peccator in cõuersione, & detestatione peccati est sui ipsius iudex, & medicus, ergo, &c. Oppositam sententiam tenent Maior *in* 4. *d.* 17. *quæst.* 3. Cathar. *lib.* 5. contra Caiet. *tit. de contrit.* Vict. *in sum.* 4. *numero.* 116. *de pœnit.* Ledesm. 2. 4. *quæstio.* 1. *art.* 6. Veg. *libro* 13. *in Trident. cap.* 25. Nauar. *ca.* 1. *num.* 25. Est expressa opinio D. Thom. *qu.* 28. *de ver. ar.* 5. *ad* 3. & 4. Ratio eorum est, quia talis recogitatio sæpissimè est impossibilis simul, vt experimẽto comprobatur in assiduis peccatoribus: & aliunde non datur locus scripturæ, vnde colligatur tanta obligatio. San-

cti vero Patres docent sæpius, non quo necessarium est, sed quod melius, & perfectius. Hæc secunda sententia est verior, atque iuxta illam, veram habet contritionem qui vnum peccatum memoriæ occurrens detestatur et motiuo generali, id est, quia est contrà bonitatem Dei quem summe diligere debemus, eiusque dissoluit amicitiam. Ratio est, quia illa actualis detestatio vnius peccati in memoria præsentis ex motiuo generali complectente omnia peccata, est virtualis omnium peccatorum detestatio.

6 QVÆST. *Oportetne toties dolere de peccato, quoties ipsum memoriæ occurrit?* RESP. Si de illo iam habita est veræ pœnitudo, minime. Ratio est, quia Deus non iudicat bis in idipsum; oportet autem de eo nullam iterum habere complacentiam, nam ipsa complacentia, est culpa venialis. Ita Med. *tract. 1. de pœn. quæ. 6.* Adrian. *quodl 5. qu. ad 2.* Sot. *in 4. d. 17. art. 6.* Caietan. *3. p. quæ 84. art. 8. & 9.* Navar. *cap. 1, num. 32.* Singularis fuit sententia D. Thomæ *4. d. 17. quæ. 3. art.* Gabr. & Palud. *ibid.* atque *d. 14.* Bonav. 16. Alens. *4. p. quæ. 68. Memb. 2.* arbitrati enim sunt idem esse recordari, & non dolere de peccatis, atque de illis iterum complacere. Veruntamen infirmo fundamento nequit firma niti sententia.

7 QVÆST. *Dolor contritionis debetne esse sensitiuus, an sufficit intellectiuus?* RESP. sufficit intellectiuus. Ratio est, quia dolor de peccatis, est cum auxilio Dei ordinatus nostra potestate: sed dolor sensitiuus non est in nostra potestate: nam lachrymas fundere, & alia mœroris signa habere nequimus sæpe cum volumus.

8 QVAEST. *Requiriturne ad veram contritionem, vt doleamus etiam de actu ipsius peccati, an est satis dolere de culpa tantum?* RESP. Affirmat absolutè Vega *loco citato*, atque necesse est dolere etiam de actu peccati: distinguit optime Suarius: nam vel actus est intrinsice malus, vel bonus, vel indifferens. Si est intrinsice malus, etiam est detestandus secundum se; si est intrinsice bonus, sed ex conscientia erronea exercetur vt malus: vel si est indifferens, & ex malitia operantis deducitur ad malum, detestandus est, quo ad modum.

9 QVAEST. *Teneturne vere contritus detestari effectum bonum*

bonum subsecutum ex malo actu peccati? Resp. Minime. Sed potest de illo complacere. Notat Suarius *loco citato.* Ita potest adulter complacere de filio suscepto ex maculato toro. Ideo complacemus de Christi seruatoris redemptione subsecuta ex impia Iudæorum occisione, & sic de aliis effectibus.

10 Qvæst. *Estne vere contritus iam in gratia repositus, antequam accedat ad suscipiendum sacramentum Pœnitentiæ?* Resp. Maxime. Ita communis schola certo, & indubitanter asseuerat cum D. Th. 1. *p. q.* 62. *ar.* 2. *ad* 4 *&* 1. 2. *q.* 109. *art.* 6. *&* 113. *ar.* 2. 3. *&* 4. *&* 3. *p.* 89. *ar.* 4. Capreol. *in* 4. *d.* 14. *q.* 2. *art.* 8. *ad* 1. *Henric.* & Bonau. *in* 4. *d.* 17. *art.* 1. *q.* 2. ac Reliquorum nullus negat. Est iam veritas certa ex Conc. Trid. *sess.* 14. *c.* 4 Ratio est, *quia facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam:* sed qui se per veram contritionem conuertit ad Dei amicitiam, facit, quod in se est; ergo illi non denegatur statim gratia.

11 Qvæst. *Iustificatus per contritionem, indiget ne sacramento pœnitentiæ, hoc est, teneturne eadem peccata, de quibus est contritus in sacramento pœnitentiæ detegere?* Resp. Indiget. Ita decernitur in Concilio Constantiensi, & Florēt. & Trid *sess.* 14 *can.* 6. Traditur a Sixto *V. Extrau. contra Petrum de Osma.* quam refert Castr. *verb. Confessio.* Ratio est, quia actus contritionis includit votum confitendi peccata, de quibus conterimur, data oportuna copia confessarij. Ideo reiicienda omnino opinio Hugonis de sanct. Vict. *lib.* 2. *de sacr. p.* 14. *cap.* 1. Alens. 4. *p. q.* 76. *memb.* 3. *art.* 1. D. Bonau. *in* 4. *d.* 17. *p.* 2. *art* 1. *q.* 3. Scot. *ib. q* 1. Caiet. *cap.* 20. *super Ioan.* oppositum, sine fundamento asserentium Hinc fit, vt sacramentum Pœnitentiæ appelletur a Theologis cum D. Hieronym. *epi.* 64. secunda tabula post naufragiū, sine qua non remanet salus. Appelletur clauis, sine qua nemo aperit, ab ipso Christo Domino, cū dixit Petro. *Tibi dabo claues regni cœl.* vt notauit D. Aug. *lib.* 50. *hom.* & refertur *c. Agite pœnitentiam de pœn. d.* 1.

12 Qvæst. *Quid est attritio?* Resp. Difficillima est in hac quæstione resolutio. Recte tamen sic potest constitui. Attritio est dolor, per quem nobis displicet peccatum à nobis commissum supra omne odibile, cum proposito vitandi illud supra omne vitabile, propter ali-

quod motiuum supernaturale, quod non sit Deus ipse, quatenus est summe bonus, à quo peccatum auertit. Quem dolorem appellant Theologi imperfectum, quia per eum non statim iustificatur attritus, vt iustificatur per contritionis perfectum dolorem. Hęc est descriptio, per quam melius declaratur essentia attritionis quam alia descriptione. Circa eam multa sunt adnotanda certa, & indubitanter asserenda. Primum est, hanc contritionem esse dispositionem ad gratiam. Ita Concil. Trident. *sess.* 14. *c.* 4. Secundum est, hanc attritionem non posse esse ex aliquo turpi motiuo. Notat Rupertus *lib.* 11. *de glor. filij hom. & lib.* 2. *in Ionam.* vbi vocat talem pœnitentiam exitiosam. Tertium est, hanc attritionem non posse esse ex motiuo temporali, aut humano. Notat Aug. *lib. de ver. & fals. pœn. capit.* 2. vbi talem dolorem vocat inutilem, & sine spe veniæ. *Lib.* vero *de catechizandis rudib.* vocat pœnitentiam fictam. Nequeitem ex aliquo motiuo naturali. Oppositam docuit Sot. *in* 4. *d.* 17. *qu.* 2 *art.* 5. *& lib.* 2. *de Nat & gratia ca.* 14. *&* 15. Cano *Relect. de pœn.* quod assertum impugnat Suar. *tom.* 3. *disp.* 28 *sect.* 3 & merito, quia nostra assertio est *Concil. Arausicani* 2. *Milen. & Trident.* asserentium attritionem, quæ pars est sacramenti pœnitentiæ esse donum Spiritus sancti. Ita loquuntur D. Tho. 3. *p. q.* 85. *art.* 5. Bonauent. *in* 4. *d.* 17. *ar.* 2. *q.* 2 Alens. 4. *p. q.* 17. aiunt enim attritionẽ christianam esse, ex gratia gratis data, hoc est, ex auxilio diuino supernaturali. Vnde manifeste apparet esse actum supernaturalem, si quidem sit ex auxilio supernaturali.

13 QVAEST. *Quod est hoc motiuum supernaturale attritionis?* RESP. Duplex, nimirum, metus gehennæ, & fœditas peccati. Ita Concil. Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 4. Quæ nim dolet de peccato propter metum gehennæ, vel propter turpitudinem ipsius peccati, vere contritus est. Nam timor pœnæ à Deo infligendæ, præsertim timor æternæ damnationis, & operatio ex hoc timore est actus bonus & opus bonum. Ita de fide certum conc. Trid. *sess.* 6. *can.* 8. & probatur 2. 2. *quæst.* 19. à Theologis asseritur ab Esa.

26 *Domine in angustia requisiuimus te.* vbi Septuaginta transtulerunt. *Domine propter timorem requisiuimus te.* Notat ibi eleganter *D. Hieron.* Item Prouerb. 15. *Propter timo-*

timorem Domini, declinat omnis à malo Defenditur à Sanctis Patribus Chrysostom. *hom.* 1. *ad Rom.* Aug. *serm.* 18. *de verb. Apostol.* Gregor. 2. *mor. capit.* 6. Bernard. *ser.* 37. *in Cant.* Fremant licet hæretici neoterici, & quamuis ex parte negent aliquot catholici Gregor. in 2. *d.* 26. *quæst.* 1. *artic.* 3. *ad* 1. *princ.* Almain. *tract.* 1. *moral. capit.* 3. *dub. vlt.* Adrian. *quodlib.* 4. *quæst.* 2. Dupliciter vero potest timor mali euitandi concurrere ad operationem aliquam, nimirum, vel vt occasio excitans sopitam cogitationem, & torpentem ad operandum, vel vt finis, quem operans intendit, scilicet, euitatio talis mali. Vtroque igitur modo metus gehennæ concurrens ad dolorem, quo peccatum detestamur, est sanctus, & honestus. De priori modo concurrendi indubitanter loquitur Concil. Triden. *sess.* 6. *cap* 6 iuxta illud: *Initium sapientiæ timor Domini.* docuit August. relatus *cap. sicut seta de pœn. quæst.* 2. vbi confert timorem setæ sutoris, quæ introducit filum, sic timor introducit charitatem: *perfecta autem charitas foras mittit timorem*, non vt malum, sed vt imperfectum De secundo modo concurrendi, loquuntur assueranter D. Thom. 3. *p. qu.* 87. *art.* 5. Altisiod. *lib.* 3. *sum. tract.* 1. *capit.* 1. *qu.* 1. Alens. 3. *p. quæst.* 84. *m.* 1. & 2. Dionys. Carthus. *in* 3. *d.* 27. *q.* 3. Sot. Ledesm. & alij moderni. 1. 2. *q. art.* 2. Quod vero etiam vt finis proximus concurrat metus gehennæ ad attritionem Christianam, dixit *Conc. Trid. loco citato.* Ita illud interpretatur *Suar.* Ratio eius est. Quia causa excitans externe, non specificat actum: Conc vero dixit actum contritionis esse specifice distinctum à contritione, quia fit propter metum gehennæ: nam præpositio, Propter in rigore significat finale motiuum finalemque causam. Colligo autem ex doctrina tradita, neminē detestari peccatū propter metum gehennæ, vel propter fœditatē peccati Christiana attritione, & dispositione ad gratiā, nisi Dei auxilio supernaturali adiutū; quia talis detestatio est actus supernaturalis.

14 QVÆST. *Suntne alia motiua supernaturalia, propter quæ detestemur peccatum vera, & Christiana attritione?*

RESP. Sunt quidē. Verumtamen ad duo posita, & assignata per *Conc. Trid.* reducuntur. Nā si quis detestetur peccatū ex amore vitæ æternę (vt quidē detestari sancte po-

test)

est) amore inquam, concupiscentiæ, non amicitiæ, vere arteritur. Hoc tamen motiuum reducitur ad metum gehennæ. Ad eundem metum reducitur motiuum aliarum pœnarum propter quas aliquis detestatur peccatum. Quæ pœnæ quamuis temporales sint, si considerantur vt inflictæ à Deo, Deique iram ostendunt, & quodammodo inchoant æternum supplicium, mouere possunt supernaturaliter, & ex auxilio gratiæ. Ita explicat Doctissimus Suarius opinionem Vegæ *li.13. in Trid. c.14.*

15 QVAEST. *Qui horum duorum dolorum est necessarius ad consequendam gratiam in hoc sacramento pœnitentiæ, perfectus siue, an imperfectus: Hoc est, estne pars huius materiæ contritio, an attritio? hoc est, requiriturne ad hoc sacramentum contritio, an satis est attritio?* RESP. hac in re grauissime controuertũt Doctores. Sũt multi, quia affirmant ad hoc Sacramentum non requiri vel contritionẽ, vel attritionẽ sed esse satis voluntatem confitendi, & absoluendi post confessionem absque displicentia, vel complacentia peccati. Ita Sylu. *confessio 1. quæst. 25.* & tribuit Scot. *in 4. d. 14. quæst. 4. artic 3.* ait enim Scotus pœnitentem, licet parum attritus accedit ad hoc sacramentum, iustificari. Hæc opinio est temeraria contra alios Theologos, & Doctores. Videtur aperte damnata in Concil. Trident. *sess. 6. ca. 7. & 14.* quia requirit ad remissionem peccati, etiam in Sacramento proprium dolorem pœnitentis. *Sess* vero 14. *capit.* 4. ait Ecclesiam nunquam docuisse, vel sensisse Sacramentum pœnitentiæ conferre gratiam, sine proprio motu pœnitentis. Alii dicunt sufficere ad hoc Sacramentum displicentiam, quam habet peccator ex eo, quod ab habet dolorem de peccatis commissis. Ita indicat Palud. *d. 17. quæst. 1. artic. 5.* Nau. *in sum. cap. 1. nu. 21. & c. 10. num.* 4. Est etiam opinio falsa. Ratio est, quia illa displicentia est quædam velleitas, quæ quidem nunquam sufficit ad mutandam voluntatem. Sotus vero *libr. 2. de nat. & grat. cap 15. & in 4. d. 18. qu. 3. art. 2.* affirmat, sufficere attritionem naturalem existimatam à peccatore attritionem supernaturalem. Cano. *de pœn p. 5.* & Veg. *libr. 13. in Trident. ca. 14.* aiunt sufficere bonam existimationem pœnitentis, qua credit se esse vere contritum, licet in re nec contritus sit, nec attritus. Ratio eorum est, quia tunc satis

tol-

tollitur obex ad gratiam, & iustificationem. Alij Theologi asserunt partem materiæ proximæ Sacramenti Pœnitentiæ essentialem, esse solam veram contritionem, hoc est dolorem perfectum, quem contritionem appellamus. Ita Magist. sent. *in 4. d. 6. &* 18. Alex. Alens. 4. *p. quæst.* 80. alias 21. *mem.* 1. D. Bonau. *in 4. d.* 18. *art. 2. quæst. 1.* Gabr. *q. 2. & d.* 14. *quæst.* 2. Maior ibidem. *q. 2. & d.* 18. *quæst.* 1. Adrian. *quodlib. 5. q. 3.* & clarius *q. 1. de confess.* Petrus Soto *de pœn. lect. 7. & de confess. lect.* 4. Ratio eorum est, quia contritio in lege Naturæ, ex lege ipsius Naturæ, erat medium necessarium ad salutem: sed lex gratiæ nō destruxit Naturam; ergo nec medium ab ipsa necessario ordinatum. Maior est certa ex testimonijs Scripturæ sacræ postulantibus in peccatore dolorem ad obtinendam veniam peccati. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Illa vero testimonia postulabant ante legem gratiæ contritionem: nam attritio nunquam fuit per se satis ad remissionem peccati. Minor est Theologorum proloquium, igitur conclusio est necessaria. Alii dicunt ad hoc sacramentum satis esse attritionem in re, existimatam vero contritionem. Ita Vict. *de potest. Eccles. q. 2.* Sot. *lib. 2. de Nat. & Grat. cap.* 15. & in 4. *d.* 18 *q. 3. art. 2. in fine.* Ledesm. 2. 4. *q.* 20. *artic.* 1. Veg. *lib.* 13. *in Trident. cap.* 34. Cordub. *qu. lib. 1. qu. . opin.* 3. Nauar. 6. 1. *num.* 38. citantur etiã pro hac opinione. Bonau. Durand. & Richard. *in d.* 17. sed falso, nihil enim hac de re aiunt, vel negant. Ratio eorum est, quia peccator tenetur quantum in se est facere, vt accedat contritus : ergo saltem debet putare se esse contritum, vt digne accedat.

Dico *primum.* Non est necessaria vera, & realis contritio, vt materia proxima huius sacramenti pœnitentiæ, ed satis est vera, & realis attritio. Ita aperte decernere videtur Concil. Trident. *sess.* 14. *c.* 4. vbi appellat attritionem, contritionem imperfectam, atque talem contritionem imperfectam esse donum Spiritus Sancti, disponeteque hominem ad impetrandum gratiam in hoc sacramento. Ratio ja priori est, quia si contritio esset in re necessaria ad hoc sacramentum, cum contritus sit in gratia, semper accederet ad hoc sacramentum, in gratia: hoc autem repugnat institutioni huius sacramenti

menti: fuit enim institutum à Christo Domino ad dandum gratiam amissam per peccatum commissum: aliqui instituëretur ad effectum, quem supponeret semper factum: esseque inutilis, & vana institutio. Quod quidem nullatenus cogitandum, ne dicam asserendum.

Dico *secundum*. Vt attritio sit pars materiæ huius sacramenti, per quod iustificetur peccator, non est opus vt existimetur contritio, sed sufficit cognita attritio. D. Thom. 3. p. q. 80. *art* 3. & 4. *ad* 2. & *in* 4. *sent. d.* 17. 22. & 24. & Opusc. 22. *cap.* sumitur ex Scot. *d* 14. *qu.* 4. Palud & Capreol. *d* 17. Anton. 3. *p. tit.* 14. *cap.* 19. §. 5. *confessio* 1. *qu.* 2. Ruard. *artic.* 3. *contra Luth.* Can. *disp. p.* 5. Eruitur hæc veritas ex doctrina dict. *Concil. Trident.* absolute asserentis attritionem esse sufficientem materiam huius sacramenti, & dispositionem ad gratiam consequendam. Si vero opus esset, vt existimaretur vera contritio, Concilium declarare tale conditionem. Ita illud interpretatur Suar. *disp. de attritione sect.* 1.

Dico *tertium* Attritio necessaria ad hoc sacramentum pœnitentiæ, debet esse actus supernaturalis. Hoc apertè colligitur ex doctrina generali Conciliorum, præcipue Arausicani; & Mileuitani definientium dispositionem ad gratiam debere esse supernaturalem. Concilium verò Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 7. addit etiam dispositionem ad gratiam cum sacramento. Specialius verò loquens de attritionis dispositione ad gratiam in sacramento pœnitentiæ; definit esse donum Spiritus Sancti. Ita determinat *sess.* 14. *c.* 4.

Dico *quartum*. Dolor, ac detestatio peccati, qui reuera non est attritio, sed solum existimatur vincibiliter, vel etiam inuincibiliter attritio, non est sufficiens materia ad hoc sacramentum. Ita Doctor. Suar. *loco proxime citato*. Probatur efficaciter, quia attritio est medium necessarium cum sacramento; error verò existimationis, non facit illum dolorem veram attritionem, ergo &c. Atque per hæc soluta manent aliarum opinionum fundamenta.

16 QVAEST. *Dixisti de necessitate attritionis ad gratiam consequendam in hoc Sacramento pœnitentiæ: sed quando*

adhuc Doctores controuertunt, an requiratur huiusmodi attritio supernaturalis, ad valorem solummodo Sacramenti. Profert in medium aliorum opiniones, & quid pro certo asserendum in hac dubitatione? RESP. Satisfaciam pro virili. Aliqui dicunt sufficere voluntatem confitendi, & assequendi absolutionem. Ita Gab. *in* 4. *d.* 14. *q.* 2 *ar* 1. Durand. *d.* 16. *qu.* 1. *& d.* 17. *q.* 13. Palud. *qu.* 8. Maior. *d.* 1. *qu.* 2. Alij dicunt sufficere displicentiam quamcunque cum velleitate non peccandi. Ita Caiet. *tom.* 1. *Opusc. tract.* 5. *q.* 5. *& in sum. verb. confessio cond.* 12. Vict. Can. Ledesm Palud. & Syl. citati. Alij dicunt sufficere quemcunque dolorem, & detestationem naturalem ex motiuo humano. Ita Sot. *d.* 18. *q.* 3. *ar.* 3. Nau. *in cap. Fratres de pœn. d.* 5. *nu.* 35. Alij dicunt sufficere quemcunque dolorem, dummodo talis dolor existimetur vera attritio, quamuis ex ignorantia vincibili. Alij tamen requirunt ad hanc existimationem ignorantiam inuincibilem. Fundamenta, & rationes horum Auctorum ferme sunt eadem. Nimirum, quia si bene se accusat peccator.

Nihilominus dico *primum*. Eadem attritio requiritur ad perficiendam substantiam sacramenti, quæ requiritur ad in eo consequendam illius effectum, hoc est gratiam. Ita Gab *in* 4. *d.* 17. *qu.* 1. *articul.* 3 *dub.* 2. Maior. *quæst.* 3. *&* 9. Adrian. *quæst.* 5. *de confess. dub.* 4. *ad* 5. Medin. *q.* 2. *de confess. fict. iteran.* Vaga. *libr.* 13. *in Trid. c.* 26. 34. 35. Probatur efficaciter per Conc. Trident. *sess.* 14. *c.* 3. contritionem esse partem huius Sacramenti, nihil distinguens inter contritionem ad effectum Sacramenti sufficientem, atque ad substantiam Sacramenti conficientem. Dico *secundum*. Dolor est de essentia materiæ huius sacramenti pœnitentiæ. Ita D. Th. 3. *p q.* 84. *art.* 1. *ad* 1. *& q.* 86. *art.* 6. *p. & q.* 90. *ar.* 2. *&* 3. *& in* 4. *d.* 14. *q.* 1. *art.* 1. D. Anton. 3. *p. tit.* 14. *c.* 19. *§.* 5. plures referunt *lib.* 9. *in Trid. ca.* 5. & Cordub. *lib. q. q* 2. *opin.* 3. Dico *tertium*. Dolor necessarius ad hoc sacramentum debet habere displicentiam de peccatis commissis, & propositum nunquam alia committendi. Ita *Conc. Trid. sess.* citata. Dico *quartum*. Dolor necessarius ad substantiam sacramenti, debet esse supernaturalis. Ita *Conc. Trid. loco citato*. Vnde manifeste infertur falsam esse opinionem supra positam, de

de quouis dolore existimato attritione, ex ignorantia siue vincibili, sine inuincibili.

17 QVÆST. *Dic igitur vno verbo in quo conueniant, in quo discrepent contritio & attritio:* RESP. Vterque actus est supernaturalis, factus cum auxilio supernaturali, cadens supra omnia peccata commissa, & nondum rite confessi cum dolore præteritorum, & proposito firmo cauendi in futurum. Specificantur vero ex motiuis: nam contritio dolet de peccatis, quia sunt Dei offensa, quem summe diligere debemus: attritio vero dolet propter metum gehennæ; vel ob fœditatem peccati. Differunt in effectu: nam contritus ante sacramenti Pœnitentiæ susceptionem, reponitur in gratia per votum suscipiendi sacramentum data opportunitate & ideo per contritionem remittitur tota culpa. Attritus vero ante sacramenti Pœnitentiæ susceptionem manet adhuc in peccato neque illius absolutionem accipit, nisi per ipsum sacramentum, recipiendo gratiam sacramenti. Ideo Doctores dicunt attritum recipiendo hoc sacramentum ex attrito, fieri contritum, hoc est, recipere gratiam, & absolutionem peccati, quam recipit vere contritus. In effectu vero remissionis pœnæ, æquales sunt cõtritio, & attritio: per vtramque enim semper remittitur pars pœnæ: non tamen semper tota. Ita definiuit Conc. Trid. *sess. 6. c. 14. & can. 30. & sess. 14. cap. 2. & 8. can. 12. 13. & 14.* Dixi non semper remitti totam pœnam, quia tanta esse potest contritio, & attritio, vt tota pœna per eam remittatur, ratione ipsius doloris habiti. Ita D. Thom. *3. p. q. 68. art. 4. & lib. 4. con gent. c. 72.* cum communi Theologorum.

De confessione oris, parte secunda essentiali materiæ proximæ sacramenti Pœnitentiæ. §. 6.

1 *Quid est confessio sacramentalis.*
2 *Quæ integritas confessionis necessaria est.*
3 *An numerica distinctio peccatorum in peccatum missionis, sit de integritate confessionis.*

4 Qui

4 *Quo pacto aperienda sit in confessione numerica distinctio peccatorum.*
5 *De circumstantijs aperiendis in confessione.*
6 *Vnde colligenda sit circumstantia notabiliter aggrauans.*
7 *Quot sunt circumstantiæ peccati.*
8 *An peccata iam semel confessa, sint aliquando de integritate alterius confessionis.*
9 *Quando est confessio nulla.*
10 *Quomodo prior inualida confessio, est iterum facienda.*
11 *An confessio, in qua prius à peccatis, quam ab excommunicatione excommunicatus fuit absolutus, sit inualida.*
12 *An confessio fuit inualida in qua ex culpabili moraliter negligentia peccatis fuit per obliuionem omissum.*
13 *An ratione pœnitentiæ è memoria defluentis, teneatur pœnitens præteritam confessionem repetere.*
14 *An teneamur confiteri peccata venialia.*
15 *Quo pacto dicenda sint in confessione peccata dubia.*
16 *Quæ confessio non integra, est sufficiens.*
17 *Ob quas causas fieri potest confessio dimidia.*
18 *An sit valida confessio per nutus, cum aliter fieri nequit.*
19 *An sufficiat dare materiam confessionis in absentia confessoris.*
20 *An liceat dimidiare confessionem ratione nocumenti proprij vel alieni inde prouenturi.*
21 *An liceat omittere omnino confessionem ratione*

nocumenti proprij, vel alieni ex ea proueni-
ri.

22 Quod peccatum est addere, vel demere de numero
peccatorum, negando factum, affirmando non
quam commissum peccatum.

23 An sit adhibenda diligentia in examinanda con-
scientia & quæ adhibenda est.

24 Quid dicendum sit de confessione reseruatorum
parte pœnitentis.

25 Quæ peccata reseruari solent, & possunt.

26 Quæ peccata reseruantur in Diœcesi Bruxe-
rensi.

27 Quas conditiones habitura est sacramentalis con-
fessio.

28 De conditione Secreta.

29 An pœnitens possit, & teneatur confiteri per scri-
ptum, cum aliter confiteri nequit.

30 An valida sit materia in scripto relicta, vel in tes-
testium, absente confessario ad hoc sacramen-
tum, accedente confessario.

31 An fieri possit confessio per interpretem, & non,
cum aliter fieri nequit.

32 An propter solam integritatem confessionis te-
netur pœnitens detegere personam complici.

33 An propter integritatem confessionis teneatur pœ-
nitens detegere personam, & peccatum turpe
personæ, de qua detraxit.

34 An propter integritatem confessionis teneatur di-
liuiosus scribere peccata, ne desinant à memo-
ria.

1 QVAESTIO. *Quid est confessio sacramentalis?* RESP. Est integra peccatorum cum suis circumstantijs ab ipsomet pœnitẽte vltro susceptę. Ita colligitur ex Doctoribus, qui agunt de hac accusatione sacramentali. Magist. *in* 4. *d.* 17. Hug. Vict. *tom.* 2. *de sacrament. p.* 14. Alex. Alens. 4. *p. q.* 76. *alias* 1. Altisiodorẽsi *lib.* 4. *sum. tract.* 6. Iuris peritis *cap. Omnis vtriusque de pœn. & remiss.* & *in Decreto. de dist. pœn. ibi.* Nau. *d.* 5. 6. 7. Summist. *verb. confessio.* Waldens. *lib.* 1. *tom.* 1. Ruard. *cont. Luth. art.* 5. Vega. *lib.* 13. *in Trid* Bellarm. *lib.* 3. *de pœn.*

2 QVAEST. *Quæ integritas confessionis necessaria est?* RESP. De necessitate, & valore sacramenti pœnitentiæ est, vt pœnitens omnia peccata mortalia, nondum confessa eidem sacerdoti in eadem confessione, seu in ordine ad eandem absolutionem confiteatur, quantum moraliter meminisse potest, ita vt nisi vrgeat necessitas, nullum occultet voluntarie. Ita definiunt Concil. Cauilonense *cap.* 32. Lateran. *cap. omnis vtriusque sexus.* Florent. *in decreto. Eugenij,* quatenus præcipiunt omnia peccata eidem confiteri. Clarius id decreuit Conc. Trident dicens. *Qui retinet scienter aliquid, nihil diuinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponit.* Hæc fuit semper totius Ecclesiæ traditio, hic vsus Constat ex *Clem. prim. epist. prim.* ex Leon. *epist.* 78. *alias* 80. Cyprian. *lib. de lapsis.* vbi Panel. *sess.* 11. Tutul. *lib. de pœnit. cap.* 10. Pariano. *in parenes. de pœn.* Clarius ita docuit August. *libr. de vera, & fals. pœn. cap.* 15. Diuidere, inquit confessionem, ni aliud est, quam venia carere. Plura referunt Burcar. *lib.* 19. *Decret. capit.* 34. & Canisius *in Catechis.* Ratio huius conclusionis traditur à D. Thom. *in quarto dist.* 17. *quæstiunc. tertia articul. quarto.* Quia vnum peccatum morale remitti non potest sine alio: in hoc verò sacramento non remittitur nisi peccatum confessum, & accusatum: ergo si omnia simul remittenda sunt, omnia simul sunt confitenda, & accusanda. Dico *secundum:* De necessitate huius integritatis est, vt omnes peccatorum species morales explicentur distincte in confessione. Hic est antiquissimus Ecclesiæ vniuersalis sensus. Ita sexta Synodus *in can.* 102. Titulano Conc. Florent. & Later. trident. *sess.* 14. *cap.* 5. & *canon.* 7. Ratio à Conc.

Tradita est, quia ad iustitiam seruandam in hoc iudicio & ad curationem satisfactionemque proportionatam adhibendam oportet, vt confessor cognoscat species criminum. Neque in hac Ecclesiæ vniuersalis consuetudine admittenda est opinio Caiet. *tom. 1. Opusc. tract. confess.* asserentis tunc solummodo hoc esse necessarium quando distinctio specifica est clara, & nota omnibus; insuper est tanta, vt multum variet iudicium confessarii. Quæ doctrina displicet Cano. *relict. de pœn. p. 5.* & Nauar. *cap. consideret. num. 8. 19. de pœn.* Est enim opinio singularis, quæ rem magni ponderis, & ad salutem necessariam relinquit arbitrio pœnitentium, facitque distinctionem, quam non fecerunt Concilia. Hinc tamen aperte colligitur circumstantias mutantes speciem peccati, esse de necessitate huius integritatis. Ita docent *Conc. Trident. loco citato.* Ratio est, quia illæ circumstantiæ constituunt multas species peccatorum. Dico *tium.* De necessitate huius integritatis est numerum peccatorum singularium distincte explicare. Ita supponunt antiqui Theologi, docuit D. Thom. *Opusc. 12. q. 6. [illegible] verb. & fals. pœn. ca. 14.* Videtur decernere *Conc. Trid.* cum dicit. *Sigillatim dicenda esse peccata.* Vnde colligit modernus Theologi nunc rem esse certam, contra Syluest. *confess. num. prim.* & Archidiaconum atque Angel. *confessa pœn. numer. 20.* oppositum asserentes. Difficile vero est assignare, vnde colligenda sit distinctio numerica peccatorum, vt explicetur in confessione. Dico tamen colligenda ex temporis interruptione. Ita Cano *de pœn. Conclusion. 1. Opuscul. tract. vltim. respons. 15.* & 2. 2. *q. 66. a. 3. ad 3.* Ledesm. 2. 4. *q. 9.* Nauar. *cap. Consideret. n. 4.* Itaque idem peccatum censetur, quatenus continuatum absque temporis interruptione. Exempli gratia, cogitaui, de homicidio perpetrando per horam, vnum est peccatum. statui mecum hominem occidere, per hanc voluntatis determinationem anno integro non reuocaui hãc voluntatem censetur idem peccatum. Difficilius tamen est assignare, quænam temporis interruptio satis sit ad diuersificanda peccata. Veruntamen omissis metaphysicis considerationibus in excogitando inueniendaque numerica peccatorum distinctione (quæ

(quia nostri instituti non sunt) loquendo moraliter in ordine ad confessionem, necessaria est ad multiplicationem peccatorum interruptio moralis. Hæc interruptio moralis tripliciter fit. In primis, cum quis voluntaria deliberatione cessat ab actu peccandi, & postea noua deliberatione, voluntarie peccat in eodem peccato: siue tempus, quo cessauit, longum sit, siue breue. Deinde, cum quis ab actu peccandi, seu à voluntate peccandi cessauit absque vlla deliberatione cessandi, sed naturali quadam lassitudine potentiæ, interposito autem longo tempore ad eundem actum peccati, redijt. Hoc autem longum tempus censetur hora. Tertio modo colligitur hæc numerica distinctio peccatorum ex consummatione totali vnius actus: sunt enim in actibus humanis nonnulli, qui habent certum terminum, in quo consummantur. v. g. vna copula maris, & fœminæ, vna occisio. Hæc autem actus consummatio ita distinguit peccatum, vt licet immediate post alius subsequatur, duo sint, non vnum peccatum. Ita Suar. *disp. de integrit. confess. sect.* 3. Ratio eius est, quia præceptum confessionis solum obligat ad aperiendum numerum peccatorum, qui moraliter sciri potest, eamque postulat integritatem, qua satis iudicium confessarij verum sit erga peccatoris conscientiam, sed hæc supra dicta integritas, satis est ad firmandum iudicium confessarij, ille insuper tantum numerus moraliter sciri potest; ergo, &c.

3 QVÆST. *Esne hac numerica distinctio necessario aperienda in peccatis omissionis?* RESP. Negauit Nau. cum Gabr. in 4 *d.* 15. *q.* 2. *ar.* 2. Affirmandum tamen est, dicendumque in peccatis omissionis, quæ (vt aiunt Theologi) actum habent successiuum, diuturnamque durationem, non satis esse dicere in confessione, ego nō restitui, quod debebam, detinuique alienum vno anno: sed debeo dicere; & teneor. Ego detinui alienum vno anno, & toties proposui illud non restituere. nam poteram restituere. & nolui. Ratio est, quia hæc peccata sunt moraliter multa. Voluntatis autem multiplicatio colligi potest ex vsu rei alienæ, nam quoties illa vsus sum, & cum possem illam, non restitui, toties volui moraliter illam non restituere.

4 QVAEST. *Quo pacto aperienda est hæc numerica distinctio in confessione?* RESP. Dico *primum* Quando pœnitens constat de certo numero peccatorum, ille certus numerus dicendus est, nec maior, nec minor. Dicendus autem vnico verbo: decies verbi gratia vel vigesies, quando indiuidua peccata sunt eiusdem speciei. Exempli gratia, septies commisi adulterium. Ita Caietan. *tom.* 1. *pusc. tract.* 3. *q.* 6 Nau. *in sum. cap.* 6. *nu.* 14. Narratio ex historica singulorum peccatorum est confessoribus molesta, & aliquando tam confessori, quam pœnitenti nociua. Ita aduertunt citati Doctores, insuper vterque Sotus & Cano locis citatis Dico *secundo.* Quando facta multa diligentia in examinanda conscientia occurrit numerus tantummodo dubius, sub dubio aperiendus est, plus minusve. Si vero post confessionem veniunt memoriam alia, singulatim distincta peccata absque circumstantia non declarata in præterita confessione iam inclusa fuere in illo numero incerto, ac proinde tenetur pœnitens ea singulatim, & speciatim declarare. Hoc tamen non intelligo, quando illa occurrentia peccata, occurrunt in magno numero: tunc enim sunt aperienda, quia non censentur inclusa in illo paruo. Ita aduertit Doctor Suarius *loco citato.* Dico *tertium.* Cum occurrit numerus certus, nec dubius peccatorum declarandum est in confessione tempus, quo quis perseuerauit in peccato. Item declaranda frequentia actuum. Ita citati omnes Doctores.

5 QVÆST. *Quæ circumstantiæ aperiendæ sunt in confessione?* RESP. Quadrupliciter considerari possunt circumstantiæ peccati. *In primis.* Sunt circumstantiæ mutantes speciem peccati, hoc est, nouam alterius speciei peccati malitiam inducentes. *verb. grat.* circumstantia adulterij addita fornicationi, quæ facit, vt præter peccatum fornicationis noua malitia adulterij inueniatur in eodem actu libidinis. *Deinde* aliæ sunt circumstantiæ quæ intra eandem speciem notabiliter augent peccati malitiam. *Tertio* sunt aliæ, quæ notabiliter minuunt. *Quarto* sunt aliæ, quæ nec minuunt, nec augent peccati malitiam. Dico igitur *primum.* De necessitate integræ confessionis est, circumstantias mutantes speciem distinctas

stincte aperire. Hic est sensus vniuersalis Ecclesiæ. Ita definitur *in 6. Synod.* & Conc. Trident. *sess. 14. c. 5. can. 7.* Hæ autem circumstantiæ aperiendæ sunt non solum circa actum externum, sed circa actum etiam internum. Ita adnotauit D. Anton. 3. *p. tit. 5. cap. 1. §. 6.* Nau. in sum. *c. 6. nu. 4.* Ledesm. 2. 4. *qu. 8. art. 2.* Satis vero est has circumstantias peccati declarare, vt peccata distincta, si moraliter satis explicari possint. Ita Doctissimus Suarius *loco citato.* Dico *secundum.* Circa notabiliter aggrauantes circumstantias fuit opinio negans. Ita D. Thom. *in 4. d. 16. quæst. 3. art. 2. quæst. 5.* Alb. Mag. ib. *art. 24.* Palud. *quæst. 3. articul. 3.* Durand. *quæst. 4.* Bonau. *d. 17. q. vlt.* Almain. *q. 1. art. 2.* Carthus. *q. 2.* Adrian. *q. 4. de cõfess. ar. 2.* Medin. *ib. q. de circumst.* Anton. *3. p. tit. 14. c. 13. 19. §, 7.* Nau. *in sum c. 6. & c. Consideret num. 6.* Couar. *Epitom. 4.* Decret. *1. p. ca. 1. nu. 14.* Turrecr. *c. 1. in principio de pœn. dist. 6.* Angel. Armil. & alij summistæ *verbo confessio,* & *verb. circumstantia.* Prima huius opinionis ratio sumitur ex Concil. Trid. *sess. 14. cap. 5.* Nam decernit, esse de necessitate confessionis, confiteri circumstantias speciem mutantes nihil vero dicit de circumstantijs aggrauantibus. Probabilior tamen est opposita sententia. Ita Altisiodorensis *lib. 4. sum. tract. 6. cap. 3. quæst. 3.* Alens. *3. p. q. 77. memb. 3. art. 2. §. 2.* Marsil. *in 4. q. 12. art. 1.* Maior. *in 4. d. 17. q. 4.* Richard. *art. 2. quæst. 8.* Caiet. *1. 2. quæ. 7. & in sum verb. confessio. condit. 15.* Vict. *in sum. nu. 136. de pœn.* Cano Ledesm. vterque Sot. *loco citato.* Sumitur ratio huius opinionis ex vsu conscientiarum timoratarum; quem quidem approbat 6. Syn. *can. 102.* in Trullo Concil. Bormacense. *c. 25. c. Consideret. de pœn dist. 5.* Auct. *de vera & falsa pœn. cap. 14. & lib. de visit. infirm. cap. 2.* Secunda ratio sumitur ex pœnitentijs per sacros canones appositis grauioribus intra eandem speciem, quas videre est apud Gratianum *can. 2. & 22.* Anton. Aug. *tit. 3. cap. 3.* quæ pœnitentiæ imponi iubebantur à confessarijs, etiam in foro interiori, vt videre est apud Burcardum *lib. 19. Decreti. cap. 5.* Tertio denique, quia si hæ circumstantiæ taceantur, an formet cõfessarius plenum iudicium peccati, quo possit, vt æquus iudex imponere satisfactionem, & vt sapiens medicus adhibere remedia curationis. Cõc. vero Trid. quã-

uis circa has circumstantias nihil definiuit, nihil tamen negauit, sed adhuc eas opinioni reliquit. Dico *tertium*: Circumstantiæ notabiliter minuentes peccatum non eandem speciem, non sunt de necessitate confessionis, ita D. Bonau. citatus. Nau. in sum. *ca. 6. nu. 6.* Doct. Sur. & alij contra Sotum, Canum, & alios. Ratio eius est, quia in circumstantijs minuentibus, non variatur iudicium confessarij, sicut variatur in circumstantijs notabiliter aggrauantibus. Dico *quartum*: Circumstantiæ, quæ non mutant speciem, neque intra eam peccatum augent, nec minuunt, non sunt de necessitate confessionis. Hæc ultima est certa, vt non indigeat probatione.

6 QVÆST. *Vnde colligenda est circumstantia notabiliter aggrauans?* RESP. In hac re non potest certa regula assignari. Ideo totum negotium relinquitur prudentis arbitrio, conscientiæque exulcerationi existimantis se excessisse ordinarium modum peccandi. Ita Doctor Suarius.

7 QVAEST. *Quot sunt circumstantiæ?* RESP. Septem quos Doctores vnico versu comprehenderunt.

Quis, Quid, Vbi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

Quis, id est, quæ persona. *Quid*, id est, quod crimen magnum, vel paruum circa quantitatem. *Vbi*, hoc est in quo loco. *Quibus auxiliis*, id est, quibus instrumentis, aut quibus locis, seu auxiliarijs. *Cur*, id est, propter quem finem. *Quomodo*, hoc est, qua ex passione, quo affectu, qua intentione, qua ignorantia, & scientia. *Quando*, id est, in quo tempore. Circa circumstantiam, *Quis*, necessaria est qualitas personæ, nimirum, an soluta, an ligata, an voto constricta, an in religione professa, an publica, an subdita, an ex officio, solaue caritate obligata: hæc enim circumstantia sæpius mutat speciem peccati. Circa circumstantiam, *Quid*, notanda quantitas, & qualitas peccati. Circa circumstantiam *Vbi*, dicendum est, an locus fuerit sacer, tunc enim furtum in eo factum: vel humana copula habita, aut humani seminis voluntaria effusio, habet malitiam sacrilegij. Circa circumstantiam, *Quibus auxiliis*, de instrumento dicendum est, an fuerit lege prohibitum

vel nocumentum intulerit grauius ordinario. De concausa, seu complice dicendum, an alium induxerit ad peccandum, quia tunc nouam habet malitiam scandali, & hoc debent confessarij semper habere præ oculis. Circa circumstantiam, *Cur*, notandus est finis, propter quē eligitur medium. Et hæc circumstantia sæpius mutat speciem peccati, quia sæpius medium, quod eligitur propter illum finem, non est medium à natura ipsa ordinatum ad talem finem. *Verbi gratia*, eligitur mæchia ad furtum. Si enim media, licet secundum se mala sint ab ipsa natura ordinata ad talem finem, ille finis consequatur, satis est explicare finem. *Verbi gratia*, vsus est quis tactibus impudicis ad libidinis actum, adepto actu satis est illum explicare, nec est opus tactus impudicos confiteri. Circa circumstantiam, *Quomodo*, explicanda est diurnitas propositi committendi peccatum: & frequens de eo cogitatio: insuper patrati criminis ratihabitio, seu complacentia: per hæc enim omnia colligitur mentis intentio. Si vero quis peccauit ex consuetudine, hoc est, post iam multa commissa peccata eiusdem speciei, & confessa, eam consuetudinem dicturus est confessario, quia ex ea colliget confessarius morale periculum perseuerandi in eo, & applicabit efficaciora remedia. Circa circumstantiam, *Quando* dicendum est, an lege prohibitum sit, vt tale opus fiat tali tempore. An vero omne peccatum ex eo quod fiat in die festo grauius reddatur, affirmarunt Alens. D. Bonauent. & alij, quos refert Cordub. *lib. 1. quæst. 6.* Oppositum tamen est verum. Ita Sot. *lib. 2. de iust. quæst. 4. art. 4.* Couar. *cap. Alma p. 1. §. . num. 3.* Nauar. *cap. Consid ret. nu. 12.* & *in sum cap. 6. num. 9.* traditurque 2. 2. *quæst. 122.* Ratio eorum est, quia licet finis diei festi, sit diuinus cultus: & qui peccat hunc diuinum cultum violet, cum tamen finis præcepti de sanctificando festo, non cadat sub præceptum, nullum qui peccat in die festo, frangit præceptum, ac proinde non tenetur illam circumstantiam in confessione aperire.

8 QVAEST. *Estne opus ad integritatem confessionis dicere peccata iam semel confessa?* RESP. Dico primum. Cum confessio fuit inualida, requiritur ad integritatem subsequētis confessionis, peccata iam confessa iterum confiteri.

Hæc propositio adeo certa est, vt licet ex malitia confessarij intentionem non habentis absoluendi, inualida inciderit confessario, tenetur peccata iterum clauibus Ecclesiæ subijcere. Dico secundum. Cum valida fuit confessio peccata semel confessa, non sunt amplius ex necessitate confitenda. Ita Benedict. XI. *Extrauag. Inter cunctas de priuileg.* Ioan. XXII. *Extrauag. Vas electionis de hæretic.*

9 QVÆST. *Quando est confessio nulla?* RESP. Quando defuit dolor necessarius, cum proposito cauendi in posterum: vel integritas confessionis: vel intentio absolutionis: vel formæ prolatio: vel prolatio verborum eo modo vt sensum formæ mutaret: vel iurisdictio ad absoluendum. Non est autem inualida confessio facta sacerdoti habenti iurisdictionem, ita tamen indocto, vt nesciat iudicare inter mortale aut veniale peccatum, inter reseruatum, aut non reseruatum (quanquam nonnulli Theologi id dixerint, vt refert Gabr. *in 4. d. 17. qu. 1. art. 3. dub.* 2. Anton. *3 p. tit. 14. cap* 19. Sylu. *confessio. 1. quæst. 6.* Vide *Sum. num. 168.*) si pœnitens bona fide apud illum confiteatur. Dixi bona fide, quia si mala fide id faciat, hoc est sciens, & prudens eligit talem ineptum confessarium, qui remedia pœnitenti adhibenda, inualida erit confessio ex indispositione pœnitentis. Ita ex Caiet. Per. Sot. *lect. 2. de confes.* cum alijs, quos refert Cord. *in sum. vulgari. quæst. 3.* & sequitur Doctor Suarius.

10 QVÆST. *Quo modo facienda est iterum inualida confessio?* RESP. Dico *Primum*. Si fit alteri confessario, distinctè omnia sunt repetenda. Dico *secundù*. Si fiat eidem confessario, & ille meminerit peccatorum omnium, tunc verbo potest fieri accusatio, Sicuti fieri potest, cum confessor omnia nouit extra confessionē. Si vero confessarius peccatorum sit oblitus, dubitant Doctores, an sufficiat illud vnum verbum, nimirum si sufficiat dicere, Accuso me reum omnium peccatorum, quæ tibi Pater confessus sum. Negat Cord. *in summ. quæstion. 6.* Ratio eius est, quia ad imponendam pœnitentiam, oportet meminisse peccatorum. Affirmat Medin. *Codic. de confes. qua. de circumst. & quæstion. de confessio. facta malo sacerdoti.* Adrian. *quæstion. 4. de clauib.* Ratio eorum est, quia memoria confessarij non requiritur ad absolutionem im-

perti-

pertiendam: nam si quis dies plurimos consumat in confessione facienda, & confessarius die vltimo non recordetur peccatorum, illum potest absoluere. His non obstantibus dico sic. Si confessarius nec distincte, nec confuse habet notitiam status conscientiæ pœnitentis, & in præterita confessione pœnitentiã non imposuit, requiritur, vt distincte fiat mentio peccatorum. Secus dicẽdum est, si saltem confuse recordatur: vel pœnitentiam in præterita confessione imposuit. Ita sumitur ex Palud. *in 4 d. 17 quæst. 5. num. 22.* Sylvest. *confess. 1. qu. 3.* Nauar. *in summa. ca 9 nu 19.*

11 QVÆST. *Estne confessio inualida, ac proinde nulla, & ideo iteranda, si pœnitens excommunicatus prius à peccatis, quam à censura fuit absolutus?* RESP. Si censura non erat reseruata, ea reseruatione, vt priuaret confessarium iurisdictione in foro Sacramentali: & talis confessarius tam super eam, quam supra peccatum habebat iurisdictionem: & pœnitens bona fide ex parte sui fuit absolutus, valida fuit confessio & ideo non est iteranda. Ita Suarius cum veriori sententia. Dixi, Si censura non erat reseruata ea reseruatione, vt tolleret à confessario iurisdictionem circa peccata, quia ita aliquando ferri potest. Dixi, si pœnitens bona fide fuit absolutus, quia si mala, hoc est, sciens prius petendam absolutionem à censura, quam à peccatis, peccauit grauiter in recipienda absolutione à peccatis, & ideo fecit inualidam, & sacrilegam confessionem. Dixi, ex parte sui, quia si mala fides fuit ex parte confessarij volentis illum non absoluere à censura, absoluendo à peccatis, adhuc valida est confessio.

12 QVÆST. *Omisit quis peccatum in confessione, ex ignorantia vincibili oblitus, in qua oblitione peccauit lethaliter, nimirum, quia non adhibuit diligentiam necessariam in examinanda conscientia, rogo, an talis confessio fuerit inualida, & ideo sit iteranda?* RESP. Res est controuersa. Pars affirmans defenditur à Suario *disp. de integ. confess. sect. 5.* Licet oppositum multis teneatur.

13 QVAEST. *Oblitus est pœnitens satisfactionis impositæ, teneturne iterum peccata confessa, propter quæ fuit imposita pœnitentia iterum confiteri?* RESP. Videntur affirmare Palu. *in 4. d.*

in 4. *d.* 17. *quæst.* 5. *art.* 3. Richard. *artic.* 2. *quæst.* 8. *ad.* 4. Dia. Anton. 3. *p. tit.* 14. *cap.* 16. Sylueſt. *confeſſio.* 1. *quæſt.* 3. Oppoſitum tamen eſt practicè verum, & abſque vllo ſcrupulo tenendum. Ideo, quocunque modo pœnitens, culpabiliter, inquam, vel inculpabiliter oblitus fuerit pœnitentiæ, non tenetur repetere præteritam confeſſionem. Ita Gabr. *in* 4. *d.* 17. *quæſt.* 1. Caietan. *verb. confeſſio. iuxta fin.* Medin. *de confeſſ. rep. confeſſio.* Sot. *in* 4. *d.* 20. *art.* 2. *ad* 3. Maior. *d.* 17. *quæſt.* 6. *dub. vlt.* Nau *cap.* 9. *num.* 17. Pet. Sot. *lect.* 2 *de ſatisfact.* Ratio eſt, quia per priorem confeſſionem culpa omnino fuit remiſſa, abſque vlla dependentia à ſatisfactione implenda: ſatisfactio autem poteſt impleri alijs pœnis ab alio confeſſario impoſitis pro peccato commiſſo in culpabili obliuione.

14 Qvæst. *Eſtne de neceſſitate integræ confeſſionis, confiteri peccata venialia?* Res p. Minime. Ita decreuit Conc. Trident. *ſeſſi.* 14. *cap.* . *& can.* 7. Et hæc fuit Chriſti Domini inſtitutio, iuxta Eccleſiæ traditionem. Ideo vel tota, vel aliqua poſſunt à pœnitente omitti.

15 Qvæst. *Quid cenſes de peccatis dubijs?* Res p. Dico *primum.* Peccata moralia dubia ſunt de neceſſitate confeſſionis. Ita D. Thom. *in* 4. *d.* 17. *quæſt.* 3. *artic.* 1. *& 2. quæſt.* 2 *art.* 3. Palud. *quæſt.* 2 *circa finem.* Rich. *diſt.* 16. *num.* 5. *quæſt.* Sot. *d.* 18. *quæſt.* 2. *art.* 4. Med. *de confeſſ. facta ſacerdoti* Nau *in ſum. cap.* 9. *numer.* 14. Sylu. Victor. & Summiſtæ. Ratio eſt, quia in dubijs tutior pars eſt eligenda. Dico *ſecundo.* Hæc dubia peccata, vt dubia ſunt confitenda non vt certa.

Ratio ſumitur ex Concil. Trident. decernente eſſe confitenda peccata, quæ ſunt in conſcientia: ergo vt ſunt, ſunt confitenda. Deinde quia dicere certum eſſe, quod ſcio eſſe dubium, ex ſe eſt mendacium. Tertio, quia aliter grauiter deciperetur confeſſarius. Dico *Tertium* in confeſſione peccati dubij, ſemper adiungenda eſt materia certa. Hæc autem poteſt eſſe quodlibet veniale peccatum. Ratio eſt, quia aliter conficiendum eſſet Sacramentum ſub conditione: hoc autem nunquam eſt admittendum, niſi cum aliter fieri non poſſit. Ita Doctor Suarez *loco citato.*

Quale verò oporteat eſſe hoc dubium, controuertunt Doc-

Doctores. Dicendum vero tunc esse hoc dubium quando peccator probabiliter iudicat se peccasse mortaliter: de alia vero parte solum habet quandam suspicionem. Deinde cum peccator habet pro vtraque parte probabiles rationes dubitandi ; & pro neutra potest iudicium ferre. Ita Nauarr. *in sum. cap. 9. num. 14.* Quæstio grauis est. an tale dubium dicendum sit, in quo est peccator, qui pro vtraque parte habet probabiles rationes; quamuis in alteram cum maiori, vel minori probabilitate inclinet nimirum se peccasse, & non peccasse mortaliter? Negat Suarius, aitq; peccatorē tuto se posse conformare iudicio probabili, quo iudicat se non peccasse, & ideo nō teneri tale peccatum confiteri. Ita etiam Sylu. *confessio. 2. quæst. 2.* Ratio eius est: quia homo in rebus practicis, potest sequi opinionem probabilem, non obstante probabili, vel etiam probabiliore, quando in rebus ipsis non imminet aliquod periculum vt traditur 1. 2. *quæst. 29. & 20. in materia de conscientia.* quoniam in hac vita nequit haberi certitudo, & propterea, cum pro vtraque parte controuertunt Doctores, possum tuto sequi probabilem aliquorum opinionem, & confessarius tenetur, si velim, illi opinioni conformari.

16 QVAEST. *Quæ confessio non integra est sufficiens?* RESP. Dico *primum.* Confessio in qua aliquod peccatum omissum est propter obliuionem naturalem , aut ignorantiam inuincibilem, valida est, & integra formaliter, licet materialiter diminuta. Ita communiter Doctores. Ratio est, quia illa ignorantia antecedens, facit inuoluntariam omissionem, vt traditur 1. 2. *quæst. 6.* Dico *secundum.* Confessio in qua omissum est peccatum propter culpabilem moraliter negligentiam non est , integra, & ideo iteranda. Ratio est, quia illa negligentia culpabilis non excusat voluntariam omissionem: ac proinde illa culpabilis ignorantia æquipollet scientiæ. Dixi propter culpabilem moraliter negligentiam , quia non sufficit negligentia venialis, vt notat Doct. Suarius. Resolutio est Caietan. *verb. confess. cond. 10.* Pet. Sot. *lect. 10. de pœn.* Nau. *in sum. cap. 9. num. 16.* Medin. *de confess. quæstion. de confess. dim. iteranda.* Sumitur ex Conc. Trident. *session. 14. capit. 3.* vbi ter ait necessario adhibendam diligen-

tem

tem examinationem conscientiæ ad digne accedendum huic sacramento recipiendo, ergo, qui non adhibita necessaria diligentia, accedit ad hoc sacramentum mortaliter peccat, & proinde nullum recipit sacramentum.

17 QVÆST. *Ob quas causas fieri potest confessio diminuta.* RESP. Ob tres. Propter defectum vitæ propriæ: nam quis est morti vicinus, satis est dicere vnum tantum peccatum. Secunda propter assistentiam aliorum, qui abscedere nequeunt, vt contingit in naufragio, vel in [illegible] bello, statim conficiendo. Tertia, cum sacerdos pœnitentem auditurus timet contagium infirmitatis, vt contingit in peste. Aduerte tamen in prima; & tertia causa dicendum esse peccatum, quod grauius pungit conscientiam. In secunda vero, quod minus gignat scandalum. Doctor. Suar.

18 QVÆST. *Quid censes, cum pœnitens explicare neque conscientiam, nisi per nutus, vel signa aliqua, quæ ostendant animi dolentis peccatum à se commissum in communi?* RESP. Negat Sot. *in 4. dist. 18. quæstion. 2. articul. 5.* Ledesm. *quæstion. 8. artic. 4.* Canon. *relect. de pœnitent. p. 5.* Nauar. *capit. 26. sum. num. 27.* cum Abulens. quem citat. *quæst. 4. in capit. 16. Matth.* Ratio eorum fundamentum habet in Concil. Trident. quia Conc. Trident. damnat confessionem in genere, atque faciendam esse in specie, hoc est damnat confessionem, qua quis fatetur se esse peccatorem, aitque necesse esse dicere se esse peccatorem in aliquo genere peccati. Talis autē confessio, est confessio in genere, neque nouum circa talem pœnitentem gignit confessario iudicium, sed quod habet de omnibus ratione vtentibus, omnes enim peccatores sumus, iuxta illud Ioannis. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Nihilominus opposita sententia practicè est vera in præsentia confessarij, secuta & exercenda. Ita Palud. *in 4. d. 23. qu. 2. art. 2.* D. Anton. *3. p. tit. 10. ca. 2.* Sylu. *confessor. 3. quæ. 13.* Angel. *confess. 4. num. 8.* Medin. *de confess. qu. de pec. oblitis.* Ruard. *art. 3. cont. Luth. pag. 140.* Cord. *lib. 5. de indulg. qu. 39.* Ratio est, quia est in necessitate vera accusatio specialis. Conc. autem Trid. locutum est de materia certa, quæ volun-

tarie

tatie omittitur, quæ quidem omnino danda est, & communis non sufficit, cum certa & particularis dari potest. Itaque asserendum est, si propter temporis angustias, vel impedientem aliquam necessitatem, pœnitens nequit plusquam signa contriti animi peccantis ostendere, volens per ea signa peccatum à se commissum, & recognitum, quodcunque fuerit, iudicio sacramentali subijcere, esse talem pœnitentem absoluendum.

19 QVAEST. *Sufficitne ad veram confessionem hæc signa dare in absentia confessarij, si confessarius in præsentia pœnitentis adhuc vsui sufficientia habeat testimonia de præteritis signis habitis & in ordinem ad confessionem præbitis, petendo confessionem, quæ illi non est adhibita propter absentiam confessarij?* RESP. Affirmant Suarius *de pœnitent. disput. de confess dimin.* & sufficiente, aitque confessarium teneri talem pœnitentem absoluere subintellecta conditione, si absolui possit. Hoc intelligit, vt proposuisti, si ea signa contritionis de dit inordinem ad confessionem, petendo, vt illi vocetur confessarius. Aliter, quamuis se deuotum, & contritum præbeat infirmus, non est absoluendus. Aliquæ difficultates, quæ opponi possunt, soluit idem Doctor, quas breuitatis causa prudens omitto, & sciens.

20 QVAEST. *Quid dicendum arbitraris, cum ex reuelatione peccati in confessione graue sequetur nocumentum proprium, vel alienum?* RESP. Dico *primum.* Nemo tenetur confiteri peccatum, ex cuius confessione sequetur graue nocumentum proprium. Ita D. Tho. *in 4. d. 17. qu. 3. ar. 3. qu. 4. ad 5.* Palud. *ibi qu. 5.* Maior. *qu 5.* Alens. *3. p. qua. 77. memb. 3. ar. 1. ad 1.* Altisiod. *in sum. tract. 6. ca 3. q. 3.* Pet. Sot. *lect. 10. de conf.* Can. *de pœn. p. 5.* Nau. *in sum. ca. 7. nu. 3. & 42* Ratio est, quia hoc præceptum non obligat cum tanto periculo. Dico *secundum.* Nemo tenetur confiteri peccatum, ex cuius confessione sequetur graue periculū alterius tertiæ personæ. Ita citati Doctores. Ratio est, quia eadem charitatis lex erga nos quæ vnumquemq; deobligat à seruando hoc præcepto, cū illius obseruatione sequetur graue nocumentum proprium, deobligat nos ab eodem seruando cum sequitur graue nocumentum proximi, siquidem illum ac nos diligere iubet. Dico *tertium.* In his

euentis

euentis timor non satis est quiuis, sed debet esse probabilis, & cadens, (vt grauiter aduertit Doctor Suarez in prudentem vitum. Nam cum omittenda sit grauis præcepti executio, non quæuis causa debet esse sufficiens.

21 QVÆST. *In superioribus euentis, quomodo facienda confessio?* RESP. D. Thom. *in* 4. *d.* 17. *quæst.* 3. *art.* 3. Vig. *Inst. catho. cap.* 26. §. 4. *vers.* 17. arbitrantur tunc omnino esse omnino confessionem, debereque pœnitentem se gerere, ac si non haberet copiam confessoris. Dicendum. In ijs euentis facienda est confessio de cæteris peccatis, tacendaq; peccata, ex quorum reuelatione [illegible] periculum nocumenti prædicti. Ita docent Sot. & Suar. ex Alens. & Palud. *locis citatis sup.*

22 QVÆST. *Estne contra confessionis integritatem negare factum, vel affirmare quod pœnitens non fecit?* RESP. Dico *primum.* Dicere aliquod mendacium in confessione de re, quæ non pertinet ad materiam confessionis, est peccatum veniale, grauius quidem eo, quod esset dictum extra confessionem. Ita Suar. Ratio est, quia irreuerentia non est tanta, vt culpam inducat mortalem. Dico *secundum.* Negare in confessione aliquod peccatum veniale non est plus quam veniale. Ita Suar. propter suprædictam rationem. Si vero quis prudenter amphibologia vtatur (qua quidem in hoc casu vti potest; quia non iniuste interrogetur à confessore, siquidem rogatur de re, quam dicere minime tenetur, peccata enim venialia, non [illegible] de necessitate confessionis, vt iam *supra* respondi) [illegible] veniale peccatum erit. Dico *tertium.* Affirmare in confessione aliquod peccatum veniale, quod pœnitens non commisit, non dando aliam materiam, est peccatum mortale, & graue sacrilegium. Ita Suar. Ratio est, quia forma profertur irrita, & nulla, vtpote non habens materiam, quā informet. Dico *quartum.* Affirmare aliquod veniale, quod pœnitens non commisit, simul cum [illegible] à se commissis, peccatum est mortale, docuit Palud. *in* 4. *d.* 21. *quæst.* 2. *num.* 12. D. Bonau. *art.* 2. *quæst.* 2. Caiet. *in confess. cond.* 4. Arm. *num.* 5. Ledesm. 2. 4. *quæst.* 5. *art.* 4. Ratio eorum est, quia cadit forma supra falsam materiam partialem. Nihilominus non esse peccatum mortale ex

nuit Ang. *confess.* 1. *num.* 16. & 17. Sylu. *qu.* 8. Sot. *d.* 18. *qua.* 2. *art.* 4. Pet. Sot. *lect.* 10. *de pœn.* Nau. *capit.* 21. *num.* 37 Suar. *disp. de integ conf.* Ratio eorum est, quia defectus est in materia non necessaria, deceptio autem confessoris est in re leui, & ideo sacramento non fit grauis irreuerentia, confessoris autem iudicium non immutatur not abiliter. Contra hanc secundam, & veriorem sententiam opponitur grauis obiectio. Si quis inter hostias triticeas ponat alias hordaceas, & super omnes proferat formam Eucharisticam, peccaret sine dubio mortaliter, ex eo quod veræ materiæ sacramenti Eucharistiæ apponit falsam, ergo similiter peccabit, qui veræ materiæ sacramenti Pœnitentiæ, apponit falsam: hoc autem facit, qui confitetur peccata verè à se commissa, & simul peccatum à se nunquam commissum, ergo, &cæt. Obiectionem sic soluit Suar. concedendo assumptum, negando consequentiam: quia forma Eucharistiæ per se primo designat materiam præsentem, & sortitur effectū circa illam quam significat: forma vero pœnitentiæ per se primo designat personam pœnitentis, & effectum circa illam, nimirum remissionem peccatorum: quæ remissio non impeditur propter aliquod veniale peccatū. Deinde, quia peccata sunt materia remota Pœnitentiæ. Materiæ autem remotæ veræ miscere aliquam falsam, non est mortale, vt non peccaret mortaliter, qui aquæ veræ ad Sacramentum Baptismi misceret rosaceam, ex ignorante deuotione. Dico *quartum*. Negare in confessione, seu tacere aliquod peccatum mortale, reuera à se commissum, est grauissimū sacrilegij peccatum. Hæc est Catholica veritas à nemine negata. Dico *quintum*. Affirmare ex malitia in confessione à se commissum fuisse aliquod peccatū mortale, quod reuera pœnitens non commisit, arbitratus est *Syl. loco proximo* esse tantum culpā venialē. Ratio eius est quia non est mendacium perniciosum: graue sibi, n facit iniuriam, non iustæ infamiæ, quæ quidē leuis videtur. Oppositum est omnino asserendum cum citatis Doctor. insuper cum D. Bonau. *in* 4. *d.* 17. *qu. vlt.* Vict. *in sum. nu.* 130. Nau. *cap.* 27. *nu.* 248. dicendumq; esse graue sacrilegium, contra veritatē iudicij sacramentalis, decipiendo in materia graui, & necessaria iudicem

illius ſacratiſſimi foro pernicioſo mendacio, erga ver-
ſimum ſacramenti tribunal. Ita Doctor Suarius.

23 QVÆST. *Eſtne diligentia adhibenda, in examinanda con-
ſcientia, vt ſatis fiat præcepto confeſſionis?* RESP. Eſt quid
Ita docuerunt omnes Catholici Doctores, Eamque
quamcunque volunt, ſed grauem, & neceſſariam.
Scot. *in 4. d. 17. art. 2.* Gab. *quæſt. 1.* Maior. *quæſt. 3.* Sot.
quæſt. 2. art. 4. Ledeſm. *2. 4. quæſt. 5. art.* Caiet. *tom. 1. Op.
tract. . quæ 3.* Vict. *in ſum. num. 178* Pet. Sot. *lect. 10. de con-
feſſ.* Sylu. *conf. 1. quæſt. 3.* Nau. *cap. 9. num. 16. &c.* Fratres
pœn. d. 5 num. 66. & Conc. Trid. *ſeſſ. 14. cap. 5.* exactiſſimis
verbis id declarans. Quam vero grauis, & neceſſaria
adhibenda, colligendum eſt ex conſcientiæ cuiuſque fi-
bus, ac latebris, quas quidem explorare iubet Con. Tr.
Cauendum tamen eſt, ne ſit nimia ſolicitudo, & anxie-
tas in certo omnino peccatorum numero inueſtigan-
Ratio Suarij eſt, quia præceptum de integritate confeſſi-
onis, non obligat ad ſummam diligentiam, ſed tam-
ad moralem. In nimietate vero ſolicitudinis peccatum
interuenire docet. Nau. *cap. Fratres. num. 72.* quia nimia
perturbat conſcientiam. Hinc manifeſtè apparet pec-
lethaliter pœnitentem, qui ad pœnitentiæ Sacramentum
accedit, non præhabito diligenti, & neceſſario exa-
ad peccata inuenienda, vt certus eorum numerus
minuſve aperiri poſſit in confeſſione. An vero, qui
hac mortali negligentia accedit, recipiat verum Sacra-
mentum, controuertunt Doctores. Inter eos affirmat
Sot. *d. 8. qu. 3. ar. 3.* Cano. *de pœnitent. p. 3. con. 3.* Vict. *in ſum.
nu. 148.* atq; in hoc euentu concedunt Sacramentum Pœ-
nitentiæ informe, hoc eſt, verum abſque effectu, Nega-
dum tamen eſt cum Caietan. *verb. conſ. cond. 10.* Ioan.
Opuſ. obſcurius loquatur. Pet. Sot. *lect. 10. de pœn.* Nau.
9. num. 16. Medin. *cod. de confeſſ. tit. de confeſſ. dim. iteran.* Ra-
tio eſt, quia non eſt vere attritus, qui peccando mortali-
ter accedit ad Sacramentum: ſed ad eſſentiam ſacramen-
ti requiritur vera attritio, ergo, &c.

10 QVÆST. *Quoniam vna ex præcipuis difficultatibus eſt
poſſit pœnitens facere non integram confeſſionem propter
quod peccatum reſeruatum, ſupra quod non habet confeſſ.
iuriſdictionem, & hæc materia de reſeruatis eſt valde vtilis*
neceſſ.

necessaria, profer quid dicendum sit de ea? RESP. Dico *primũ*. De fide est posse valide, & licite peccata reseruari. Ita definiuit Con. Trid ex perpetua traditione Ecclesię. Fremat hæretic⁹ Wicleff. vt refert Wald. *to. 2. sacr. c.* 149. Ratio est, quia iurisdictio inferiorũ ministrorum, manat à superioribus Prælatis, & ideo potest ab eisdẽ largius, vel stricti⁹ cõmunicari, pro vt expedire iudicauerint cõmuni vtilitati fidelium. Dico 2. Quicunq; delegans iurisdictionẽ, potest delegato iurisdictionẽ dare circa hæc, & non circa alia peccata Hęc est certa, etiam circa quosuis parochos, vt in particulari de illis adnotauit Maior *in* 4. *d* 17. *quæ*. 5. Quanquã, vt docet Suar. non sit in more eos vti hac, qua polsũt, autoritate. Dico *tertiũ*. Reseruatio peccatoru fieri potest ob solam meram voluntatẽ reseruantis, absq; vlla causa. Ita Suar. cũ cõmuni. Dico *quartũ*. Iurisdictio postquam semel delegata est absolute, etiam potest postea coarctati particulariter, & ideo erga talem delegatũ possunt reseruari peccata. Ratio est, quia delegatio, non est, absoluta donatio, sed quædam concessio, pendens à voluntate delegantis. Dico *quintum*. Peccant grauiter Prælati, qui absque vlla rationabili causa, sed ob suum commodum, vel contumaciam sibi multa peccata reseruant cum immodico grauamine subditorum. Veruntamen talis adhuc reseruatio valida est, & tenet Ita Suar. docte, & grauiter. Ratio prioris partis est, qua Prælati Ecclesiæ positi sunt ad regendam Ecclesiam Dei in ædificationẽ, non autem in destructionem. Ratio secundæ partis est, quia alioqui liberum maneret pœnitentibus, & confessarijs iudicium de iniusta reseruatione, & inualida: quod quidem conscientijs maximo foret nocumento. Dico *sextum*. Prælati ordinarij superiores, possũt reseruare sibi peccata erga pastores Ordinarios inferiores. Ita videtur de fine certum ex Conc. Trid. & ex traditione, & perpetuo vsu Ecclesiæ. Ideo Papa potest reseruare erga alios quoscunq; inferiores: Episcopi erga parochos, &c. Dico *septimum*. Hanc reseruationem Ordinariorum erga alios inferiores ordinarios, possunt superiores non solum sibi, sed etiam tertiæ alij personæ à se electæ reseruare, Conclusio est contra Sot. *in* 4. *d*. 18. *q*. 2. Veruntamen eam tuetur Suar. & probat ex praxi Nam Papa interdum reseruat

sibi, interdum Episcopis, & Conc. Trident. *sessi.* 24. quædam reseruat Episcopo vel vicario Episcopi, quædam soli Episcopo. Dico *octauum.* Reseruatio facta ab Ordinarijs, erga Ordinarios prælatos vt iusta sit, debet esse rationabili causa. Si vero sine causa iusta fiat, arbitrantur Sotus, & Ruardus *locis citatis*, eam esse inualidam, & irritam. Affirmat veruntamen Sylu. *confessor.* 1. *quæstion.* 3. Hentiq. *quodlib.* 27. Alij loquuntur cum distinctione, dicuntque summum Pontificem posse reseruare absque causa erga omnes omnino alios Ordinarios; Episcopum vero non posse erga parochos. Ita Maior *in* 4. *d.* 17. *quæstion.* Angel. *verb. casus.* Ratio eorum est, quia iurisdictio parochorum, non est ab Episcopis, sed a Papa; & ideo Episcopi nec parochias diuidere, nec mutare proprio potestate queunt, sed tantum vt Apostolicæ sedis Legati, vti notauit Concil. Trid. *sessi.* 21. *cap.* 4. *de reform.* Hæc distinctio non displicet Suario. Dico tamen (quidquid speculatiue defendi possit) practicè semper reseruationem esse seruandam, recurrendumque ad superiorem prælatum ordinarium reseruantem.

23 QVÆST. *Quæ peccata reseruari solent, & possunt.* Resp. Dico *primum.* Peccata venialia non solent reseruari. Possent quidem, quia ad ea remittenda in sacramento Pœnitentiæ, etiam requiritur iurisdictio, quæ negari potest; & negata est aliquando inter Religiosos: verumtamen huiusmodi reseruatio esset inutilis, quia venialia peccata remittuntur extra hoc sacramentum. Dico *secundum.* Peccata mortalia purè interna, non solent reseruari. Possent quidem, quia ad ea remittenda in hoc foro, requiritur iurisdictio, quæ negari posset. Dico *tertium.* Si Prælati inferiores Papa reseruent peccata purè interna, reseruatio est nulla. Ita Doctor Sanct. Ratio est, quia ex tacito Ecclesiæ consensu peccata purè interna incapacia sunt, reseruationis. Dico *quartum.* Quoduis peccatum externum reseruari potest. Ita omnes sentiunt Catholici. Ratio est, quia ad quoduis peccatum externum, requiritur iurisdictio, quæ quidem ex iustis causis negari potest. Dico *quintum.* Ex vniuersalis communis nullum peccatum reseruatum est Papæ, quod non habeat annexam excommunicationem. In

qu

qua reseruatione non solum reseruatur censura, vt voluit Duran. *in 4. d. 17. quæst. 15.* & Caietan. *in summ. verb casu.* & Ruard *artic. 3 contra Luther.* sed & culpa, vt censuit D. Thom. *in 4. d. 17. quæst. 3 artic. 4. quæst. 2. ad 4.* Palud. *quæst. 1. art. 1.* Gabr. *quæ. 1. art. 3 dubio 2.* Maior. *quæst. 5.* Sot. *d. 18. quæst. 2. art. 5.* Nauar. *capit. 27. numer. 261.* Dixi, ex vi iuris communis, quia ex motu proprio Xixti V. de male promotis per saltum, reseruatur peccatum, & non apponitur censura. Dico *sextum.* Modo, ex vi iuris communis nullum peccatum est reseruatum Episcopis. Ita Doctor Suarius. Dixi Modo, quia olim reseruata erant aliqua per *extrauag. Super cathed de priuileg.* sed hæc reuocata est per *Clement. Dudum de sepult.* vt docet Suarius contra Gloss. *ibid.* & Sylu. *verb. casus.* Nam verba reuocationis absoluta sunt, nimirum. Omnino cassamus, atque per singulos casus discurrendo, latè & doctè probat Suarius. Dico *septimum.* Ex vi Constitutionum cuiusque Diœcesis, & ex consuetudine seruata, nonnulla peccata reseruata sunt; standum igitur est constitutionibus, & consuetudini.

26 QVÆST. *Qua peccata reseruantur in hac nostra Diœcesi Bracharensi?* RES P. Ea, quæ continentur *tit 3. de sacra. confess. Const. 6.* hisce Lusitanis verbis: *Os casos que à Nos, ou nosso Prouisor, ou Vagairos reseruamos sano os seguintes. Conuem à saber. Heregia Blasfemadores publicos Feiticeiros, ou Feiticeiras.* Homicidio voluntario, *posto em execucano, incendio feito acinte por fazer dano.* Item Sacrilegio *Excommunhano maior, posta por homen, ou por direito.* Item *auer alheo, cujo dono nano he sabido, que passe de cen reis, & nano passando os ponderano absoluer, com tanto que primeiro façano entregaro dito dinheiro para à fabrica dessa igreia donde forem freigueses. & sendo mais contia de cen reis se for no lugar onde estiuer nasso Prouisor, ou Vigairo, ou no termo, entregar selhes ha com o escriuano do seu carrego, para o mandar distribuir em obras pias. E sendo fora do dito luguar, & termo se entregar à o dinheiro, ou cousa alhea ao cura dolugar ao qual mandomes sob pena de excommunhano, & de pagar todo o que assi retiuer cõ outro tanto, que o entregue ao Visitador, que primeiro vier visitar à dita Igreia O qual preguntar à por isto na visitaçano, & o que achar mãdara gastar em obras pias, não achando certa informacano*

de cuio seia. Itẽ dizimos nao pagos as Igreias onde se dizem q
passẽ de valia de cẽ reis, & não passando os ponderão ab
com tanto, que satisfação à passoa à que assi forem dem
algũ sacerdote em outra maneira absoluer em este caso
mos, conuẽ à saber, sendo de maior contia de cen reis, a
nor. sen primeiro satisfazer à quem pertemçano pon
pessoa pena de excommunhano maior nestes escritos. Item
meros cladestinos, & testemunhas delles. Itẽ cõmutaçam
tos, quaesquer que seiano. Itẽ manos violentas em clerigo
o que se ordenou per salto ou com licença falsa ou que
furtiuamente. Item testemũh falso em actos, ou em
ptura falsa, & por que he cousa trabalhosa, & perigosa
Arcebispo por absoluiçano de todos os casos Pontificaes
est à Constituiçano todos os outros à Nos por direito
tirando estes assima conteudos cum mettemos aos Priores, Ab-
bades, Reitores, & curas de nossa Arcebispado, & lhes damos po-
der, que passano delles absoluer, como ò Nos por direito pode-
fazer.

27 QVAEST. *Quas conditiones habet sacramentalis confessio?* RESP. Sexdecim, quas Doctores his versibus comprehenderunt.

Sit simplex, humilis, confessio, pura, fidelis.
Sit nuda, discreta, frequens, libens, verecunda,
Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, quæ sit parere parata.

Quarum conditionum explicatio claret ex terminis fere per se notis; licet aliquæ ad substantiam: aliæ ad perfectionem confessionis spectent, vt ex tota materia de pœnitentia facile apparet.

28 QVÆST. *Grauis est controuersia de conditione secreta, scilicet necessaria sit ad substantiam confessionis sacramentalis, vt fiat ab ipsomet pœnitente coram solo sacerdote secreto, id est, absque alio arbitro, & conscio; quam confessionem Doctores appellant auriculam, dic igitur quid censes?* RESP. Dico primum. Secreta, vt modo exposuisti, confessio, quæ auricularis appellatur, honesta est, & sancta. Ita Conc. Trident. sess. 14. ca. 5. vbi oppositum errorem hæreticorum huius ætatis damnat, ex sacris canonibus, & consuetudine perpetua Ecclesiæ eruendo veritatem. Docuit eam Concil. Cabilon. ca. 33. Leo Papa epist. 18. Cypr. lib. de lapsis, & epist.

14. lib.

14.li.3.Hier.*in illud Eccl.*10.*si momorderit serpens.*Ang.*cap.* 10.*de ver. & falſ.pœn.* Baſil.*in pſal.*32.*& in reg.breuior.*288. Chryſ.*ho. in illud Iſa.Vidi Dom.ſedent.& Ioan.*20. Ratio, quia cum in hoc foro explicanda ſunt peccata, nõ ſolum publica,ſed ſecreta, congruũ erat,vt ſecreta foret cõfeſſio.Dico 2. Non poteſt Eccleſia per humanã legẽ præcipere confeſſionem non ſecretam. Ita Con.Trid.*ſupra* citatum.Ratio eſt,quia publica confeſſio, eſt res difficillima:ad rem vero difficillimã,non extenditur lex humana. Dico 3.Non eſt de neceſſitate confeſſionis, vt fiat ſecreto.Ita Rich.*in 4.d.17.ar.2.qu.*8.Palu.*qu.2.ar.1.*Sot *li.*18.*q.* 2.*a.*6.Caſtro cõtra hære.*verb. confe.*Caie.*tom.1.opuſ.tract. vlt.reſp.*5.Cano.*Relect.de pœn.p.*5.Docet eam Cõc.Tri.*ſeſſ.* 14.*c.*3.Ratio eſt, Quia inſtituitio ſacramẽti debuit occurrere caſib⁹ frequentibus, ſed frequẽtes ſunt euẽtus in quibus non poteſt fieri confeſſio niſi publice:ergo,&c. Dico 4.Non eſt præceptum diuinum,aut humanum,obligans pœnitentem,vt ſecreto confiteatur.Ita Doctor Suari.De præcepto diuino patet ex proxima concluſione. Præceptum humanum nullibi inuenitur. Conſuetudo tamen Eccleſiæ obtinet, vt ſine vrgente cauſa,& neceſſitate cõfeſſio ſecreto fiat:contra quam ire,peccatum eſt. Ita Ric. *ſupra* citatus,& Syl.*confeſſio.*1.*qu.*20.Suar,& alij.

29 QVAERIT. *Quoniam ſcriptura videtur dici publicum teſtimonium,rogo, vtrum pœnitens poſſit, & teneatur confiteri per ſcriptum cum aliter confiteri non poteſt?* RESP Dico *primum.* Vrgente magna neceſſitate, & præſente confeſſario confeſſio fieri poteſt per ſcriptum.Vrgens autem neceſſitas erit,cum voce ipſius pœnitentis nequaquam fieri poſſit confeſſio.Vel cum confeſſor nequaquam audit vocem humanam,ſed legere adhuc poteſt. Hæc concluſio eſt D.Thom.*in 4.d.17.quæſt* 3.*art.*4.*ad 2.quæſt.*3. D Auguſt.*cap.*10.*de ver. & falſ pœn* aſſerentium non eſſe de ratione huius ſacramenti, vt confeſſio fiat voce humana. Neq; de ratione præceptis;non enim præcipitur talis confeſſio præcepto diuino, aut humano,vt oſtendit,& probat Suar.*de pœnit.d.*21.*ſect.*1.*conclu* 1.*numer.*5.Eam aſſeruit Alenſ.4.*p.quæſt.*18.*memb.*4 §.*vlt.* Palud.*in d.*17.*quæſt.*2. *numer.*7.Richard.*articul.*2.*quæſt* 4.*ad* 4 Maior.*qua.*1. Adrian.*qu.*1.*de confeſſ.* Medin.*conc.de confeſſ.qu.de modo ſacr.*

confit Sot. *d.* 18. *quæst.* 2. *articul.* 6. Ledesm 2. 4. *quæst.* 2. *articul.* 3. *dub.* 5. *&* 6. Pet. Sot. *lect.* 2. *de confess.* Cano Rebel. *pœn.* 2. *p.* 5. Dixi præsenti confessario, quia absentie quam fieri potest. Ita tenuit olim Scot. *in* 4. *dist.* 17. *q. vnica* & modo Cardin. Tolet. *libr.* 15. *capit.* 4. Nunc ve non solum est verum, sed oppositum omnino fall & contra diploma Pontificium S. D. N. Clementis P VIII. cuius sequens est tenor. *S. D N. Re mature, ac diligenter considerata hanc propositionem, scilicet, licere per literas seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem sacramentalem obtinere, ad minus vti falsam temerariam, & scandalosam damnauit, ac prohibuit, præcipitque ne deinceps ista propositio publicis, priuatisve lectionibus, concionibus, & congressionibus doceatur, neue vnquam tanquam aliquo casu probabiliter defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo detur.* Causa insuper vrgens apud Suarium loco citato, est mia verecundia pœnitentis, quam patitur, si turpe ctum voce propria declaret. Hinc fit, vt vigente magn necessitate (quæ prouenire potest tam ex parte pœniten tis, quam ex parte confessarij) satis est, si pœnitens p senti confessario scripturam peccata continentem p beat, humiliterque significet in ea contineri peccata quibus vult, & petit sacramentaliter absolutionem, cu dum legit sacerdos, pœnitens annuit, vt vult Sotus, non annuit, vt vult Suarius.

30 QVAEST. *Estne valida confessio per scriptum, ea præsentia testium fide dignorum, facta vrgente necessitate, absentia confessarij accedente forma prolata ab ipso sacerdote præsenti, supra præsentem pœnitentem?* RESP. Valida quidem. Ita Sylu *confessor* 3. *quæstion* 13. August. *confessionum.* 8. Cord. *lib.* 5 *de indulg. quæst* 39. Habetur expresse Corc. Arausic. 1. *cap.* 12. & 26 *qu.* 6. *cap. Qui recedunt.* Item 26 *qu.* 6. Item *ca. Is qui. & cap. Iis qui* ex Con. Carthag. *capit.* 76. ex Leone. *epist.* 89 *vel* 91. Qui distincte ait, huiusmodi ægrotus nullum signum exhibere possit præsentia sacerdotis, si testimonium aliorum habeat non esse illi pœnitentiã denegandam. Eadem veritas habetur in *cap. Ægrotantes de confe. d.* 4. ex Conc. Carthag. *ca.* 34. Item docet Aug *li.* 1. *de adult. coniug. ca. vlt. &* li. 2. item

hom. in hom 41. Quę loca contra Sotum, & Canum oppositum asserentes adducit Suar. loco citato. Soluitque eorum obiectiones, assignatque discrimen inter materiam, & formam huius Sacramenti circa requisitam præsentiam. Nam forma requirit, vt in præsentia pœnitentis & confessarij proferatur; materia vero minime. Et hoc iuxta Ecclesiæ interpretamentum in sacris Canonibus, & nouissime in diplomate sanctissimi D. N. Clementis Papæ VIII. edito super hanc quæstionem, decernens de præsentia absolutionis, de materiæ vero præsentia relinquens antiquæ determinationi, vt legenti clare constabit.

31 QVÆST. *Estne valida confessio per interpretem, vel per nutus, cum aliter pœnitens nequit sacerdoti conscientiam aperire?* RESP. Valida quidem. Ita communiter Doctores, vt ait Suar. Ratio est, quia ad explicandam conscientiam in hoc Sacramentali iudicio, non est aliquod determinatum signum: sed satis est quoduis conscientiam declarans. Hoc intelligo cum aliter se pœnitens declarare nequit, quia si potest, graue peccatum est ex genere suo ordinem Ecclesiæ inuertere, vt animaduertit Suarius.

32 QVÆST. *Licetne pœnitenti propter integritatem confessionis reuelare confessario personam, & peccatum complicis?* RESP. Duæ in hac controuersia sunt extremæ sententiæ. Prima in hac reuelatione, etiam sine causa, nullum agnoscit peccatum, saltem mortale. Ita Caiet. 2.2. *quæst.* 73. *art* 2. fundamentum eius est, quia infamare apud vnam tantum personam grauem, non est grauis infamia iuxta illius opinionem, etiam extra confessionem. Altera extrema opinio asserit hanc reuelationem, etiam ex quauis causa factam, esse intrinsece malam, & peccatum mortale. Tribuitur D. Bonau. *opusc. de ratione confitendi. tom.* 1. *opus.* Ratio huius sententiæ est, quia demere famam alienam, est intrinsece malum ex quacunque causa: sed detegere complicis personam, & peccatum est illi famam auferre, ergo, &c.

Dico tamen *primum* Reuelare peccatum, & personam complicis in confessione absque vlla vrgente causa, est peccatum mortale. Ita Doctores 2.2. *q.* 73. cum agunt de

detractione in genere. Eos refert Sotus *lib. 5. de iust. q. 1. art. 2.* Ratio est, quia infertur proximo grauis iniuria. Dictum intelligo, cum reuelatio fit de peccato grauiter ex malitia: non vero cum fit de peccato leui, ignorantes vel inaduertentes. Dico *secundum.* Ex legitima causa licitum est personam complicis, & peccatum eius in confessione reuelare. Ita docet communis sententia: summa conclusio ex D. Thom. 2. 2. *q. 73. art. 2.* vbi detractionem ex iusta causa appellat materialem, & licitam: nam quisque est Dominus suæ scientiæ, & notitiæ, ergo illam reuelare potest, quoties occurrit rationabilis causa. Dico *tertium.* Legitima causa reuelandi in confessione personam complicis, & illius peccatum, est magna vtilitas pœnitentis, quæ ex reuelatione tali sequeretur. Ita Richard. *in 4. d. 21. ar. 3. q. 1.* Sylu. Armil. Medin. & alij. Nauar. *c. 7. num. 7.* Bernard. Senens. *serm. de confess.* Ratio D. Thom. est, quia tunc temporis potius vtilitati animæ propriæ, quam proximi vtilitati potest pœnitens consulere. Dico *quartum.* respondendo directe ad præcipuam quæstionem, an scilicet, cum non supersit aliud medium ad integram materialiter faciendam confessionem, quam reuelare complicem possim, & tenear dimittere confessionem, vel potius possim, & teneat complicem deregere Posse, pœnitentem, & teneri dimittere confessionem sensit Marsilius *in 4. q. 12. art. 1. ad 7.* Armil. *verb. confess. n. 11.* Nauar. *cap. Consideret. de pœn. d. num. 93.* & *in sum. cap. 7. num. 3.* Ratio eorum est, quia e duobus præceptis positiuo, & naturali, naturale est implendum, sed integritas materialis confessionis est de præcepto positiuo, præceptum vero de seruanda proximi fama est naturale, ergo, &c. Sufficiet igitur in eo casu facere confessionem formaliter integram. E contrario vero posse pœnitentem, & teneri confessionem facere materialiter integram, detegendo complicem docuit D. Thom. *opusc. 12. qu. 6. & in 4. d. 16. quæst. 3. art. 2. ad 4.* D. Anton. *3. p. tit. 14. cap. 19. §. 11.* Adria. *quæst. 1. de confess. §. sed oritur dubium.* Durand. *in 4. d. 16. q. 4.* Paludan. *q. 1. artic. 3. & d. 21. quæst. 3 art. 2.* Richard. *art. 1. qu. 2.* Maior. *qu. 2. ad finem & qu. 3.* Gab. *d. 17. q. 1. ar. 2. & d. 21. art. 3. dub. 2.* Almain. *d. 17. q. 1. art. 1.* Gerson. *in tract. de præcep.*

De-

Decalog. 1. p. q. c. 17. & 2. p. c. penult. & in quodam serm. de cœn. Dom. Caieta. *verb. confess cond. 3. & tom. 1. opusc. tract. 31. resp 5.* Medin. *de confess. quæst. de circumstantijs loc. & temp.* Sylu. *confess 1. quæst 24.* Angel *eodem verb. num. 3.* Rosel. *num. 6.* Victor. *in sum. 184.* Per. Sot. *lect. 2. de confess.* Cordub. *in sum. q. 1.* Sot. *d. 18. q. 2. art. 5. ad 4.* Ratio D. Thom. & aliorum ferme est. Quia cum subest periculum salutis spiritualis propriæ, & damnum temporale proximi tenetur quisque potius sibi, quam proximo consulere: sed in dato euentu subest periculum salutis spiritualis propriæ, & damnum infamiæ, proximi: ergo, &c. Maior ita est vera, vt eam in periculo æquali incommodi temporalis potius sibi quam proximo quisque prouidere possit: & aliquando teneatur. Veruntamen minor propositio, in qua totius negotij cardo vertitur, non probatur à D. Tho. neque ab alijs. Sed supponunt, quod oppositæ sententiæ Auctores constanter negant, nimirum periculum salutis æternæ pœnitentis, tacendo complicem, & ex consequenti peccatum, quod detegi nequit sine reuelatione complicis. Dico igitur. Vtraque opinio est probabilis, secunda tamen communior & probabilior. Illi adhæret Suar. Suarii est ratio huiusmodi, Nam hoc sacramentum pœnitentiæ est iudicium spirituale, sed in omni iudicio socius criminis pertinet ad eundem iudicem criminis qui iuridice potest interrogare de socijs, & reus tenetur in conscientia veritatem dicere, & socios detegere, & socijs nulla fit iniuria tam interrogando de illis, quam detegendo illos, quia libere per commissum crimen se iudici subiecerunt, ergo, &c. Est deinde aliud fundamentum eruitum ex vtilitatibus pœnitentis, si palam detegat complicem: nimirum liberatur onere iterum confitendi eam circumstantiam, quam tacuit protegendo complicem, quam quidem raro dicere poterit absque noua peccati totius confessione. Deinde, quia inseruit magnopere ad confusionem peccati, & ad comparandum necessarium dolorem. Vnde constat illam infamiam complicis non fieri contra iustitiam, neque esse detractionem formalem, sed tantum materialem. Cum igitur iuste pœnitens possit facere integram materialiter confessio-

confessionem, & præceptum integritatis eius obligat, cum iuste, & licite impleri potest, fit, vt pœnitens non solum possit, sed & teneatur complicem detegere iuxta communiorem sententiam.

33 QVAEST. *Non fuit quis socius criminis, sed obiectum circa quod versatum est crimen, ex malitia tantum criminis rogo, an ad confitendum integre peccatum, possit pœnitens, & teneatur personam illam in confessione detegere. verbi gratia obiectationibus corrosit quis famam certæ personæ, scelus quod illæ personæ commisit, nescientibus detegendo: detractio grauissima est ex grauitate personæ, de qua est detractum. rogo, an pœnitens possit, & teneatur illam personam confessario declarare, vt integram malitiam detractionis explicet?* RESP. Scio dubium tractum fuisse à Sot. atque decisum, vt de complice dixerat in superiori puncto. Negat tamen rectissime Suarius posse talem personam à pœnitente detegi in confessione, & iterum apud sacerdotem infamari. Ratio est, quia tota malitia fuit pœnitentis, non concurrente voluntarie illa tertia persona. Si ergo ex dimidiata confessione sequuntur illa pœnitenti incommoda, quæ vidimus sequi ex dimidiata circa complicem, & socium criminis, sibi imputet, qui solus crimen commisit.

34 QVAEST. *Teneturne obliuioſus propter integritatem confessionis scribere peccata, ne eorum multitudo excidat è memoria?* RESP. Minime quidem. Ita Sotus *loco cit.* Caiet. *tract. confess. condit.* 11. & Suar. Ratio est, quia ad hoc sacramentum, non requiritur diligentia extraordinaria, sed sufficit moralis, quæ humano more adhiberi solet ab omnibus: non possunt vero omnes adhibere diligentiam scribendi peccata quia non omnes sciunt scribere, ergo illa diligentia non est necessaria ad sacramentalem confessionem.

De satisfactione, tertia parte integrali Sacramenti Pœnitentiæ. §. 7.

1 *Quid est satisfactio.*

2 *An post remissam culpam adhuc maneat reatus ad aliquam pœnam.*

3 *An*

3 An confessarius possit satisfactionem pœnitenti imponere.
4 An liceat aliquando confessori pœnitentiam non imponere.
5 An post, anteue absolutionem, imponenda sit pœnitentia.
6 Quæ opera imponi possunt in pœnitentiam.
7 An possit imponi pœnitentia publice facienda.
8 An confessor possit imponere pœnitentiam impleudam à pœnitente, non per se, sed per aliam personam.
9 An imponi possit pœnitentia conditionalis.
10 An teneatur pœnitens acceptare pœnitentiam à cõfessario impositam.
11 An teneatur pœnitens acceptatam pœnitentiam implere.
12 Quo pacto se gerere debet confessarius cum pœnitente, qui non vult acceptare pœnitentiam.
13 Quando tenetur pœnitens pœnitentiam implere.
14 Quid acturus est pœnitens oblitus pœnitentiæ sibi à confessario impositæ.
15 Ad quid tenetur pœnitens factus impotens ad implendam acceptatam pœnitentiam.
16 An pœnitens satisfaciat præcepto implendi pœnitentiam sibi à confessario impositam, si petat ab aliquo, vt pro eo faciat eam pœnitentiam.
17 An satisfaciat præcepto, qui adimplet pœnitentiam in peccato mortali.
18 Quis est effectus sacramentalis satisfactionis.
19 An hic effectus redeat recedente obice, in quo fuit impleta satisfactio.
20 An possit fieri commutatio pœnitentiæ ab alio confessore.

21 An

21 *An per pœnitentiam sacramentalem impletum à pœnitente existente in peccato mortali, satisfiat pro pœna temporali.*

1 QVAESTIO. *Quid est satisfactio sacramentalis?* Respondeo Est offensæ præteritæ quo ad pœnam recompensatio. Ita Tolet. *lib. 3. c. 11. nu. 1.* Huic definitioni addit D. Th. ex sancto Anselmo: est compensatio ad qualitatem iustitiæ. Tradit eam sic Vict. *num. 199.* Sot. *in 4. d. 19. q. 1. ar. 2.* Nau. vero *c. 3. n. 1.* eam sic definit. Est passio voluntaria pœnæ pro peccato ad placandum Deum cum proposito eum amplius non offendendi. Bam urgit Sylu. *ver. satisf. n. 1.* Iure tamen merito animaduertunt inueni (quod antea iam aduerteram) à Vialdo *in suum delabro tit. de satisfact.* his definitionibus aliquid efficiendum, vt definitio quadret soli sacramentali satisfactioni. Igitur satisfactio sacramentalis sic optime definitur. *Satisfactio sacramentalis, est passio voluntaria pœnæ pro peccato à confessore imposita, ad placandum Deum, cum proposito amplius eum non offendendi.* Ratio huius animaduersionis est, quia satisfactio à pœnitente suscepta absq; præscripto confessoris, non est pars huius sacramenti Pœnitentiæ.

2 QVAEST. *Post demissam per contritionem culpam, remanetne adhuc suscipienda satisfactio pro pœna debita tali culpæ?* RESP. Negarunt hæretici multi, dixeruntq; per pœnitentiam deleri semper totã culpam, & simul totam pœnam. Oppositum est de fide definitum in Conc. Trid. *sess. 6. c. 4. & can. 30. & sess. 14. c. 2. & 8. can. 12. 13. 14.* Ratio est, quia Deus vt misericors, sic iustus est, ideo vt misericors dimittit culpam, vt iustus exigit pœnam. Hęc autẽ pœna quæ demissa culpa adhuc remanet satisfacienda, non semper in omni pœnitente remanet æqualis, sed maior, minorue pro quantitate contritionis, quæ quidem tanta aliquando erit, vt per eam tota pœna, simul cum culpa dimittatur. Ita communis Theologorum cum D. Th. *in 4. sent. gentes c. 72.* Caie. *to. 1. Opusc. tract. 4. q. 4.* Sot. *in 4. d. 15. q. 1.* Durand. *in 4. d. 17. q. 3.* Med. *tract. 1. de pœn. q. 7.* Quia tamen vt plurimum non ea datur contritio, vt plurimum non remittitur tota pœna, simul cum remissa tota culpa; sed

sed adhuc remanet aliquid pro ea satisfaciendum, quæ satisfactio, vt sit huius Sacramenti proximæ materiæ pars integralis, debet suscipi ex præscripto confessoris.

3 QVÆST. *Potestne confessor hanc satisfactionem imponere pœnitenti?* RESP. Potest. Et conclusio de fide Constat ex vsu, & traditione Ecclesiæ. Ex Conc. Florent. & Trid. & Cabilonensi. 1 *c.* 8. & Cabil. 2 *c.* 45. Moguntino. 1 *c.* 32. & alijs, quæ citantur *in decreto, d.* 90. *&* *dist. de pœn.* Dico secundum. Confessor tenetur hanc satisfactionem pœnitenti imponere. Ita iubetur *c. omnis vtriusque de pœn. & remiss.* à Conc. Trid. *sess.* 14. *c.* 8. Quod ius iam vigebat tempore Cypriani *epist.* 55. & Theod. *lib.* 4. *hær. fab.* vbi inter hæreses Andianorum refert, quod peccata sine vlla satisfactione remittebant, contra leges, inquit Ecclesiasticas. Ita docet Aug. *li. de ver. & fals. pœn. c.* 10. & 15. Ratio est, quia sacerdos in hoc Sacramento est minister, iudex, & medicus: satisfactio est pars integrans huius Sacramenti: est compensatio iniuriæ factæ Deo: est medicina peccatorum: sed minister tenetur integrum facere ministerium: iudex tenetur facere, vt compensetur iniuria parti lælæ; medicus tenetur adhibere medicinam ægroto, qui se illi sanandum tradit; ergo, &c. Dico tertium. Tenetur confessor hanc satisfactionem imponere proportionatam culpis confessis, & accusatis, iuxta suum prudens arbitrium. Ita Concil. Trid. *sess.* 14. *capit.* 8. vbi ait: Debent sacerdotes Dei, quantum spiritus, & prudentia subiecerit pro qualitate criminum satisfactiones imponere, ne forte alienorum peccatorum participes fiant. Idem docet. Concil. Mogunt. 2. *capit.* 3. Conc. Nissen. *capit.* 12. Habetur *c Deus. de pœn. & remiss. capit. ex multis de pœn. d.* 1. *&* 26. *q.* 7. Insinuat eam D. Aug *in Euchar c.* 65. Dixi iuxta suum prudens arbitrium, quia cum hæc satisfactio magis sit pœna medicinalis, quam vindicatiua, attendenda est magis pœnitentis præsens dispositio, quam culpę præteritę grauitas. Quod si antiqui canones sacri certas, ac determinatas pœnas peccatis imponendas certis decreuerunt (quas refert Maria. Vict. *in proprio opusc. de hac re*, & Burcard. *in Decret. lib.* 15. *&* 9.) eas decreuerunt peccatis publicis, pro quibus publica fiebat satisfactio, & pœnitentia. Hinc

sit, vt non liceat sacerdoti pro grauissima culpa, leuissimam imponere pœnitentiam, sicuti aliquos grauiter reprehendit Conc. Trid. Quanquam ad lenitatem magis propendere debet, vt docet D. Greg. Nazianz. *orat.* [illegible] Chrysosto. *hom.* 43. *oper. imperf.* & habetur *cap. Alligan.* 26. *q* 7.

4 QVAEST. *Licetne sacerdoti in aliquo euentu non imponere pœnitentiam? Aut illam minorem imponere?* RESP. Licet. Ita Caiet. *tom.* 1. *opusc. tract.* 6 *q.* 2. Pet. Sot. *lect.* 1. *de satisfact.* Nau. *c.* 26. *n.* 20. *in sum.* Euentus autem multiplex est. *Primus,* cum pœnitens est in extrema vitæ periodo, in qua iam nihil potest pati. Ita habetur *ca. Multiplex de pœn. d.* 1. & docet Leo Papa *epist.* 89. *vel* 91. Ratio est, quia frustra iubetur, quod implet, nequaquam potest. *Secundus* euentus est, cum sacerdoti constat à pœnitente assumptam voluntariam satisfactionem suo iudicio culpæ sufficientem. Ita Suar. & Richard. in 4. *d.* 18. *ar.* 2. *ad* 1. *Tertius* euentus est, cum pœnitens accedit nimis contritus; contritio enim grandis, multum de pœna debita aufert. Sic Tolet. *Quartus.* Quando pœnitens est ita imperfectus, vt timor sit ipsum non acceptaturum pœnitentiam, vel si accipiat non impleturum.

5 QVAEST. *Estne hæc satisfactio imponenda ante, vel post absolutionem?* RESP. Ante absolutionē quidem. Ita Gloss. *in Clem. Dudum de sepult.* D. Anton. 3. *p. tit.* 17. *c* 20. §. [illegible] Nau. *c* 1. *de pœn. d.* 6. 35. Syl. & alij. Ratio est, quia satisfactio est pars materiæ huius Sacramenti, quanquam integralis; ergo rectus ordo postulat, vt supponatur formæ.

6 QVAEST. *Quæ opera imponi possunt in pœnitentiam?* RESP. Dico *primum.* Imponi possunt ea omnia, per quæ pœnitens satisfacere potest ex opere operantis. Et ideo, quia peccator Deo satisfacit, non solum per opus consilij, sed etiam per opus præcepti, imponi possunt in satisfactionem non solum opera consilij, sed etiam opera præcepti. Ita Suar. & Tolet. ex communi placito. Dico *secundum.* Satisfacit homo non solum per opera externa, verum etiam per actus internos. Et ideo occurrente necessitate, imponi possunt in satisfactionem actus interni: verbi gratia vt pœnitens ægrotus ter mente proferat

ferat sanctum Iesu nomen, aut quid simile. Ita Doctor Suar. contra Alens. 4. p. quæst. 84. & Almain. in 4. d. 15. Ratio illius est efficax, quia plus requiritur ad essentiam partis essentialis, quam integralis: sed contritio est pars materiæ huius Sacramenti essentialis, satisfactio est integralis; ergo plus requiretur ad contritionem, quam ad satisfactionem. Atqui ad contritionem, satis est actus internus; ergo ad satisfactionem. Dico tertium. Opera externa per quæ peccator Deo satisfacit, & quæ in satisfactionem imponi solent, sunt tria. Ieiunium, Oratio, & Eleemosyna, Ieiunium quidem comprehendit omnia opera pœnalia carni. Oratio comprehendit omnia opera spiritualia, vt celebrationes missarum: prædicationum auditiones, peregrinationes, lectiones, & similia. Eleemosyna complectitur omnia opera misericordiarum quatuordecim. sic Tolet. lib. 3. cap. 11, num. 3.

7 Qvæst. *Potestne confessor imponere pœnitentiam publice faciendam?* Resp. Cum distinctione loquendum censeo. Vel enim imponitur publice facienda, vt deueniat ad notitiam aliorum ex præscripto confessoris ob culpam, seu occultam, seu publicam: vel imponitur publice facienda, ad publicam ædificationem Ecclesiæ, quam videmus sumi à pœnitentibus voluntarijs, & non coactis. Si priori modo imponi posse rogas, nego quidem. Ita Nau. in sum. capit. 8. num. 10. Ratio est, quia iretur contra sigillum sacerrimi secreti Sacramentalis. si vero secundo modo imponatur affirmo: tenetur enim pœnitens communi scandalo obuiare, & Dei honorem publice offensum, publice resarcire: sicut licitum est iubere pœnitenti, vt famam proximi publice restituat: ita maiori cũ ratione dicendum est de restitutione diuini honoris. Atque in hoc sensu affirmant D. Tho. in 4. d. 14. quæst. 1. artic 5. & dist. 17. qu. 3. artic. 4. ib. Palud. & Durand. atque D. Anton. 3. p. tit. 14. capit. 17. §. 6. Quanquam hi Auctores absolute videantur loqui.

8 Qvæst. *Potestne confessor imponere satisfactionem per alium implendam?* Resp. Potest quidem. Sic Tol. libr. 3. c. 13. Ratio est, quia vnus satisfacere potest pro alio: quam-

uis non mereri, vt doceri, & ostendi solet in 1. 2. D. Th.
Illud vero opus per liberam implentis donationem
pœnitentis: per præceptum vero confessarij, fit pars sa-
cramenti; ergo, &c. Ita D. Th. *in* 4. *d.* 20. *& ib.* Duran.
Palud. Sot. & alij. Alens. 4. *p. q.* 85. Cord. *lib.* 5. *de indulg.*

9 QVAEST. *Estne satis ad hoc sacramentum satisfactio*
posita sub conditione. verbi gratia si ieiunaueris vno die
satisfactionem horum, quæ accusata sunt peccata: Resp.
tis quidem. Ita D. Thom. *quod l.* 3. *art.* 22. Palud. *in* 4. *d.*
quæst. 2. *art.* 2. Victor. Ledesm. Pet. Sot. *locis supra citatis.*
Imo fuit opinio multorum Doctorum confessorum
non aliter, quam conditionaliter posse imponere satis-
factionem, nimirum si hoc facere volueris, si hoc fecerit.
Ita Sot. *in* 4. *d.* 18. *q.* 1 & ib. Gab. atque etiam *d.* 16. *q.* 1. *ar.*
3. *dub.* 5. Caiet. *tom.* 1. *Opusc. tract.* 6. *q.* 2. *ad* 2. Medin. *tract.*
2. *de confess.* Sylu. & Armil. *verb. confess.* Nau. *in sum. cap.*
numer 20. Beia cum pluribus 3. *p. casuum q.* 3. Fundamen-
tum eorum est, quia homo non tenetur in hac vita pro
peccatis satisfacere, sed potest omnes satisfactiones
seruare ad ignem purgatorij alterius vitæ, vt docet Sot.
dist. 20. *q.* 2. *ar.* 2. *ad* 5. Vega. *lib.* 13. *in Trid. ca.* 21. Co-
dub. *lib* 5. *de indulg. q.* 5. *circa finem & q.* 8. *&* 10. Ruard.
6. Veruntamen hi Auctores loquuntur de satisfactione
secundum se: non vero vt imponitur à confessario in
sacramento. Quoniam de satisfactione secundum se
sumpta, nullum est præceptum, vt fiat in hac vita, vt
recte dicunt citati Auctores, contra quos Cano. *relect.*
pæn. p. 3. *&* 4. secutus Palud. in 4. *d.* 17. *q.* 3. *art.* 1. opinatur
est, quia, inquit, sicut homo peccauit anima, & corpore,
ita debet satisfacere anima & corpore: atqui in purga-
rio non potest satisfacere corpore, quò caret, ergo, &c.
Veruntamen infirmum est argumentum, quia sicut tota
culpa emanauit ab anima, ita tota satisfactio sumi po-
test ab anima. Sancti vero patres eam consulunt, vt me-
dicinam efficacem ad peccata, quos refert Gratian. *d.*
1. *de pæn.* consulitque Cyprian. *l. de lapsis circa finem.* Qua-
uis igitur verum sit confessorem, posse imponere ab-
solutam satisfactionem, vt affirmant mox citandi Auctores, si tamen eam imponat conditionatam, recte impo-
net ex causa.

10 QVAEST.

10 QVÆST. *Teneturne pœnitens acceptare pœnitentiam sibi à confessario impositam?* RESP. tenetur, si pœnitentia iusta sit, & non adsit rationabilis causa non acceptandi. Ita Magist. *in* 4. *d.* 16. *ib.* D. Tho. *q.* 1. *art.* 3 *q.* 3. Richard. *art.* 1. *q.* 1. Maior. *d.* 17. *q.* 2. Durã. *q.* 5. *ad* 2. Palud. *d.* 20. *q.* 2. Scot. *ib. q.* 2. *art.* 2. Alens *q.* 80. *n.* 2. *art.* 1. Anton. 3. *p. tit.* 14. *c.* 19. §. 19. Ledes. Pet. Sot. Vict. & omnes fere posteriores Theologi, quos refert, & sequitur Doctor Suarius cum sanctis Patribus Leone, Cypriano, & Augustino. Ratio est manifesta: quia confessarius, vt dixi, tenetur imponere pœnitentiam; ergo pœnitens tenetur impositam pœnitentiam acceptare alioqui frustra esset pœnitentia, & necessitas ad imponendam ex parte confessoris, si daretur libertas non acceptandi ex parte pœnitentis. Hanc veritatem expressius docuit Conc. Salegustadiense dicens. *Falluntur stultitia pœnitentes, qui condignas satisfactiones nolunt accipere.*

11 QVÆST. *Teneturne pœnitens acceptatam pœnitentiam implere?* RESP. Tenetur. Ita omnes citati superiori puncto Doctores. Ratio est manifesta, quia frustra necessitas & obligatio ad acceptandum daretur, si daretur libertas ad non implendum.

12 QVÆST. *Quo pacto se gerere debet confessarius cum pœnitente, qui non vult acceptare pœnitentiam?* RESP. Affirmat Nau. *loco citato* confessorem teneri illum absoluere, aitque præterea hanc esse consuetudinem Verbis, & Orbis. Veruntamen iure merito negat Suarius, aitque confessorem teneri pœnitentiam lenire, & in aliud satisfactoriũ opus commutare: quam si omnino pœnitens nolit acceptare, tanquam impœnitentem relicturum inabsolutum: nam si in eo sit propositum non acceptandi omnino pœnitentiam ab hoc, vel alio confessario, peccat grauiter, & est impœnitens, ac proinde indignus absolutionis: ait præterea sibi esse talem consuetudinem ignotam.

13 QVÆST. *Quando tenetur pœnitens implere pœnitentiam?* RESP. Quando à confessario assignatum fuit tempus: quo tãsacto multo magis obligat præceptum illã implendi, vt in simili docuit Suarius circa præceptum annuæ confessionis, & annuæ communionis.

14 QVAEST. *Quid acturus est pœnitens, qui fuit obli-*
pœnitentiæ impositæ? RESP. Palud. *in 4. d.17. q.5. art.* 5.
Anton. *supra* citatus. Sylu. *confessio* 1. *q.* 3. Richard. *d.* 17. *a.*
2. *q.* 8. *ad* 4. affirmant teneri talem pœnitentem iterum
illa peccata confiteri, vt debitam accipiat pro illis pœni-
tentiam. Alij aiunt teneri pro pœnitentia oblita, aliud sa-
tisfactorium opus substituere. Dico tamen; pœnitens
oblitus pœnitentiæ à confessario impositæ, nec tenetur
iterum eadem peccata confiteri, nec aliud opus satis-
factorium pro illa substituere, sed si culpabiliter mo-
ter oblitus fuit, tenetur culpam obliuionis confiteri, et
pro ea pœnitere. Ita Gab. *in 4. distinct.* 17. *q.* 1. Maior. *q.*
dub. vlt. Palud. *ibid.* Sot. *d.* 20. *quæst.* 2. *art.* 2. Medin. *tract.*
quæst. de pœn. iniuncta. Nau. *in sum. cap.* 9. *num.* 17. Pet.
Vict. & alij communiter Doctores. Ratio est, quia Deus
non iudicat bis in idipsum: illa autem peccata iam sunt
à Deo sunt iudicata, ideo non debent iterum in iudicio
sacramentali iudicari. Deinde, quia opus voluntarie ac-
ceptum ad satisfaciendum, non est pars sacramenti pre-
teriti. Solum igitur remanet obligatio confitendi cul-
pam (si quæ fuit) obliuionis. Dixi, si quæ fuit, quia natu-
lis esse potuit obliuio, & ideo absque culpa.

15 QVÆST. *Ad quid tenetur pœnitens, factus impotens*
ad implendam acceptatam pœnitentiam? RESP. Non tene-
tur opus aliud satisfactorium pro pœnitentia impo-
substituere. Ita Doct. Suar. Ratio eius est, quia cum pre-
ceptum versatur circa certam materiam, & actum, qui
factus est impotens ad illum, non tenetur ad opus aliud,
vt claret in præcepto ieiunij: nam qui est impotens ad
ieiunandum, non tenetur ad eleemosynam pro ieiunio
faciendam. Dico secundum. Non tenetur per alium pœ-
nitentiam implere. Ita Doct. Suar. Ratio est, quia opus
alterius, non est pars sacramenti suscepti.

16 QVAEST. *Satisfacitne pœnitens præcepto satisfaciendi*
per opus satisfactorium factum ab alio, verbi gratia, impo-
confessarius Petro, vt recitet Virginis Mariæ Rosarium: Petrus
petit à Ioanne, vt pro se Rosarium dicat, satisfacitne præcepto
confessarij? RESP. Minime quidem. Ratio est clara: quia
Rosarium non à pœnitente, sed ab alio recitatum, non est
pars sacramenti præcedentis. Ita communiter Doct. *in*

4. d.

4.d.20.præsertim D.Thom.D.Bonau.Durand.Palud. & Soto.Itē Alens.4.p.q.85.Gab.*in* 4.*d.*16.*q.*2.*dub.vlt.* Cordub.*lib.*3.*de indulg.q.*5.*art.*8. Quos refert,ac sequitur Suarius.

17 QVAEST. *Satisfaitne præcepto confessorix, qui pœnitentiam iniunctam adimplet in statu peccati mortalis*: RESP. Satisfacit.Ita Vict.*in sum.num.*184. Nauar. *in Man.c.*3. *n.* 6. *& de pœn.d.*6 *c.*1.*n.*48. Ratio est,quia præceptum traditur de substantia,non de modo operis faciendi.

18 QVAEST. *Quis est effectus huius sacramentalis satisfactionis*: RESP Dico *primum*. Primarius effectus ex opere operato huius sacramentalis pœnitentiæ, est satisfactio, & remissio pœnæ temporalis debitæ pro culpa iam remissa in sacramento confessionis.Ita communiter Theologi *in* 4.*d.*16.*&* 17. D.Thomas *quod l.*3.*art.*28. Caietan.*tom.*1.*opusc.tract.* .*q.*2. Canon.*de pœn.p.*5. Fauet Cōcil.Trid.*sess.*14.*c.*2.*&* 3. Quam communem sententiam immerito diffitentur Adrian.*q.*2.*de satisfact.* Ledesma.*q.* 13.*art.*3 Sotus *in* 4.*d.*19.*quæst.*1.*artic.*3. quamuis oppositum asserat.*d* 20. *quæst* 2. *art.* 3. vt recte adnotat Suar. Ratio est,quia hæc sacramentalis pœnitentia est pars sacramenti,non essentialis,vt censet Palud. *in* 4.*d.ibid.q.*1. sed integralis,vt docuit D.Thom.3,*p.quæst.*20.*art.*2. Capreol.Sot.& alij Theolog.*in* 4.*d.*16. ergo debet habere aliquem effectum ex opere operato: non est vero alius, qui primario intendatur per hanc pœnitentiam, quam satisfactio pœnę temporalis:nam remissio,culpæ,& pœnæ æternæ, facta fuit per essentiales partes sacramenti; ergo,&c. Dico *secundum*. Per pœnitentiam à confessario impositam,non toti semper pœnæ temporali pro culpis remissis debitæ satisfit,sed proportionaliter,toti scilicet, si fuit adæquate imposita,parti vero, si fuit inadæquate posita. Ita Doctor Suar. contra duas extremas opiniones.Ratio est, quia causa non habet nisi proportionatum effectum,iuxta paremiam notam. *Non omnia possumus omnes* Dico *tertium*.Probabile est secundarium effectum huius sacramentalis satisfactionis ex opere operato esse gratiam sanctificantem.Ita D.Thom.*p.*3.*q.* 90. *art.*2.*ad* 2.*ibid.*Caiet.Sot.*in* 4.*d* 17 *q.*1.*art.*1.Ratio est cōgruens,quam affert Suarius de *pœn. disp.de satisfact.* nimirum

rum, quia hæc satisfactio, non imponitur tantum ad re-
dictam præteritæ culpæ, sed ad præseruationem futu-
ergo sicut primarius effectus, vt satisfactio pœnæ ad re-
dictam; ita secundarius est infusio gratiæ ad præser-
tionem.

19 QVAEST. *Sortiturne hos effectus huiusmodi par-
mentalis recedente obice peccati, in quo adimpleta fuit*
Negat Adr. *q. 2. de satisf.* Sot. *in 4 d.* 20. Ledes. *q. 2.* &
sup. citatus. Dico tamen: Pars affirmans est probabil
Ita Cajet. Pet. Sot. Vict. & Suar. Ratio est, quia omn
cramentum fortitur suum effectum recedente obice
go etiam illum sortientur suæ partes: sed satisfactio
pars sacramenti; ergo, &c.

20 QVÆST. *Potestne pœnitentia ab vno confessario
posita tolli vel commutari ab alio confessario in sacra*
RESP. Si fiat iterata confessio eorundem peccatorum
ram legitimo confessario, pœnitentia ab alio impo
diminui, commutari, aut tolli omnino potest, ra
præsentem pœnitentis dispositionem. Ita Medin. *de p
tract. 2. quæst. de pœn iniunct.* Vict. *n.* 194. Ledesm. *q.
20. art.* 4. Nau. *cap.* 26. *n.* 22. Sylu. *confessor.* 1. 2. *q.*
gel. *Confess.* 6. *num.* 4. Ratio est, quia prius iudicium re
tur, & ideo prior pœna iterari potest. Dico *secundo*:
Quando non fit repetita confessio eorundem pecca-
rum: sed fit confessio aliorum peccatorum, coram e
dem sacerdote adhuc memore eorundem peccator
ab eodem potest minui, vel commutari, vel omino
li imposita pœnitentia iuxta præsentem pœnitentis
positionem. Ita omnes indubitanter. Dico *tertium*: Q
do non fit repetita confessio, sed alia de aliis peccat
ram eodem sacerdote, qui pœnitentiam imposuit, a
oblito peccatorum, pro quibus illam imposuit: vel
ram alio sacerdote, satis probabile est, & practice te
rum, posse pœnitentiam talem ab eo minui, mutari, v
omnino tolli, iuxta præsentem pœnitentis disposi
nem, si adsit rationabilis causa, & maius spirituale e
lumentum pœnitentis, Ita Vict. Nau. & Suar. *locis cita*
Ratio est, quia præsens confessor potest, de tota fina
causa pœnitentis iuxta præsentem dispositionem iudica
re, prout magis expedire iudicauerit pœnitenti.

21 QVÆST.

21 QVAEST. *Habetne primarium effectum hæc sacramentalis pœnitentia, nimirum satisfactionem pro pœna temporali, si fiat in peccato mortali?* RESP. Affirmat Marsil. *in 4. quæst. 11. art. 3.* Medin. *tract. 2. de pœn. quæst. de hac re.* Fundamentum eorum est, quia ad satisfaciendum non requiritur gratia in subiecto satisfaciente. Quod asserunt de satisfactione ex opere operantis. Scot. & alij Doctores. Opposita tamen sententia est certior, & communior. Nam, vt dixi in materia de contritione: remissio sacramentalis pœnæ, est effectus supernaturalis, remouens impedimentum gloriæ, perficiens & consummans iustificationem, ergo supponit subiectum capax gloriæ, ac proinde gratum Deo.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ. §. 8.

1 *Quæ est forma Sacramenti Pœnitentiæ.*
2 *An de essentia eius sit, vt proferatur voce.*
3 *An sit de essentia huius formæ, vt proferatur per modum indicatiuum.*
4 *Quæ verba sint de essentia formæ Sacramenti Pœnitentiæ.*
5 *An verba huius formæ, sint de eius essentia formaliter, an materialiter sumpta.*

1 QVAESTIO. *Quæ est forma Sacramenti Pœnitentiæ?* RESP. Est hæc: *Ego te absoluo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.*

Vnde claret immerito discessisse à communi sententia Abulensem in defensorio 1. p. c. 6. asserentem dicendum esse: remitto tibi ex eo, quod Christus dixerit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Nam etiam dixit Petro: *Quodcunq; solueris super terram, erit solutum, & in cœlis.*

2 QVÆST. *Estne de essentia huius formæ, vt voce humana proferatur?* RESP. Aliqui dixerunt sufficere, vt scripto detur, & imponatur super pœnitentem. Insuper satis esse, vt quouis signo ostendatur secundum solam intentionem absoluentis. Ita Palud. *in 4. d. 17. q. 1. artic. 1. num. 7.*

Medin. *tract. 2. de pœn. q. de modo confitend.* Nauar. *cap. 21. num. 36.* Pet. Sot. *lect. 11. de confess.* Ratio eorum est, quia hoc Sacramentum fundatur in ratione iudicij, sed de essentia, & ratione iudicij non est, vt sententia voce propria iudicis proferatur, sed est satis, si scripto exprimatur aut nutibus; ergo, &c. Consequentia probatur: nam ideo dicimus de essentia formæ Sacramenti matrimonii non esse proferri verbo, sed satis esse proferri nutibus, vt ostendam cum me de matrimonio nullum respõdere, quia Sacramẽt. Matrimonij, fundatur in ratione contractus, de ratione vero, & essentia contractus non est proferri celebratio eius verbo, sed est satis proferri nutibus, vel scripto; ergo, &c. Opposita sententia est communis. Ita D. Thom. *3. p. quæst. 84. art. 3. & 4. dist. 22. quæst. 2.* Scot. Gab. & Sot. *dist. 14.* Caiet. & alii commistarum. *verb. conf.* Prob. *primo* ex Conc. Flor. & Trid. asserentium formam huius sacramenti esse verba sacerdotis. Si quis autem dicat Conc. Flor. etiam dixisse absolute Sacramenta Nouæ Legis constare rebus, & verbis, & tamen ad Sacram. Matrimonii non requiri verba formaliter, sed aliquid vice verborum; ergo similiter in Sacramento Pœnitentiæ Respondeo Conc. Flor. fecisse propositionem absolute & in communi prolatam declarasse in particulari, agendo de Sacramento Matrimonii: ait n. in matrimonio verba esse, regulariter, formam, quo modificatione dixit aliquando esse nutus; vel alia exteriora signa. Vnde sumitur efficax ad confirmationem argumentum: nam exceptio firmat regulam: cum igitur Concil. Trid. solum exceperit matrimonium, omnium modorum quorum forma consistit in verbis. Probatur *secundo* ex vsu, & consuetudine perpetua Ecclesiæ. Alius enim modus absolutionis præter verba inauditus est, etiã in quocunq; casu necessitatis, vt docte adnotauit Suarius.

3 QVAEST. *Estne de essentia huius formæ, vt proferatur per modum indicatiuum, absoluo te, & non deprecatiue, absoluatur*, &c. RESP. Maxime. Et oppositum asserere est opinio erronea. Ita D. Thom. *in Opusc. 22.* Palud. *in 4. d. 22. q. 3.* Sot. *d. 14. ar. 3.* Pet. Sot. *lect. 4. de confess.* Nau. *de pœn. d. 6. c. 1. nu. 9.* Ratio est, quia de ratione, & essentia huius Sacramenti, est vt proferatur sententia in ratione & esse

& essentia iudicij: at vero de ratione potestatis iudiciariæ est, vt sententia proferatur per modum indicatiuum, non deprecatiuum. Vnde Christus Dominus dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Et ideo Conc. Trident. dixit sacerdotem illo verbo vti potestate iudiciaria, & efficere, atque conferre remissionem peccatorum.

4 QVAEST. *Suntne omnia supradicta verba de essentia huius formæ?* RESP. Dico *primum.* Gabr. *in 4. d. 14. quæst. 2.* & *ibid.* Maior. Palud. *d. 22. quæst. 3.* Pet. Sot. *lect. 4. de confess.* dixerunt esse illa verba, *à peccatis tuis.* Ratio eorum est, quia verbo absoluo, abstrahit ab absolutione peccatorũ, vel censuræ, ideo debet apponi verbum determinans materiam absolutionis. Veruntamen supposita præmissa accusatione peccatorum verborum absoluo cadens super illam determinatam satis habet significationem. Dico *secundum.* Præmissa peccatorum accusatione in his tantum duobus verbis, absoluo te, consistit essentia huius formæ. Ita communiter Theologi: docuit Leo X. in *Bull. contra Luth art. 11. & 12.* diffiniuit Conc. Flor. & Tri. Ratio est, quia in illis duobus verbis tantum satis innuitur, ac significatur effectus huius sacramenti circa determinatam personam, scilicet absolutionem, circa determinatum pœnitentem. Probatur deinde à partium adnumeratione. Nam de pronomine Ego, nemo dubitat. De verbis, *à peccatis tuis,* docuit D. Thom. & Scot. *locis citatis.* D. Anton. *3. p. tit. 17. cap. 21. §. 1.* Sylu. *absolutio. 6. qua. 4.* Nau. *de pœn. d. 6. cap. 1. num. 9. & in sum. ca. 26 numer. 2.* Sotus, & alij. Ratio eorum est iam dicta, quia in prolatione sententiæ, non est necesse a iudice narrari crimen, sed supposita sententia criminis, satis est proferri absolutionem. De inuocatione sanctissimæ Triadis censuit communis schola cum D. Thom. citato, à quibus absque ratione secessit Duran. *in 4. d. 22. quæst. 2.* & Maior. *ibid.* Pet. Soto *loco citato.* opinantes idem esse de pœnitentiæ, atque de baptismatis sacramento dicendum. Cum tamẽ ster pro baptismo notissima ratio. Nam est ianua, per quam quis Ecclesiam ingreditur, & ideo debet fidẽ statim profiteri: deinde quia ea verba in baptismatis forma sunt à Christo Domino expressa: *Baptizantes eos in nomine*

Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. De deprecatione vero adhiberi solita, nemo vnquam dubitauit. Dico *tertium.* Nō licet aliquod supra dictorum verborum demere, aut relinquere absque vrgenti necessitate. Ita omnes. Ratio est nota, quia non licet absque causa recedere ab vniuersali Ecclesiæ ritu, ac ceremonia.

5 QVAEST. *Suntne hæc duo verba, absoluo te, materialiter, an formaliter de essentia huius formæ?* RESP. Formaliter quidem, non materialiter, hoc est, in sensu, non in sono. Ita Theologi cum Conc. Florent & Trident. Hæc constat ex communi doctrina de sacramentis in genere. Opinio vero Scoti *in 4. d. 14. quæst. 4.* asserentis de essentia huius formæ, non esse determinata verba, intelligenda est in hoc sensu, aliter falsa est omnino.

De ministro Sacramenti Pœnitentiæ, §. 9.

1 *An solus sacerdos sit minister sacramenti Pœnitentiæ.*

2 *Non omnis sacerdos est minister sacramenti Pœnitentiæ, sed qui habet iurisdictionem ordinariam, vel delegatam in foro sacramentali.*

3 *Quis sacerdos habet ordinariam iurisdictionem in hoc foro.*

4 *Qui habent ordinariam potestatem in hoc foro, à quo illam habent.*

5 *An Archiepiscopi habeant iurisdictionem in hoc foro erga subditos suorum suffraganeorum.*

6 *Quis parochus habet ordinariam iurisdictionem erga eum, qui habet domicilium in duabus parochijs.*

7 *Quis sacerdos habet iurisdictionem delegatam in hoc foro sacramentali.*

8 *Quando Papa delegat hanc iurisdictionem, delegat eam etiam repugnantibus parochis, & Episcopis.*

9 *Quis sacardos habet iurisdictionem in hoc foro erga Papam.*

10 Quis

10 *Quis sacerdos habet potestatem in hoc foro supra Episcopos.*

11 *Quis sacerdos habet potestatem in hoc foro supra prælatos exemptos.*

12 *Quis sacerdos habet potestatem in hoc foro supra parochias.*

13 *Quis sacerdos habet iurisdictionem in hoc foro super simplices sacerdotes.*

14 *An sit satis ad hoc sacramentum ministrandum iurisdictio præsumpta.*

15 *An sit satis ad hoc sacramentum ministrandum iurisdictio, petita, & non obtenta.*

16 *De approbatione Episcopi requisita in confessario post Concil. Trident. & interpretamento illius decreti.*

17 *An sacerdos de cuius iurisdictione, & approbatione controuertunt probabiliter Doctores, possit hoc sacramentum ministrare.*

18 *An in articulo mortis pœnitentis possit quilibet sacerdos ei ministrare sacrament. pœnitentiæ.*

19 *Vnde habet in articulo mortis pœnitentis quilibet sacerdos iurisdictionem ad ei ministrandum sacrament. Pœnitentiæ.*

20 *An possit quilibet sacerdos absoluere sacramentaliter à Venialibus peccatis.*

21 *An quilibet sacerdos possit absoluere à mortalibus peccatis iam ritè confessis, & absolutis.*

22 *Quis sacerdos potest absoluere à reseruatis.*

23 *Qui tenetur ministrare Sacramentum Pœnitentiæ & quando.*

24 *An confessor teneatur examinare conscientiam pœnitentis.*

25 *An teneatur confessor absoluere pœnitentem, quem*

quem iudicat esse dignum absolutione.

26 *De sigillo, quod confessor, & alij tenentur seruare confessionis auditæ.*

27 *An liceat aliquis vsus notitiæ in confessione acquisitæ.*

28 *Quod est peccatum frangere sigillum, & quæ pœnæ impositæ sunt frangenti illud.*

1 QVÆST 10. *Quis est minister Sacramenti Pœnitentiæ?* RESP. Solus sacerdos. Est propositio de fide. Traditur *cap. Quidam de pœnitent. d.* 1. in Concil. Flor. & Trident. *sessione* 14. *cap.* 6. *& canon.* Ratio est, quia cum hoc sacramentum sit iurisdictionis, non debuit omnibus singularibus committi, cum vero sit necessitatis, non debuit solis Episcopis quo ad ministerium tradi. Dico secundum. In nullo euentu potest alius, quam sacerdos esse minister huius sacramenti, est omnium Catholicorum sensus. Ideo cum Gloss. *in cap. fures de furtis*, & ibid. Panorm. Mag. *in* 4. *d.* 17. *cap.* 5. ibid. D. Thom. *qu.* 3. *art.* 3. *quæ.* 2. *ad* 1. aiunt in defectu sacerdotis, faciendam confessionem laico, loquuntur de confessione ad humiliationem, qua humiliatione obtineatur à Deo gratia pro peccato delendo, & euitando; non vero ad sacramentum. Quæ quidem humiliatio tantummodo exercenda cum subest periculum, non habendi aliter veram contritionem, atque dolorem peccatorum.

2 QVAEST. *Quis sacerdos est minister huius sacramenti?* RESP. Solus ille, qui habet in hoc foro potestatem iurisdictionis, siue ordinariam, siue delegatam. Est propositio de fide definita à Conc. Florent. & Trid. *sessione* 14. *capit.* 7. quam dicit Apostolicam traditionem. Ita Damasus *epist.* 4. *Decretal.* Concil. Hispalen. 2. *cap.* 7. & Concil. Lat.

3 QVÆST. *Quis sacerdos habet ordinariam potestatem iurisdictionis ad hoc sacramentum ministrandum, & erga quas personas?* RESP. Dico primum. Summus Pontifex ergà vniuersalem Ecclesiam, vniuersalissimam quo ad loca, personas, & culpas, & modum vtendi illa per se, vel per alios. Ita *cap. penult. & vlt.* 9. *quæst.* 3. *cap. Cuncta per mundum*

lum. de maioritate, & obed. Ostendit D. Thom. *Opusc. 1. cap. 32. & opusc. 19. cap. 4.* Dico secundum. Habent hanc potestatem iurisdictionis ordinariam Episcopi, erga suos Episcopatus: Item Vicarij Episcoporum, si sacerdotes sint. Dixi, si sacerdotes sint, quia si sacerdotes non sunt, quamuis hanc potestatem habeant' ordinariam ad delegandam, non habent ad exercendā. Dico tertium. Habēt hanc iurisdictionis potestatē ordinariā parochi erga suos parochianos. Ita habet vsus, & sensus totius Ecclesiæ. Dico quārtū. Habent hanc potestatē iurisdictionis ordinariam Prælati Religionum erga religiosos suæ religionis maiorem, minoremve, quo maior, vel minor est potestas exterior erga eosdem religionis; Generalis nimirum erga generalem religionem, Prouincialis erga prouinciam suam; Guardiani erga monasterij subditos.

4 Qvæst. *A quo habent huiusmodi Prælati hanc ordinariam iurisdictionis potestatem ad hoc Sacramentum ministrandum?* Resp. Dico primum. Summus Pontifex immediate à Christo Domino. Ita Nicolaus Papa *cap. In nomine Domini. d. 23.* Enimvero licet electio personæ sit ab Ecclesia, collatio iurisdictionis à Christo. Dico secūdum. Episcopi, suppositā Episcopatuum diuisione, quæ sit à solo Summo Pontifice, longior, aut breuior, tum quo ad loca, tum quo ad personas, tum quo ad culpas habent illam etiam immediate à Christo Domino. Ita Suar. *de pœnit. disp. de minist. confess. sect 1.* Ratio eius est, quia de intrinseca ratione episcopalis muneris, est talis iurisdictio. Est. n. Episcopus ex vi sui officij pastor animarū, & gubernator in spiritualibus. Ideo huiusmodi potestas Episcopis tolli potest per solā subtractionē, & terminorū loci, vel personarum, & reseruationem. Dico *tertiū.* Parochi habent hanc iurisdictionis ordinariam potestatem à Summo Pontifice, dependentem ab Episcopo, quo ad culparum reseruationem.

5 Qvæst. *Habentne Archiepiscopi potestatem hanc ordinariam, erga subditos suorum suffraganeorum?* Resp. Non semper quidem, sed tantūm modo cum actualiter visitant. Ita habetur *ca. vlt. de pœnit. & remiss.*

6 Qvæst. *Quis Parochus habet ordinariam potestatem, erga*

erga personam, quæ habet in diuersis paræcijs stabile, & firmum domicilium? RESP. Vterque. Ita Nauar. *capit. Placuit numer.* 77. quem sequitur Suarius, *de pœnit. disp. de minist. confess. sect.* 1.

7 QVAEST. *Quis sacerdos habet hanc iurisdictionem delegatam?* RESP. Dico *primum*. Omnis cui eam commisit aliquis ordinarius erga suos proprios subditos. Ita *cap inter cætera de offic. ordinar. cap. Omnis vtriusque de pœn. & remiss.* Et ideo Summus Pontifex potest illam delegare in totam Ecclesiam, etiam repugnantibus Episcopis & Parochis. Ita habetur *Clemen. Dudum de sepult. Extrauag. super cathedra. eodem titul. Extrauag. Inter cunctas de priuileg.* Dico *secundum*. Episcopi possunt illam delegare in totos suos Episcopatus, etiam repugnantibus Parochis. *cap. Quoniam. ca. Inter cætera de offic. Ordin. ca.* 2. *de pœnit. & remiss. in* 6. Dico *tertium*. Possunt Parochi erga suos parochianos. Ita *ca. Omnis vtriusq; de pœn. & remiss.*

8 QVAEST. *Rogo, an de facto quando Summus Pontifex concedit hanc iurisdictionem delegatam, concedat etiam repugnantibus parochis, & Episcopis?* RESP. Negat Gloss. *capit. Omnis vtriusque* Hostiensis, & alij *ibidem*. Oppositum docent communiter Theologi. Ita Diu. Thom. *Opusc.* 19. *& in* 4. *d.* 17. *quæstion.* 3. *art.* 5. *quæstion.* 6. Durand. *quæst.* 12. Palud. *quæst.* 4. *art.* 3 Maior *quæst.* 6. *&* 7. Sot. *d.* 18. *quæst.* 4. *art.* 5. D. Anton. 3. *p. tit.* 17. *cap.* 5. Adrian. *quæst.* 5. *de confess.* Medin. Sylu. & alij Summistæ. Iurisperiti, quos refert Nauar. *cap. Placuit. num.* 57. Gloss. *Clem. Dudum de sepult.* Ita docuit Ioann. XXII. *Extrauag. Vas Electionis ut hæret.* Benedictus XI. *Extrauag. Inter cunctas, de priuileg.* Ratio est, quia si tale priuilegium penderet à voluntate Episcoporum, & Parochorum, frustratorium esset, & nullius roboris.

9 QVÆST. *Quis sacerdos habet iurisdictionis potestatem ad hoc sacramentum Pœnitentiæ ministrandum Papæ?* RESP. Qui ab eodem Papa eligitur in talem ministrum. Qui quidem sacerdos non eam accipit supra Papam, à quo fuit electus, immediatè à Christo Domino, vt voluit Palud. *in* 4. *d.* 17. *quæ.* 3. *art.* 2. & Capreol *d.* 19. *in arg. contra* 2. *conclus.* Sed mediate ab ipso Papa. Ita D. Thom. *in* 4. *d.* 19. *quæst.* 1. *art.* 3. *qu.* 1. quia, inquit, Papa, vt Christi Vicarius

dat

dat potestatem supra seipsum infirmum peccatorem, itaque vt peccator subijcitur, vt superior confert potestatem. Nam ægrotus Rex supra se ipsum ægrotum concedit potestatem medico curaturo ægritudinem.

10 QVAEST. *Quis sacerdos habet hanc iurisdictionis potestatem supra Episcopos?* RESP. Qui ab eisdem eligitur in talem ministrum. Talis vero electus sacerdos habet eã delegatam à Summo Pontifice ordinario confessario Episcoporum, qui quidem illis concedit facultatem eligendi confessorem. Ita habetur *cap. vlt. de pœn. & remiss.* Tenent *in* 4. Palud. *d.* 17. *qu.* 2. Gab. *qu. 2. art 3. Dub.* 2. D. Anton. 3. *p. tit.* 17. *ca.* 9. Ang. Sylu. & alij. Turrec. *ca. Quanquam de pœn d.* 1. Episcoporum vero nomine comprehẽduntur solum Episcopi consecrati. Ex sententia autem Suarij cõprehenduntur etiam Episcopi electi tantum habentes iam ante consecrationem, iurisdictionẽ episcopalem: vt habent parochi nondum sacerdotes parochialẽ.

11 QVAEST. *Quis sacerdos habet hanc iurisdictionis potestatem supra prælatos exemptos?* RESP. Qui ab eisdem eligitur in talem ministrum, habet vero eam delegatam à Papa, qui illis concedit priuilegium elegendi confessarium. Ita habetur *cap. vlt. de pœn. & remiss.* Qui autem appellandi sint huiusmodi prælati exempti, non est meum persequi, esset enim falcem mittere in alienam Iurisperitorum messem.

12 QVAEST. *Quis sacerdos habet hanc iurisdictionis potestatem super Parochos, vt possit eis hoc Pœnitentiæ sacramentum ministrare?* RESP. Qui ab eisdem eligitur in talem ministrum. Habent enim Parochi facultatem eligendi confessarium, quem velint ex approbatis, absque alia licentia particulari Episcoporum, qui ordinarij confessarij sunt Parochorum. Ita obtinuit praxis. Hanc autem facultatem non habent à iure, nullum enim tale ius inuenitur: sed à consuetudine, vt notat Suar. contra D. Antonin. 3. *p. tit.* 19. *ca.* 19. §. 19. opinantem non posse consuetudine introduci, vt quis possit sibi eligere confessorem iuxta *ca.* 2. *de pœn. & remiss. in* 6. Contra quem etiam tenuit Gabr. *lect.* 3. *in can.* & Nau *cap. Placuit. num.* 30. iuxta *cap. Cum contingat de foro compet.* id expresse decernens. Quæ consuetudo vbi viget immemorabilis, & tolerata ab Epi

scopis

scopis, tuto seruari potest, incepta enim fuit à consen
ipsorum Episcoporum, eamque nunquam reuocarun
Veruntamen semper ab eodem consensu pendebit, ad
vt ab eodem omnino tolli, & poni possit, sine vlla
quam iuris præscriptione. Et de hac præscriptione
ditur in illo *cap. 2. de pœnitent. & remiss.* allegato per
Antonin. non posse consuetudine obtineri ius ad
gendum confessarium contra voluntatem Episco
rum.

13 QVÆST. *Quis sacerdos habet hanc iurisdictionis*
tem erga simplices sacerdotes? RESP. Iuxta visitatam &
ceptam consuetudinem eligendi ab eisdem: quilibet
fessarius ex approbatis, quem ipsi elegerint, est mini
ad eis conferendum huiusmodi sacramentum.

14 QVÆST. *Sufficitne ad hoc sacramentum minist*
iurisdictio præsumptiue tantum concessa ab Ordinario
plia gratia. Est hic Titius sacerdos approbatus ad audi
confessiones: pro amicitia inter eum, & parochum, præs
parochum, ratum habiturum sacramentum per Titium
stratum: insuper præsumit parochum concessurum talem
dictionis potestatem, si ab eo talis facultas petatur. Rogo
sit huiusmodi præsumptio, vt quis possit ministrare hoc
mentum? RESP. Hæc facultas duas habet facultates,
singulas cursim persequar. Dico primum. Non verũ
ficit pœnitentiæ sacramentũ sacerdos, qui absq; iuris
ctione concessa ab Ordinario illud conficit, cum
posito postea illam petendi, & cum spe illam obtine
per ratihabitionem Ordinarij, ratum habituri, quo
ctum est. Ita omnes Theologi, inter quos expressius
lud. *in 4. d. 17. quæst. 3.* Gab. *quæst. 2. art. 2. dub. 4.* D. Ant
3. p. tit. 17. cap. 4. Ang. Sylu. & Summistæ comm
Ratio est, quia ad hoc sacram. ministrandum, neces
est iurisdictio de præsenti; sed per ratihabitionis spe
solum habetur iurisdictio de futuro, vt ita dicam,
est, speratur habenda iurisdictio, ergo, &c. Dico *secun*
Verum conficit sacramentum Pœnitentiæ Sacerdos
qui ex præsumpta voluntate Ordinarij videntis, & co
sentientis, & tacentis, atque per silentium consentien
illud subditis talis ordinarij ministrat, vt sæpe contin
inter parochos vicinos. Contingit etiam, cum conce

unt plures sacerdotes ad aliquod officiũ, præcipue tempore quadragesimæ: tunc enim si accedant parochiani ad confessiones, non est opus, expressa proprij parochi licentia. Ita auctores citati *in puncto proximo*, insuper Capreol. *in 4. d. 19. ad arg. contra 3. concl.* Adrian. *quæ. 5. de confess.* Henr. *quodlib. 1. quæst. 31. & 32.* Nauar. *in summ. capit. 9. num. 6. & in cap. Placuit num. 103.* Vict. *in summ. num. 153.* Sot. *d. 18. quæst. 2. art. 3.* Admonet tamen Sot. non vti licere hac tacita voluntate, absque vrgente necessitate, nisi omnino certa sit.

15 QVAEST. *Estne satis ad hoc sacramentum ministrandum iurisdictio petita ab Ordinario, & non concessa?* RESP. Dico *primum*. Falsa est opinio asserentium sufficere ad hoc sacramentum ministrandum iurisdictionem petitam, & iuste non concessam, seu negaram. Ita Suar. *de pœn. disput. de minist.* Ratio est, quia iurisdictio iuste negata omnino nulla est. Dico *secundum*. Non est satis ad hoc sacramentum ministrandum iurisdictio petita, & iniuste ab Ordinario negata. Ita expresse D. Thom. *in 4. d. 17. qu. 3. art. 3. quæst. 4. ad 5. & 6.* ait enim pœnitentem se gerere debere, tanquam carentem confessario. Et *Opus. 19.* vbi ait tunc superiorem, & sibi, & subdito damnationem acquirere, sibi, quia peccat grauiter, subdito, quia priuat illum remedio. Idem docet D. Bonau. *in 4. d. 19.* Alens. *3. p. quæst. 77. in 1. art. ad 1.* Marsil. *in 4. qu. 12. art. 1.* Sot. *d. 18. qu. 4. art. 2.* Ledes. *qu. 7. ar. 5* Vict. *in sum. num. 145.* Caiet. *absolutio. 2.* Oppositum quidem renuerunt Palud. Gab. D. Ant. supra citati. Richard. *in 4. d. 17. art. 3. qu. 7.* Adrian. *qu. 5. de confes.* Panor. cum aliquibus *cap. Omnis vtriusque.* Nauar. in sum. *ca 7. num. 8. & ca. Placuit. nu. 150.* Veruntamen absq; vllo fundamento, vt docet Suar. *loco citato*. Ratio est, quia ex nullo iure diuino, vel humano eruitur huiusmodi confessio. Nam ius humanum, quod allegant, notatur *capit. Placuit de pœn. d. 6.* Veruntamen textus ille non concedit facultatem ad audiendas confessiones, sed ad mutandam pœnitentiam impositam per ignorantem confessarium, & ideo non facit ad rem.

16 QVAEST. *Requiriturne in sacerdote præter iurisdictionis potestatem, approbatio per Episcopum?* RESP. Dico *primum*. Hodie post Concil. Trident. approbatio confessarij per

Episcopum est de essentia sacramenti pœnitentiæ, ad
vt absque ea uullum fiat sacramentum. Ita decreuit sa-
cta Synodus. *sessi.* 2 . *ca.* 15. *de reformat.* hisce verbis. *De-
nit sancta Synodus, neminem etiam Regularem posse confes-
nes sæcularium, etiam sacerdotum confessiones audire, vel
id idoneum reputari, nisi vel parochiale beneficium habeat,
ab Episcopis idoneus iudicetur, & approbationem obtineat.*

17 QVÆST. *Quo pacto intelligendum est hoc decretum Con-
cilij?* RESP. Dico *primum.* Hoc ius fuit nouiter decretum.
Ita Palud. *in* 4. *d.* 17. *qu.* 4. Gab. *qu.* 2. *ar.* 3. D. Anton. 3. p.
17. *ca.* 9. Sot. *d.* 18. *qu.* 4. *ar.* 3. Adrian. *dub.* 1. *post q.* 5. *de* [illegible]
Caiet. *absolutio.* 2. Syl. *confes.* 1. *num.* 5. Angel. eodem [illegible]
nu. 4. Victor. *in sum. de pœn. nu.* 150. Nauar. *ca. Placuit* [illegible]
Enim vero ante hoc decretum quisque sibi eligebat sa-
cerdotem, vt ministrum idoneum ad hoc sacramentum,
quidquid dicat Cano. *de pœn. p.* 5. Dico *secundum.* Ad Re-
gularium confessiones audiendas, non est opus, vt con-
fessarius sit approbatus per Episcopum: hæc conclusio
constat ex verbis decreti. Dico *tertium.* Hæc approba-
tio non est concessio iurisdictionis, sed quædam con-
ditio personæ, sine qua ei non potest conferri iurisdictio.
Et ideo sacerdos approbatus, siue per parochiale bene-
ficium sibi collatum, siue per iudicium Episcopi iudica-
tis esse idoneum ministrum huius sacramenti, neque
istud sacramentum ministrare absque iurisdictione ad
concessa ordinaria in suos (quæ quidem illi datur ex
collationem ipsius parochialis beneficij) delegata ex pa-
lios. Itaque in ministro huius sacramenti duo requiru-
tur, scilicet approbatio & iurisdictio, quarum altera de-
ficiente, nequit hoc sacramentum ministrari. Dico *quar-
tum.* Hæc approbatio idoneitatis ab Episcopo facienda
non est actus gratiæ, sed iustitiæ, explico meam mentem.
Offert se Titius sacerdos Episcopo approbandus, per iu-
dicium idoneitatis, non est liberum Episcopo illum ap-
probare, vel reprobare, sed tenetur ferre iudicium, pro
in Domino censuerit. Ita doctissimè Suar. Dico *quintum.*
Approbatio per parochiale beneficium sacerdoti colla-
tum, non fuit nouiter inducta à Con. Trid. sed multo an-
te illud habebatur in iure, approbatum, & receptum in
tota Ecclesia, vt sacerdos parochiale habens beneficium

pos-

posset assumi ad hoc sacramentum ministrandum. Habens, dixi, parochiale beneficium, quia si illud dimisit, iam non manet approbatus. Ratio sumitur ex verbo legis: Parochiale habens beneficium. Dico *sextum*. Approbatio per Episcopum, duo postulat iuxta Concilij decretum. Primum iudicium Episcopi de idoneitate approbati formatum reuera ab eo siue per examen approbandi, siue per aliam notitiam: aliter enim erit ficta approbatio, si approbet, quem iudicat indignum, ad tale ministeriū. Hoc constat ex verbis Concilij decernentis. Nisi ab Episcopo per examen, vel alias idoneus iudicetur. Non est tamen opus, vt iudicium Episcopi sit certum, nec multa diligentia factum: sed satis est formare tale iudicium. Ita Suar. *de pœnit. disp. de minist.* Secundum, quod requiritur est approbatio. Licet enim Episcopus formet iudicium de idoneitate, nisi tamen approbet, sacerdos non est idoneus minister. Et ideo non sufficit hæc approbatio petita, & non obtenta, sed omnino requiritur, vt obtineatur. Quæ veritas etiam locum habet in Religiosis confessarijs (quidquid dicat Nau. *in sum. cap. 27. num. 264. & 265.*) quia per hoc decretum Concilij, reuocata sunt illorum priuilegia contenta *in Clem. Dudum de sepult. & in Extrauag. super cathed. eodem tit.* Ita Cong. Cardin. *resp.* 1162. Decreuit Pius V. *in motu proprio.* 44. reuocans priuilegium à se concessum Mendicantibus *in motu proprio* 38. super hoc decretum Concilij. Declarauit insuper Grego. XIII. *motu proprio* 15. qui incipit: *In tanta.* Et ideo non est satis præsentari huiusmodi Religiosos Episcopo, sed est opus, vt approbentur ab Episcopo. Dico *septimum.* Cum quis ex vi Bullæ, vel priuilegij Pontificij, habet potestatem ad eligendum confessarium, semper intelligitur ad eligendum ex probatis, nisi in ipsa Bulla, aut priuilegio Pontificio aliud exprimatur. Quam veritatem semper exprimunt nunc ipsæ Bullæ Pontificiæ. Dico *octauum.* Parochus non potest delegare potestatem iurisdictionis in hoc foro alicui sacerdoti, nisi approbato ab Episcopo: Ita Suarius, & probat praxis. Dico *nonum.* Summus Pontifex, hanc iurisdictionem alicui sacerdoti delegans, simul illum approbat. Ita Suar. & res claret ex terminis. Dico *decimum.* Prælati Episcopo inferiores, qui habent licentiam

centiam eligendi sibi confessarium, tenentur eligere approbatis ab Episcopo. Ita declarauit Gregorius XIII. vt refert Suar. Dico *vndecimum*. Episcopus eligendo confessarium subditum sibi, simul illum approbat. Si non sibi eligat confessarium subditum alteri Episcopo debet talis confessarius esse approbatus à proprio Episcopo. Ita declarauit Congreg. Cardin. *resp.* 1158. Dico *duodecimum*. Quando quis (etiam Religiosus) ex Bullæ pontificiæ aut priuilegij habet facultatem eligendi confessarium approbatum: talis confessarius debet esse approbatus à suomet Episcopo, licet pœnitens subditus sit alterius Episcopi. Ita declarauit Cong. Card. *resp.* Atque in hac responsione, fundatur responsio circa Episcopos in puncto proximo allata. Ratio est, quia haec specialis gratia sub hac conditione illis conceditur. Dico *decimumtertiũ*. Religiosus approbatus in vno Episcopatu, non cẽsetur approbatus in alio: si audiat confessiones ex vi suorũ priuilegiorum, sed necesse est, vt in singulis approbetur. Multa sunt, quæ cõfirmant hanc cõmunem sententiam, quam refert Guter. *li. 1. can q. c. 27.* In primis quia Con. Trid. requirit illius approbationem ab Episcopo, vel Episcopis. Deinde, quia Pius V. concessit priuilegium Mendicantibus, vt semel tantum in vno quoque Episcopatu examinari, & approbari possent, nisi mutaret Episcopus. Tertio, quia Gregorius XIII. concessit, priuilegium Religiosis sanctissimæ Societatis Iesu, vt semel approbati iter euntes, possint confessiones audire a quouis episcopatu, in quo non sunt approbati, dummodo id non faciant in oppido, vbi Episcopus proprius: tunc enim requirit Episcopi approbationem. Dixi, si talis religiosus audiat confessiones ex vi suorum priuilegiorum; quia si audiat electus à pœnitente ex vi Bullæ, aut Iubilæi Pontificij concedentis pœnitentibus electionem confessarij approbati: satis est esse eum approbatum ab aliquo Episcopo. Ita probabilius tenet Suar. Ratio eius est ducta à congrua paritate. Nam talis pœnitens potest vbique terrarum eligere confessarium, secularem ab Episcopo approbatum; ergo satis erit eligere religiosum confessarium semel approbatum in aliquo episcopatu: ne in hac re peioris sit conditionis religio-

sus,
batic
certa
verb
præ
pron
limi
mel
reuc
Pij V
non
sæpi
sta,
mor
tum
bati
iniu
me
cui
tate
gra
Ma
27
reu
dat
17
cer
pra
qu
fac
mi
ce
pr
Ra
co
tie
of
gu
de
qu

sus, quam sæcularis. Dico *decimum quartum.* Hæc approbatio fieri potest ad certum tempus, & non vltra; erga certa loca, & non vltra; erga certas personas, & non vltra: verbi gratia, erga mares, & non fœminas; erga opifices præter mercatores. Ita obtinuit praxis, & ratio est in promptu, quia interuenire sæpissime potest causa talis limitationis. Dico *decimum quintum.* Hæc approbatio semel facta interueniente iusta causa coarctari, & omnino reuocari potest. Ita Suar. Deducitur aperte ex priuilegio Pij V. Mendicantibus concesso, vt ab eodem Episcopo non possint sæpius examinari; ergo supponit posse eos sæpius examinari, & non approbari. Et ratio est manifesta, quia ista approbatio pendet tum ex scientia, tum ex moribus; quemadmodum igitur homo mutari potest, tum in scientia, tum in moribus; ita etiam ipsius approbatio. Dico *decimum sextum.* Approbatio semel facta, & iniuste reuocata, adhuc tenet in rei veritate: in praxi tamen semper habenda est reuocata, neque ea deinceps cuique vti licet. Ita Doctor Suar. subtiliter, vt rei veritatem enuclearet, atque caute, vt iudicium in re maxime graui arbitrio proprio adimeret. Adnotat insuper tantus Magister ex Nau. *capit. Placuit. num.* 163. *& in summ. cap.* 27 *num.* 266 hanc approbationem semel factam, & non reuocatam semper durare, etiamsi alius Episcopus succedat, donec ab eo reuocetur.

17 QVAEST. *Estne aptus minister huius Sacramenti Sacerdos de cuius iurisdictione, & approbatione sunt opiniones probabiles?* RESP. Quoniam occurrere potest euentus, in quo maximæ sit vtilitatis, & necessitatis vocare talem sacerdotem ad ministrandum hoc Sacramentum, verisimile est, ex Ecclesiæ benignitate, & prouidentia tali sacerdoti ab ipsa Ecclesia concedi iurisdictionem, & approbationem. Ita Doctor Suar. *de pœnit. disp. de minist.* Ratio sumitur *ex L. Barbarius ff. de offic. prætoris.* Ex quo communi iure receptum est, vt qui communi existimatione cum titulo vero, aut falso exercet aliquod publicũ officium, acta per eum teneant, & valeant. Inde colligunt Doctores excommunicatum occultum, & sacerdotem, qui pro vero parocho habetur, qui reuera non sit, quia v. g. simoniace obtinuit beneficium; vere conficere Sacra-

Sacramentum, ex concessione tacita Ecclesiæ. Primum cidit in nostro casu.

18 QVAEST. *Habetne quilibet sacerdos in articulo mortis pœnitentis iurisdictionem, & approbationem, vt possit administrare Sacramentum pœnitentiæ?* RESP. Maxime. Hæc tiqua traditio, habetur *capit. 26. quæst. 6.* & nouiter Con Trident. *sessi. 14. cap. 17.* Articulus autem mortis censet periculum probabile mortis. Ita Glos. *capit. Pastoralis præterea de offic. Ordin. cap. Quod in te de pœnit. & remiss.* pœnitentia. Nau. *capit. 26. numer. 31. & cap. 27. numer.* Medin. *de confessi. quæstion 16.* Palud. *in 4. dist. 17. quæ artic. 2. & dist. 20. quæst. 1. artic. 2.* Adrian. *de confess. qu* Sylu. *confessor. 1. quæst. 6. & interdictum 5. quæst. 7.* Ratio quia in ire periculum, & articulus mortis, pro eodem habentur. Nam *cap. Si quis suadente 17. quæst. 4.* referun absolutio excommunicationis violentarum manuu nisi in periculo mortis: *in cap.* vero *Non dubium de sent excommun.* facta mentione illius exceptionis, dicitur in articulo mortis. Insuper *in cap. Eos qui. de sent. excom* modo articulus, modo periculum mortis pro eodem minatur. Tertio, quia ad præcepta implenda, obligat solum articulus, sed periculum mortis: vt obligat præceptum annuæ confessionis, & communionis annuæ, & stitutionis, & similia. Inde enim emanauit sapientum proloquium: *Qui amat periculum peribit in illo.* Quale periculũ censeatur probabile mortis, prudentis arbitrio relinquitur. Est autem tale periculum secundum cõmuniorem sensum longa, & periculosa nauigatio; adire commiscendum prælium: partus mulieris. Non sunt igitur audiendi Sot. *in 4. d. 18. qu. 4. ar. 4.* Cano *p. 5. de pœnit.* Couar. *ca. Alma p. 1. §. 11. nu. 8.* oppositum asserentes ab textu, & ratione. Sunt vero maxime notanda verba Concilij Tridentini. *In articulo mortis quilibet pœnitens, a quibuscunque suis peccatis, à quocunque sacerdote potest absolui.* Itaq neminem excipit pœnitentẽ, qui tunc non sit capax huius sacramenti; nullum excipit scelus, quod nequeat absolui: nullum excipit sacerdotem, qui non possit esse minister huius sacramenti, quacunque censura, vel culpa innodatus sit. An vero ordo seruandus sit dignitatis præsentibus in eodem articulo pluribus sacerdotibus, negat

Suar.

Sua verbo *absolutio*, affirmat Suar. & merito: quia Conc. Trid. & Ecclesiæ benignitas voluit tantum succurrere saluti æternæ pœnitentis in defectu proprij cõfessarij: ergo eo adstante, seruandus est debitus dignitatis ordo.

19 QVÆST. *Vnde habet quilibet sacerdos hanc iurisdictionem in articulo mortis?* RESP. A iure diuino censuit Durand. *in 4. d. quæst. 2. ad 4.* Capreol. *ibid. ad 4. cont. 3. conclus.* Palud. *d. 20. qu. 1. ar. 2.* Ruard. *ar. 3. cont. Luth.* Armilla *verb. absolutio.* A iure humano censet D. Thom. *numer. 4. d. 19. qu. 1. art. 3. & d. 20. qua. 1. art. 1. quæ. 2.* D. Bonau. *d. 17. qua. 1. art. 3.* Maior. *qu. 1.* Almai. *qu. 1.* Sot. *d. 18. qu. 4. ar. 4.* Coua. *ca. Alma. 1. p. §. numer. 8.* Turrecr. *in sum. de Eccles. lib. 1. cap. 98.* Est firmum argumentum in verbis Conc. Trid. asserentis. *Semper fuit custoditum in Ecclesia ne aliquis periret*, &c. immemorabilis vero consuetudo huius concessionis, indicat iam ab Apostolis deductam esse talem concessionem, non vero iudicatus diuinum, vt volunt oppositæ sententiæ Auctores, neque aliud voluit D. Aug. *li. 4. de baptis. ca. 24.* quem immerito adducere nituntur in suam sententiam.

20 QVÆST. *Habetne quilibet Sacerdos iurisdictionem ad absoluendum à venialibus?* RESP. Rem sibi incertam testatur Nau. *capit. Placuit. numer. 22.* Sed immerito. Est enim res certa apud antiquos Patres. Docet Suarius, etiam post Concil. Triden. Difficile est assignare rationem. Sot. ait, quia ad hæc absoluenda peccata, sola est satis potestas ordinis. Ita *d. 18. quæst. 4. art. 2. ad 2.* indicat *ibid.* D. Thom. *qu. 1. ar. 3. qu. 1. ad 3.* Immerito tamen, quia cum sacerdos tunc exerceat iudicium, pollere debet iurisdictionis potestate. Ideo ait Caietan. hanc iurisdictionem tribui tunc à pœnitente ipso. Ita *tom. 1. Opus. tract. 7.* & *in sum. verb. absolutio 2.* Veruntamen non recte, quia per solam subiectionem non confertur iurisdictio Ideo Cano & Ruar. supra citati, Ledesm. 2. 4 *quæst. 22. art. 1.* aiunt hanc iurisdictionem esse à iure diuino, quia nequit huiusmodi peccata reseruare, ergo signum est non habere potestatem super illa. Nihilominus etiam hæc sententia falso nititur fundamento, quia licet Ecclesia directe non possit venialia peccata reseruare: potest tamen indirecte ea sacramenti absolutione eximere, enim vero excommuni-

cat nominatim denunciatus iuxta communem sententiam, nec de venialibus vere absoluit, quia ab Ecclesia priuatur omni iurisdictione sacramentali ad conficiendum sacramentum pœnitentiæ. Hanc ob rem Palud. *4. d. 19. qu. 2. art. 2. ibid.* Capreol. *ad 1. cont. 3. concluſ.* Medin. Sot & alij *supra* citati, quos sequitur Suar. opinantur hic iurisdictionem esse ab ipsa Ecclesia concessam, iam inde ab Apostolis deductam.

21 QVÆST. *Habetne quilibet sacerdos iurisdictionem ad absoluendum à mortalibus peccatis iam ritè confessis?* Resp. Negat Sot. *loco citato.* Affirmat Ledesm. obtinuit primum idem de mortalibus ritè iam confessis, & absolutis, agit de venialibus exercens ex iurisdictione ab Ecclesia data, vt iam respondi.

22 QVÆST. *Quis potest ministrare sacramentum pœnitentiæ ei, qui habet casum reseruatum, hoc est, quis potest absoluere pœnitentem, qui habet casum reseruatum?* Resp. Dico *primum.* Potest ille, qui casum reseruauit. Dico *secundum.* Potest ille, qui est superior in iurisdictione sacramentali, quam ille, qui casum reseruauit. Talis est Papa respectu Episcopi: Episcopus respectu parochi: Prouincialis Religionum respectu Guardiani, seu alterius inferioris prælati. Non tamen est talis Archiepiscopus respectu suffraganeorum: nisi cum actualiter visitat Diœceses suffraganeas, vt *supra* respondi. Dico *tertium.* Potest ille, cui delegauit potestatem proprius reseruans, aut superior proprio reseruante. Hæc autem delegatio fieri debet expresse ad casus reseruatos: nam absoluta delegatio ad absoluendum, non sufficit, vt habetur *cap. Episcopus de pœnit. & remiss. in 6.* Per quæ autem verba hæc delegatio, agit D. Ant. *3. p. tit. 17. ca. 13* & Nauar. *manuale nu. 261.* Valet tamen multũ hac in re iudiciũ prudens. Dico *quartũ.* Episcopi habent iurisdictionẽ absoluendi à casibus reseruatis Papæ, quando sunt alia peccata occulta. Ita eis delegauit potestatẽ Con. Trid. *sess. 24. ca. 6. de reform.* Dico *quintum.* Religiosi, etiã mendicantes ex priuilegio iuris communis, non possunt absoluere à reseruatis Episcopo, licet per particularia statuta Episcopi, sint ipsi reseruata. Ita D. Anton. *3. p. tit. 17. capit. 1.* Sot *d. in 4. dist. quæst. 4. art. 3.* Nau. *sup. num. 266.* Ratio est, quia *in Clemen.*

Duã-

Dudum. de priu. aperte dicitur Religiosos non habere maiorem potestatem absoluendi, quam habent parochi ex vi iuris communis: atqui parochi non habent potestatem absoluendi à reseruatis Episcopo; ergo, &cæt. Extat etiam hac de quæstione declaratio Cardin. *respon.* 661. quæ etiam meminit in hac declaratione priuilegiorum communium Maris magni. Dixi ex vi iuris communis, quia ex vi priuilegiorum particularium, aliter dicendum est. Sed ipsi, quorum interest, viderint. Dico *sextum.* Opinio est valde communis posse reseruantem audire peccata tantum ad se reseruata, & pœnitentiam sacramẽtaliter ab ijs absoluere: atque pro confitendis alijs peccatis non reseruatis, mittere ad sacerdotem inferiorem. Ita Caietan. *verb. conf. cond.* 10. atque hanc esse Romanam consuetudinem, neque oportere sapere, quam oportet sapere, eam in dubium reuocando. D. Antonin. 3. *p. tit.* 17. *c.* 4. §. 6 Palud. *in* 4. *d.* 17. *qu.* 5. Richard. *art.* 2. *qu.* 8. *ad* 2. Henriq. *quod l.* 1. *qu.* 19. Sot. *d.* 18. *q.* 2. *art.* 5. Pet. Sot. *lect.* 10. *de confess.* Nauar. *cap. Cum consideret.* §. *cautus. num.* 12. *&* 18. *de pœn. d.* 5. Hanc tamen valde communem opinionem iure merito limitat Suar. ad casum vrgentis necessitatis, ex rationabili causa ortæ Ita etiam Adrian. *qu.* 5. *de confess.* Sylu. *confessio* 1. *qu.* 19. Vict. *in sum. num.* 149. *&* 162. Cano. *p.* 5. *de pœn.* Viguer. *in sum. cap.* 17. §. 4. *vers.* 17. Ratio est, quia iure diuino, est integritas confessionis: ergo non licet ire præter hoc ius, absque rationabili causa, & vrgente necessitate. Neque opposita consuetudo vnquã viguit Romæ, vt affirmat Sylu est. neque modo viget, vt testatur Suar. sed fuit inuentum Caiet. & aliorum Auctorum. Si igitur detur grauis causa; & vrgens necessitas, poterit pœnitens confiteri peccata reseruata solũ, & ab eisdẽ absolui sacramentaliter, verũ enim tũc recipiet sacramentũ. Vrgens tamen necessitas ad dimidiandã talẽ confessionẽ accidere poterit tunc ex parte cõfessoris, tũc ex parte pœnitentis, vt iam respondi, cum me rogasti de confessione reseruatorum ex parte pœnitentis. Non tamen censenda est multitudo negotiorum reseruantem opprimentium, quia hoc est vnum ex præcipuis, deinde, quia tunc potest iurisdictionem delegare. Quod si in ea negotiorum oppressione oporteat pœnitentem audiri,

audiat tantum reseruata, & pœnitentiam imponat, & non absoluat, sed inferiori sacerdoti iurisdictionem committat. Dico *septimum*. Valde communis est opinio posse inferiorem sacerdotem absoluere sacramentaliter pœnitentem habentem peccata reseruata, & non reseruata, à solis peccatis non reseruatis interueniente vrgente necessitate ex causa graui, & pro absolutione reseruatorum illum ad superiorem remittere. Ita D. Tho. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 3. *articul* 4. *quæst.* 2. Palud. *ibid. quæst.* Gabriel. *qu.* 1. *dub.* 2. Almain. *qu.* 1. *dub.* 2. Maior. *quæst.* 5. Alens. 3. *p. qu.* 77. *in* 5. *articul.* 2. *ad vlt.* Henriq. *quæst. qu.* 29. & 30. D. Anton. 3. *p. tit.* 14. *cap.* 18. §. 6. Sylu. *confess. qu.* 19. Ang. *confess.* 5. *nu.* 9. Med. *de confess. qu. de integr.* Nauar. *cap. consideret* § *cautus num.* 10. *de pœn. dist.* 6. Sot. *dist. quæst* 2. *art.* 5. Can. *de pœn. p.* 5. Ledesm. 2. 4. *q.* 8. *art.* 3. *dub.* 3. Vrgens autem necessitas erit scandalum, vel infamia subeunda, nisi sacerdos celebret, aut nisi quis communicet. Item tempus instans implendi præceptum annuæ confessionis, vel communionis. Hæc opinio Doctoris Suario absolute probatur: disputat vero an in eo casu sufficiat pœnitenti tantum dicere peccata non reseruata, tacendo reseruata. Affirmat Alens. Pet. Sot. Gerson. & Gab. Negant tamen cum D. Thoma reliqui Doctores, quos sequitur Suar. atque faciendam integram confessionem non reseruatorum, & reseruatorum, absolutionemque cadere directe, & per se super non reseruata, indirecte vero, & per accidens super reseruata. Dico *octauum*. Cum aliquis subditus alicuius Episcopatus, ex causa versatur in alio, & ex consuetudine recepta confitetur alicui approbato confessario loci, in quo versatur (vt potest ex consuetudine recepta) quo ad absolutionem reseruatorum habendus est, vt incola illius loci, hoc est, si habeat peccatum reseruatum in tali Episcopatu aditurus est reseruantem: non autē si habeat reseruata peccata in suo proprio Episcopatu. Decisio est Suarij contra nonnullos Doctores. Nam Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *artic.* 4. ait talem pœnitentem non posse absolui à reseruatis proprij Episcopatus, posse tamen à reseruatis alieni. Eam tamen sequitur Caiet. *absolutio* 2. Palud. *in* 4. *d.* 17. *qu.* 3. D. Antonin. 3. *p. tit.* 17. *cap.* 4. Ratio est. Quia confessor

fessores alieni Episcopatus, non tenentur scire casus reseruatos proprij pœnitentis, sed sui tantum; ergo si talis pœnitens potest se in confitendo gerere, vt incola ex facultate per consuetudinem data, tenebitur tantum legibus incolarum. Dico *nonum* Quilibet sacerdos potest ministrare sacramentum pœnitentiæ ei, qui confitetur solum peccata reseruata iam rite superiori confessa, & absoluta. Est contra Sotum: pro ea tamen stat ratio, quia illa peccata iam non sunt materia necessaria: de materia vero non necessaria potest quilibet sacerdos absoluere, vt suo loco probaui. Dico *decimum*. A peccato reseruato oblito inculpabiliter in confessione aliorum reseruatorum; vel facta apud eum, qui ab illo posset absoluere, & quidem absolueret, si tunc diceretur, potest sacerdos habens iurisdictionem, seu ordinariam, seu delegatã in mortalia peccata, absoluere. Ita cõmuniter Doctores. Gab. *in 4. d. 17. q. 1.* Adr. *q. 4. de conf.* Syl. *conf. 1. q. 4.* Ang. *confes. 1. nu. 22.* Rose. *conf. 2. nu. 9.* Can. *de pœn. p. 5.* Ledesm. *2. 1. q. 8. ar. 2. dub 8.* Cou. *c. Alma p. 1. §. 10 nu. 12.* Nauar. *c. Cõsideret. §. cautus. numer. 30. de pœn. d. 5. & in sum. c. 26 nu. 13.* Ratio est quia iam tale peccatũ nõ manet reseruatũ, quoniam superior, quantum in eo fuit, intendit liberum, & absolutum dimittere pœnitentem. Hoc maxime notandum propter euentum frequentem in confessionibus factis virtute Iubilæi, quo transacto possunt reseruata oblita absolui. Dico *vndecimum*. In articulo mortis, seu in periculo (quod idem est, vt iam ostendi,) quilibet sacerdos inferior potest absoluere a reseruatis. Ita Concil. Trident. *sess. 14. cap. 7.* licet adsit alius, qui possit absoluere ab eis extra illum articulum. Ita Sylvest. *absolutio. 1. & 3.* & Couar. *capit. Alma p. 1. §. 11. numer. 3.* Ratio est, quia Concilium pro eo articulo omnino dixit nullam esse reseruationem. Notandum tamen, an peccatum tale antea reseruatum, reseruatum esset Papæ, & tunc pœnitens conualescens tenetur recurrere ad Papam, non pro absolutione sacramentali, quam obtinuit, sed pro ostensione subiectionis. Ita præcipitur *cap. Eos, qui. de sent. excom. c. 99.* Nau. *c. 26. nu. 20.* In absolutione vero reseruatorum alijs inferioribus Papa non manet onus ad eos recurrendi. Ita Syl. *confessio 1. quæst.*

quæst. 19. & *confessor* 1. *qu.* 20. Angel. *confessio.* 3. *nu.* 2. Arm. *absolutio. n.* 2. Palud. *in* 4. *d.* 20. *qu* 1. *art.* 2. D. Anton. 3. p. 14. *capit.* 18. §. 17. Nau. *in sum. cap.* 2. *nu.* 7. Ratio eorum est, quia hæc iurisdictio in eo articulo non inuenitur concessa cum tali limitatione. Dico *duodecimum.* Superior delegans iurisdictionem in reseruata, potest illam delegare cum onere subijciendi iterum ei peccata confitenda delegato, non quidem ad absolutionem, sed ad medelam adhibendam. Ita Doctores communiter, quos refert Nau. *cap. Placuit. num.* 112. & 113. & *in sum. cap.* 9. *num.* 1. Sot. *in* 4. *d.* 18. *qu.* 2. *art.* 5. Cano *loco sæpe sup. citato.* & al. Ratio est, quia confessio talis iurisdictionis est mera gratia: gratia autem concedi potest, vel absolute, vel cum limitatione. Et mihi quidem constat ita in aliquibus sacris Religionibus hanc potestatem delegari.

23 Qvæst. *Quis confessor, hoc est, sacerdos habens iurisdictionem, & approbationem tenetur ministrare hoc sacramentum ex officio? & quando?* Res p. Parochus, qui in iure proprius sacerdos appellatur, obligatur solum iuxta Rich. *in* 4. *d.* 18. *art.* 2. *q.* 3. Sylu. *confess.* 1. §. 18. Arm. *absolutio* 27. Med. *de pœn. q.* 41. semel in anno, quando subditus tantummodo obligatur. Oppositum tamen est affirmandum: nimirum teneri parochum ad hoc munus exercendum, quotics expedire prudenter iudicauerit subdito. Ita Adrian. *qu.* 5. *de confess. dub.* 8. Sot. *in* 4. *d.* 18. *q.* 4. *art.* 2. Vide Cano. Ledesm. locis citatis. Nau. *c. Consideret num.* 19. Ratio est, quia pastor non debet solum extremæ necessitati ouium, sed etiam illarum vtilitati consulere, tempus autem vrgentis præcepti est extrema necessitas; ergo &c.

24 Qvaest. *Quid tenetur confessor agere circa pœnitentis conscientiam?* Res p. Tenetur formare iudicium de sufficienti dispositione pœnitentis: & ad hoc iudicium formandum tenetur examinare pœnitentis conscientiam, vt pœnitentem absoluat, Ratio est, quia iudex tenetur formare iudicium criminis, antequam sententiam proferat.

25 Qvaest. *Teneturne confessor absoluere pœnitentem, quem iudicat esse dispositum, & dignum absolutione?* Res p. Dico

Dico *primum*. Confessarius absoluens reum, quem iudicat impœnitentem, & indignum absolutione, sacrilegiũ committit. Ita Sot. *in* 4. *d.* 18 *quæst.* 3. *art.* 3. Cordub *in sum. quæst.* 4. cum communi. Ratio est, quia in re sacra indignissimum actum exercet. Dico *secundum* Quando pœnitens est dignus absolutione, confessor tenetur pœnitentem absoluere. Ita communiter Doctores. Ratio sumitur, tum ex ratione ministerij, ex quo confessor tenetur integrum facere sacramentum: tum ex ratione iustitiæ: quia iudex, licet arbiter, tenetur ferre sententiam circa reum, quem iudicandum suscipit, alioqui grauem illi irrogabit iniuriam, si innocentem non absoluat.

26 QVAEST. *Quod onus manet confessario post confessionem sacramentalem sibi factam?* RESP. Secretum sacerrimum circa res confessionis, quod Theologi appellant sigillum. Tenetur autem confessor ad hoc secretum non solum lege naturali, iuxta illud *Prouerb.* 11. *Qui reuelat arcanum, ambulat fraudulenter*: sed ex lege positiua Christi, hoc sacramentum instituentes. Circa hoc dico *primum*. Propter nullum bonum temporale, vel spirituale, proprium, vel commune, neque in alio euentu frangere licet hoc sigillum. Ita communis opinio. D. Thom. *in* 4. *d.* 21. *qu.* 3. *art.* 1. *& quodl.* 1. *art.* 8. D. Bonauent. *d.* 21. *art.* 2. *quæst.* 3. Richard. *art.* 4. *q.* 1 *&* 2. Scot. *q.* 2. Dur. *quæst.* 4. Palud. & Maior. *quæst.* 3. Capreol. *quæst.* 2. Sot. *d.* [illegible]. *quæst.* 4. *artic.* 5. Alens. 4. *p. quæst.* 78. Adr. *qu. vlt. de confess.* Medin. *de confess. qu. de sigillo.* Nauar. *in sum. capit.* 8. *& capit. Sacerdos. de pœn. d.* 6. *num.* 116. Couar. *in* 4. *Decret.* 2. *p. cap.* 8. § 1. *num.* 2. A quibus Paradoxe admodum recessit Altisiodorens. *lib.* 3. *sum. tract.* 6. *cap.* 3. *qu.* 7. Hæc fuit semper perpetua Ecclesiæ traditio, quam docent Leo Papa *epist.* 28. *alias* 80. Basil. *reg.* 2. Monach. Augu. *lib. de salut. docum. cap.* Ambros. apud Paulum *in vita eius*. Gregor. *cap. Sacerdos. de pœn. d.* 6. habetur *ca. Omnis vtriusque*. Ratio sumitur ex grauissima iniuria, quæ sacramenti institutioni à Christo Domino factæ in quouis euentu irrogaretur, iuxta perpetuam Ecclesiæ traditionem. Ideo falso credidit Altisiodorensis posse reuelari hoc sigillum propter vtilitatem ipsius pœnitentis, quam video inde prouenturam. Item

erro-

erronice opinati sunt aliqui Canonistæ, quos refert Cou. *loco citat.* posse confessorem detegere peccatum emorrutiam Pœnitentis ad impediendum matrimonium suo testimonio. Errarunt in super arbitrando testimonium confessarij fidem facere in foro externo vt sumitur ex *capit. 2. de offic. Ordin.* & *capit. Dilecti de excess. Prælatorum.* Ita Suarius. *de pœn. disput. de sig.* ostenduntque Doctores, quos refert Couar. Tolet. Immerito censuit Sotus. *in 4. dist. ibid. quæst 4.* posse sigillum reuelari à confessario, cum necesse fuerit integram faciendam confessionem, si forte culpa commisit in audienda tali confessione. Contra Sotum tenent omnes, teste eodem Soto. præcipue Gab. *in 4. dist. 21. quæst. 1. artic. 3. dub. 1. ad 5.* Adrian. *quæst. de confess.* Sylu. *confessor. 3. q. 11.* Nauar. *in sum. cap. 8. num. 6. capit. Sacerdos. de pœn. d. 6. num. 64.* Ledesm. *2. 4. qu. 10. artic. 5* Ratio est, quia integritas materialis, non est de essentia confessionis, vt in propria materia ostendi, & aliter ex causa omitti potest, nulla autem causa grauior dari potest, quam seruatio sigilli. Dico *secundum.* Omnis non sola cõfessio sacramentalis obligat ad hoc sigillum. Omnis, id est, seu secreto, seu publice fiat. Sacramentalis, id est, facta in ordine ad absolutionem obtinendam. Nam detectio peccatorum facta alicui, licet intercedat pactum seruandi sigillum confessionis super dicendis, non gignit obligationem sigilli, sed secreti naturalis (quidquid in oppositum velit Palud *in 4. dist. 21. q. 3. num. 2.* & Caiet. *confessio*) & ideo non obligat pluſquam secretum naturale, quamuis strictius, vt notat Sor. propter vtilitatem sacramenti ad quam accessit: interueniente tamen bono communi, semper est deregendum, contra quod nunquam prævalet, vllum secretum naturale, vt docet Nauar. *capit. 1. de pœn. dist. 6. in principio.* Dico *tertium.* Obligat huius sigilli præceptum non tantum ipsum verum confessorem, vt per se claret: sed confessorem fictum, qui se fingendo verum, pœnitenti bona fide confitenti, præstitit audientiam. Obligat sacerdotem, qui non habebat iurisdictionem, & tamen à pœnitente, vt illam habens existimabatur: vel vt habiturus meam putabatur, & eo animo confitebatur, vt ab eodem absol-

soluere tur. Obligat confessarium, qui ob defectum doloris, vel restitutionis, vel quid simile pœnitentem non absoluit. Ita D. Thom. *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 3. *articul.* 1. & Caiet. *loco proximo*. Habetur *capitul. Quod quidem de pœn. & remiss.* Obligat superiorem, à quo petitur facultas ad absoluendum à reseruatis. Ita Vict. *de pœn. numer.* 90. Obligat interpretem confessionis. Ita communis opinio Scot. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 1. circa finem. Rich. *dist.* 21. *qu.* 3. *articul.* 4. Medin. *de confess. quæst.* 50. Ledesm. 2. 4. *quæst.* 11. *artic.* 3. *dub.* 1. D. Tho. *dist.* 21 *quæst.* 3 *art.* 1. *quæst.* 3. Obligat consiliarium, siue à pœnitente, siue à confessario de licentia pœnitentis consulatur. Ita citati Auctores, præsertim Ledesm. Palud. Adrian. Nauar. & *in sum capitul.* 8. Pet. Sot. *lect.* 11. *de confess.* Vigu. *in sum. capitul.* 16. §. 4. *verb.* 20. Obligat illum, qui furtiue audiuit confessionem. Ita Scot. *excommunicatio. in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. Ratio est, quia talis iniuriam fecit pœnitenti, & sacramento. Obligat ex sententia multorum, illum, qui inuenta peccata scripta ad confessionem legit, eos refert Nau. *capit. Sacerdos. numer.* 8. & 9. Obligat eos, qui audierunt confessionem vel casu, vel ex necessitate pœnitentis publice consitentis. Ita ex communi Suar. Obligat illum, cui iniuste confessor reuelauit confessionem. Ita Scot. *in* 4. *d.* 17. *quæst.* 1. Richard. *art.* 5. *quæst* 1. Sylu. *confessor.* 3. *quæst.* 1. Nau. *capit. Sacerdos. numer.* 43. Dico *quartum*. Omnis notitia à confessione prouenies, siue immediate, siue mediate prouenia t, obligat ad sigillum. Ita Suar. loco citato. Ex parte etiam pœnitentis obligat ad hoc sigillum sola vera confessio, non ficta, hoc est, facta animo se accusandi sacramentaliter, & subijciendi clauibus Ecclesiæ. Ita Caietan. 2. 2. *q.* 70. *art.* 1 & *Opusc.* 21. *tom.* 1. Sot. *in* 4. *d.* 18. *quæst.* 4 *art.* & *de teg. secr. in* 2. *quæst.* 7. Nau. *in sum. capit.* 18. *numer.* 55. Ratio est, quia illa detectio, non est sacramentalis accusatio. Hęc autem intentio pœnitentis ficti, cum vult inducere confessorem ad malum, aut tertiam personam infamare, vel quid simile, sæpe non agnoscitur in initio detectionis (ne illam appellem confessionem) sed in discursu : veruntamen vtcunque detegatur, deobligat à sigillo. Dico *quintum*. Non solum peccata mortalia, sed etiam venialia: Item circumstantiæ

peccati commissi, vel committendi: Denique omnia quæ vtiliter deteguntur in confessione, quamuis rem caute, & aliquando imprudenter detegantur, cadunt sub præcepto sigilli. Ita Suar. late, & docte probat. Addit vero ex Sot. etiam defectus corporis, animæ originis, & natalium, qui ad maiorem culpæ propalationem deteguntur. Item peccata publice commissa, quatenus ea notitia sacramentali sciuntur. Nam si alia via peruenerint ad aures confessarij, potest, vt alij ea notitia publica vtatur, caute tamen oportet procedere, ne gignat scandalum reuelati sigilli. Ita D. Thom. Bonauent. Alens. supra citati, & in hoc sensu loquitur Altisiod. *libr. 4. sum. tract. capitul. 3. quæst. 4.* in oppositum allegari solitus. Recte tamen aduertit Maior. *in 4. d. 21. quæst. 3.* non esse addendum aliquid certitudini, comparatum ex scientia sacramentali. Dico *sextum*. Non frangit sigillum confessionis confessarius, qui reuelat peccata sibi aliquando confessa non reuelando pœnitentem. Ita habetur *capitul. Omnis vtriusque sexus*. Veruntamen caute nimis procedendum in hac re tam periculosa: ideo satius esset ita subtilia peccata confessa, ac si nunquam audirentur. Plura nam D. Anton. 3. *p. tit. 17. capitul. 19. § 3.* & Nauar. *in sum. cap. 8. num. 11.* Dico *septimum*. Non frangit sigillum, qui dicit se aliquem confitentem audiuisse. Item habuisse peccata venialia. Ita communiter Doctores. Ratio est, quia certum est quemuis fidelem teneri ad confessionem faciendam. De fide autem est omnes nos habere peccatum veniale. Iuxta illud Ioannis: *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Dico *octauum*. sigillum frãgit confessor, qui audire solitus certos pœnitentes, vnum laudat de innocentia, & puritate conscientiæ, de alijs nil affirmãdo, aut negando. Ita citati Doctores, appellantque hanc directam reuelationem peccatorum. Dico *Nonum*. Reliqua omnia, quæ nihil ad confessionem attinentia deteguntur in confessione, non cadunt sub sigillum confessionis. Ita Suar. cum communi. Ratio est manifesta, quia talia nullatenus accusationi sacramentali inseruiunt, sed sunt admodum impertinentia. Dico *decimum*. Post auditam confessionem, & absolutionis concessionem, vel negationem, frangit sigillum con-

confessarius, qui de rebus confessis cum ipso pœnitente, absque pœnitentis licentia, loquitur. Ita omnes Doctores ex communi sensu, & consuetudine Ecclesiæ. Quod si oporteat confessario propter aliquem defectum pœnitenti dicere se defeciſſe in confessione, petat licentiam à pœnitente, quam licentiam si neget, dicat nihilominus, quia tunc non extra, sed intra confessionem loquitur, pœnitensque est tunc irrationabiliter inuitus. Ita Suarius docte, & pie; agit enim tunc confessor in vtilitatem pœnitentis, consulens illius æternæ saluti. Dico *vndecimum*. Ex licentia pœnitentis licet confessario, stante obligatione sigilli confessionis (quia nil pœnitens extra confessionem reuelat) loqui cum tertia persona de rebus in confessione scitis, siue ea locutio cedat in vtilitatem pœnitentis, siue alterius personæ. Hæc assertio est contra opinionem Scot. *in* 4. *distinct.* 21. *quæst.* 2. Durand. *quæst.* 4. *Maioris. quæst.* 3. Gabr. *articul.* 3. *dub.* 4. Alens. *quæst.* 78. *memb.* 2. *artic.* 2. §. 1. Angeli *confessio* 8. *numer.* 5. Ratio eorum est, quia pœnitens non potest dare talem facultatem, tum quia præceptum sigilli est diuinum, tum quod non potest dispensare pœnitens, quia est contra reuerentiam sacramenti. Est tamen conclusio D. Thom. *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 3. *articul.* 2. Bonau. *articul.* 2. *quæst.* 2. Ric. *articul.* 4. *quæst.* 1. Palud. *quæst.* 3. *numer.* 42. Adrian. *quæst.* 4. *de confess.* Henriq. *quodlib.* 7. *quæst.* 6. Sylvest. *confessor* 3. *quæst.* 3. & 5. Soti, Ledesmæ. Cani, & aliorum Thomistarum. Nau. *in sum. capit.* 8. *numer.* 2. *& cap.* 18. *nume.* 12. & *capit. Sacerdos. nume.* 127. Couar. 2. *p. Decret.* 4. *capit.* 8. §. 12. Ratio est, quia præceptum diuinum de sigillo traditum est propter vtilitatem pœnitentis, ideo ab illius voluntate pendet, & nulla sacramento fit iniuria, cum nulla fit pœnitenti, nec in eo euentu cessat finis præcepti in singulari sed mutatur materia præcepti. Multa vero ex hac licentia commoda suboriri poterunt pœnitenti, quæ quidem non suborirentur ex notitia data extra cõfessionem, quam petunt Auctores oppositæ sententiæ. Nam adhuc illa notitia remanet sub sigillo confessionis, excepto illo casu concesso; non remaneret autem data extra confessionem. Et ideo cui reuelatur tenetur sigillo

rei reuelatæ. Deinde, quia hæc licentia reuocabilis est non vero illa; data extra confessionem. Et hæc sunt de hac quæstione. Dico *duodecimum*. Qui interrogatus an sciat aliquid quod sciuit in confessione, vel sub sigillo confessionis, respondere absolute potest, se nescire. Ita D. Thom. Bonau. & alij *in* 4. Scot. *d.* 15. *quæst.* Maior. *quæst.* 18. Henriq. *quodli.* 8. *quæst.* 29. Imo respondere potest se non audiuisse. Ita Richard. *in* 4. *dist.* 21. *art.* 1. *q.* 4. *quæst.* 2. Si autem interrogetur, an loquatur de dicto in confessione, adhuc respondere poterit, se non audisse in confessione. Ita Adrian. *quæst. vlt. de confess. sacerdot. confessor.* 3. *numer.* 11. Nauar. *in sum. capitul.* 8. *numer.* Vict. *in sum. numer.* 184. Ledesm. 2. 4. *quæst.* 11. *art.* 1. *dub.* 6. Tres in hoc puncto proposui veritates: primæ repugnat Altisiodorensis: in secunda dubius hæret Sotus. Tertiæ se opponunt Palud. & Sot. sed immerito & contra rationem. Quoniam vera ratio est, quia subintelligitur illa conditio, Nescio, nec audiui in foro, in quo illud dicere possim. Neque insuper euentus dari poterit, in quo quis iuridice interrogetur, vt teneatur respondere mentem interrogantis. Quæ ratio conuincit, etiam si quis iurauerit se dicturum veritatem. Notauit Henr. *quodl.* 1. *quæst.* 33. & Gabr. *in* 4. *dist.* 21. *art.* 3. *dub.* 1. Ratio est, quia iuramentum non est vinculum iniquitatis; non obligat ad id, quod facere nequeo ex diuino præcepto: nequeo autem ex diuino præcepto reuelare confessionem ergo, &c. Dico *decimum tertium*. Non reuelat confessionem, & ideo non frangit sigillum confessionis, qui ex licentia pœnitentis loquitur cum illo, aut alia tertia persona interueniente graui, & rationabili causa de peccato complicis in confessione scito. Hanc conclusionem negant Alens. 3. *p. quæst.* 77. *in* 2. *artic.* 4. D. Bonau. *in* 4. *dist.* 21. *in* 2. *p. art.* 1. *quæst.* 3. Alij dicunt non licere dare hanc facultatem. Ita Palud. *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 3. *art.* 2. Richard. *artic.* 5. *quæst.* 2. Sot. *dist.* 18. *art.* 5. *quæst.* 2. *ad* 4. Verumtamen pro sua sententia nullum afferunt firmam rationem. Hanc conclusionem tuentur D. Thom. *Opusc.* 12. *q.* 6. Capreol. *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *articul.* 3. *ad* 3. *concluf.* Sonsinas *ibid. compend.* Capreol. D. Anton. 3. *p. tit.* 14. *ca.* 19. §. 11. Adrian. *qu.* 1. *de confess. ad* 4. *& dub. pœn. ad* 3. *&* 8. Gabr. *d.* 17. *qu.*

art. 2. concl. 5. quamuis mutauit sententiam d. 21. ar. 3. dub. 2. Sylu. confess. 1. q. 24. cum Raymundo, quem citat Astensis in sum. 2. p. lib. 3. tit. 12. Armil. circumstantia num. 11. Tabiena eodem verb. §. 10. & confessio 1. §. 4. Sum. Pisana. confess 1 quæst. 3. Nauar. in sum capitul. 7. n. 7. Cordub. Opusc. de tract. mem. 2. quæst. 4. & memb. 6. quæst. 4. Suar. de pœn. quæst. de sigillo. qui hanc verissimam appellat sententiam. Ratio illius est, quia interueniente graui, & rationabili causa, pœnitens potest complicis peccatum alicui detegere, vt de eo loquatur. Probatur conclusio ex capit. significasti. de adult. quem textum rependit Nauar. capitul. sacerdos de pœn. distinct. 6. nu. 151. Grauis autem, & rationabilis causa interuenire potest ex parte pœnitentis, si v. g. complex inducat pœnitentem ad peccandum: vel si constituat illum in morali occasione: vel si illi debeat prolis educationem: aut restitutionem bonorum, quæ adulterino filio in legitima putatorum fratrum euenerunt. Potest etiam interuenire ex parte ipsius complicis: vna autem legitima causa erit correctio fraterna ipsius complicis ad emendam: cedit enim in salutem illius æternam, quæ est bonorum maximum.

27 QVAEST. *Licetne confessario vti aliquando notitia in confessione comparata?* RES P Dico primum. Nunquam licet vti hac notitia cum periculo morali reuelandi confessionem indirecte. Ita omnes Catholici Doctores. Reuelaret vero indirecte confessionem superior, qui propter scita in confessione, ita subditum gubernaret, etiam ad salutem spiritualem, vt alij suspicentur talem subditum commisisse aliquod peccatum: oriri autem posset hæc suspicio, si talis subditus repente amoueretur ab officio, vel mitteretur ad aliud monasterium, vel si quid ei simile fieret. Conclusio adeo certa est, vt nec pro tuenda vita, aut euitanda morte liceat confessionem indirecte reuelare. Ita Suar. *de pœnit. disp. de vsu notitiæ in confessione.* Ratio est, quia reuelare indirecte confessionem ita intrinsece malum est, vt nulla vtilitate cohonestari possit, & ideo mors passiue potius sustinenda, quam reuelanda confessio. De vno euentu dubitant Auctores, an in eo interueniat indirecta confessionis reuelatio. Nimirum, est sacer-

dos in altari sacrum faciens, accedit quis, & apud eum confitetur se venenum calici infudisse. Vel esse in Ecclesia quendam, qui illum est interfecturus, non potest non venenum sumere, vel ab Ecclesia fugere, nisi adstantes suspicentur sciuisse illum insidias ex confessione pœnitentis, dubitant, an non sumere calicem, vel fugere, sit indirecte reuelare confessionem. Negant Scot. *in 4. distinct.* 21. *quæst.* 2. *ad* 3. Gabr. *articul.* 3. *dub.* 1. Maior. *quæst.* 3. *articul.* 2. Syluest. *confessi.* 3. *quæst.* 2. propendet Sot. *de secret.* quia, inquiunt, sacerdos vtitur iure suo, adstantes vero suspicantur ex prauitate conscientiæ, nam actus illi ex se non inducunt reuelationem. Ideo affirmant posse talem sacerdotem omittere sumptionem calicis. Item posse ab Ecclesia fugere. Contrarium tamen tenent Richard. *art.* 4. *quæst.* 2. Nauar. *capit. sacerd. numer.* 135. Ledesm. *loco proximo.* Sot. *dist.* 18 *quæst.* 4. *art.* 5. Ratio eorum est, quia licet illæ actiones secundum se non sint reuelatiuæ, vt ita loquar, tamen hic, & nunc, cum talibus circumstantiis, saltem indirecte, produnt pœnitentis confessionem, & ideo in eo euentu potius mors est subeunda per veneni sumptionem, quia non actiue, sed passiue se occidit. Dico *secundum.* Quando ex vsu notitiæ per confessionem comparatæ, nulla sequitur indirecta confessionis reuelatio, nec morale periculum reuelandi indirecte confessionem: licitum est vti tali notitia. Ita Doctor Suar. hisce verbis. *Ita docent omnes.* Ratio est quia quamuis hæc notitia sit sacra, tamen licet vti rebus sacris ad commodum proprium, vel proximi. Hinc fit, vt confessarius possit res suas tutius custodire. Facere interrogationem necessariam alicui in confessione, ad eruendam veritatem. Oportet tamen, vt non vtatur hac notitia cum grauamine pœnitentis. Ita Doctores *in* 4. *dist.* 21. quos videre licet in Nau. *cap. sacerdos numer.* 124. Ideo grauiter peccabit superior, si propter scientiam confessionis puniat exterius subditum, vel priuet illum beneficio, aut alia re, in quam habet ius acquisitum, vel illi paret insidias, vt capiat illum in casu simili. Ita D. Thom. *quod lib.* 5. *articul.* 13. & Sotus. *de secr. m.* 3. *quæst.* Item oportet, vt finis talis vsus sit honestus. Ita omnes. Ratio est, quia hæc notitia est sacerrima, & ideo

ideo requirit honestum finem. Si autem hæc tria concurrant, nimirum euitatio omnimoda reuelationis secreti: causa honesta & iusta: illæsionis custodia pœnitentis, semper licet talis notitiæ vsus. Ita D. Thom. *in 4. distinct. 21. quæst. 3. artic. 1.* & *quodlib. 5. artic. 18.* Bonau. 2. *p. eiusdem. dist. articul 2. quæst 1. ad vlt.* Richard. & alii. Sylu. *confessor. 3. quæst. 14.* Neque hunc vsum impedit occulta pœnitentis scientia, quod confessor ad illum moueatur ex sua confessione, vt notat Sylu. contra Richardum. De euentu, in quo confessor suffragium laturus est circa pœnitentem, controuertunt Doctores, an possit in suffragio ferendo vti tali notitia. Affirmat D. Thom. & Bona & Scot. *in 4 dist. 21.* Sylu. & Sotus citati. Nau. *cap. sacerdos. num 146.* Imo addit illum teneri vti tali notitia, qua si non vtatur, incurrere censuras positas contra malos suffragatores, si quem scit per confessionem indignum, eligat ad officium. Ratio eorum est, quia eligere indignum est intrinsece malum: ergo qui potest eligere dignum, tenetur &c. Hæc sententia semper Suar. difficilis visa est, ei tamen non audet contradicere propter, vt inquit, tantorum Doctorum autoritatem. Intelligenda tamen est, cum suffragia dantur occulte, nam cum dantur publice, & talis peccator interior exterius habetur dignus, gignetur scandalum in negatione suffragii, aut reuelatæ confessionis.

23 QVÆST. *Quod est peccatum frangere sigillum, & quæ pœnæ sint impositæ à iure illud frangenti?* RESP. Dico vnum. Ex natura sua sacrilegium graue. Ex natura sua, dixi, quia oportet, vt reueletur materia grauis, quale est peccatum mortale. Probatur conclusio ex *cap. sacerdos. de pœn. dist. 6.* vbi iubetur, vt talis confessarius deponatur, & cogatur ignominiose peregrinari perpetuo. Quæ pœna depositionis confirmatur *in capit. Omnis vtriusque sexus*: sed pro peregrinatione iubetur perpetuo detrudi in monasterium, cum igitur pœna proportionetur culpæ, siquidem pœna grauis existimatur culpa. Reliqui vero frangentes hoc sigillum puniendi sunt arbitrio iudicis. Ad probationem vero sigilli à confessario fracti sufficiunt testes singulares, propter naturam delicti occultissimi, vt notat Suarius: iudicandum tamen semper

in fauorem pœnitentis, & sacramenti, vt notant D. Tho. Richard. & Sylu. qua de re latius Panorm. *in cap. Omnis vtriusq; de pœn. & remiss lib. 6.*

De subiecto capace huius Sacramenti. §. 10.

1 *An sit absoluendus, qui habet obligationem restituendi.*
2 *An sit absoluendus, qui habet occasionem proximam peccandi.*
3 *Quo pacto se geret confessor cum eo, quem scit esse in occasione peccandi mortaliter.*
4 *An sit absoluendus pœnitens, qui habet diuersam opinionem à confessario.*
5 *An sit absoluendus pœnitens absens.*
6 *Teneturne confessarius absoluere pœnitentem quem ex propria scientia vidit mentiri grauiter in confessione, quanquam ipse pœnitens dicat se non mentiri.*
7 *Licetne confessario absoluere pœnitentem absentem, qui vel epistolam illi peccata sua aperuit vel per internuncium, vel illi antea in præsentia confessus est.*

1 QVAESTIO. *Estne hoc sacramentum conferendum ei, qui habet obligationem restituendi?* RESP. Si mediocriter fieri potest, vt illi ante absolutionem restituat, optimum consilium est, vt prius restituat, non est tamen ad hoc cogendus, si proponat se restituturum, nisi aliquo morali experimento constet tale propositum esse infirmum: constat autem, si iam iterum, atque iterum idem proposuit aliis confessoribus, & non impleuit. Atque in hoc euentu non est absoluendus, quia non debet confessarius iudicare illud propositum efficax, antequam opere compleatur. Ita Suar. cum D. Anto-

2.c.8. & 3.p.tit.14. cap.19. Caiet. restitutio cap. 6. Nauar. in sum. cap. 17. num. 54. & cap. 26. num. 2. & 5. Syl. confessor 3. q.12. Cordub. in sum. q. 4. & 5.

2 QVAEST. Estne hoc sacramentum Pœnitentiæ conferendum ei, qui est in morali occasione proxima peccandi? RESP. Qui in tali morali occasione proxima peccandi est, & illam statim tollere potest absque scandalo, & infamia nō est absoluendus antequam occasionem tollat. Ita citati proxime Doctores omnes. Circa cuius propositum idem dicendum dixi de obligatione restituendi.

3 QVÆST. Quo pacto se gerere debet confessor cum pœnitente, quem scit esse in statu damnabili, quem ignorat inuincibiliter? RESP. Dico primum. Si pœnitens roget confessarium, vt sibi dicat, an sic in statu peccati, quem ipse ignorat inuincibiliter, tenetur illi veritatem aperire: & aliter faciendo, grauiter peccat, quia moraliter loquendo, non potest tacere, & falsum dicendo, decipit proximum in re graui, & agit contra obligationem sui muneris. Neque vti licet amphibologia, quia interrogetur, vt medicus admedicinam adhibendam occulto vulneri, interrogatur, vt Pastor ad prouidendum occulto malo suæ ouis. Dico 2. Confessarius qui scit malum statum pœnitentis inuincibiliter ignorantis illum, quanquam à pœnitente non interrogetur, si tamen habet spem firmam emendæ, & potest absque scandalo, & graui suo damno pœnitentem monere, & à malo statu vindicare sua admonitione, tenetur illum monere. Ita Adrian. q.5. de conf. dub.7. & quodl.5. ar.2. Med. de pœn. q. de conf. dimid. Sot. in 4. dist.18. q.2. ar.4. Can. de pœn. p.5. Pet. Sot. de conf. lect.10. Cord. li.1. q.11. Nau. c. Si quis autem. de pœn. d.7. n.66. Cou. in 4. Decret. 2. p. c.6. §.10. n.15. Ratio est, quia status ille secundum se est malus, & qua fieri potest, est tollendus, ideo obligatur confessor ad illum tollendum. Dixi, si habet spem firmam emendæ, quia si eam nō habet; non tenetur. Ita D. Aug. hom.41. ex 50. & refertur c. Si quis autem. de pœn. Ratio est, quia talis monitio obesset & non prodesset, nam peccaret pœnitens non materialiter solū, sed formaliter. Dixi, cum potest sine scandalo. Ita Innoc. III. refert c. Quia circa. de consang. & affin. Ratio est, quia scandalū potius vitandū, quam status materialis peccati.

4 QVAEST. *Estne conferendum sacramentum pœnitentiæ ei, qui contra iudicium confessarij existimat se esse dispositum & capacem absolutionis?* RESP. Dico 1. Cum inter pœnitentem, & confessarium est diuersitas opinionum, & confessor dubitat, an practice hic, & nunc absolutione dignus sit nullatenus illũ absoluturus est. Ratio est, quia omnis actio moralis facta cum dubio practico est mala. Aliter dicendum est, de dubio speculatiuo. Exempli gratia, an hæc occasio sit proxima, vel remota, & ex consequenti tolli debeat, an non. An hoc sit alienum, vel non, & ideo restituendum, vel tunc non enim si facto examine, & adhibita diligentia debita, etiam consultatione virorum doctiorum, adhuc remaneat dubium, absolvendus est pœnitens proponens se facturum quidquid facere debeat. Ita Sylu. *confess.* 3. *quæst.* 10. & Nau. *capit.* 21. *num.* 5. Quos refert & sequitur Suarius. Dico *secundum*: Cum inter pœnitentem & confessarium est dissidium, an practice absolui possit, vel non, & pœnitens non Doctorum virorum, sed suum proprium sequitur iudicium: standum est pro confessario: Ita Sylu. & Nau. *locis proximè citatis.* Ratio est, quia confessarius iudicat sine affectu, qui solet tenebras offundere, pœnitens autem cum eo. Dico *tertium*: Cum pœnitens sequitur probabilem opinionem virorum Doctorum, tenetur confessarius illum absoluere, quamuis oppositam opinionem probabiliorem reputet. Ita iam communiter omnes cum D. Antonin. *titul.* 4. *capit.* 10. §. 10. Sot. *in* 4. *dist.* 28. *quæst.* 2. *artic.* 1. Ledesm. 2. 4. *quæst.* 8. *artic.* 5. Nau. *capit.* 27. *numer.* 189. 288. *& in capit. Si quis autem. de pœn. d.* 3. *num.* 65. Sylu. *confess.* 3. *quæst.* 7. Cor. *quæst.* 100. *de contract.* Addit vero Sotar. etiam absoluendus est, cum improbabilem opinionem iuxta scientiam confessarii, accepit à Doctis viris, & propter eorum auctoritatem iudicat probabilem, cum nequit illius improbabilitatem cognoscere. Ratio est, quia operari ex opinione probabili, vel in scientia vel in auctoritate Doctorum; est opus practice bonum.

5 QVÆST. *Estne absoluendus pœnitens, quem ex complicis confessione confessarius videt reticere aliquod peccatum in confessione & peccare mortaliter in dimittendo*

confessione? RESP. Absoluendus quidem. Ratio est, quia non licet reuelare alterius confessionem, neque aliquod iudicium de tali confessione sibi facta præbere: tenetur igitur præsenti scientia vti, & secundum eam iudicare.

6 QVAEST. *Teneturne confessarius absoluere pœnitentem, quem ex propria scientia videt mentiri grauiter in confessione, quanquam ipse pœnitens dicat se non mentiri?* RESP. Affirmarunt multi, ex principio D. Tho. *quodlib. 1. artic. 10.* in hoc foro credendum esse pœnitenti, tum pro se, tum contra se. Ratio eorum est, quia iudex tenetur ferre sententiam secundum allegata, & probata contra priuatam scientiam. Dico *primum.* Debet confessarius vti omnibus medijs, vt credat pœnitentem non mentiri: potest enim boni consulere secundum intentionem rei exterius malæ, potest arbitrari illud peccatum iam esse dictum alteri confessori: potest arbitrari, alios, qui illi dixerunt, fuisse mentitos. Dico *secundum.* Si nullus sit tergiuersandi locus, quia confessor suis oculis scelus patratum vidit, non tenetur, nec debet credere pœnitenti neganti, & ideo non debet illum absoluere. Ita Doctor Suarius. *de pœnitent. disp. de minist. confess sect. 2.* Dupliciter verò interpretatur proloquium D. Thomæ. nimirum. Tenetur confessarius credere pœnitenti pro se, & contra se respectu alterius eiusque testimonij, hoc est, plus credendum pœnitenti se confitenti, vel neganti, quam alijs de eo affirmantibus, aut negantibus. Deinde tenetur confessarius credere pœnitenti pro se, & contra se, nisi aliud euidenter sibi constet.

7 QVÆST. *Licetne confessario absoluere pœnitentem absentem, qui, vel per epistolam illi peccata sua aperuit, vel per internuntium: vel illi antea in præsentia confessus est?* RESP. Res fuit his temporibus valdè dubia, nunc illius decisio irrefragabiliter certa. Palud. *in 4. d. 17. quæst. 2. artic. 1. num. 7.* Medin *de pœni. tract. 2. quæst. de confess-modo.* Nau. *in sum. capit. 21. num* 36. Pet. Sot. *lect. 11. de confess.* dixerunt posse confessarium mittere absolutionem in epistolis scriptã. Ratio eorum erat, quia de ratione iudicij non est, vt sententia proferatur voce, sed satis est proferri scripto. Diu. Anton. *3. p. tit. 17. cap. 12. & cap. 21. §. 3.* Sylu. *confessio. 1. p. 15.*

& confessor. 3. Adrian. *de confess. quæst.* 1. Pal. *in* 4. *d.* 17. *quæst.* *vlt* Rich. *art.* 2. *quæ.* 5. Maior *quæst.* 1. Alens. *quæ.* 18. *vel* 77. *p.* 4. Armil. Tabien. Angel. Marg. *confess. verb. confessio.* Turrecr. *cap. Qui pœnitet de pœn. d.* 1. *quæst.* 2. *&* 3. *ibidem.* Nau. *num.* 4. affirmant posse absolutionem voce proferri in absentia, quam opinionem probabilem dixit Sotus *de secr. teg in* 3. *quæst* 4. *dub* 4. *post.* 5. *concl.* Rutil *in specul. Epis. disp.* 1. *quæst.* 5. Probant suam opinionem, facto sancti Thomæ Cantuariensis carcere detenti, quem refert Scotus misisse Romam pro absolutione. Probant pietate, quia ita fas est credere Christum Dominum instituisse hoc sacramentum ad subueniendum, vrgentibus necessitatibus. Probant ratione, quia de essentia iudicij non est; vt sententia proferatur in præsentia rei accusati. Opposita sententia fuit D. Thomæ *in* 4. *d.* 17. *quæst.* 3. *art.* 4. *quæst.* 3. *ad* 3. vtilius inquit, est in extrema necessitate confiteri laico, quam sacerdoti absenti. Fuit Scoti *eadem dist.* Arctè D. Thomæ, & Scot. adhæserunt reliqui moderni Caiet. *confess. cond.* 11. Vict. *de confess. num.* 171. Scotus *in* 4. *d.* 18. *qu.* 2. *artic.* 6. Ledesm. 2. 4. *quæst.* 9. *art.* 3. *dub.* 5. Cano *de pœnit. p.* 5. Ratio eorum erat, quia in absentia non potest confessor habere notitiam certam conscientiæ, vt certam proferat sententiam. Rationes Suarij ita docentis efficacius rem confirmant. Nimirum, quia non vsus Ecclesiæ in aliquo modo ministrandi sacramentum, qui nunquam legitur actualiter exercitus, signum est non posse sacramentum ita fieri: cum modus sacramentorum constet ex vsu, & traditione Ecclesiæ sed nunquam legitur sacerdotem absoluisse pœnitentem absentem: nam de Sanct. Thoma Cantuariensi res est incertissima, imo oppositum certum; ergo, &c. Deinde, quia verba formæ huius sacramenti requirunt præsentiam, ex vi ipsius prolationis, ergo, &cæt. Controuersia nunc est decisa à Sanct. D. N. Papa Clemente VIII. proprio diplomate, definitaque pars negans: illud retuli in responsionibus de confessione oris, propterea nunc non recito.

De effectu sacramenti Pœnitentiæ. §. 11.

1 Qui

1 *Qui sunt effectus sacramenti Pœnitentiæ.*

1 QVÆSTIO. *Quis est effectus huius sacramenti Pœnitentiæ?* RESP. Triplex. *Primus* est remissio culpæ. Oppositum censuit Magist. *in* 4. *d.* 18. aitque idem esse dicere: *Ego te absoluo à peccatis tuis*, atque dicere: *Ostendo te absolutum à peccatis tuis*, quia, inquit, cum profertur illa forma, iam per verum dolorem semper sunt remissa peccata: ideoque ex illius sententia potestas clauium, nunquam extenditur ad remissionem culpæ. Sequuntur *ibidem* Gabr. & D. Bonauent. Item Alens. 3. *quæst.* 82. Medin. *tract.* 2. *de effectu absolut.* Hæc tamen opinio non solum falsa, sed ferme est damnata in Concil. Trident. *sessio.* 14. *cap.* 6. *can.* 9. & Florent. Mea vero conclusio est omnium reliquorum Theologorum. *Secundus* effectus est, infusio gratiæ. Ita Conc. Trident. & Florentin. & schola omnis Theologorum. Ratio est, quia effectus sacramentorum omnium Nouæ legis, est infusio gratiæ. Deinde, quia effectus huius sacramenti est remissio culpæ: culpa autem remittitur sine infusione gratiæ. *Tertius* est remissio pœnæ temporalis, iuxta dispositionem pœnitentis. Nam in remissione culpæ, remittitur tota pœna æterna, & remanet obligatio ad certam pœnam temporalem, quam Deus nouit. Effectus igitur huius sacramenti est remittere totam, vel partem huius pœnæ, iuxta pœnitentis dispositionem. Ita communiter Theologi, definiturque in Conc. Trident. *loco proximo.*

CAPVT VII.

DE INDVLGENTIIS.

De thesauro Ecclesiæ. §. 1.

1 *Quid est thesaurus Ecclesiæ.*
2 *Vbi est thesaurus Ecclesiæ.*
3 *Ex quibus operibus constat thesaurus Ecclesiæ.*

4 *An possimus satisfacere pro peccatis alienis.*
5 *Quis habet clauem thesauri Ecclesiæ.*

1 QVÆSTIO. *Quoniam hæc indulgentiarum materia pendet à thesauro Ecclesiæ, operæ pretium erit prius interrogare de thesauro. Dic igitur, quid est Ecclesiæ thesaurus?* RESP. Est collectio ex operibus satisfactorijs, quæ sancti egerunt, non illis pro culpis propriis necessaria. Ita omnes catholici Doctores, decernitur *Extrauag. Vnigenitus. de pœnit. remiss.* Probat Cordub. q. 4. *de indulgent.*

2 QVÆST. *Vbi est thesaurus?* RESP. Est in solita diuinæ acceptatione, quæ omnia hæc opera seruat ad remunerationem. Ita Doctores cum Diu. Thom. 3. p. *quæstion. 25. art. 5.*

3 QVÆST. *Ex quibus præcipue operibus colligitur hic thesaurus?* RESP. Ex operibus multorum sanctorum, sibi Deo cognitorum, quæ longè lateque excesserunt pœnam debitam pro suis culpis: nam ipsi, aut nunquam, aut non peccauerunt mortaliter: opera vero satisfactoria possent satisfacere pro peccatis grauissimis mortalibus, si illa committerent. Talia fuerunt opera Iobi, de quibus ipse dixit. *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram meruj, in statera, & calamitas, quam patior; quasi arena maris hæc grauior appareret.* Talia fuerunt opera D. Ioannis Baptistæ, qui ne leui saltem maculare vitam famine posset, nam deserti teneris sub annis fugiens petijt, vt canit Ecclesia. Talia opera B. Virginis Mariæ Dei genetricis, quæ nec maculam originalis culpæ contraxit. Talia denique Christi opera natura ipsa impeccabilis, pro quibus solus infinitum hunc esse thesaurum decreuit fides sub Clemente VI. *in Extrauag. Vnigenitus.*

4 QVÆST. *Possunt igitur sancti, & iusti viri per sua opera satisfactoria, satisfacere pro pœnis debitis culpæ alterius?* RESP. Possunt, & de condigno; quamuis enim non possint alteri mereri gratiam de condigno (ea enim excellentia meritorum soli Christo Domino concessa fuit) possunt tamen de condigno satisfacere & ideo si Paulus iustus ieiunet pro Petro iusto, satisfaciet pro Petro tantum, quantum pro se ipso satisfaceret. Ita communis

Theo-

Theologorum sententia in materia de gratia, quam refert Toletus *lib. 6. ca. 21.* suæ summæ.

5 QVAEST. *Apud quem est in terra clauis huius thesauri?*

RESP. Apud Ecclesiam, illiusque caput summum Pontificem. Ita definitur in Conc. Trid. *sessi. 25.* Lateran. Vienensi, & Basilienſi, *Extrauag Vnigenitus de pœn. & remiſ.* Et ideo apud eundem est potestas istum thesaurum claudendi, & aperiendi, cum voluerit.

Quid est indulgentia. §. 2.

Definitur indulgentia.

OMissis multis huius nominis significationibus, quæ ad rem minime veniunt. Indulgentia in nostra acceptione, est relaxatio pœnæ debitæ pro peccato, satisfaciens diuino rigori ex operibus sanctorum, & Christi reseruatis in Ecclesiæ thesauro per liberalem Papæ, huius ærarij diuini dispensatoris condonationem extra vllum sacramentum. Hæc definitio non inuenitur sub his terminis in aliquo Doctorum, sed apertissimè colligitur ex eorum doctrina, quam tradunt Henriquez *de indulgent. cap. 1. num. 2* & Tolet. *lib. 6. cap. 21.* Ad eam tamen suppono tria. Primum in quouis peccato, præter reatum culpæ, contrahi etiam obligationem ad pœnam debitam culpæ, quæ pœna, aut soluenda est in hac vita per satisfactionem, aut in alia per satispassionem (sic vocant Theologi) vel in hac, aut in alia vita per liberã relaxationem factam à summo Pontifice, qui ex thesauro Ecclesiæ tantum satisfactionis soluit, quantum nos soluere ex nostris tenebamur. Secundum. Non semper in in hac vita, cum remittitur culpa (quæ tota simul remittitur) vel per pœnitentiæ sacramentum, vel per veram contritionem, remittitur etiam per veram contritionem, remittitur etiam tota pœna sed tantum pœnæ, quantum respondet in diuina existimatione operi nostro satisfactorio. Et ea pars pœnæ, quæ remanet, vel soluenda est in hac vita per alia opera satisfactoria, vel in alia per ignem purgatorij. Tertium. Quoduis opus bonum hominis existentis in gratia & est meritorium gratiæ, & est satisfactorium pœnæ. Hæc tria notissima sunt

Theo-

Theologis in materia de gratia, legi possunt apud Tolletum *lib. 6. cap. 21.* Hinc colliges manifeste, quid per Indulgentiam remittatur.

Quid remittitur per Indulgentiam. §. 3.

1 *An per indulgentiam remittatur culpa.*

2 *Quomodo intelligenda verba Iubilæi. Remittitur tota culpa, & tota pœna.*

1 QVÆSTIO. *Remittiturne per indulgentiam culpa, an pœna?* RESP. Non culpa, nec pœnæ æternæ debitum pro culpa. (Hoc enim simul cum culpa remittitur,) sed pœna temporalis, iuxta diuinam æstimationem, seu potius determinationem debita, temporaliter (hoc est terminatiue, quamuis ex se æterno debitum debuisset) respondens culpæ. Ita omnes Doctores, quos sequitur Cordub. *lib. 5. quæst. 7. & 41.*

2 QVÆST. *Quomodo igitur intelligenda sunt verba Iubilæi, cum dicitur per illum remitti totam culpam, & totam pœnam?* RESP. Henriq. *de Indulgent. cap. 9. nu. 4.* affirmat intelligenda verba de culpa veniali, non mortali. Certum enim est culpam mortalem solum remitti, vel per veram contritionem, vel per veram attritionem simul cum sacramento pœnitentiæ, aut martyrio, iuxta illum felicissimæ mortis priuilegium. Oppositum tamen affirmandum cum Suario *tom. de sacram pœnit.* cum agit de remissione peccati venialis, vbi latissime ostendit non remitti talem culpam extra sacramenta, absque proposito actu peccatoris. D. Thom. *1. 2. quæst. 89. art. 1. ibid.* Merito. Intelligenda igitur sunt verba Iubilæi in suppositione quo ad culpam, supponitur enim in subiecto capaci Indulgentiarum ablata tota culpa mortalis, & ex consequenti sanctificatio personæ, aliter nihil illi proderunt. Intelliguntur vero in applicatione quo ad pœnam, quia per talem indulgentiam tollitur omnino omnis pœna debita pro omnibus culpis, tam venialibus, quam mortalibus. Ita explicat D. Antonin. *1. p. tit. 10. cap. 3.* & Tolet. *lib. 6. cap. 22. num. 2.* Hinc colliges in electum illorum verborum bullæ, & Iubilæi, cum dicunt concedimus remissionem omnium peccatorum, idem est, atq; remissionem pœnæ debitæ pro omnibus peccatis. Nam etiam in diuinis locis

teris nomine peccati, intelligitur pœna temporalis debita pro culpis, constat ex 2. *Mach.* 12. *sanctum, & salubre est orare pro defunctis, vt à peccatis soluantur.* Ita Gab. *in 4. dist.* 45. *qu.* 3. *art.* 3. *not.* 1. & Eman. *in bulla fund.* 1.

De personis, quæ lucrantur indulgentias. §. 4.

1 *Quis est capax indulgentiarum.*
2 *An valeat indulgentia excommunicato.*
3 *An pro incolis habendi sint, qui tempore indulgentiæ in regione, cuius incolis conceduntur indulgentiæ versantur.*
4 *An indulgentia Bullæ prosit extra regionem pro qua est concessa, cum in eadem regione sumptæ fuit.*
5 *An sint capaces indulgentiarum animæ in purgatorio detentæ.*
6 *An peccator lucretur indulgentias pro animabus purgatorij.*
7 *An peccator lucretur indulgentias pro iusto.*

1 QVAEST 10. *Quis est capax indulgentiarum?* RESP. Homo, iustus, fidelis, viator, subditus conferenti indulgentiam. Dixi iustus, quia ad indulgentiam lucrandam requiritur sanctificatio personæ, vt iam dixi, *superiori* §. Dixi fidelis, quia ante Baptismum bene potest quis habere contritionem veram, & esse iustus, & tamen non censetur fidelis ad nostrum effectum. Dixi viator, quia licet indulgentiarum consecutio prosit animabus purgatorij, quæ iam sunt extra viam; attamen applicantur illis, & conceduntur indulgentiæ per opera viatoris. Dixi subditus, quia concessio indulgentiarum est actus iurisdictionis, iurisdictio vero exerceri tantummodo potest erga subditos.

2 QV AEST. *Valetne indulgentia excommunicato?* RESP. Minime. Ita Nau. *ca.* 27. *num.* 22. §. 13. Caiet. *excom.* & *ibid.* Sylu. 3. §. 1. *vers.* 16. Sot *in* 4. *d.* 22. *quæst.* 1. *art.* 4. Hinc excipitur

pitur indulgentia per bullam cruciatam concessa, quæ quidem excommunicato prodest, vt notat Angel. excom. vlt. §.14. & rescriptum §. ibid. Sylu. §.2. Nam concedit ipsa bulla absolutionem excommunicationis.

3 QVÆST. *Conceduntur aliquot indulgentiæ incolis alicuius religionis, quales sunt bullæ cruciatæ incolis Hispaniarum, rogo an incolæ sentiantur exteri dum in Hispanijs commorantur?* RESP. Maxime. Ita Henriquez *proxime citatus.*

4 QVAEST. *Actis rebus ipsi si exteri in patriam redeunt, secumque bullam portant, rogo prosuntne illis abeuntibus, & in Gallia, verbi gratia, degentibus, per tempus quo indulgentiæ Hispanijs durant, ac si adhuc in Hispanijs versarentur?* RESP. Prosunt. Nam postquam semel sumpta est in Hispanijs, prodest bulla vbique gentium. Ita Henriquez *proxime.*

5 QVAEST. *Viget bulla cruciata, sum Brachara, verbi gratia, hic traduntur bullæ, habeo amicum in transmentana regione mtito illi bullam, sed ille habet sibi aliam comparatam, poteritne eam alteri dare, licet iam eleemosyna data sit?* RESP. Poterit. ita Recentiores quos lege apud Henriquez cap. 20. *num.* 5.

6 QVÆST. *Suntne animæ purgatorij capaces indulgentiarum per modum suffragij applicandarum?* RESP. Sunt. Ita decernitur *cap. Cum ex eo. de pœnit. & remiss.* & probat Gabriel. *lect.* 57. Addition. D. Thom. *quæst.* 71. *artic.* 10. *ad* 1. *Addition.* Caiet. *Opusc.* 27. *quæst.* 5. & 6. Sot. *in* 4. *d.* 45. *quæst.* 1. *art.* 3. *concl.* 3. Nauar. *notab.* 22. Idque ostendit vsus Ecclesiæ, vt videre est in monumentis Minorum *fol.* 69. & 94. & *compendio Mendicantium, verbo. Indulgentia.*

7 QVÆST. *Est quis in peccato mortali, lucraturne indulgentias pro defunctis applicatas per modum suffragij?* RESP. Lucratur. Ita D. Thom. *quæst.* 27. *art.* 4. *Addit.* Palud. *in* 4. *d.* 45. *quæst.* 1. Gab. *lect.* 57. *in can.* Sot. *in* 4. *d.* 2. Nau. *de indulgent. notab.* 17. *num.* 4. & *notab.* 22. 30. 31. 46. 50. Bellarm. *lib.* 2. *de purgator. cap.* 17. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 5. Ratio est, quia ratio satisfactionis, seu pretium pœnarum, non est opus illius, qui est in peccato: & in peccato applicat, sed indulgentia ipsa, & thesaurus meritorum Christi, & sanctorum. Opus autem illud particulare, per quod indulgen-

dulgentiæ applicantur, fit ab operante, non suo, sed Ecclesiæ nomine, & vt ab illius seruo, seu ministro, in qua Ecclesia semper est gratia: sicuti qui per seruum stantem in peccato facit Eleemosynam pauperi, ita Ecclesia per malum ministrum tribuit mortuis eleemosynam indulgentiarum, ex opere, vt ita dicam, operato.

7 QVAEST. *Estne idem dicendum de iusto in applicatione indulgentiarum per eum, qui est similiter in peccato?* RESP. Idem iuxta eosdem Doctores, & ex paritate rationis, res est in propatulo.

De ijs, qui possunt concedere indulgentias. §. 5.

1 *Quis possit indulgentias concedere.*

2 *An possint concedi indulgentiæ pro quauis mundi regione.*

1 QVÆSTIO. *Quis potest concedere indulgentias?* RESP. Summus Pontifex ex plenitudine potestatis. Ex iure vero communi Archiepiscopi, Episcopi, & Legati indulgentiam quadraginta dierum: in dedicatione tamen Ecclesiæ indulgentiam vnius anni. *cap. Cum ex eo. ca. Nostro. de pœnit. & remiss.* Ex priuilegio vero particulari, videndæ sunt gratiæ & priuilegia. Dixi ex Priuilegio, quia ex iure communi nullus alius præter Summum Pontificem, & Episcopos potest concedere indulgentias. Constat *in cap. Accidentibus. de excess. prælat.* probat Cal. *cap. Nostro. de pœn.* Sum. confes. *li. 3 tit. 24. quæst. 184.* Sotus *in 4. d. 21. quæst. 1. ar. 4.* Nau. *ca. Quam pœnitet. de pœn dist. 1.* Summistæ *verb. indulg.* Angel. *num. 5.* Sylu. *num. 11.* Armil. *num. 3.*

2 QVÆST. *Possuntne huiusmodi indulgentias concedere pro quauis mundi regione?* RESP. Minime. Legati quidem pro solo suæ legationis districtu: Episcopi pro sola sua diœcesi: Archiepiscopi pro sola sua tota prouincia: *cap. Cum ex eo. cap. Nostro. de pœn. & remiss.*

De causa concedendi indulgentias. §. 6.

1 *An requiratur causa ad concedendas indulgentias.*

2 *Ex qua parte requiratur huiusmodi causa.*

3 *Quæ causa requiratur ad concedendas indulgentias.*

1 QVÆSTIO. *Requiriturne causa ad concedendas indulgentias, & absolutionem à pœnis?* RESP. Requiritur. Ita D Thom. *qu. 25. art. 2. ad 1.* Add Cord *lib. 1. qu. 22.* Pala. *de iust. retent. regni* Nauar *p. 1. princip. §. 4.* Pet. *de indulg. lect 2.* Nauar. *de indulg. notab. 15. num. 1. & tot. notab. 1. num. 31.* Adrian. *de indulg. concl. 2.* Maior. *in 4. d. 20. quæst. 2.* Filini *de indulg.* Gab *lect. 57. in can.* Caietan. *de indul. ca. 7.* & Opusc. *27. qu. 4.* Syl. *indulg. §. 3.*

2 QVAEST. *Ex qua parte requiritur causa dispensandi?* RESP. Tam ex parte concedentis, quam ex parte petentis indulgentiam. Ita Doctores citati. Et ideo peccat, qui pro parua causa indulgentias largissimas concedit. Ratio est, quia concedens indulgentias non est dominus sed dispensator discretus. Si tamen concedantur tales indulgentiæ, validæ sunt. Ita D. Bonauent. *in 4. d. 20. qua. ar. 3.* Durand. & Palud. *ibid.* Syl. *indulg qu. 3.* Gloss. *Extrauag. Antiquor. & alij.*

3 QVAEST. *Quæ erit causa sufficiens ad concedendas indulgentias?* RESP. Dei gloria, vtilitas Ecclesiæ, & bonum commune, vt conceduntur pro expeditione contra infideles. Concedi etiam possunt ex motiuo solius misericordiæ pro animabus purgatorij. Ita notauit Henriquez *de indulg. ca. 14. nu. 1.* Quoniam vero respectu unius personæ particularis redundat in bonum commune: respectu illius concedi possunt. Et ideo concedi possunt principi optimè merito de Ecclesia: qui multum laborauit pro ea, vt tali exemplo impellantur alij ad laborandum, pugnandumque pro ea. Item si magnus peccator postquam se recepit in bonam frugem, egit actibus pœnitentias posset a Papa, vt pio patre, iuuari ex Thesauro ad satisfaciendum pœnis debitis pro præteritis culpis.

(.·.)

De

De antiquitate indulgentiarum. §. 7.

1 *Quo tempore cœpit vsus indulgentiarum.*

1 QVAESTIO. *Ex quo tempore cœpit vsus in Ecclesia cõferendi indulgentias?* RESP. Ex antiquissimis iam inde Apostolorum temporibus. Longum esset antiquissimos Patres recensere, qui de indulgentijs meminerunt. Legatur Henriquez de *indulg. cap. 3. nu.* qui multos adducit. Certumq; est B. Gregorium concessisse indulgentias visitantibus Romæ stationes. Bonifacius VIII. refert indulgentiam Iubilæi esse rem antiquissimam, & à prædecessoribus suis fieri solitam, *Extrauag. antiquorum.* Postea Bonifacius IX. restrinxit nimietatem, vt docet Platina & alij in vita illius, & Nau. *notab. 4. nu. 2.*

De modo consequendi indulgentias. §. 8.

1 *An lucretur indulgentias, qui implet opera iniuncta existens in mortali peccato.*

2 *An indulgentia plenaria concessa semel in vita, possit à me pro tempore determinari.*

3 *Qui ex ignorantia, vel impotentia non impleuit opera iniuncta, minime lucratur indulgentias.*

4 *An bis lucrari possit Iubilæus in duabus hebdomadis concessis.*

5 *An sit necesse ad lucrandas indulgentias facere omnia opera iniuncta in eadem hebdomada.*

6. *An transacto tempore iubilæi possit quis absolui à peccato reseruato oblito, & dispensari in voto oblito.*

7 *An teneat absolutio data virtute Iubilæi, cum pro*

impedimento subsecuto, non facta sunt alia reliqua opera iniuncta, & ex consequenti, non est talis pœnitens indulgentiam consecutus.

8 *An pro lucranda indulgentia teneatur quis promittere confessionem iniunctam, cum non habeat conscientiam peccati mortalis.*

9 *Quis confessarius eligendus est ex vi bullæ, aut Iubilæi.*

10 *An pro eodem opere lucrari possim plures indulgentias.*

11 *A quo tempore valeat gratia, & indulgentia.*

1 QVÆSTIO. *Est quis in peccato mortali, & non adimplet omnia opera iniuncta per bullam, ad lucrandam indulgentiam, consequiturne eam?* RESP. Consequitur, non statim, sed amoto obice, tunc enim reuiuiscit indulgentiarum effectus, quatenus pendet ex meritis Christi, & Sanctorum applicatis, ex opere operato: Sicuti reuiuiscit opus satisfactorium, positum à confessario & factum in peccato mortali, quatenus est pars sacramenti pœnitentiæ. Ita Palud. *in 4. d. 20. quæ. 4.* Sylu. *indul. §. 7. vers. 3. numer. 32.* Oppositum tenuit Nauar. *notab. 17. num. 2. & 3. de indulg.* sed non obstat. Neque item obstant verba *Extrauag. Vnigenitus*, quatenus concedit solis veris pænitentibus, sic enim explicantur. Non proderit indulgentia, nisi cum fuerint vere pœnitẽtes. Supra dicta doctrina intelligenda est absolute, nimirum ex vi præcisa concessionis indulgentiarum. Nam si Papa eas concedat sub conditione, vt quis eas lucraturus sit in gratia, non eas consequetur absque ea. Ideo aliter loquendum de Iubilæo, in quo iuxta graues Auctores conceditur indulgentia sub ea conditione, & ideo negant consequi illam, nisi in gratia. Sed inquirunt, an oporteat, vt omne opus præscriptum à Papa fiat in gratia ad effectum indulgentiarum consequendum: Respondet minime, sed satis est si vltimum opus præscriptum perficiatur in gratia. Ita Adrian, *de indulgent.* Caiet. *de indulgent. tractat. 10. quæstion. 2. & tractat. 15. capit. 90. & 10.* Pet. Sot. *de indulgent. lect. 6.*

Armil.

Armil *indulgent* §.14. Sot. *in* 4. *d.* 21. *quæst.* 2. *artic.* 3. tenuit Cano. *in manuscript.* Ratio est, quia priora opera iniunguntur tanquam præuiæ dispositiones : vltimum vero tanquam vltima dispositio ad gratiam. Vltima vero dispositio in introductione formæ naturalis, simul est tempore cum forma introducta, iuxta Philosophum, quamuis sit prior prioritate naturæ. Ita etiam obtinuit communis vsus fidelium, qui non nisi post facta opera iuncta in sabbatho vltimo hebdomadæ die, vesperi etiam sæpius confitentur, & reponuntur in gratia. Imo alij Doctores liberius procedunt, aiuntque satis esse Christianum esse in gratia in vltima termini Iubilaici periodo, licet omnia opera iniuncta exercuerit in peccato, confessionem etiam, & communionem. Ita Henriq. *de indul. lib.* 7. *ca.* 9. *num.* 5. existimat enim vltimam conditionem esse gratiam intra illius termini spacium.

2 Qvæst. *Concedit bulla indulgentiam plenariam semel in vita, possumne eligere mihimetipsi tempus, in quo consequar huiusmodi indulgentiam?* Resp. Minime, sed concedenda est per confessarium, cum pœnitens dispositus fuerit. Ita Nauar. *de indulg notab.* 19. *num* 16. & 19. est communis opinio recentiorum.

3 Qvæst. *Ex ignorantia, vel impotentia non feci opera per bullam iniuncta absque alia commutatione, consequorne indulgentiam?* Resp. Minime. Ita omnes communiter Doctores, quos sequitur Henriquez *de indulgent. capit.* 10. *num.* 10. Hinc excipiuntur aliqui euentus. Duo præcipue. *Primus* est, cum imponitur eleemosyna danda: & lucrans est pauper, talis non indiget commutatione eleemosynæ in aliud pium opus. Ita Nauarr. *de orat. misc.* 60. *numer.* 226. Quod clarius explicuit Gregor. XIV. *in iubilæo ann.* 91. Henriquez *de indulgent. capit.* 10. *in* Glossa. *lit. v. Secundus* est, cum quis fecit, quod in se fuit, vt confiteretur, & aut ex malitia confessarij non obtinuit absolutionem, aut ex alia causa iusta adhuc lucratur indulgentiam. Ita Nauar. *de indulg. not.* 18. *num.* 14. & Angel. *indulg* §. 17. Addo *tertium* euentum. Apponit bulla, vt lucraturus indulgentiam, visitet Ecclesiam: accessi, sed præ multitudine populi ingredi nequiui, consequor indulgẽtiam. Ita Palud. *in* 4. *d.* 20. *quæst.* 4. Cord. *qu.* 31. Rosel. *verb.*

indulg. §. 22. Eman. *verb. indulg.* §. 8. *num.* 12. Addo quo-
tum. Præscribit bulla, vt lucraturus communicet, p[illegible]
propter ætatem nõ admittitur ad communionem, lucra-
bitur tamen indulgentiam. Ita Henriq. *de indul. c.* [illegible]

4 QVAEST. *Præscribit bulla, vt iubilæus recipiatur*
altera ex duabus hebdomadis, lucratus sum illum in pri-
possumne illum iterum lucrari in secunda, factis denuo om-
bus, vt in prima feci, & absolui à reseruatis postea commu-
dispensarique, & commutari in votis postea factis? RES.
Duæ sunt in hac re discrepantes sententiæ. Prima ab-
lute negat. Ita D. Thom. *quæst.* 25. *art.* 2. *ad* 4. *Add.* Pal.
sup. quæst. 4. Durand. *quæst.* 4 Cordub. *lib.* 5. *quæ.* 23. Nau.
indulg. not. 31. *numer.* 36. Oppositum tamen omnino ad-
rendum cum ipso Nauar. retractante additionem [illegible]
34. *num.* 4. §. 4. latiusque *not* 32. & 47. Angel. & Rosel.
verb. indulg.

5 QVÆST. *Suntne omnia opera præscripta in bulla fa-*
enda in vna, eademque hebdomada, an satis est ieiunare in
vna, & in altera confiteri? RESP. necesse est, vt omnia
fiant in vna, eademq; hebdomada. Ita Henriq. *de indulg.*
ca. 11. *nu.* 2. Ratio eius est, quia ita sonant verba Iubilæi.

6 QVAEST. *Ex vi priuilegiorum Iubilæi poterat Ioannes*
absolui à reseruatis, & ab excommunicatione, dispensari,
commutarique in votis per confessarium à se ipso virtute bul-
læ electum dum tempus Iubilæi stabat, oblitus est certi peccati
reseruati, certæ excommunicationis, certi voti emissi, po-
ritne post illud tempus vti priuilegio iubilæi? RESP. Poterit,
& à quouis alio confessario habente iurisdictionem ab-
soluendi à mortalibus, absolui à reseruatis tam peccatis,
quam excommunicationibus, dispensarique, & commu-
tari in votis. Ita Henriq *de Indulg. ca.* 11. *nu.* 4. colligitur
apertissimè ex communiori doctrina in materia de pœ-
nitentia, in qua qui oblitus inculpabiliter peccati certi
reseruati omnia alia reseruata detegens superiori, qui po-
test absoluere ab omnibus, poterit postea à quouis infe-
riore habente iurisdictionem in nõ reseruata ab illo pec-
cato oblito absolui. Ita Gab. *in* 4. *d.* 17. *qu.* 1. Adria. *de confe.*
qu. 4. Sylu *confe.* 1. *qu.* 4 Angel *confe.* 1. *nu.* 22. Rosel *confe.* 2.
nu. 9. Cano. *relect. de pœn. p.* 5. Ledes. 2. 4. *quæst* 8. *art.* 2. *dub.* 8.
Cou. *ca. Alma. p.* 1. 5. 10. *nu.* 12. Naua. *ca. Consideret.* §. *cautus*
nu. 30.

*nu.*30. *de pœn. d.*15 & *in sum. ca.*26. *nu.*13. Ratio est, quia superior intendit quantum in ipso est, tollere omnia peccata, quæ non remanent malitia pœnitentis, liberumque relinquere pœnitentem, & ideo aufert ex tacita intentione, quidquid potest, potest autem tollere reseruationem: ergo illam aufert.

7 QVÆST. *Præparat quis se bona fide ad lucrandam indulgentiam iubilæi, interim confitetur, & absoluitur à reseruatu, & obtinet commutationem votorum: sed ad finem hebdomadæ incidit in occasionem frangendi ieiunium sabbathi, verbi gratia, vel quid simile omittendi de conditione essentiali iubilæi, manetne absolutus, & à votis, & à peccatis, quamuis indulgentiam non consequatur?* RESP. Manet. Ita communiter Doctores. Ratio est, quia absolutio sacramentalis non datur ad reincidentiam. Neque item dispensatio, seu commutatio in votis.

8 QVÆST. *Præscribit bulla, vt qui lucraturus est indulgentiam, confiteatur, quæro, an teneatur confiteri, qui non habet conscientiam peccati mortalis?* RESP. Negat Nauarr. *addi. notab.*18. *num.*18. *& notab.*30. *num.*6. cum alijs, qui aiunt iubilæum esse intelligendum sicut præceptum annuæ confessionis. Oppositum tamen omnino asserendũ cum Sot. *in* 4. *dist.*21. *quæst.*2. Durand. *d.*20. *qu.*4. Caietan. *tom* 1. *Opusc. tractat.*15. *capit.*10. Ledesma. *quæst.*29. *articul.* 1. Cordub. *quæst.*27. *articul.*1. Adrian. *de indulg.* quod quidem fatetur ipse Nauar. esse tutius *add. not.*18. Ratio est, quia indulgentię intelligendæ sunt, vt sonant: Papa vero iuxta verba posita videtur obligare ad confessionem supererogationis: ita etiam præscribit ieiunium senibus, & minoribus viginti vno anno, aliisque personis, quæ ex vi præcepti ad ieiunandum minime tenentur.

9 QVÆST. *Præscribit bulla, vt confessor eligendus, sit ex approbatis ab Ordinario, quæro, an requiratur ista approbatio per Ordinariũ loci, vbi eligo, an satis sit approbatio Ordinarij ipsius confessarij, v. g. Est sacerdos approbatus ab Ordinario Bracharæ, sed tẽpore Iubilæi versatur Olysipone, & nõ est approbatus ab Ordinario Olysiponẽsi, potestne eligi per Iubilæũ in cõfessariũ?* RESP. Potest. Ita Henriq. *l.*2. *de pœn. c.*13. *& l. de indul. c.*12. *n.*4. vbi pro se adducit oẽs ferme Theologos, lõgissimã eorum texens cathenã, quos non refero, ne tædio lm legenti.

10 QVÆST. *Habeo multos calculos benedictos, quibus a varijs Pontificibus conceduntur variæ indulgentiæ per recitationem rosarij, vel fruor varijs bullis, quæ mihi ob eandem recitationem concedunt varias indulgentias, lucrorne eas omnes recitando semel idem rosarium?* RESP. Lucror. Ita Asten. *titul. 40. articul. 3. colum. 2.* cum Hostiensi, Cordub. *quæst. 32. & 35.* Henriq. *de indulg. capit. 15.* Ratio est, quia eadem horarum recitatione satisfacio præcepto, & voto recitandi presbyter sum, & religiosus professus, vt omnes concedunt.

11 QVÆST. *A quo tempore valet gratia, & indulgentia?* RESP. A tempore, quo bullata est. Ita Ioann. Andr. *lib. 6. de priuileg. ca. 1. num. 5.* Anch. *not. 8. num. 4.* Archid. *num. 2.* Hostiensis *verb. indultum Domin. §. in eos. num. 2.* Innoc. *notab. 1. num. 1.* Habetur *ca. 1. §. ex parte. de concess. præb.* cum multis alijs, quos refert Henriq. *ca. 21. num. 4. de indulg.* Per eosdem Auctores valet à tempore signatæ supplicationis, literis etiam non expeditis.

De significatione verborum, quæ apponi solent in bullis, & in iubilæis. §. 9.

1 *Quid significent verba per modum suffragij.*
2 *Quid significent mille anni indulgentiæ.*
3 *Quid significet plenaria indulgentia.*
4 *Quod est discrimen inter plenam, & plenissimam indulgentiam, & iubilæum.*

1 QVÆSTIO. *Quid significant verba per modum suffragij?* RESP. Id est, atque per modum impetrationis, cum enim animæ in purgatorio detentæ alterius, vt ita dicam, fori sint, nec Ecclesiæ iurisdictioni omnino pareant, cum Ecclesia illis applicat ex ærario meritorum Christi, & sanctorum satisfactiones, obnixe à Deo petit, vt eas pro animabus illis accipiat. Quæ applicatio certa est, & determinata ex opere operato secundum æstimationem diuinam. Ita Alens. *4. p. capit. 83. membr. 5.* Bonauent. *in 4. dist. 20. quæstion. 5.* & Theologi communiter.

2 QVÆST.

2. QVÆST. *Quid significant mille anni indulgentiæ?* RESP. Non quidem significant moram tanti temporis futuram in purgatorio: sed vnus annus dicitur ille gradus satisfactionis, qui proportione seruata respondet pœnitentiæ iniunctæ, vel iniungendæ, iuxta Canones pœnitentiales. In quibus quidem ab Apostolis, & Pontificibus pro vnoquouis peccato mortali publico taxabantur septem anni, pro grauiore vndecim anni: verbi gratia, vt per designatum annum talis peccator semel in hebdomada ieiunaret, flagellaretur, eleemosynam erogaret, psalmos recitaret, aut aliud pœnitentiæ genus exerceret. Hæc autem ab Apostolis, & Pontificibus taxatio facta fuit per scientiæ infusionem, & prophetiæ donum, respondens in hac vita pœnæ, quæ ferenda est in purgatorio, nisi hic satisfiat. Vt notat D. Antonin. *1. p. tit. 10. cap. 3. §. 3.* Sylu. *in dulgent. §. 4.* Tabien. *§. 13.* Angel. *ibid. §. 3.* Rosel. *ibid. §. 19.* Armil. *eodem verb. §. 13.* Palud. *in 4. d. 20. quæst. 4.* Sot. *in 4. d. 21. quæst 1. art. 3.* Ledesma. *2. 4. quæst. 27. artic. 2. dub. 5.* Nauar. *de indulgent. not. 8. & 18. & notab. 10. num. 20. & not. 31. num. 39.* Cald. *de indulg.* Eman. *in bul. §. 7. num. 7.* Quos affert & sequitur Henriquez *de indulg cap. 16. num. 4.* Sciendum tamen est quosdam pro leuiori pœna diutius morari in purgatorio, quia leuius torquentur, sed durius, quemadmodum prope diem iudicij (post quam non erit purgatorius ignis) qui longioris temporis pœnas debebunt, breuius purgabuntur, sed acerbius. Ita D. Thom. *in 4. d. 21. quæst. 13. ad 1. & in Add. quæst. 89. articul. 6.* Vbi Recentiores cum Sot. *in 4. d. 47. quæst. 1.* Pœnitentiæ vero assignantur in Concil. Elibertino *cap. 5.* Vbi pro homicidio casuali infligebantur quinque anni, pro voluntario septem At vero pro adulterio decem. *c. 64.* eiusdem Concil. In Synodo Romana fornicario sacerdoti, infligebatur pœna duodecim annorum *can. Presb. 82. dist. & can. Si quis Sacerd. 30. qu. 1.* Ita Tolet. *lib. 6. ca. 26. nu. 7.* Cum ergo per indulgentiam remittuntur mille anni, intelligitur pœna, pro qua homo deberet satisfacere per mille annos pœnitentiæ, secundum canones taxatæ in hac vita. Nec mirari debemus tantam summam annorum: nam multi mille peccata commiserunt, & secundum canones septem millia annorum in pœnitentia

transigere debuerunt. Si vero secundum diuinæ iustitiæ rigorem pœna esset perpendenda, adhuc multo plures anni fuissent annumerandi.

3 QVAEST. *Quid significat plenaria indulgentia? quid quadragena? quid media, aut tertia pars peccatorum* RESP. Plenaria indulgentia significat omnimodam remissionem pœnæ debitæ pro omnib. peccatis, tam mortalibus, quam venialibus. Quadragena, significat spatiũ quadraginta dierum, in quibus carnibus abstinemus, inquib. olim arctius infligebatur pœnitentia, vt verbi gratia, pœnitentes solo vescerentur pane, & aqua. Media, aut tertia pars: Significat remissionem pœnæ debitæ pro dimidia, aut tertia parte peccatorum.

4 QVAEST. *Quod est discrimen inter plenam, & plenissimam indulgentiam, & iubilæum?* RESP. Nullum quidem quo ad remissionem pœnæ; tota enim simul remittitur, tam per plenam, quam per plenissimam, quam per iubilæum. Aliquod tamen est in facultatibus, & priuilegijs concessis, sed de ijs videndus contextus vtriusque in singulari. Ita Tolet. *lib. 6. c. 25. n. 1.*

Appendix cap. octaui. §. 10.

1 *Quid dicendum sit de commutatione operum iniunctorum.*

2 *An ieiunia quatuor temporum sint sat is ad satisfaciendum iubilæo.*

3 *De visitatione Ecclesiarum, seu altarium.*

4 *An valeat commutatio ab electo confessario, qui pro temporis necessitate non audiuit totam confessionem, & ideo non absoluit, sed absoluit alius.*

1 QVAESTIO. *Multus eram in rogationibus de modo consequendæ indulgentiæ: quas proposui octauo capite huius materiæ, timui me molestum tibi fore, ideo secus, & prudens vnam, vel alteram omisi, & reieci in hoc tempus, rogationem. Quæro igitur, cum bulla statuit, vt lucraturus indulgentiam ieiunet ter in hebdomada, verbi gratia, quarta feria, sexta, & sabbato, si vero nequeat ieiunare, faciat ex consilio*

filio confessarij aliud pium opus, oportet ne, vt faciat illud opus eodem die, quo erat ieiunaturus, vel quid aliud facturus? RESP. Minime, sed est satis, si impleat illud opus intra spatium iubilæi. Ita Henriquez *de Indulgen. capit.* 10. *n.* 6.

2 QVÆST. *Præscribit bulla vt ieiunetur feria quarta, sexta, & sabbato, incidunt in his diebus quatuor tempora, vel est tempus quadragesimæ; vel teneor ex voto eisdem diebus ieiunare, consequorne indulgentias?* RESP. Consequeris. Ita Henriquez *de indulg. capit.* 10. *nume.* 5. Ratio est, quia vno, eodemque opere, potest quisquam satisfacere pluribus obligationibus.

3 QVAEST. *Præscribit, vt quinquies visitetur ecclesia, aut quinque altaria eius visitentur: quo pacto faciendum hoc est?* RESP. Si eadem ecclesia quinquies visitanda sit, necesse est, vt intermisso spatio quis ingrediatur, & egrediatur. Si vero quinque altaria ecclesia habeat, & ea visitanda sint, satis est, si ex eodem loco quis vertatur ad singula altaria. Ita Nauar. *de orat. miscel.* 37. *numer.* 36. Eman. *verb. indulg.* §. 8. *n.* 8. & alij. Si vero ecclesia tria tantum altaria habeat, simul potest vnum bis, & ter, & interpolato spatio visitari, aut satis est conuerti, aduersus id fundendo preces. Ita apertè colligitur ex tradita doctrina: vt legenti facile apparebit.

4 QVAEST. *Elegi confessorem, vt mihi commutaret aliqua, quæ facienda proponit iubilæus, postea ipso absente, aut impedito confessus sum alteri, vel alteris successiue, valetne commutatio?* RESP. Valet. Ita Henriquez. *de indulg. cap.* 10. *n.* 7.

De aliquibus facultatibus, quæ in bullis conceduntur. §. 11.

1 *De absolutione à casibus reseruatis.*

2 *De absolutione à censuris.*

3 *De absolutione ab irregularitate.*

4 *An sub nomine pœnæ intelligatur irregularitas, cum per bullam, vel iubilæum, vel priuilegia conceditur facultas absoluendi ab omni pœna ecclesiastica.*

1 QVÆST.

1 QVÆSTIO. *Concedit Papa in bulla, vt confessarius electus possit absoluere ab omni casu reseruato, intelligunturne omnes casus?* RESP. Nunquam intelligi casus hæresis prodeuntis in actum externum, licet occulta per accidens, vt loquuntur Theologi. Ita Paulus IV. & Pius V cum ampliſſima derogatione concesserunt Censoribus fidei pro Hiſpanijs. Atque cum Sixtus V generalem concederet iubilæum *anno* 90. etiam in casu hæresis, placuit ei, postulante Censorum fidei senatu Hispaniarum, illum pro Hiſpaniis quo ad eum casum reuocare. Aliquando tamen eundem hæresis casum aliqui Pontifices expresserunt pro Germania, Anglia, & Gallia. Ita Carthusiæ fratribus concessit Sixtus IV. & concesserunt Iulius III. atque Gregor. XIII. Patribus Societatis IESV, vt refert Eman. *in bulla. §. 9 n.* 144.

2 QVAEST. *Conceditur per bullam Cruciatam facultas absoluendi ab excommunicatione, quæro an requiratur, vt ius in confessione, vel satis sit extra?* RESP. Faciendam esse in confessione censuit Nau. *c.* 16. *n.* 31. Cordub. *cas.* 16. & 18. propendet Couar. *cap. Alma. 1. p. §. 11. num.* 10. & 16. & quenda tamen est praxis, quæ ex consuetudine obtinuit, vt possit Commissarius extra confessionem absoluere. Ita Henriq. *de indulg c.* 13. *n.* 2.

3 QVAEST. *Concedit bulla facultatem absoluendi ab omni censura ecclesiastica, intelligiturne sub censuræ nomine irregularitas?* RESP. Minime. Ita rogatus declarauit Summus Pontifex. *ca. Quærenti. de verb. significat.* vbi decernit tres tantum esse Ecclesiæ censuras, excommunicationem scilicet, suspensionem, & interdictum. Oppositam sententiam amplexati sunt multi, doctique viri: eos refert & refellit Henriquez *de indulg. c.* 13. *n.* 6.

4 QVAEST. *Cum per bullam, vel iubilæum, vel priuilegia conceditur facultas absoluendi ab omni pœna ecclesiastica: intelligiturne sub nomine pœnæ irregularitas?* RESP. Minime. Ita communiter Canonistæ Domin. & Alexan. *c. Mnus.* 50. *dist.* Nau. *in man. ca* 27. *nu.* 194. Couar. *c. Alma. 1. p. §. 6. n.* 6. Ita Theolog. Ledesm. 2. 4. *q.* 26. *ar.* 2. Sot. *5. Inst. q. 1. ar.* 4. Henriquez. *de indulg. c.* 13. *n.* 6. Denique ita declarauit Greg. *XIII.* in iubilæo *anno.* 91. Itaque nunquam sub nomine generali ab omni pœna ecclesiastica intelligitur ire-

irregularitas, oportet enim, vt de ea fiat expressa declaratio.

DE PVRGATORIO.

CAPVT VIII.

§. I.

1 *Animabus in purgatorio detentis prosunt indulgentiæ.*
2 *Qua certitudine est tenendum esse purgatorium.*
3 *Quo in loco est purgatorium.*
4 *Qua in parte terræ est purgatorium.*
5 *Purgatorij locus est sursum versus proximus inferno.*
6 *Quo igne crementur animæ in purgatorio.*
7 *An purgatorij pœna sit maior omni pœna huius vitæ.*
8 *A quo ministro diuinæ iustitiæ detinentur animæ in purgatorio.*
9 *Quanta est pœna purgatorij.*
10 *An statim post obitum animæ deferantur ad purgatorium.*
11 *A quo animæ deducuntur in purgatorium.*
12 *An animæ separatæ à corpore sciant viam ad purgatorium.*
13 *Vtrum animæ purgatæ statim recipiantur in cœlum.*
14 *Vtrum animæ purgatorij possint ad nos remeare.*
15 *An aliquæ animæ purgatorium habeant inter vivos.*

16 An

16 *An viuorum suffragia prosint animabus purgatorij.*

17 *An vnus nostrum possit pro alio satisfacere.*

18 *Quæ suffragia prosunt animabus purgatorij.*

19 *Vtrum missa plus, quam eleemosyna prosit animabus purgatorij.*

20 *An culpa venialis remittatur in purgatorio.*

1 QVÆSTIO. *Quoniam indulgentiæ non solum vivis, sed etiam pro defunctis conceduntur, restat inuestigandum, quo in loco detineantur defunctæ animæ, quibus adhuc indulgentiæ proderunt. Dic igitur, quo in loco detineantur?* RESP. Quinque ab orbe condito fuerunt animarum receptacula, scilicet cœlum empyreum, infernus, purgatorium, limbus puerorum, & limbus Patrum. Ad cœlum statim euolarunt, quæ in Dei gratia decedentes in vita pro pœnis culparum satisfecerunt. Ad infernum descenderunt, quæ in Dei odio finaliter obierunt. Ad Purgatorium sunt delatæ, quæ cum Dei gratia abeuntes adhuc pro culpis omnibus in vita non satisfecerunt. Ad limbum puerorum sunt amandatæ infantiũ animæ, quæ ob culpam parẽtum in originali, sed sine actuali peccato vitam desierunt. In limbo Patrum detentæ animæ sanctorum, quæ gratæ Deo ante Christi aduentum mortuæ sunt, expectantes ibi beatam spem possidendi felicissimam supernas sedes, post Christi seruatoris ad cœlos ingressum, cum quo sine fine regnarent. Ita communis Theologorum sensus cum D. Augustin. *tract. 49. in Ioann.* & D. Tho. *in 4. sent. distinct. 45.* Vnde aperte colligitur ante Christi mortem quatuor tantum fuisse animarum receptacula. Post illius vero passionem limbus Patrum vacuus mansit, quoniam animæ inde translatæ Christum in terra iam ab inferis redeuntem comitatæ sunt, & in sua ascensione, cum illo in cœlum ascenderunt. Modo vero etiã quatuor tantum sunt: at vero post diem iudicij tria erunt, quia purgatorium quoque euacuabitur. Respondendo igitur ad quæstionem propositam, Dico *primum*, Neque indulgentiæ, neque ecclesiæ suffragia prosunt anima-

animabus inferni. Ita edocet fides. Nam ibi detinentur damnatorum animæ, æterno cruciandæ, iuxta Christi sententiam. *Ite maledicti in ignem æternum* Matt. 25. Probat hanc veritatem D Hieronym. *cap.* 1. *Threnor.* ex loco *Matth. capitul.* 5. *Non exibis hinc donec reddas nouissimũ quadrantem*: verumtamen subtiliori sensu, quam necesse sit, ait enim, idem esse, atq; dum, seu per omne tempus, quo solueris debitam, & exactam pœnam; cum ergo debita, & exacta pœna sit æterna, æterno est soluenda, & æterno damnata anima in inferno detinenda. Eundem sensum ait habuisse D. Paulum cum 1. Cor. 15. volens affirmare perpetuo Christum seruatorem regnaturum, dixit: *oportet illum regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus suis*, id est, dum posuerit inimicos suos sub pedib. suis, cum vero semper positurus, & habiturus sit inimicos suos sub pedibus, semper est regnaturus. Planior tamen D. Matthæi sensus erit. *Non exibis donec reddas*: cum vero nunquam sis redditurus, quia non habes satisfactionem (nam pœnæ damnatorũ iam non sunt satisfactoriæ) nunquam exibis. Consonat huic sensui Cypr. *tract. contra Demetrian.* Cremabit addictos ardens semper gehenna, & viuacibus flammis vorax pœna, nec erit vnde habere tormenta, vel requiem possint, vel finem. Dico *secundũ*. Neq; indulgentiæ, neque Ecclesiæ suffragia prosunt animabus infantium in limbo detentis. Ratio est manifesta, quia tales animæ ibi minime cruciantur pœna sensus, vt est concors Theologorum sententia, sed sola pœna damni: indulgentia vero est satisfactio ex pœnis Christi, atque sanctorum pro pœna animarum sensus, quam passuræ in se erant. Dico *tertium*. Solis animabus detentis in purgatorio prosunt indulgentiæ, & suffragia. Ita Sot. *in 4. sent. d. 45. q. 2 ar. 2. concl. 4.* Hæc constat inductione. Nam indulgentiæ non prosunt animabus inferni. Quod adeo certum est, vt pro damnatis orare peccatum sit ex genere suo mortale. Ratio est, quia petere à Deo non licet, nisi quod secundum eius legem impetrare ab ipso possumus. Cum ergo de damnatis stet firma sententia, vim obtinens legis, qua sunt à Dei misericordia exclusi, peccatum est pro illis orare. Ita Sot. *in 4. sent. dist. 45 qu. 2. art. 2. concl. 1.* vbi adducit illa D. Augustin. notab. verb.

sen-

si scirem matrem meam esse in inferno, non magis pro illa orarem, quam pro diabolo. Et quantum hæc veritas olim fuerit in opinione posita, de eaque adhuc dubius locutus fuerit D. Tho. *in 4. sentent. distinct. 45.* nunc autem tanquam catholica, vel catholicæ proxima asserenda est de lege ordinaria. Hic est sensus illius loci *Eccles. 11. Vbi ceciderit lignum, illic erit, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem*, quasi dicat, nulla post mortem, siue in cœlo, siue in inferno facienda est mutatio. Hoc voluit Iob *7. sicut consumitur nubes, & transit, sic qui descendit ad inferos, non ascendit.* Deinde non prosunt indulgentiæ, neque Ecclesiæ suffragia animabus puerorum limbi. Prosunt ergo solis animabus purgatorij. Conclusio est manifesta, quia indulgentiæ prosunt animabus vita functis, vt iam dixi.

2 QVAEST. *Qua certitudine tenendum est, esse post hanc vitam purgatorium?* RESP. Esse post hanc vitam locum in quo animæ per ignem expiantur à pœnis, quæ remissa culpa mortalium, venialiumque peccatorum relictis sine satisfactione in hac vita negare, proculdubio hæreticum est, & à fide alienum. Est veritas apertissime declarata in Conc. Flor. *in instruct. Amen.* his verbis. *Item si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis earum animæ pœnis purgatorij post mortem purgantur, & ad præmia huiusmodi releuentur, prosunt fidelium viuorum suffragia.* Ita decreuit Conc. Trid. *sess. 4.* Ita D. Thom. *in 4. d. 21. q. 1. a. 1.* Sot. *ib. d. 19. art. 1.* latissime persequens probationes huius veritatis.

3 QVAEST. *Quo in loco est purgatorium?* RESP. Eadem de purgatorio, atque de inferno est dubitatio. De inferno vero loco adeo dubitauit D. Aug. *ciu. c. 16.* vt affirmet id nemini notum, nisi cui diuinus spiritus ostenderit. Dubitauit D. Greg. 4. *Dialog. c. 42.* adeo vt de ea re definire se temere non audere fateatur. Multiplices iuxta ipsum sanctum Doctorem fuerunt opiniones. Quidam enim in superficie terræ sub quadam horrida valle collocarunt: alij subtus terram. Vallem vero esse Iosaphat iuxta multorum sententiam notat Chrys. *serm. 19. de gehenna.* D. Chrys. *loco citato*, & Auctor *imperfecti oper. sup. Matth. hom.*

homil. 53. arbitratur gehennam esse in aere. Alij affirmant animas torqueri in locis vbi peccarunt. Ita confirmant ex historijs D. Gregor. 4. *Dial.* narrantis animas multorum in balneis, & alijs in locis cruciari. Dicendum tamen est inferni locum esse sub terram. Id in primis indicat nomen ipsum, *Esai* 14. collocatur subtus: *Infernus, inquit, subtus conturbatus est.* Christus dominus *Matth.* 12. in corde terræ illum posuit: *sicut*, ait, *Ionas fuit in ventre Ceti tribus diebus, ita Filius hominis erit in corde terræ tribus diebus; & tribus noctibus.* Appellatur ille locus abyssus. *Luc.* 8. abyssus autem profunditatem significat. Deinde via ad infernum appellatur descensus, tam in diuinis literis, quam humanis: *Numer.* 16. de Dathan & Abiron. quos aperta terra deglutiit. *Descenderunt in infernum viuentes.* Psalm. 54. *Descendant in infernum viuentes.* Aenead. 6 *facilis descensus Auerni. Sed reuocare gradum. &c.* 4. Metamor. *Est via decliuis funesta nubila taxo, Duxit ad infernas per multa silentia sedes.* Præ his omnibus rem confirmat fidei articulus. *Descendit ad inferos* iuxta Paul. *Eph.* 5. *Qui ascendit, ipse est, qui descendit ad inferiores partes terræ.* Hæc veritas adeo certa est. vt iuxta Sot. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 1 *artic.* 1. plusquam temerarium sit id negare.

4 QVÆST. *Qua igitur in parte ipsius terræ collocatus est infernus?* RESP. In centro ipsius terrenæ molis: cum vero iuxta mathematicorum lineas duplex sit centrum cuiusque orbis, alterum grauitatis, quo grauia naturaliter tendunt, & in quo sistunt: alterum magnitudinis, in quo terminantur æquales lineæ totius circumferentiæ: locus inferni est centrum grauitatis terræ. Ita D. Gregor. 4. *Dialog. cap.* 42. & Sot. *in* 4. *d.* 45. *qu.* 1. *articul.* 1. & quamuis Aug. de hac re anceps fuerit. 20. *ciu. c.* 16. tamen *libr* 12. *super Genes. capitul.* 34. in nostra est sententia, & postea *lib.* 2. *ret. cap.* 24. retractauit dubium. *Potius*, inquit, *debuissem docere, quod sub terris inferni sint, quam rationem reddere, cur sub terris esse credantur.*

5 QVAEST. *Responde igitur ad propositam quæstionem de loco purgatorij, certis verbis?* RESP. Faciam lubens, purgatorij locus proximus est sursum versus ascendendo infernorum sedibus. Ita D. Thom. *in* 4. *d.* 21. *quæst.* 1. *ar.* 2.

quem sequitur Sot. *in 4. dist. 45. quæst. 1. ar. 2.* & communiter.

6 QVAEST. *Quo igne ibi animæ purgantur?* RESP. Eodem, quo inferorum damnatorum animæ acerbissime cruciantur. Ita Sot. sæpe sæpius *in 4. dist. 41. quæst. 1. ar. 1.* cum communi. ex D. Greg. 4. *Dial.* Fauent pro hac parte coniecturæ, quia nullius alterius ignis fit in scriptura mentio: deinde, quia in purgatorio fit eadem peccatorum punitio, atque in inferno, ergo per eundem ignem. Solumque est discrimen in tempore, & æternitate, quia in purgatorio fit ad tempus, in inferno vero fit ad æternitatem. Quemadmodum eodem igne aurum rutilat, & palea fumat, ita eodem igne peccator crematur, & electus purgatur.

7 QVAEST. *Exceditne pœna purgatorij omnem pœnam corporalem huius vitæ?* RESP. Dico primum. Pœna purgatorij est maior quauis pœna, quę ferri potest in hac vita. Hæc cõclusio quo ad pœnã sensus, est D. Augustin. multis in locis. *lib. de pœn. cu.* 18. refertur *can. Qui in aliud. dist.* 3. & *lib. de vera & falsa pœniten.* refertur *can. Nullus. dist.* idem ait Beat. Cæsarius *hom.* 1. *de verb. Apo. Ille* (inquit) *purgatorius ignis durior erit, quam quidquid potest in hoc seculo, aut videri, aut excogitari, aut sentiri.* De pœna vero damni, qua sanctæ animæ in purgatorio retardantur a fruitione beata; seu potius quam sanctæ animæ patiuntur in retardatione diuinæ fruitionis, est sancti Thomas quem refert, & sequitur Sot. *in 4. dist. 19. quæst. 3. artic.* Cruciantur enim desiderio videndi DEVM quem fide credunt, & sperant se aliquod post spacium visuras cum ta fide, & spe, amantque intensissima charitate, qua erga visionem amari potest. Quoniam tamen animæ certæ sunt se aliquando Deo fruituras, vt probat Sot. *in 4. dist.* 19. *quæst.* 3. *artic.* 2. *concl.* 1. quia habent formatam fidem & spem, quam habebant in via, quidquid garriant hæretici nostri temporis, multum habent consolationis. Dico *secundum.* Anima in purgatorio realiter patitur pœnam sensus ab igne per propriam ignis actionem, quo Deus tanquam instrumento vtitur ad animarum expiationem. Ita D. Augustin. *lib. 2. ciu. capit.* 10. D. Greg. 4. *Dial.* 1 *capit.* 2. Magist. *in 4. d.* 44. cum Iuliano Archiep.

T

Toletano, quem citat. Dico *tertium*. DEVS per nullum ministrum, sed solum per ignem animas in purgatorio castigat. Ita D. Dionysius *capit. 4. de diuin. nominibus*. Probat conclusionem Sotus *in 4. dist. 19. q. 3. art. 3.* ab incommodis. Nam vel illas torqueret per dæmones, vel per Angelos, vtrumque indecens esset. Si enim per dæmones, sequeretur, quod victores animæ, dæmonibus, quos in vita vicerunt, subderentur. Si per Angelos, sequeretur, quod essent tortores suorum ciuium, amicorum, & fratrum, absit hoc.

8 QVAEST. *A quo igitur ministro diuinæ iustitiæ detinentur animæ in purgatorio?* RESP. Ab ipso igne, qui est animæ, velut carcer cohibens eam, quo voluerit exire, & potissimum, in concupitum paradisum euolare, sicuti est ipsis animabus damnatis, & dæmoniis, qui ignem ob eandem rationem tanquam capitalem hostem acerbo odio prosequuntur. Ita Sot. *in 4. d. 19. q. 3. art. 3.*

9 QVAEST. *Quanta igitur erit pœna illius loci?* RESP. Tãta quantum homo mortalis in hac vita non posset citra mortem tolerare: tolerat vero illam anima immortalis supernaturaliter. Ita Sot *proximo loco*. Hanc tamen pœnam ita illæ sanctæ animæ patienter tolerant, tanquam medium necessarium ad salutem, hoc est, ad visionem beatam, ad quam nil coinquinatum intrabit, vt merito voluntarie appellari possit. Nihilominus tamen per hanc voluntariam (vt ita dicam) tolerantiam, nil merentur gratiæ, aut gloriæ. Ratio est, quia meritum terminatur via, via vero terminatur vita. Ita Christus Dominus nos docuit Ioann. 9. *Oportet operari donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari* Quẽ locum explanans August. *tract. 44. in Ioann.* Operetur ergo homo, inquit, dum viuit, nec illa nocte, scilicet mortis, præueniatur, vbi nemo possit operari. Et quoniam hæc veritas est Theologis notissima, supersedeo probationibus longioribus. Legatur Chrysost. *Hom. 45. super Ioann.* Hieronym. *capit. 6. ad Galat.* in illa verba. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Origen. sup. *Psalm. 36.* legatur Sot. *in 4. dist. 9. quæst. 3. artic. 3.*

10 QVAEST. *Deducunturne statim animæ ad purgatorium, cũ è corporis ergastulo liberantur?* RESP. Eodem momento,

quo anima corpus exit, eodem iudicatur, & sententia circa illam lata eodem momento illi innotescit per reuelationem. Quo autem modo hæc fiat reuelatio, non est nostri instituti conquirere: reuelata vero sententia, recta tendit, quo pergere iubetur, siue ad cœlum, siue ad purgatorium, siue ad infernum. Ita Theologi communiter & Sot. *in 4. d. 45. q. 1. art. 3.*

II QVAEST. *Deducunturne ad hunc locum per se. an per alium?* RESP. Dico *primum.* Anima separata à corpore potest se ipsam mouere localiter. Hanc conclusionem negarunt aliqui Thomistæ; eamque D. Thom. esse autumant. Veruntamen, & falsa est eorum opinio, vt philosophicis rationibus ostendit Sotus *in 4. d. 45. quæst. 1. art. 3. concl. 1.* & D. Thom. contrariam Curs. Conimbricenses *tract. de anima separata. disp. 6. articul. 2. in refut. secundæ.* Dico *secundum.* Ex superiori veritate manifeste colligitur; posse animas à corpore seiunctas tendere ad suum locum, nemine eas deducente, aut comitante. Dico tertium. Animas sanctorum; quæ è vita discedunt, sine macula in purgatorio abstergenda; aut post eam in purgatorio abstersam, in cœlum tendentes, comitantur Angeli honoris gratia. Ita D. August. *serm. 3. de ascens. Dom. qui est 176. de temp.* Euseb. Emis. *homil. 2. de ascens.* Atque secundum meritorum numerum, maior, minorve est Angelorum frequentia, vt de Diuo Benedicto, D. Antonino & D. Martino narrant D. Greg. aliiq; historiographi. Nam tanta est, inquit Sot. *in 4. d. 25. q. 1. ar. 3. concl. 2.* Angelica erga Dei seruos charitas, vt non tantum in cœlo eos præstolentur, sed morientibus adsint, & eorum animas tanquam Christi sponsas ad eius thalamum deferant, & tanquam victrices ad triumphum deducant. Sic enim Christus Dominus comitationem istam appellauit deductionem *Luc. 16. Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Dico quartum. Animam ad purgatorium euntem comitatur suus Angelus custos, minime repugnantem carceris pœnas, imo summa eas tolerantem patientia, consolationis gratia, vt solent amici comitari eos, qui in exilium proficiscuntur. Ita Sot. *loco proximo.* Adiiciam vnum verbum de damnatis. Animæ æternis cruciatibus adiudicatæ, vehementer horrent

in

in locum tormentorum ire, atque odio infestissimo diuinum iudicem detestantes, moueri nolunt, tunc à dæmonibus diuinæ iustitiæ ministris rapiuntur, & in abyssi tenebras proiiciuntur. Idem dicendum de animabus infantium, qui sine baptismo moriuntur. Non tamen dæmones permittuntur à Deo esse in eas adeo truces, & feri, sed tantum sententiæ latæ ob alienam parentum culpam executores; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum.* eas ad limbum deuehunt. Ita Sotus *loco citato.*

12 QVAEST. *Sciuntne animæ separatæ à corpore viam ad cœlum, infernum, purgatorium, & limbum, aut indigent indicatoria?* RESP. Animæ beatæ sciunt viam ad cœlum. Aliæ vero animæ minime ad alia tria loca dicta. Ita Sot. *in 4. d. 45. q. 1. art. 3.* Et ideo felices animas Angeli comitantur, non in auxilium necessitatis, sed in obsequium dignitatis. Angelus vero custos animam sanctam: dæmones vero animam damnatam, vt viam ostendant.

13 QVÆSTT. *Circa tertium dictum rogo vlterius, an animæ sanctæ, quæ sine macula abstergenda in purgatorio è vita decedunt: vel iam in purgatorio satisfecerunt, absque vlla mora protinus recipiantur in cœlum, vbi diuinam essentiam clara visione intueantur?* RESP. Protinus. Ita decreuit Ioannes Papa XXII. teste Marsilio *in 4. quæst. 13. artic. 3.* Benedict. XII. *in sua Extrauag.* Ideo D Thom. licet, 1. 2. *quæst. 4 artic. 5.* dixerit tantum contrariam opinionem esse falsam; tamen *in 4. senten. dist. 45. quæst 1. artic. 3.* asserit esse hæresim contra scripturæ canonicæ manifestas auctoritates, & sanctorum dogmata. Duo sunt clariora loca Diui Pauli pro hac veritate. 2. *Cor. 5.* est prior. *Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino.* Ergo vbi primum non fuerimus in corpore, non peregrinabimur, secundus *ad Philipp. 1. Cupio dissolui, & esse cum CHRISTO,* quasi nulla interfutura fuerit mora inter dissolutionem, & præsentiam Christi. Testatur etiam Christi promissio facta latroni. *Hodie mecum eris in paradiso. Luc. 23.* Sanctorum seriem hanc veritatem attestantium, & hæreticorum decalogum opposito errore infectorum, longum esset intertexere, legi possunt apud Sot. *in 4. dist. 45. q. 1. art. 3.*

14 QVÆST. *Possuntne animæ in purgatorio detentæ ad nos remeare?* RESP. Dico primum, secundum legem ordinariam neq; animæ felices beatorum ad nos transmeare, vt voluerint sine diuina facultate. Ita D. August. *tract. de cura pro mort gerenda, capit.* 13. colligens veritatem ex essentia suæ matris. *Nunquam*, inquit, (*si ita fieri posset*) *non ipsum pia mater vlla nocte desereret, quæ terra, mariq; fuerat, vt mecum viueret, absit enim, vt facta sit vita felicior crudelis.* De animabus damnatis Iob. 13. *Qui ascendit ad inferos, non ascendet.* Dico secundum. Ex dispensatione diuina non solum animæ felices ad nos meant; sed etiam animæ in purgatorio, atque etiam in inferno detentæ illudunt. De animabus beatis id testatur D. Hieron. *lib. contra Vigilantium.* De ijs, quæ olim detinebantur in limbo constat 3. *Reg.* 28. de anima Samuelis Prophetæ, quæ apparuit regi Sauli, constat ex *Matth.* 17. de Moyse & Elia, qui apparuerunt in monte Thabor, cum transfiguratus est Dominus. De animabus inferni, & purgatorii constat ex multis historiis. Cum igitur animæ felices Deo charissimæ sint, fit vt quoties voluerint ad terram descendere, toties à Deo obtineant facultatem. Veniunt vel, vel ad solatium suorum, enarrando suam felicitatem, vel ad suos ad monendum pro rebus saluti necessarijs, vel ad colendas reliquias suorum corporum, vel ad aliud quid simile bonum hominibus impertiendum. Quod idem de animabus purgatorij dicendum est. Non tamen de animabus damnatis, cum enim à Deo permittuntur venire, vt plurimum permittuntur in nostrum damnum. Apparent etiam animæ purgatorii ad suffragia petenda, non solent tamen terrere, aut horrore nos afficere, cum sanctæ sint, nosque vehementer diligant. Vtramque propositam veritatem docuit Augu. *in lib. de cura pro mort. gerend. capit.* 19. his verbis. *Verum ista diuinitus exhibentur longe aliter, quam se habet visitatus ordo: alia enim sunt, quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt.*

15 QVAEST. *Fierine potest, vt animæ apud nos habeant purgatorium?* RESP. Ex diuina dispensatione aliquando fit, vt animæ apud nos purgentur, teste Hugone, atq; id asserit D. Greg. *Dialog.* 4. de Germanio Episcopo Capuano. Fit autem hæc dispensatio, vel ad viuorum instructionem,

nem, vt viuentes caueant à culpis, pro quibus cernunt tot, tamque acerbas pœnas ferendas: vel ad mortuorum subuentionem, vt viui miseratione commoti suffragiis animas iuuent, & illæ eximantur à pœnis, Ita Sot. *in 4. d. 19. q. 3. art. 1.*

16 QVAEST. *Iam te circa has beatas animas cap. 4. de indulg. rogaui, an illis prosint indulgentiarum gratia. Nunc latius absolute interrogo, an illis prosint viuorũ suffragia?* RESP. Negarunt Armeni, & Waldenses, Ioannes Hus, & Vuitcleff, aliique Ecclesiæ hostes. Eorum fundamentum erat excellentia Christi passionis, quem dicebant non solum sufficienter, sed etiam, efficaciter pro peccatis hominum satisfeciſſe, foreque nos ipsius satis factioni iniurios, si aut in hac vita pœnas sponte accipiamus, aut in futura laturos credamus pro culpis. Sed est hæresis apertissima, & sæpius ab Ecclesia damnata, vt iam dixi *supra quæst. 2.* huius materiæ. Et ideo opposita sententia est de fide.

17 QVÆST. *Potestne vnus pro alio satisfacere, & suffragari?* RESP. Maximè. Est certa conclusio de fide, in articulo symboli de communicatione sanctorum. Ait enim Paulus *ad Gal. 5. Debemus alter alterius onera portare*, non solum corporalia, sed spiritualia, fremant hæretici, grauiora vero onera spiritualia sunt pœnæ, quarum ob præterita peccata rei sumus. Quemadmodum ergo debet vnusquisque proximo indigenti de sua substantia corporali opitulari, ita pro eo orationes, eleemosynas, & sacrificia debet offerre, quibus pœnarum obligationem soluat. Hæc tamen viuorum suffragia non solum viuis, sed iam vita functis prosunt pro quibus offeruntur, quia eadem charitate copulamur in morte, qua in vita adstringebamur iusti, secundum Paulum. *1. Cor. 13. Charitas nunquam excidit.* Et tales animæ Deo gratissimæ sunt (gratia enim eius pro quo opus satisfactorium offertur, conditio est sine qua non tale opus illi proderit, vt ostendit Sot. *in 4. d. 45. q. 2. art. 1. cond. 6.*) ergo nulla deest ratio, ob quam illis non prosint suffragia viuorum.

18 QVAEST. *Quæ suffragia prosunt animabus in purgatorio detẽtis?* RESP. Dico primũ, Prosũt eleemosynę, orationes,

& sacrificium missæ. Ita D. August *serm. 32. de verb. Apost. & lib. de cura pro mort.* Dico secundum. Prosunt, & vigilarum ieiunia. Ita D. Gregor. refertur *c. Animæ. 13. q. 2.* Dico tertium. Prosunt, & quæuis alia opera pœnalia, vt flagellatio, humi cubatio, cilicii gestatio, & alia huiusmodi. Ita omnes Doctores.

19 QVAEST. *Quo suffragio plus adiuuabuntur animæ, sacrificio missæ, an eleemosyna?* RESP. Loquendo absolute, & ex subiecto, magis adiuuabuntur missæ sacrificio. Si enim pro vno defuncto iam dictæ sint multæ missæ, & aliunde vrgeat necessitas, & inopia magna viduarum, & pauperum, acceptior erit Deo, & gratior satisfactio per eleemosynas, quam per multiplicationem solam sacrificiorum: quadratque huic sententiæ Dei ipsius approbatio, *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Ita Sot. in 4. *d. 45. q. art. 3. cond. 1. §. at quoniam.*

20 QVAEST. *Remittiturne in purgatorio etiam culpa venialis, qua cum anima iusta è viuis excessit?* RESP. Affirmat Gab. Vasque. 12. *disp.* 41. *nu.* 3. sed hac de re commodius in materia *de peccatis* respondebo.

PECVLIARES DVBITA-tiones circa Bullam Cruciatam.

CAPVT IX.

De Etymologia huius nominis Bulla Cruciata. §. 1.

1 *Cur literæ Apostolicæ appellantur bullæ.*
2 *Cur hæc bulla appellatur cruciata.*

1 QVAESTIO. *Cur literæ Apostolicæ appellantur bullæ?* RESP. Omissa multiplici huius nominis significatione (qua de re Calepinus eodē verbo) propria illius vsurpatio vendicat sibi signa, seu imagunculas, quæ

ab infantium collo appenduntur propter fascinationem. Quoniam vero literis Apostolicis signa sanctorum Apostolorum pendent, & imagines; nec non Pontificum gratias concedentium stemmata orbiculis æneis, ferreisve inclusa, fit vt ab ipsis bullis, siue imaginibus literæ ipsæ bullæ nuncupentur.

2 Qvæst. *Cur hæc bulla appellatur cruciata?* Resp. Quia gratia, & indulta in ea concessa sunt ijs simillima, quæ impertita sunt in Conc. Lateran. sub Innocent. III. Christianis militibus, qui suscepto sanctissimæ crucis signo, ad oppugnandam terram sanctam, debellandosque infestissimos Christiani nominis hostes Mahometani erroris sectatores illam miserrime opprimentes proficiscebantur. Ita Hostiens. *in cap. Ad liberandam. col. 2. de iudic.* Sot. *in 4. dist 21. quæstion. 1. art. 3.* Eman. *de bulla §. 1. numer. 2.*

De ijs, qui possunt lucrari huiusmodi indulgentias. §. 2.

1 *An religiosi lucrentur indulgentias bullæ.*
2 *An Papa lucretur indulgentias bullæ.*
3 *An extraneus negotiandi gratia in Hispania versatus, lucretur indulgentias bullæ cruciatæ.*

1 Qvæstio. *Possuntne lucrari indulgentias bullæ religiosi ab Ordinarij potestate exempti?* Resp. Possunt. Ita D. Thom. *in add. quæst. 4. artic. 1.* Possuntque absque suorum prælatorum licentia opera iniuncta facere, quæ absque suæ obseruantiæ detrimento exequi valent, vt ieiunare, aliquot preces fundere, &c. Ita Ange. *indulg. §. 22.* & Cordub. *quæst. 2. de indulg.*

2 Qvaest. *Potestne Papa frui huiusmodi indulgentijs à se concessis?* Resp. Potest, quia ipse caput est ecclesiæ, & ideo membrum principale illius, fruiturque bono totius corporis. Ita D. Thom. *in add. qua. 13. art. 4. & in 4. d. 10. art. 5. quæst. 4.*

3 Qvaest. *Conceduntur hæ gratiæ personis certorum regnorum, V. g. Hispaniarum. Quæro, fruunturne ijs incolæ tantum ibidem nati & alti, an etiam exteri, qui tempore concessionis in Hispanijs negotiandi causa, aut aliquid aliud a-*

gendi, versantur? RESP. Etiam exteri atque bullæ gratijs, & indultis fruuntur, quamdiu illa in Hispanijs vigent, etiamsi ipsi ab Hispanijs proficiscantur quouis gentium, ita Eman. *in bulla, §. 1. dub. 3. num. 7.* Prohibet tamen bullæ textus ijs esum carnis extra Hispaniam, his verbis. *Durante eo anno in omnibus, & singulis regnis (& non extra illa) carnibus de consilio vtriusque medici, &c.*

De priuilegio audiendi sacrum tempore interdicti. §. 3.

1 *An qui fruuntur priuilegio bullæ cruciatæ teneantur audire sacrum tempore interdicti.*

2 *An tale priuilegium intelligatur etiam temporis cessationis à diuinis.*

1 QVAESTIO. *Quæro, an qui fruuntur hoc priuilegio teneantur tempore interdicti audire sacrum diebus festis?* RESP. Tenentur, cum commode possunt vt possent, si non esset interdictum. Ita Sot. *in 4. d. 13. quæst. 1. art. 1.* A simili probari potest: nam carcere detentus, qui potestatem habet exeundi, tenetur diebus festis audire sacrum, vt docent Nauar. *in man. capit. 21. num. 3.* & Med. *in sum. libr. 1. §. 40. fol. 159.* ergo similiter in nostro casu tenetur: si quidem potest.

2 QVAEST. *Priuilegium de interdicto, extenditne quoad cessationem à diuinis?* RESP. Minime. Ita Nauar. *in Man. cap. 26. nu. 29.* & Eman. *in bul. §. 5. dub. 2. nu. 7.*

De priuilegio sepeliendi tempore interdicti. §. 4.

1 *Quæ sit moderata exequiarum pompa.*

1 QVÆSTIO. *Quid intelligitur per moderatam exequiarum pompam?* RESP. Intelligitur dimidietas solennitatis solitæ, iuxta personarum qualitates, & statum circa omnia; nimirum circa pulsanda simbala, & canendum officium, reliquum vero relinquitur arbitrio Ordinarij, si adfuerit. Ita declaratur in bullis Pij IV. datæ anno 1565. & hæc declaratio obseruatur in Hispania, vt notat Cordub. *de indulg. §. 43. dub. 5.*

De

De priuilegio edendi carnes. §. 5.

1 *Quod sit priuilegium edendi carnes ex consilio vtriusque medici corporalis scilicet, & spiritualis.*

2 *An tempore iubilæi durante bulla cruciata possint edi lacticinia tribus diebus ieiunij præscriptis.*

3 *An dispensatus per bullam ad edendas carnes die ieiunij, teneatur ieiunare.*

4 *An dispensatus per bullam ad esum carnis, teneatur abstinere ab esu piscium.*

5 *An Religiosi, & presbyteri sæculares tempore bullæ cruciatæ teneantur abstinere à lacticinijs etiam Dominicis diebus Quadragesimæ.*

6 *Quid dicendum de nouitijs religionum habentibus bullam cruciatam.*

1 QVÆSTIO. *Cum dicat Summus Pontifex, vt hæ carnes edantur de consilio vtriusque medici, corporalis scilicet, & spiritualis, quid priuilegij concedit in hac gratia? id enim eodem tempore quadragesimæ, & ieiunij concedit ius commune, iuxta* Caiet. *ieiunium capit.* 3. & Nau. *in man. capitul.* 21. *numer.* 19. *&* 20. RESP. Quæstionem proposuit Roder. *in bul.* §. 1. & indecisam reliquit, non approbando explicatum aliquorum Doctorum interpretantium hoc priuilegium de ieiunio cum carnes; id enim statim bulla ipsa declarat circa edentes lacticinia, vt possint sic ieiunare. Illam tamen explicuit §. 9. *nu.* 5. asserens nil nouæ facultatis ibi concedi, sed tantum explicari ius commune, vt solent multoties facere Pontifices.

2 QVÆST. *Dum bulla viget, mittitur iubilæus: iubilæus vero præscribit, vt lucraturus indulgentias ieiunet tres dies. Rogo, an ex priuilegio bullæ possint hæc ieiunia impleri cum esu lacticiniorum?* RESP. Possunt. Ita Medin. *in sum. lib.* 1. §. 10. *fol.* 99. Annales *tractat. de ieiun. quæst.* 9. *de abstin. à cibo. dub.* 4. *&* 5. Ratio est, quia iubilæus non requirit strictius ieiunium, quam est ieiunium quadragesimæ, sed ieiunium quadragesimæ impletur nostro casu cum esu lacticiniorum; ergo, &c.

3 QVÆST

3 QVÆST. *Dispensatus in esu carnium tempore quadragesimæ, & ieiunij per nostram bullam, censeturne dispensatus ad non ieiunandum?* RESP. Affirmat Caiet. *verb. ieiunium.* Negat Medina *cod. de ieiun. quæst. 5. fol. 17. & quæst.* Dicendum tamen cum Victoria *2. 2. quæst. 147. articul. 4.* & Roderic. *in bull. §. 6. numer. 4. dub. 3.* quem citat sub distinctione. Vel enim dispensatus ad esum carnis, edit carnes quia pisces nocere saluti solent: vel vt vires amissas recuperet: priori modo dispensatus tenetur ad ieiunium, altero vero minime, & ideo pluries edere potest.

4 QVÆST. *Dispensatus ad esum carnis & lacticiniorum virtute bullæ, potestne licite edere simul pisces?* RESP. Potest. Ita Cordub. *in summ. quæstion. 168.* & Eman. *in bull. §. numer. 5. dub. 4.*

5 QVAEST. *Excipit bulla à priuilegio lacticiniorum in quadragesima, & diebus ieiunij regulares omnes, & clericos sæculares, clericos, inquam, presbyteros. Rogo vtrum Dominicis quadragesimæ possint lacticiniis vti?* RESP. Possunt. Ratio est, quia reliquit hanc rem iuri communi: secundum verò ius commune dominici dies non appellantur dies quadragesimæ, & ideo in ijs edi possunt lacticinia absq; priuilegio, vt affirmant Cordub. *in sum. quæst. 168.* & Valat. *in 4. d. 15. disp. 8.* siue ergo bulla prohibeat esum lacticiniorum in diebus quadragesimæ, siue in diebus ieiunij quadragesimæ, non intelligitur prohibitio circa dominicos dies, quia ij nec quadragesimales, nec dies ieiunij appellandi sunt, vt ostendit Rod. *in bull. §. 6. nu. 8.*

6 QVÆST. *Quid censes circa nouitios religionum habentes bullam cruciatam?* RESP. Dico posse edere lacticinia vt alij sæculares. Ratio est, quia nouitij non censentur religiosi quo ad onera religiosorum. Deinde quia regulares censentur soli, qui professionem solemnem emiserunt *cap. Cum ad monasterium. de stat. monach.* & tradit Sot. *lib. 7. Iust. quæst. 5. art. 3.*

De ieiunio, quod per bullam iniungitur. §. 6.

1 *An ad lucrandas indulgentias bullæ cruciatæ, vel Iubilæi satis sit ieiunium quadragesimale.*

2 As

2 *An ex vi confessionis bullæ æqualem consequantur gratiam, qui sola opera præscripta exequuntur.*

3 *Declaratur textus* Extrauag. Antiquar. de pœn. & remiss.

4 *An cum imponitur eleemosyna ad arbitrium erogantis, quæuis sufficiat tam diuiti, quam pauperi.*

5 *An eadem quæuis eleemosyna satis sit ad fruendum priuilegijs bullæ.*

6 *De commutatione ieiunij in aliud pium opus.*

7 *De causa commutandi ieiunia à Iubilæo præscriptæ.*

8 *An visitatio Ecclesiarum, & eleemosynæ erogatio fieri possit quouis die hebdomadæ iubilæi.*

1 QVÆSTIO. *Præcipit bulla ieiunare eisdem diebus, quibus vel ex præcepto ecclesiastico, vel ex voto, teneor ieiunare, satisfactione ambabus obligationibus?* RESP. Satisfacio, lucrorque indulgentias. Ita Rodericus *de bullâ § 7 num.* 1. Ratio est, quia eodem opere satisfieri potest duabus, vel pluribus obligationibus. Deinde quia opus præcipitur à bulla, vt satisfactorium est: opus vero ad quod teneor ex præcepto, vel ex voto, factum ex voto vel ex præcepto, adhuc est satisfactorium. Ita Doctores *capit. Cum ex eo. de pœnit. & remiss.* Cordub. *de indulg. quæ.* 21. *propos.* 3. Sot. *in* 4. *d.* 19. *quæst.* 2. *ar.* 1. Medin. *de satisfact. qu.* 4. *circa finem.*

2 QVAEST. *Consequunturne eandem indulgentiam quo ad æqualitatem, qui opera iniuncta per bullam & iubilæum faciunt: nimirum eadem ieiunia, easdem orationes, &c.* RESP. Dico *primum.* Opera in se, quæ iubentur, æqualia sunt indulgentiæ, æqualiter omnibus, facientibus ea impertitur. Dico *secundum.* Opera, quæ à Papa per bullam imponuntur, censenda sunt æqualia indulgentiæ concessæ, licet quo ad singulas videantur inæqualia: quia summus Pontifex attendit ad multitudinem eorum collectim,

lectim, non diuisim sumptorum. Ita Doctores communiter, Palatius *in 4. dist. 10. dub. 3. fol. 420. col. 2. in fine Dec. tertium.* Qui opera iniuncta per bullam, vel iubilæum æqualia faciunt, æqualem consequuntur indulgentiam licet alius alio maiora, & superabundantiora opera compensentur. Hæc manifeste colligitur *ex supra duabus primis conclusionibus.*

3 QVÆST. *In oppositum superioris asserti videtur esse Extrauagans. Antiq. de pœniten. & remiss. lata à Bonifacio VIII. ait enim ibi summus Pontifex, qui plus fecerit, plus consequetur?* RESP. Extrauagans loquitur de præmio essentiali gratiæ, & gloriæ, non verò de satisfactionis consecutione. Ita Roder. *in bul. §. 7. nu. 4. dub. 3.*

4 QVÆST. *Qui bis dederit in anno bullæ eleemosynam taxatam in ipsa bulla, lucrabiturne bis indulgentias, & gaudebitur indultis & priuilegijs eius?* RESP. Lucrabitur, & fruetur, constat hoc apertissime ex verbis plumbeæ bullæ; queis, breuitati seruiens, referendis supersedeo.

5 QVÆST. *Adhuc restat graue dubium. Concedit Sanctitas Papæ, vt qui iuuerit eleemosyna quacumque, siue quis iuuerit, aliquod pium opus, extructionem, Verbi gratia, monasterij, consequatur tot, vel tot indulgentias. quæro, vtrum ad lucrandas has indulgentias satis sit diuiti teruncium mittere in arculam, sicut mittit pauper, qui plus mittendum non habet?* RESP. Negant D. Thom. *in 4. d. 20. qu. 1. & ibi Cajetan. ad 3. & in Add. quæst. 25. art. 3.* D. Anton. *1. p. tit. 20. §. 3. in 3.* D. Bonau. *in 4. d. 20. quæst. vlt.* Nauar. *de indulg. nu. 35.* aiuntque tantum quemque lucrari indulgentiarum quantum in æqua Dei æstimatione valent eleemosynæ, operæve ab eo facta, cum in suo arbitratu relinquantur à Papa iuxta cuiusque diuitias. Et hæc est certior opinio, quidquid alij refragentur.

6 QVÆST. *Hæcne opinio D. Thomæ & aliorum vera sit etiam ad fruendum priuilegijs bullæ?* RESP. Minime enim præscribitur in ea certum opus in specie, relicta maiori vel minore quantitate eius in arbitrio operantis singulari, si in quauis minima quantitate fiat, satis esse ad fruendum, vtendumq; priuilegijs, & indultis bullæ. Ita adnotauit Roderic. *in bulla §. 7. nu. 4.*

7 QVÆST. *Quis potest hoc ieiunium commutare in aliud opus*

opus pium? RESP. Solus electus confessor, vel parochus & non alius. Ita contextus expressus bullæ.

8 QVAEST. *Quæ causa sufficit ad commutanda ieiunia in aliud pium opus?* RESP. Ea, & sola, quæ hominem talem excusaret à non ieiunando ieiunio ex præcepto. Hæ autē causæ sunt plures, quas iam numeraui in præcepto ieiunij de quibus Nau. *in man. ca. 21. nu. 16.*

9 QVÆST. *Præscribit bulla, vel iubilæus, vt tribus hebdomadæ diebus, feria inquam, quarta, sexta, & sabbatho ieiunetur. fiat oratio, & eleemosyna: satisne erit si ita fiat, in quouis hebdomadæ die?* RESP. Satis. Ita Nau. *de orat. miscel. 58. nu. 221.* declarauitque Gregor. XIII. flagitantibus Patribus sanctissimæ Societatis IESV.

De visitatione Ecclesiarum. §. 7.

1 *Quid intelligitur nomine Ecclesiæ.*
2 *An satis sit visitare quinque eiusdem Ecclesiæ altaria.*
3 *Quæ intentione visitandæ sunt Ecclesiæ.*
4 *An lucrentur Indulgentias Iubilæi Religiosi, aut clerici Ecclesiarum, quæ assignantur visitandæ.*
5 *An censeatur visitare Ecclesias, qui præ multitudine hominum eas ingredi nequit.*

1 QVÆSTIO. *Quid nomine Ecclesiæ intelligitur?* RESP. Quoduis sacellum Ordinarij auctoritate erectum. Ita Couar. *ca. Alma. §. 4. nu.* Eman. *in bul §. 8. nu. 8.*

2 QVAEST. *Satisne est visitare quinque Ecclesiæ eiusdem altaria, licet dentur quinque quæ visitari possunt?* RESP. Satis constat ex ipsius bullæ seriè disiunctiue loquentis, aut quinque Ecclesiæ visitentur, aut quinque altaria.

3 QVÆST. *Qua intentione visitandæ sunt hæ Ecclesiæ?* RESP. Pro lucranda indulgentia: hoc tamen non tollit, quin minus principaliter tales Ecclesias ad eam pro alio etiam negotio faciendo, pro quo solo eas ad rem. Ita Nau. *cap. Quando. de consec d. 1. ca. 6. §. 14.* & Cord. *de indulg. dub. 4. quæst. 25.*

4 QVÆST. *Assignatur ab Episcopo certa Ecclesia visitanda: possuntne clerici illius Ecclesiæ, vel Religiosi ibidem habitantes lucrari ibidem indulgentias?* RESP. Possunt. Ita Docto-

Doctores communiter, quos refert Cordub. de indulg. quæst. 30. circa hoc est peculiare priuilegium minorum à Leone X. & Carthusiensium à Sixto V. vt tradit Enr. compend. ibi legatur, & videatur.

5 QVAEST. *Non possum ingredi præ multitudine populi Ecclesiam, quæ habet quinque altaria, lucraborne indulgentiam, si è foris mente, & reuerentia Ecclesiam saltem, & altaria inuisam?* RESP. Lucraberis. Ita Rosel. verb. indulg. §. 22. Cordub. *de indulg. qu.* 21. Eman. *in bul.* §. 8. *dub.* 7.

De eligendo confessario. §. 8.

1 *Qui sacerdos eligendus sit in confessarium.*
2 *An possit eligi in confessarium sacerdos, qui ex malitia Episcopi (quod malum Deus auertat) non approbatur idoneus ad audiendas confessiones.*
3 *A quo Episcopo debet esse approbatus sacerdos, vt possit eligi per bullam cruciatam in confessarium.*
4 *An sufficiat sacerdos approbatus in vno Episcopatu, tempore bullæ versans in alio.*
5 *Quid dicendum sit de Regularibus.*
6 *An satis sit approbatus pro certo loco Episcopatus, & non pro alijs, vt in alijs possit eligi in confessarium.*
7 *Qui confessarius potest eligi à Regularibus.*
8 *An Religiosi possint frui bulla cruciata.*
9 *An nouitij possint per bullam absolui à reseruatis suo prælato.*
10 *Quid plus, quam approbatio requiratur in confessario eligendo per bullam.*
11 *Qui per bullam cruciatam potest confiteri confessori excommunicato.*

1 QVAESTIO. *Qui sacerdos censendus est idoneus, & approbatus, vt virtute bullæ eligi possit in confessarium.*
RESP. Qui vel parochiale habet beneficium, vel

a9 Epi-

ab Episcopo idoneus fuit iudicatus. Ita Concil. Trident. *sessi 23. cap. 15. de reform.* Nomine vero parochialis beneficij, intelligitur cura animarum in hoc foro, qualem habent Episcopi, aliqui Abbates, Archipresbyteri, Archidiaconi. Ita Suar. *de pœnitent. disp. 22. session. 4.* Non tamen cura animarum, quæ commissa est prælatis Religionum, & ideo ipsi minime à sæcularibus, imo nec à suis domesticis sæcularibus absque approbatione Ordinarij eligi possunt in confessarios. Ita respondit congregatio Cardin. *in resp. 1162.* Approbati vero non censentur, qui publicum gradum Theologicæ, canonumve scientiæ susceperunt, quales sunt Doctores, aut Licentiati. Ita adnotauit Cordub. *in sum. qu. 16.* & alij Guterres *in quæ. can. cap. 6. fol. 8.*

2 QVAEST. *Censebuntne idonei confessarij, qui postulantes ab Episcopo approbationem, repulsam passi sunt ex malitia ipsius Episcopi, quoniam ipsi dignissimi erant approbationis?* RESP. Minime. Ita Suarius *tom. de pœnitent. disput. 22. sect. 4.* Ratio est, quia Concilium ponit hanc conditionalem, Nisi sit approbatus, non possit. Et merito quoniam sequeretur inde magna cõfusio, diceret enim quisque sibi iniuste negatam approbationem. Hanc tamen veritatem negat Nauarr. circa Religiosos præsertim mendicantes iuxta eorum priuilegia. *Clem. Dudum. de sepult. & Extrauag. super cathedra de sepult.* ibi enim sufficit petita, licet non obtenta facultas, & approbatio. Sed immerito, est enim opinio contra expressa verba concilij. *Nullus sacerdotum etiam regularium.* &c. non obstantibus quibuscunque priuilegijs. Et ita postea decreuit Pius V. motu proprio 44. & Greg. XIII. declarauit congregatio Cardin. *resp. 1162. super Conc. Trid.*

3 QVÆST. *Cuius episcopi approbatio requiritur in confessario episcopine ipsius confessarij, an pœnitentis?* RESP Satis est approbatio Episcopi ipsius confessoris, & ideo confessarius Bracharensis approbatus ab Ordinario Bracharensi potest audire confessiones Olysipponensium, qui illum virtute bullæ, vel ex licentia sui parochi in confessarium eligunt. Ita declarauit congregatio Cardin. *resp. 1159.* Imo circa Regulares eligentes virtute bullæ, aut iubilæi confessarium, idem declarauit, vt sit approbatus

à suomet Episcopo, seu Ordinario. Hanc declarationem secutus fuerat Cordub. *in summ. quæstion.* 20. ad dubium. Et meritò eam reliquit Eman. *in bulla. §. 9. numer.* quam modo sequitur Suarius *de pœnit. disp.* 22.

4 QVÆST. *Sufficitne approbatio mei Ordinarij, vt illum profectus in alias diœceses possim eligi in confessarium per hanc bullam?* RESP. De regularibus peculiare est dubium, de quo pro tua solita patientia me sigillatim interrogabis. De sæcularibus pars affirmatiua certa est ex declaratione posita Cardinalium: qui solam Episcopi confessoris approbationem requirunt: cum petitur approbatio fiat, vel per collationem parochialis beneficij, vel per iudicium episcopi, seu Ordinarij, qui habuerit vel beneficium parochiale, vel iudicium approbans Ordinarij, potest dum in alijs diœcesibus hospes moratur eligi virtute huius bullæ ad audiendas confessiones. Dixi, virtute huius bullæ, aut iubilæi, quia absolutè loquendo, requiritur approbatio Ordinarij episcopatus, vbi eligor ad audiendas confessiones, & hospes ibidem commorer, ille enim tunc est necessarius hunc effectum Ordinarius, & in hoc sensu verissimam iudico opinionem Roderici citatam *in bulla. §. 9 num.* vt legenti facile clarebit.

5 QVÆST. *Quid in hac quæstione censes de Regularibus?* RESP. Cum Regulares vtantur iurisdictione a Papa concessa in vniuersam Ecclesiam, dubitarunt Doctores, an illius post Concilium Tridentinum sufficiant ad tantum alicuius Ordinarij etiam approbatio pro tota Ecclesia, ita, vt & ipsi audire possint confessiones, & non aliquo priuilegio, aut saltem eligi in confessarios virtute bullæ cruciatæ, alterius ve iubilæi de qua controuersia latè Guterrius *lib. 1. qu. can. nu. cap. 27.*

Dico primum. Regularis approbatus in vno episcopatu non censetur approbatus in omnibus, vt ibi absque noua Ordinarij loci approbatione possit audire confessiones, & eligi in confessarium sine bulla, aut alio priuilegio. Probatur primo ex verbis Concil. Trident. *approbatus ab Episcopis*, non dixit ab Episcopo. Deinde ex declaratione Pij V. nam vt priuilegium concessit Mendicantibus, vt in eodem episcopatu, & eodem

dum-

durante Episcopo semel tantum possent examinari, & approbari : toties vero possint quoties mutentur Episcopi: ergo maiori cum ratione tenentur examinari, & approbari in diuersis episcopatibus. Possint, dixi, quia id relinquitur arbitrio noui venientis, siue succedentis Episcopi : nam ipsi religiosi non tenentur iterum nouo Episcopo se præsentare, nec petere nouam approbationem iuxta priuileg Benedicti XI. vt affert *Compend priuil. tract. 2. fol. 127. litt. a. Collect. titul. absol. ord. quo ad sæcul. 2. §. 24. & 16.* Cordub. *in annot. compend. titul. præsentatio confess.* Soto *in 4 d. 18. quæst. 4. art. 3.* & est veritas vsu probatissima. Tertio ex concessione Gregor. XIII concedentis vt priuilegium singulare confessoribus Societatis Iesu, vt approbari in vno tantum Episcopatu, possint transeundo per alios episcopatus confessiones audire præterquam in loco, vbi adsit Ordinarius loci: tunc enim vult summus Pontifex, vt petant ab illo approbationem. Denique, quia ante Concil. Tridentinum tenebantur mendicantes se præsentare omnibus Episcopis locorum. *Clē. Dudum. de sepult. & extrauag. super cathedra eodem titul.* ergo, & nunc præsentari, & obtinere approbationem requisitam à Conc. Ita docuit Guterrius *loco citato*, & nunc est receptissima, & praxi vsitatissima opinio. Dico secundum. Regularis approbatus in vno Episcopatu, potest virtute bullæ cruciatæ, aut alterius priuilegij eligi in confessarium in episcopatu in quo, vt hospes versatur, nondum ibidem approbatus. Ita probabiliter Suarius. *de pœnitent disput. 22. sect. 5.* Ratio eius est, quia declaratio Cardinalium solam requirit approbationem Ordinarij confessoris. Ordinarius vero Regularium quo ad hunc effectum est ille, cuius episcopatus incolæ sunt, licet alibi morentur, seu versentur vt hospites: ergo vt confessarius sæcularis potest eligi, ita, & regularis, non debet enim esse peioris conditionis. Nam si mutet domicilium, requirit nouam approbationem, quia iam episcopus domicilij est illius Ordinarius, vt est aliorum sæcularium confessorum, mutantium ab vno in alium locum permanens domicilium.

6 QVAEST. *Est quidem approbatus pro audiendis confessionibus certi loci, & non aliorum, potestne virtute bullæ*

eligi in confessarium à quouis totius episcopatus? Resp. Potest. Ita Eman. *in bulla* §. 9. *num.* 8. Ratio eius est, quia talis est approbatus ab Ordinario: hoc autem solum requiritur à bulla, ergo vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus. Addo præterea posse eligi à quouis, licet versetur, vt hospes in alio episcopatu: quia iuxta suppositam Cardinalium declarationem sola requiritur approbatio Ordinarij confessoris.

7 Qvaest. *Cum iuxta Concil. Tridentini verba non requiratur Ordinarij approbatio ad audiendas Regulariũ confessiones, duo quæro, primum, an ad obtinendas indulgẽtias huius bullæ, sit satis confiteri sacerdotibus per superiorem signatis, & expositis. Deinde vtrum si eligendus sit confessarius, oportet eligere confessarium approbatum ab Ordinario?* Resp. Dico ad *primum.* Satis est confiteri sacerdotibus per superiorem. Ita Roder. *in bull.* §. 9. *numer.* 9. Ratio illius est, quia superiores Religionum appellantur in iure Ordinarij, erga ipsos religiosos, possunt enim eos ligare, absoluere ve à censuris, dispensare, commutare que eorum vota, hi autem iurisdictionis actus, sunt Ordinarij. Ita Gloss. *L. Pluri ff. de Procur.* Gloss. *cap. fin. de offic. Ordin. ibidem* Barthol. Veruntamen ad probandam propositam veritatem hac ratione minime indigemus. Nam nostra bulla solam requirit approbationem Ordinarij, vt eam requirit Conc. Trid. sed Conc. Triden. non requirit approbationem Ordinarii in confessarijs regularium, erga eosdem regulares, sed solam expositionem prælati ipsius pœnitentis regularis; ergo &c. Dico *secundum.* Si eligendus sit confessarius ab aliquo regulari virtute huius bullæ, alius ab ijs, quos proprius prælatus expositos habet, & assignatos, requiritur, vt sit approbatus ab Ordinario, siue sit sæcularis, siue regularis. Ita Henriq. *lib. 3. de pœn. ca. 6. ad finem,* & est securior opinio.

8 Qvæst. *Quid censes de regularibus?* Resp. Dico *primum.* Regulares etiam ordinum Mendicantium possunt bullam suscipere, & ea vti, sicuti alij Christi fideles. Ita constat ex ipso bullæ contextu modum assignantis, quomodo faciendæ sint eleemosynæ. Dico *secundum.* Etiam regulares D. Francisci possunt pecuniam conquirere ad suscipiendam bullam. Ita Roderic. *de bulla* §. 9. *num.*

numer. 23. Dico *tertium.* Possunt regulares absque suorum prælatorum licentia vti bulla ad ea, quæ non repugnant religiosæ obseruantiæ, vtpote ad lucrandas indulgentias per ieiunia orationes, flagellationes, &c. Ita colligitur ex D. Thom. *in Add. quæst.* 27. *art.* 3. *& in* 4. *dist.* 20. vbi Palud. Dico *quartum.* Religiosi Mendicantes, non fruuntur priuilegio bullæ Cruciatæ ad effectum eligendi confessarium, qui possit eos absoluere à casibus reseruatis absque licentia superioris. Ita decreuerunt Sixtus IV. Innocent. VIII. Alexand. VI. Iulius II. Leo V. deniq; Gregor. XIII. & Leo X. viuæ vocis oraculo. Quod quidem priuilegium concessum est superioribus Religionum mendicantium, neque per bullam Cruciatam abrogatum est, imo quasi fortius confirmandum. Quia de re circa Moniales extat declaratio congregationis Cardinalium, his verbis. Congregatio Concilij censuit quatenus gratia ex bulla cruciata pertinet ad moniales, non posse vigore facultatis in eadem bulla concessæ alios confessarios, præter eos, qui ad audiendas ipsarum monialium confessiones ab Ordinario appprobati fuerint, eligere. Refert Eman. *in bul.* §. 9. *num.* 22. testatur q; seipsũ eam vidisse manuscriptam in eadem petitione facta. Dico *quintum.* Quoniam vero oppositum verum iudicatur in concilio ipsius cruciatæ bullæ, vt videre est *in compendio priuil. tit. Cruciata, & titu. absolutio* quo ad fratres. Cordub. *super regulam c.* 3. & Parase. *tit. Notanda priuilegia* §. 19. *fol.* 175. *& fol.* 127. *in suo comp.* Deinde, quoniam Religionum prælati huiusmodi reuocatoria priuilegia nunquã in suis capitulis prouincialibus promulgarunt: lex vero reuocatoria priuilegiorum non habet vim ante promulgationem. vt docet Sot. 1. *Iust.* 9. 2. *art.* 4. Med. 1. 2. *quæst.* 91. *art.* 4. Imo hoc scientes, tacent, & ideo consentire videntur, probabile est posse religiosos vti priuilegio bullæ circa electionem confessoris, & ideo qui bona fide ea vsus est, non est cogendus iterare confessiones. Ita Medin. *de confess. ca.* 26. Cordub. *de indul. quæst.* 49. *ad finem.* & Roder. *in bul.* §. 9. *num.* 25. *in fine.*

9 QVÆST. *Possuntne Nouitij virtute bullæ, alteriusve iubilæi absolui à casibus reseruatis suo prælato?* RESP. Dico *primum.* Possunt virtute bullæ. Ratio est, quia nouitij

adhuc non subiacent legibus rigorosis, & oneribus religionum: neque circa hoc intelliguntur sub nomine religiosi, vti enim possunt honoribus, & non subiacent oneribus. Dico secundum. Etiam secundum ius commune possunt nouitij eligere confessarium, & ab eo absolutis casibus reseruatis in religione, ac possent, si nouitij non essent, ac proinde non sunt religiosi ad onera, sed solum ad honores. Ita colligitur aperte *ex ca. relig. de sent. excom. in 6.* traditq; Angel *verb. relig. §. 13 & 14.* Syl. *relig. 5. q. 10. & 12.* Instruct. *ca. 47.* Imo neque ad omnes honores nouitij apti sunt, vt cernere est *in d. ca. Religio. de sent. excommun. in 6.* Nostri tamen instituti non id est perseq.

10 QVÆST. *Requiriturne aliud quicquam in confessario, vt ex vi bullæ possit eligi à pœnitente?* RESP. Requiritur insuper, vt sit idoneus. Idoneus vero à Pio IV. in sua bulla censetur non suspensus, non irregularis, non excommunicatus, non interdictus, neque alio modo à suo superiore impeditus. Si autem talis non fuerit, eligi nequaquam potest. *ca. Quod translat. de offic. deleg.*

11 QVÆST. *Quoniam vero post Concil. Constantiensis solum tenemur euitare in diuinis, & humanis solos excommunicatos publicos, & notorios clerici percussores, imo post extrauag. ad euitanda solos nominatim per iudicis sententiam tales declaratos, vt iam respondisti in propria materia de excommunic. Rogo nunc, qui ex virtute huius bullæ possit excommunicatum confessorem eligere?* RESP. Parochianus potest licite à suo parocho, etiam nominatim declarato excommunicato petere in hoc euentu, & alio necessitatis, pœnitentiæ sacramentum. Ita omnes Doctores, & Adrian. *quæst. 8. de confessi.* Angles. *quæstion. de confess. art. 8.* liberius loquuntur. Ratio est, quia iste parochianus petit quod suum est, parochus vero ex propria malitia est in eo statu, & ideo sibi imputet. Vt qui petit iuramentum ab eo, quem scit iuraturum per falsos Deos, non peccat, quia ipse petit suum ius, & rem, quam alius licite, & sancte facere potest, iurando per verum Deum. Dixi in euentu necessitatis, quia absque ea faceret contra charitatem inducendo alium ad peccandum in administratione sacramenti. Dico *secundum.* Si sacerdos confessarius non est parochus, & est excommunicatus, licet sponteq;

sua expositus sit pro audiendis quibusq; pœnitentibus, peccat, qui illum eligit in confessarium. Hæc veritas est contra multorũ opinionem, teste Sot. *in 4. d. 1. qu. 5. art. 6.* Est tamen Castri. *lib. 1. de pun. hær. ca. 15.* Angles *qu. de ministro sacram. ar. 6.* Ratio eorum est, quia actus exterior addit malitiam supra actum interiorem, loquendo moraliter (quidquid metaphysicę veritas doceat) atq; moraliter grauius peccat, qui exterius mœchatur, quam qui solum vult mœchari, estq; experimentum manifestum saltem in delectabilibus, & irascibilibus, vt docet D. Thom. 2. 2. *qu. 2. ar. 4.* & in alijs peccatis actus exterior addit multiplicitatem actuum interiorum, & firmitatem propositi. Ideo qui exigit executionem peccati ab eo, qui paratus est illud exequi, cooperatur peccato. Hæc veritas omnino tenenda, nisi vrgeat magna necessitas confitendi: tunc enim sequi potest opposita sententia.

De vicibus, quibus ex vi Bullæ potest pœnitens absolui. §. 9.

1 *Quoties ex vi Bullæ potest pœnitens absolui.*
2 *Quod est priuilegiũ posse absolui in articulo mortis.*
3 *Quis est intelligendus articulus mortis.*
4 *An possit concedi ex vi bullæ indulgentia sub conditione*

1 QVÆSTIO. *Quoties ex vi bullæ potest pœnitens absolui ab electo confessario?* RESP. Semel in vita, semel in morte. Ita textus eiusdem bullæ, hoc est, in articulo mortis.

2 QVÆST. *Quid priuilegij concedit sua Sanctitas in articulo mortis? nam tunc nullum est peccatum reseruatum cuilibet sacerdoti?* RESP. Magnum: enimuero etiam in articulo mortis absolutè loquẽdo seruandus est ordo dignitatis, non cogente aliud necessitate, & ideo præsente eo, qui potest absoluere à reseruatis, etiam in eo articulo nõ potest absoluere, qui tali potestate caret, vt iam dixi supra in materia de pœn. Ex priuilegio autem bullæ cruciatæ potest quilibet confessor approbatus, & à pœnitente electus, etiam præsente eo, qui iuxta commune ius poterat absoluere. Ita Rode. *de bulla §. 11. nu. 36.*

3 QVAEST. *Quomodo intelligendus est articulus mortis?*

RESP. Aliud est periculum mortis, aliud articulus mortis. Periculum est, euentus, in quo iuste, & prudenter ex meri potest euenturam mortem, talis est periculosa nauigatio; prælium committendum, vel quid simile, vt bellū, &c. Articulus mortis est euentus, in quo quis naturaliter desperata salute est ad moriēdum proxim Ex vi bullæ absolutio dari potest tātum in articulo mortis, siue vero, siue præsumpto vero, non autem in periculo. Ita Sot. *in* 4. *d.* 18. *qu.* 4. *ar.* 4. Couar. *cap. Alma. Cons pœn. fol.* 9. *alias* 49. Sylu. *interdict. d.* 5. *quæst.* 4. Panorm. *Quod integ. de pœn. & remiss.*

4 QVÆST. *Potestne confessor in articulo præsumpte mortis impertire indulgentiam sub conditione, si vere morieris, alioqui seruet tibi Deus hanc indulgentiū ad instans mortis?* RESP. Potest. Ita Nauar. *in sum. cap.* 26. *num.* 31. Conrad. *de indulg. quæst.* 38. Et ita fieri iubet Bullæ Commissarius.

De modo concedendi indulgentias huius bullæ. §. 10.

1 *An necesse sit ad lucrandas indulgentias bullæ, vt confessarius concedat.*

2 *Qua forma vti debet confessarius in concedendis indulgentijs.*

3 *Quando est concedenda indulgentia pro articulo mortis.*

4 *An lucretur indulgentias bullæ, qui ex malitia confessarij non absoluitur.*

1 QVÆSTIO. *Ad lucrandas huius bullæ indulgentias requiriturne, vt confessarius eas concedat?* RESP. Requiritur. Ita collector *in Compend. tit. indulg.*

2 QVÆST. *Qua forma vti debet confessarius in concedendo huius bullæ indulgentias?* RESP. Forma tradita Commissario, si tamen ea non vtatur adhuc vere impertit indulg. *qu.* 38. Nau. *ca. in Leuit. not.* 30. *nu.* 6. *& in man. c.* 26. *nu.* 31. Satis vero est dicere: Concedo tibi omnes gratias, quas concedere possum virtute huius bullæ: idem mente, & cogitatione habendo. Ita Ema. *in bul. §.* 9. *n.* 40.

3 QVÆST.

3 QVAEST *Quando est concedenda indulgentia pro articulo mortis?* RESP Salubre est consilium non nisi, cum iam pœnitens peccare nequeat mortaliter iuxta prudentis iudicium præ mortis afflictione, & amissione libertatis, illam concedere, vt ita absque vlla purgatorij pœna, queat in cœlum aduolare. Ita notauit pie satis Roder, *in bulla. §. 9. n. 39.*

4 QVÆST. *Confiteor, vt indulgentias huius bullæ adipiscar, confessarius ex malitia non me absoluit, lucrorne indulgentiam?* RESP. Lucror. Ita Curiel. *de iubil. p. 33.* absolute del quauis indulgentia, ita nostræ vero bullæ textus est latus circa hunc euentum,

c

De ijs, à quibus potest absoluere confessarius per Bullam Cruciatam electus §. 11.

1 *A quibus culpis potest absoluere confessarius electus per Bullam cruciatam.*

2 *Quot sunt censuræ, & pœnæ, à quibus potest absoluere confessarius electus per bullam cruciatam.*

1 QVÆSTIO. *A quibus culpis potest absoluere confessarius per bullam Cruciatam electus?* RESP. A quibuscunque peccatis, & censuris. Ita textus ipsius Bullæ.

2 QVÆST. *Quot sunt censuræ, quarum absolutionem committit Summus Pontifex confessario electo per Bullam Cruciatam?* RESP. Quatuor: Excommunicatio, nimirum, suspensio, irregularitas, interdictum.

De absolutione ab excommunicatione per hanc Bullam. § 12.

1 *Ad absolutionem excommunicationis positæ ad instantiam partis læsæ oportet, vt prius fiat satisfactio.*

2 *Quo pacto facienda est talis satisfactio.*

3 *An simul possint absolui multæ excommunicationes.*

4 *An confessarius electus per Bullam possit absolvere ab excommunicatione extra confessionem.*

5 *An impertienda sit absolutio excommunicatorum cum ceremonijs à iure præscriptis.*

6 *An valeat in foro externo absolutio excommunicationis per Bullam Cruciatam.*

7 *An confessarius per bullam electus possit absolvere ab excommunicatione ab homine generaliter.*

8 *An possit absolvere ab excommunicatione ab homine nominatim.*

9 *An possit absolvere à tali excommunicatione ab homine nominatim, cum per excommunicatum non stat, vt fiat satisfactio.*

10 *An possit absolvere à tali excommunicatione, cum excommunicatus est impotens ad solvendum.*

1 QVAESTIO. *Iubet summus Pontifex, vt ante absolutionem excommunicationis posita ad instantiam partis læsæ, fiat satisfactio partis, quæro an hoc sit de essentia absolutionis, ita vt non teneat, nec valeat, si aliter detur?* RESP. Est quidem de essentia. Ita Nau. *in man. c. 27. numer. 47. & 48.* Arm. *absolut. num.* 48. est enim clara bullæ præscriptio.

2 QVAEST. *Quo pacto fieri potest & debet iusta læsæ partis satisfactio?* RESP. Si vel reddatur æqualitas rei debitæ, vel dentur pignora, & sufficientes cautiones, vel saltem iuret se satisfacturum cum primum potuerit. Ita Nau. Con. Armil. & Perez, quos refert, & sequitur Eman. *in bull. §. 9. n. 53.*

3 QVÆST. *Est quis excommunicatus diuersis excommunicationibus, poteritne electus confessarius vnica absolutione ligatum expedire?* RESP. Poterit, dicendo absoluo te

ab

ab omnibus quibus detineris excommunicationibus, vel quid simile. Ita Ang. *tract. de excom. fol.* 52. cum communi. Quoniam in hoc euentu vtitur potestate supremi iudicis, cui omnes alij subiiciuntur, summi nimirum Pōtificis.

4 QVAEST. *Potestne electus confessarius absoluere talem excommunicatum extra sacramentum pœnitentiæ?* RESP. Minime. Ita Couar. *cap. Alma. de sent. excom p.* 2. §. 11. *n.* 16. Nau. *in man. cap.* 26 *num* 31. Cordub. *in summ. quæst.* 16. Ratio est, quia eam præscribit bulla conditionem, *quorum diligenter auditis confessionibus eos possunt absoluere à quibuscunque, &c.* vt legenti patebit.

5 QVÆST. *Estne hæc absolutio impertienda cum ceremonijs præscriptis à iure?* RESP. Minime, quia fit in foro interiori: ceremoniæ vero pertinent ad forum exterius. Ita Nau. *in man. c.* 26. *n.* 2.

6 QVÆST. *Absolutio excommunicationis impertita ex priuilegio bullæ, valetne ad forum exterius?* RESP. Minime. Ita Couar. *c. Alma. 1. p.* §. 11. *n.* 10. Ledesm. *in* 4. *n.* 26. Guter. *in q. can. c.* 3. *n.* 8. *&c.*

7 QVAEST. *Potestne confessarius electus absoluere ab excommunicatione ab homine?* RESP. Potest. Ita Eman. *in bull* §. 9. *n.* 55.

8 QVAEST. *Rogo vlterius. Est quis nominatim ab homine excommunicatus, potestne absolui quo ad forum interius per virtutem huius bullæ:* RESP. Minime: neque per hanc, neque per aliam, aliudue priuilegium, quin prius parti læsæ satisfiat. Ita decreuit Pius V. in iubilæo à se concesso anno 1568. his verbis: *Declarantes insuper tam præsentes, quam alias quascunque super concessione similium, vel dissimilium indulgentiarum à nobis, & à prædecessoribus nostris hactenus emanatas, & in futurū quomodolibet emanandas literas Christi fidelibus ipsis, nisi ad earum effectum in foro conscientiæ, & pœnitentiali consequendum dumtaxat, non autem in foro fori, aut contentioso, nisi satisfecerint, nullatenus suffragari.* Et ita iubet Concil. Trid. *sess* 25. *d reform. c.* 12. ne absoluatur excommunicatus nominatim pro furto decimarum, aut impeditione, ne soluerentur, nisi prius satisfacta parte.

9 QVAEST. *Est pars læsa in longa distantia, & iudex, qui nomina-*

minatim excommunicauit Petrum: vult Petrus confiteri, vt lucrari indulgentias, deponit apud fideiussorem fidelem rem debitam, poteritne absolui ab excommunicatione, & à peccato? Resp. Poterit. Ita Eman. *in bull. §. 9. n. 55.* Ratio est, quia ea censenda est iusta voluntas partis, & iudicis, quidem debitor facit quantum in se est, & est impotens ad plus faciendum.

10 Qvæst. *Est quis impotens ad soluendum centum, quibus parti læsæ satisfiat, poteritne frui beneficio huius bullæ, & absolui, si est excommunicatus pro tali debito, seu nominatim seu vniuersaliter?* Resp. Poterit, quia coram Deo facit quantum in se est. Ita Eman. *in bull. §. 9. n. 55.* Neque potens postea factus, & nolens satisfacere parti læsæ, reincidit in eãdem excommunicationem. Ita Nauar. *in man. c. 27. n. 247.* Non enim est in confessario potestas absoluendi ad reincidentiam, cum taliter absoluere sit actus iurisdictionis circa excommunicandum, vt tenet Sot. *4. dist. 22. art. 3.* Cordub. *quæst. 20. sum.* Adeo, vt nec ad instantiam partis læsæ ita absolui possit, cum nec pars læsa, nec confessarius habeant iurisdictionem ponendi excommunicationem, vt notat Sylu. *excom. 2. not. 1. casu 13. 14. 15. & excom. 1. q 6.* Nauar. *in sum. c. 27. n. 14.* & Cordub. *loco sup. cit.*

De absolutione à suspensione. §. 13.

1 *An virtute bullæ cruciatæ possit absolui à suspensione, qui minor 25. anno sacerdotij ordines suscepit malitiose.*

2 *An talis absolutus possit statim celebrare.*

1 Qvæstio. *Supposita veritate, quod malitiose ordinatus sacerdotio sciens se esse minorem vigesimo quinto anno inchoato maneat suspensus per extrauagantem Pij II. manu tantum scriptam, vt notat Nau. in man. cap. 25. n. 70. & cap. 27. n. 155. & 242. sed non ideo minoris valoris, imo æqualis ac aliæ impressæ, vt aduertit Caiet. ver. excom. 1. quam postea confirmauit Pius V. vt aduertit Cordub. in sum. c. 144. quæro, vtrum virtute huius bullæ cruciatæ possit talis absolui in foro interiori?* Resp. Potest. Ita Med. *in sum. lib. 1. §. 8. fol.*

§.8.*fol.*45. Ratio est; quia talis censura fuit culpabiliter contracta, & de censuris culpabiliter contractis, potest confessarius electus per hanc bullam absoluere, vt *infra* dicam de irregularitate.

2 QVÆST. *Quæro vlterius, an talis absolutus à suspensione, possit statim celebrare?* RESP. Si peruenit ad legitimam ætatem petitam à Conc. Trid. nimirum ad 25. annum inceptum, vt referam in sacramento Ordinis, potest: si non peruenit, non potest, manetque irregularis, si celebrat, quia erat à iure suspensus. Ratio est, quia electus confessarius potest priuilegio bullæ tollere suspensionem, non tamen dispensare in legitima ætate.

De absolutione ab irregularitate. §. 14.

1 *Quæ irregularitas appellanda est censura à qua potest confessarius ex vi bullæ cruciatæ absoluere.*

1 QVÆSTIO. *Quæ irregularitas appellanda est censura?* RESP. Ea, & sola, quæ oritur ex delicto. Et ab ea sola potest confessarius electus virtute bullæ absoluere. Ita Cordub. *de indulg. q.* 43. *dub.* 4. Medin. *in sum. lib.* 1. §. 9. *&* 12. *q* 99. *art.* 4. Guter. *in q. can. c.* 1. *fol.* 57. Quãuis oppositum censeant Sot. 5. *iust. q.* 1. *art.* 4. & Nau. *in man. c.* 27. *n.* 1. *&* 152. Hinc excipitur irregularitas, quæ oritur ab homicidio voluntario, siue iusto, siue iniusto, vt aduertit Eman. *in bull.* §. 9. *n.* 64.

De absolutione ab interdicto. §. 15.

1 *Quem interdictum possit confessarius absoluere ex vi bullæ cruciatæ.*

2 *An talis absolutio prosit ad forum externum.*

3 *An possit absoluere à cessatione à diuinis.*

1 QVÆSTIO. *Quid priuilegij concedit summus Pontifex in hac clausula?* RESP. Magnum quidem. Scilicet, vt confessor electus per hanc bullam cruciatam possit interdictum nominatim ab homine (quem non

non poterat absoluere nisi iudex, qui illum interdixit, vel alius iudice illo superior in iurisdictione eius fori) ab illa interdicti censura absoluere, satisfacta prius parteleſa, vt dixi iam de absolutione excõmunicationis. Potest præterea absoluere à quouis alio interdicto posito à iure; quouis modo, etiam Sedi Apostolicæ reservato. Absolutus itaque ab hac censura, potest suscipere sacramenta, & sepeliri sepultura ecclesiastica.

2 QVÆST. *Prodestne hæc absolutio ad forum externum?* RESP. Minime. *capit. super hoc*, vt refert Eman. *in Enchir. c. n. 65.*

3 QVAEST. *Datne hac bulla confessario facultatem absoluendi à cessatione à diuinis?* RESP. Minime. Ratio est, quia cessatio à diuinis non est censura, & ideo qui cum ea celebrat, non incurrit irregularitatem, vt defendit Suarius *in q. can. c. 10.*

De absolutione ab excommunicationibus positis in Bulla cœnæ Domini, quæ dari potest per confessarium electum virtute Bullæ cruciatæ.

§. 16.

De hæreticis. Sect. 1.

1 *Quæ est prima communicatio Bullæ Cœnæ Domini.*
2 *Quis intelligitur sub nomine hæretici.*
3 *Quis intelligitur sub nomine fautorũ.*
4 *Quis est dicendus schismaticus.*
5 *Qui excommunicantur in Bulla Cœnæ ratione librorum prohibitorum.*
6 *Quis potest absoluere hæreticos, schismaticos, & eorum fautores.*
7 *Quid potest Episcopus circa hos.*
8 *An Inquisitores possint supradictos absoluere per vicarium.*

1 QVAEST.

1 QVAESTIO. *Quæ est prima excommunicatio bullæ Cœnæ Domini?* RESP. Ea, qua excommunicantur hæretici, & fautores hæreticorum, schismatici, & legentes, vel retinentes, vel approbantes libros hæreticorum: hi enim omnes in Hispania à solis Inquisitoribus fidei in vtroque foro possunt absolui, & comprehenduntur sub nomine hæreticorum quo ad pœnam excommunicationis. Ita Eman. *in bull.* §. 9. *n.* 66.

2 QVÆST. *Quis hoc in loco intelligitur nomine hæretici?* RESP. Is cuius pertinacia, & hæresis prodiit in deliberatum actum externum. Itaque ad incurrendam, contrahendamque huiusmodi excommunicationem requiritur contumacia animi, & deliberatio operis externi hæreticalis scienter, & hæreticali malitia patrati. Ita Guter. *in q. can. c.* 23. *nu.* 28. Et quamuis sola pertinacia mentis deliberata contra aliquid, de fide ab Ecclesia propositũ sufficiat, & requiratur omnino ad constituendum hæreticum, iuxta omnes, sic vti notat Sylu. *hæresis.* 1. *q.* 3. & Simanchas *de instit. Cathol. c.* 26. vt iam memini ad primum Decalogi præceptum, tamen hic hæreticus appellatur mentalis, & non excommunicatur in bulla cœnæ. Merito tamen censebitur hæreticus externus ille, qui ita pertinaciter adhæret alicui opinioni, vt quidquid censeat in oppositum Ecclesia, illam doceat tanquam de fide, offeratque vitam, si oportuerit. Ita Castro *de pun. hær. lib.* 1. *quæst.* 7. §. 37. Carthar. *in Apolog.* contra Sot. *de certit. grat.*

3 QVAEST. *Qui intelliguntur sub nomine fautorum?* RESP. Solus ille, qui iuuat, recipit, defendit hæreticum, quatenus hæreticum, vt permaneat in sua hæresi, vel saltem non puniatur à Censoribus fidei, quasi sit indignus tali pœna. Ita Nau. *in man. capit.* 27. *num.* 56. & hic solus incurrit excommunicationem Bullæ cœnæ: quouis modo illum iuuet, verbo, vel facto, vel pecunia, vel alimentis, vel equo, vel gladio, &c. Non autem censendus fautor hæretici, qui illum iuuat, recipit, aut defendit, vt amicum, vt proximum causa postulante pietatis, vt consanguineum miseratione cogente, vel vt alium similem hominem miserum, & calamitosum.

4 QVAEST. *Quis est dicendus schismaticus, qui in bullæ cœna*

cœnæ excommunicatur? RESP. Qui pertinaciter ab Ecclesia separantur in opinionibus pertinaciter repugnantibus mandatis Ecclesiæ, Concilii generalis, & Papæ: dicendo quoque suo modo Christum, dicendo sic, & sic. Ita D. Petro. *in epist. ad Gal.* Hoc enim est discrimen inter hæreticum, & schismaticum, quod hæreticus habet aliquam propositionem contrariam fidei, & eam pertinaciter defendit: schismaticus vero separatur ab Ecclesia.

5 QVÆST. *Qui in bulla cœnæ excommunicantur pro libris prohibitis hæreticorum?* RESP. Ii, qui eos domi habent scienter. Ii item, qui eos scienter legunt absque facultate Apostolica. Ii, qui eos imprimunt. Ii, qui eos quouis modo defendunt, etiam laudando. Ita Eman. *in bulla §. 4. n.* 78. Et ideo non excommunicantur, qui dicta hæreticorum legunt in libris Catholicis relata: vel libros Catholicorum per hæreticos expositos: pro istis tamen est pœna posita in indice Pii II. teste Nau. *in man. cap.* [illegible] *mer.* 56. & in indice librorum prohibitorum Hispaniæ.

6 QVÆST. *Quis potest absoluere hæreticum, & fautores hæreticorum, aliosque supra dictos?* RESP. In Hispania etiam in foro conscientiæ soli Inquisitores fidei. Nullus enim alius neque virtute bullæ, neque alterius plenissimi indulgæi, nisi de hæresi fiat peculiaris mentio, iuxta breue concessum Inquisitoribus per Pium V. teste Roris. *de hæres. 1. p. asser.* 19. & *eodem lib. de priu. Inquis. num.* 416. cuius priuilegium iam concessum quadam *Extrauag.* Vrbani IV. teste Albert. in *repertorio Inquis.* verbo *nomen.*

7 QVAEST. *Quid possunt Episcopi circa hos?* RESP. Possunt per se, & non per alium vicarium suum absoluere ab hæresi occulta. Ita Conc. Trid. his verbis: *Liceat Episcopo &c.* & in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in diœcesi sua per se ipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absoluere iniposita pœnitentia salutari. Idem, & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum vicariis sit permissum.

§ QVAEST.

8 QVAEST. *Licetne inquisitoribus absoluere supra dictos haereticos, aut eorum fautores per vicarium, quamuis non liceat Episcopis?* RESP. Licet. Notat id Camillus Inquisitor generalis Mantuæ, & Ferrariæ *in suis additionibus* teste Roder. *in bull. §. 9. n. 79.*

De piratis. Sect. 2.

1 *Contra quos piratas lata est excommunicatio in bulla Cœnæ Domini.*

2 *Qui dicendi sint piratæ.*

1 QVÆSTIO. *Contra quos lata est huiusmodi excommunicatio?* RESP. Contra piratas, piratarum fautores, vt piratæ sunt, recipientes, fauentes, occultantes, &c. & raptores bonorum naufragorum.

2 QVAEST. *Qui dicendi sunt piratæ?* RESP. Qui mari vagantur latrocinia exercendo, & homicidia, vel animo latrocinandi, & occidendi. Mari, dixi, non fluuijs, aut paludibus: qui enim fluuios, paludesue latrocinijs, & homicidijs infestaret, non diceretur pirata excommunicatus in bulla cœnæ.

De dominis petentibus, seu imponentib. noua vectigalia, gabellas, & pedagia. Sect. 3.

1 *Qui domini incurrunt in talem excommunicationem.*

2 *Quando incurritur talis excommunicatio.*

3 *An incurratur circa personas exemptas.*

1 QVÆSTIO. *Qui domini intelliguntur incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ?* RESP. Ii, qui supra se habent superiorem temporalem. Ita Roder. *in bull. §. 9. n. 81.*

2 QVAEST. *Quando incurrunt huiusmodi censuram petendo, & imponendo hæc noua vectigalia?* RESP. Cum ea ponunt, & petunt absque licentia sui temporalis superioris, & per violentiam subditorum tanquam rem sibi iure debi-

debitam. Ita Roder. *proxime*. & Nau. *in man. cap. 27. num. 61.*

3 QVÆST. *Incurritne princeps secularis huiusmodi excommunicationem, cum à personis exemptis petit tributa, vt à clericis, &c.* RESP. Minime. Ita Eman. *proxime.*

De falsificantibus literas Apostolicas. Sect. 4.

1 *Qui comprehenduntur in hac excommunicatione.*

2 *Quid intelligitur sub nomine literarum Apostolicarum.*

1 QVAESTIO *Qui excommunicãtur per hanc excommunicationem* RESP. Non solum qui Apostolicas literas falsificat, sed etiam qui eas falsificare iubet. Ita Ioan. Maior, & Rosel. quos citat, & sequitur Corduba. 5. q. 26.

2 QVÆST. *Quid intelligitur per literas Apostolicas?* RESP. Intelliguntur tam bullæ à Papa expeditæ, quam supplicationes signatæ à Papa cum verbo, fiat. Ita Nau. *in man. c. 27. 61.* imo est contextus bullæ. Ideo non excommunicantur hac excommunicatione Bullæ cœnæ, qui falsificant literas episcopi, vel Nuncij, vel Protopœnitentiarij, quia non sunt literæ Papales. Item non excommunicantur hac excommunicatione, qui falsis obrentis rationibus à Papa impetrant literas (quanquam pœnis puniuntur *Ad falsariorum*) Neque qui immutant aliquid accidentarium papalium literarum, vt notat Nau. Neque qui falsis ab alio factis literis vtuntur in suum commodum, quia hi non falsificant.

De ponentibus manus violentas in prælatis. Sect. 5.

1 *Qui contrahunt hanc excommunicationem.*

2 *Quales intelliguntur Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi.*

3 *An comprehendantur iubentes, & facientes.*

1 QVÆST.

1 QVÆSTIO. *Qui contrahunt hanc excommunicationem?* RESP. Ii, qui Patriarchas, vel Archiepiscopos, vel Episcopos aut occidunt, aut mutilant, aut cædunt, aut vulnerant, aut retinent vi, aut in carcerem conijciunt.

2 QVÆST. *Quales Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi intelligendi sunt?* RESP. Soli consecrati. Ita Nau. *proxime.* & Eman *in bull. §. 9. n. 83.*

3 QVÆST. *Comprehenditne huiusmodi excommunicatio iubentes, & fauentes?* RESP. Comprehendit. Ita Gregor. XIII. declarauit teste Nauar. & Roder. *proxime.*

De vsurpantib. bona Ecclesiastica. Sect. 6.

1 *Quæ bona Ecclesiastica hic intelliguntur.*

2 *Qui incurrunt hanc excommunicationem.*

1 QVÆSTIO. *Quæ intelliguntur in hac prohibitione bona ecclesiastica?* RESP. Redditus ecclesiastici, hoc est, qui sunt personarum ecclesiasticarum.

2 QVÆST. *Qui hanc censuram incurrunt?* RESP. Qui auctoritatiue, seu vt iusti domini hos redditus absque licentia Papæ capiunt, & exigunt.

Contra iudices sæculares. Sect. 7.

1 *In quos iudices sæculares lata est censura in bullâ Cœnæ.*

1 QVÆSTIO. *In quos iudices sæculares lata est excommunicatio bullæ cœnæ?* RESP. In eos qui cum sæculares iudices sint, volunt cognoscere causas Ecclesiasticarum personarum, quouis modo id intendant facere. Quique impediunt executionem literarum Apostolicarum. Nomine vero iudicum intelliguntur quique sæculatis fori ministri & officiales. Ita Emanuel *in bullæ §. 9. n. 85.*

De iis, qui portant arma ad infideles. Sect. 8.

1 *Quos comprehendit hæc excommunicatio.*

2 *An comprehendat captiuos Christianos remigantes in triremibus Turcarum.*

1 QVÆSTIO. *Quos comprehendit hæc excommunicatio?* RESP. Qui ad Turcas, Mauros, aut quoslibet infideles arma deferunt, vel materiam armorum, vt ferrum, æs, &c. aut quoduis aliud ad bellum conducens, vt equos, &c.

2 QVÆST. *Comprehenditne captiuos Christianos, metu verberum, neciſue coacti remigant in triremibus Turcarum pugnantium contra Christianos?* RESP. Minime. Nauar. *in man. c. 27. num.* 63 Imo eos excuſant à peccato mortali. Cordub. *q.* 137. *dub.* 2. Inſtruct. *caſu* 7. *de homicid.* Nauar. *lib.* 3. *reſtit. cap.* 4. *num.* 61. *&* 62. concinit Nauar. *in ſum. cap.* 27. *num.* 63. Ratio eorum eſt, quia nauigatio ſe eſt bona, aut ſaltem indifferens. Ex malitia verò Turcarum ordinatur ad malum finem: iſti verò captiui tendunt ſolum rem bonam, aut ſaltem indifferentem. Oppoſitum tamen de peccato cenſeo verum, vt dixi *4. p. de pec. captiuor. num.* 6.

De ijs, qui offendunt pergentes Romam, aut ibi habitantes. Sect. 9.

1 *Qui ligantur hac excommunicatione.*

1 QVÆSTIO. *Supra quos offendentes cadit hæc excommunicatio?* RESP. Cadit ſupra eos, qui tales euntes Romam, vel ibi commorantes, vel inde proficiſcentes offendunt, modo quem bulla aſſignat ratione ipſius ſedis Apoſtolicæ, hoc eſt, qui Romam petunt, vel incolunt, vel ab ea decedunt cauſa ipſius Sedis Apoſtolicæ. Si enim Romam petant, vel ibi habitent, aut inde proficiſcantur negotiandi cauſa, vel aliud quid agendi à Sede Apoſtolica alienum, non muniuntur eo priuilegio.

De impedientibus, ne Romam aſportentur victui, & veſtitui neceſſaria. Sect. 10.

1 *Qui non incurrunt hanc cenſuram.*

1 QVAESTIO. *Qui non incurrunt hanc cenſuram?* RESP. Qui ſuæ Reipublicæ neceſſitati conſulen-

tes

tes, prohibent extrahi inde frumentum, ne fame postea laborent; aut prospicientes suorum populorum incolumitati interdicunt, ne Romam pestifera lue infectam eant, & redeant. Ita Rode. *in bul.* §. 9. *n.* 87.

De confessario absoluente à casibus cœnæ, cum non habeat ad id facultatem. Sect. II.

1 *Qui confessarius ligatur hac censura.*

1 QVAESTIO. *Qui confessarij incurrunt huiusmodi excommunicationem?* RESP. Soli ij, qui vel audacia, vel ignorantia crassa absoluunt. Non vero, qui inaduertenter, & ignorantia leui. Ita Nau. & Eman. *in bul.* §. 9. *numer.* 90.

De commutatione votorum. §. 17.

1 *In quod opus pium facienda est commutatio votorum per bullam cruciatam.*

2 *An possint commutari ex vi bullæ iuramenta facta Deo.*

3 *An possint commutari vota facta post bullam susceptam.*

4 *An possit commutari votum de nunquam petenda commutatione votorum.*

5 *An possit fieri talis votorum commutatio extra sacramentum pœnitentiæ.*

6 *An commutandi facultas comprehendat facultatem dispensandi.*

7 *An possint commutari omnia vota.*

8 *Quod votum castitatis nequit ex vi bullæ commutari.*

9 *An possit per bullam cruciatam commutari votum pœnale religionis.*

10 *An votum ingrediendi religionem militarem possit per bullam commutari.*

11 *Quid intelligitur per votum vltra mare.*

1 QVAESTIO. *In quod opus pium facienda est commutatio virtute bullæ cruciatæ?* RESP. In eleemosynam pecuniariam ad auxilium belli contra infideles dandaque est, siue tradēda talis eleemosyna thesaurariis siue quæstoribus ipsius bullæ. Ita Nau. *in man. c.* [illegible] Cordub. *in sum. q.* 140. Angel. *q. de voto. fol.* 121.

2 QVÆST. *Potestne confessarius cōmutare virtute bullæ cruciatæ quemadmodū vota, ita etiam iuramenta facta ea eandem materiam votorum?* RESP. Potest. Ita Sot. *lib. qu.* 11. *art.* 9. Direct. curat. *cap.* 15. D Thom. 2. 2. *qu.* [illegible] *art.* 8. Eman. *in bul.* §. 9. *nū.* 108. contra Nau. *in man. c.* [illegible] *n.* 272. Ratio est, quia iuramenta talia facta Deo sunt vota iurata.

3 QVÆST. *Potestne confessarius commutare virtute bullæ cruciatæ vota non solum facta ante, sed post bullam sumptam?* RESP Potest. Ita Cordub. *in sum. qu.* 149. Nauar. *de indulg. notab.* 37. Non sic dicendum de eo, qui potest non dispensare, vt docent Sot. 1. *iust. qu.* 4. Angel. *tit. de voto.* Cordub. *citatus.* Ratio est, quia in commutatione obligatio non tollitur, sed solummodo transfertur, in dispensatione vero omnino tollitur.

4 QVÆST. *Vouit quis se nunquam petiturum commutationem suorum votorum, potestne confessarius virtute bullæ cruciatæ hoc votum commutare?* RESP. Potest, sed in melius tunc commutanda sunt vota, de quibus vouit se non petiturum commutationem. Ita Angel. *q. de conf.* & Rod. *in bul.* §. 9. *n.* 112.

5 QVÆST. *Potestne confessor commutare vota virtute bullæ cruciatæ extra sacramentum pœnitentiæ?* RESP. Minime. Ita & man. *proxime*, & textus manifestus bullæ.

6 QVÆST. *Sub potestate commutandi vota, intelligitur potestas dispensandi in ijs?* RESP. Minime. Ita Nauar. *in man. cap.* 12. *numer.* 71. Sot. & Cordub. *de indulg. quæst.* Ratio est, quia maior potestas requiritur ad dispensandum, quam ad commutandum, commutari enim vo-

tum

tum nequit nisi in æquale, & ad hoc nulla requiritur iurisdictio: quia tamen quisque in proprijs rebus fallitur, committitur hoc iudicium confessario.

7 QVÆST. *Potestne confessarius electus per bullam cruciatam commutare omnia vota?* RESP. Minime. Excipiuntur enim sola tria. Castitatis scilicet, Religionis, & vota trãsmarina. Ideo potest commutare vota eundi Romam, aut Compostellam peregrinandi gratia, quæ solent Papæ reseruari, quia vbi textus non excipit, nec nos excipere debemus.

8 QVÆST. *Quod votum castitatis nequit confessarius virtute huius bullæ commutare?* RESP. Votum castitatis perpetuæ, & absolutæ. Nam si quis vouit castitatem ad tempus, per annum verbi gratia, vel circa vnam rem veneream, & non alia, vt circa tactus impudicos, vel circa amplexus, vel circa pollutionem, non censetur vouisse castitatem absolute, & hoc votum virtute cruciatæ commutari potest. Ita Sot. 7. *Iust. quæst.* 4. *artic.* 3. Naua. *in man. cap.* 12. *num.* 77. quoniam tale votum non est reseruatum Papæ. Tale similiter est votum non nubendi, vt ait Sot. *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 2. *artic.* 1. contra Caiet. *in quæst. de voto non nubendi*, & ideo potest commutari. Talia itidem sunt vota suscipiendi ordinem sacrum, vt docet Eman. *in bul.* §. 9. *numer.* 112. & ingrediendi Religionem, vt aduertit Palatius *in* 4. *dist.* 32. *disp.* 2. *punct.* 7. 10. Ratio est, quia tales non vouerunt aliam perfectionem, quam se ponendi in statu, in quo decens est seruare castitatem.

9 QVÆST. *Potestne confessarius virtute cruciatæ commutare votum pœnale religionis, hoc est, factum in pœnam. verbi gratia, si tale, vel tale egero, voueo me ingressurum ordinem D. Francisci?* RESP. Res est valde controuersa. Affirmat Medin. *in sum. libr.* 1. *c.* 13. §. 6. fuitque opinio Doctissimorum virorum, teste Henriquez. *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 30. *num.* 6. & ideo probabilis, tutaque in conscientia, licet Couar. *c. Quamuis pactum.* §. 2. *num.* 12. *de pactis lib.* 6. & Sot. 7. *Iust. quæst.* 1. *art.* 1. eam scrupulosam iudicent. Ratio est, quia vota pœnalia non sunt facta in fauorem, & amorem religionum, sed quodammodo in detestationem, & mœrorem, quasi rem contrariam gustui,

& voluntati: tale autem votum non sibi Papa, aiunt, reseruat, sed facta amoris, & gaudij stimulis,

10 QVAEST. *Cadítne exceptio bullæ cruciatæ etiam [illegible] votum ingrediendi religionem militarem D. Ioannis?* RESP. Cadit. Ita Roderic. *in bul.* §. 9 *num.* 123. Ratio est, quia hæc est vera religio, in qua votum castitatis solemnis ea emissum dirimit matrimonium ratum sicut in religionibus, teste Nau. *tract. de iudic. eccles.* & Cons. *sum. quæst.* 184, probatque consuetudo in Hispania, quæ quid repugnet Sot. 7. *Iust. quæst.* 5. *art.* 3. & *in* 4. d. 27. 1. *articul.* 4. Deinde, quia si quis vouit absolute ingredi religionem, satisfacit ingrediendo hanc; ergo est vera religio, teste Roder. *proxime.*

11 QVÆST. *Quid intelligitur per votũ vltra mare?* RESP. Votum eundi deuotionis causa Hierosolymam. Ita Emman. *in bul.* §. 9. *num.* 126.

De ecclesiastica sepultura concessa interdictis repente mortuis, virtute bullæ cruciatæ. §. 18.

1 *Quibus interdictis per bullam conceditur sacra sepultura.*

2 *Quo pacto intelligenda est negatio sepultura per bullam cruciatam excommunicatis repente mortuis.*

1 QVÆSTIO. *Quibus interdictis conceditur hæc sepultura?* RESP. Iis, qui in articulo mortis signa dederunt contritionis, & non erant excommunicati.

2 QVAEST. *Quomodo intelligenda est huiusmodi bullæ prohibitio circa excommunicatos mortuos repẽte, aut sine confessione propter defectum confessarij cum solis signis contritionis?* RESP. Sane merito iure dubitari potest de hac prohibitione. Quoniam secundum ius commune excommunicatus mortuus cum signo contritionis sine absolutione excommunicationis, potest ab ea post mortem absolui ab eo, qui pollet in excommunicationé iurisdictione, & ita post absolutionem donandus est ecclesiastica sepultura, & exhumandus de loco profano, [illegible]

non extrahendus à loco sacro, si ibi sepultus erat, satisq; tunc est virgis terram cædere, & non corpus, vt docent Rosel. *absolutio.* 1. §. 12. & Nau. *in man. cap. 26. num. 52.* Intelligenda igitur est bullæ prohibitio, nisi prius absoluantur ab excommunicatione.

De suspensione aliarum indulgentiarum, aliorumve priuilegiorum facta per bullam cruciatam durare illius tempore erga eos, qui illam non habent.

§. 19.

1 *Quæ indulgentiæ, & priuilegia suspenduntur per bullam cruciatam.*

2 *An suspendantur altaria priuilegiata pro animabus purgatorij.*

3 *An suspendantur per bullam priuilegia concessa à iure communi, consuetudine tolerata.*

4 *An sufficiat, vt alius meo nomine bullam suscipiat.*

5 *An suspendatur bulla cruciata per promulgationem bullæ Cœnæ Domini.*

6 *An suspendatur bulla cruciata per Iubilæum.*

1 QVÆSTIO. *Quæ indulgentiæ, quæve priuilegia suspenduntur per bullam cruciatam?* RESP. Non omnes, nec omnia, sed eæ solæ indulgentiæ, & ea sola priuilegia, quæ conceduntur per hanc bullam. v.g. similes indulgentiæ plenariæ: similia priuilegia sepeliendi ecclesiastica sepultura tẽpore interdicti, & alia huiusmodi. Ita Eman. *in bul.* § 12. notatque ex Felin. *in capit. Nonnulli. de rescript.* Nam clausulæ reuocatoriæ generales solum comprehendunt priuilegia contraria concessionis consecutioni, non vero alia, quæ impedimento non sunt tali concessioni. Et ideo siue similes indulgentiæ concedãtur personis: siue domibus sacris, similiaque priuilegia suspenduntur per hanc bullam. Præter eas, quæ superiores religionum mendicantium concedere possunt suis

religiosis tantummodo ex vi suorum priuilegiorum; nam quæ habent simul cum sæcularibus communia, id est, quibus tam ipsi, quam sæculares frui possunt, non suspendantur quo ad sæculares, non quo ad Religiosos. Ita Rod. *in bul.* §. 12.

2 QVAEST. *Est in hac Ecclesia, vel monasterio altare, quo pro missa liberatur anima à purgatorio, suspenditurne hac gratia per bullam cruciatam?* RESP. Suspenditur. Ita Eman. *loco proximo.*

3 QVÆST. *Suspenditne bulla cruciata priuilegia concessa in iure communi: & quæ consuetudine tolerata approbantur vsu?* RESP. Minime. Est enim ad suspendenda vel reuocanda ea, quæ in iure communi continentur necesse, vt de eo fiat mentio, & de consuetudinibus. Ita Barthol. *in Extrauagan. Ad rēprimendum. verb. substantibus.* & est textus *in Authent. Qua in prouinc.* & tex. *in capit. de constitut. in 6.* Vnde quia initiati ordinibus minoribus possunt tempore interdicti audire sacrum, & adesse diuinis officijs ex iure communi, possunt etiam anno bullæ cruciatæ. Item quia superiores Religionum habent ex iure communi potestatem conferendi literas fraternitatis, quibus fratres facti per eas fiunt participes pijs operibus Religiosorum, possunt eas dare tempore bullæ cruciatæ cum effectu participationis. Inlder. *in bull.* §. 12. *numer. 12. dub. 5.*

4 QVÆST. *Satisne est, vt alius nomine meo mihi indulgentiam accipiat?* RESP. Satis, imo intelligens acceptam ipse pro sua, ratum habeat factum. Ita Eman. *proxima dub. 17.*

5 QVAEST. *Durat tempus bullæ cruciatæ, in eo promulgatur bulla cœnæ, per textum bullæ cœnæ derogatur omni priuilegio: derogaturne etiam priuilegio cruciatæ ad absolvendum à casibus bullæ cœnæ?* RESP. Minime. Ita Nau. *de indulg. not 33. num. 2.* Eman. *in bull.* §. 9. *num. 69.* Henriquez *de indulg. ca 21. nu. 1.* Ratio est, quia aliter sibi esset Pontifex contrarius.

6 QVÆST. *Suspenditurne Cruciata iubilæi anni centesimi?* RESP. Minime. Responsionem probat latissimè Henriq. *loco proxime citato.*

De

De potestate Commissarij bullæ Cruciata. §. 20.

1 *In qua irregularitate potest dispensare Commissarius Bullæ cruciatæ.*
2 *Qui sunt irregulares, quia male promoti ad sacros ordines.*
3 *In quo gradu affinitatis potest Commissarius Bullæ dispensare.*
4 *An possit dispensare super quauis irregularitate ex delicto publico.*
5 *An possit dispensare super quauis irregularitate ex delicto.*

1 QVAESTIO. *In qua irregularitate potest commissarius bullæ cruciatæ dispensare?* RESP. Potest dispensare in irregularitate procedente ex delicto occulto: tum quo ad forum interius, tum quo ad forum exterius, etiam extra confessionem: confessarius vero non potest nisi in confessione, & quo ad forum tantummodo interius. Excipiuntur tamen quatuor irregularitates, in quibus Commissarius non potest dispensare. Prima orta ex homicidio voluntario, in qua solus Papa dispensat, vt notat Nauar. *in man. cap. 27. num 240.* ex Concil. Trident. *sess. 24. cap. 6.* Secunda, orta ex simonia reali, & perfecta, & ita non potest titulum beneficij simoniaci validè facere. Tertia orta ex hæresi, aut apostasia à fide, quamuis occultissima. Quæ quidem clausula posita est iuxta opinionem Claustri. *lib. 2. de potest. leg pœnit. cap. 1.* & *cap. 20.* & aliorum affirmantium per hæresim occultam, atque etiam mentalem amitti ipso iure titulum beneficij, & dominium bonorum. Quamuis oppositum sentiant Sot. 1. *Iust. qu. 6.* Medin. *in 12. qu. 106. ar 4.* Cordub. *lib. 6 qu 36.* asserentes non amitti nisi per sententiam iudicis declaratoriam criminis. Quarta est, quam incurrunt male promoti ad sacros ordines, si celebrent, quia à die susceptι ordinis suspensi sunt.

2 QVAEST. *Quis ad hunc effectum censetur male promotus?* RESP. Qui ordinem superiorē susceptο infesti-

inferiore. Qui excommunicatus, aut suspensus suscipit ordinem sacrum. Qui sine literis commendatitijs suj ordinarij (Nostrates vocant reuerendas) ordinibus initiatur. Qui absque debita facultate extra tempora ordinis suscipit. Qui ante legitimam ætatem ordinatur, aut illegitimus, aut irregularis. Ita Eman. *in bulla.* §. 13. *nu.* 5. Nau. *in man. ca.* 21. *nu.* 69. *& ca.* 27. *nu.* 241.

3 Qvæst. *In quo gradu affinitatis potest Commissarius bullæ cruciatæ dispensare?* Resp. Potest dispensare in primo & secundo gradu affinitatis ortæ ex fornicatione in foro tantum interno conscientiæ, non quidem vt publicè fiat cum ritu nuptiali iuxta ordinem præscriptum a Concil. Trident. sed vt factum cum tali impedimento, & ideo nullum, ratum sit, vt maneat verum. Tunc vero non necesse est adesse testes, & parochum, sed satis censetur vtriusque coniugis consensus occultè inter se declaratus. Ita declarauit Pius V. motu proprio, quem refert Nau. *in summ. cap.* 22. *num.* 70. Adeo autem potest Commissarius dispensare quo adhoc impedimentum in foro tantum interiori circa matrimonium iam contractum inualide, vt si post dispensationem detegatur impedimentum, recurrendum sit ad Papam pro foro externo. Ita Nauar *tom.* 2. *Consil. tit. de iudic. consil.* 4. Non quidem quod matrimonium nullum sit coram Deo, sed quoad foro externo iudicandum sit nullum. Tres tamen ad hanc dispensationem requirit bullæ textus conditiones. Prima, vt ambo contrahentes, aut saltem vnus contraxerint bona fide nullum arbitrantes interesse impedimentum. Deinde, vt ignorans antea, certus modo sit talis impedimenti. Tertio, vt ex dissolutione matrimonij sequatur scandalum. Potest deinde dispensare in affinitate orta ex copula fornicaria cum consanguinea suæ vxoris, vel è contra cum consanguineo sui mariti ad petendum debitum, quod petere non poterat. Potest præterea cum paucis, & debitis personis dispensare, ad sacrum faciendum hora vna ante auroram, & post medium diem.

4 Qvæst. *Potestne Commissarius dispensare in irregularitate aliqua procedente ex delicto publico?* Resp. Potest, in ea, quam contrahit excommunicatus, suspensus, aut interdictus

dictus celebrando publice, aut interdictum violando. Ita bulla plumbea his verbis. *Similiter conceditur facultas dicto Commissario dispensandi, & componendi super irregularitate cum his, qui quibusuis Ecclesiasticis censuris missas, & alia diuina officia, non tamen in contemptum clauium celebrauerunt, aut alias illis se immiscuerunt.* Ita Plumbea.

5 QVAEST. *Quaro vlterius, vtrum dispensare possit super quauis irregularitate ex delicto?* RESP. Potest, textus expressus bullæ plumbeæ. Et super qualibet irregularitate. Ita illam intelligit Henriquez. *libr. 2. de indulgent. cap. 14. numer. 4.* Viuald. quem citat Roderic. *in add. bull. ad §. 13. num. 2.*

DE SACRAMENTO EXtremæ Vnctionis. §. I.

CAPVT X.

1 *Quo pacto definitur.*
2 *Quæ est eius materia.*
3 *Quæ est eius forma.*
4 *Quæ est proferenda forma huius sacramenti.*
5 *An sit de essentia formæ sacramenti vnctionis, vt feratur per modum deprecatiuum.*
6 *Quæ mutatio verborum mutet hanc formam.*
7 *Quæ partes infirmi sunt vngendæ.*
8 *De ministro huius sacramenti.*
9 *De subiecto capace huius sacramenti.*
10 *Qui sunt effectus huius sacramenti.*
11 *De dispositione necessaria ad hoc sacramentum.*
12 *De necessitate huius sacramenti.*
13 *De ijs, quæ decreuit Conc. Tridentinum circa hoc sacramentum.*

1 QVÆST.

1 QVÆSTIO. *Quo pacto definitur sacramentum Vnctionis?* RESP: Est sacramentum in quo presbyter vngens oleo consecrato certas partes corporis infirmi probabiliter periclitantis oleo consecrato, certa verba cum debita intentione proferendo. Ita colligitur ex *capi. 1. de Sacrament. vnct.* adiunctis *ibi* adnotatis. Tradunt Doctores *in 4. sent. d. 23.* Nau. *cap. 12. num. 12.* Viual. *de Vnct. tit. 14.*

2 QVÆST. *Quæ est materia huius sacramenti Vnctionis?* RESP. Est oleum oliuarum per Episcopum consecratum. Ita communiter Doctores *in 4. d. 23.* Nau. *cap. 21. num. 11.* Vict. *in sum. num. 216.* Quod debeat esse oleum oliuarum traditur *ca. vnico de sacr. vnct.* Docet Conc. Romanum *pag. 343.* Definitur in Conc. Flore. & Trid. *sess. 14. can. 1.* Constat ex D. Iacobo *ca. 5. Vngentes eum oleo.* Oleum enim absolute prolatũ, supponit pro oleo oliuarum. Quòd debeat esse ab Episcopo consecratum tale oleum docuit Tho. *3. p. qu. 72. art. 3.* cum communi. Habetur *ca. vnico de sacr. vnct.* & in Tri. *sess. 14. ca. 1.* Hæc aũt consecratio est de necessitate sacramenti. Tenet D. Tho. *proxime.* Sotum Durand. & Palud. *in 4. d. 23. qu. 1. art. 4. concl. 1.* Syl. *verb. vnct.* Gloss. *in ca. illud. 95. dist. ver. Sanctificatio.* Quod quidem immerito negauit Vict. *in summ. num. 217.* & docuit Caiet. & post eos Viuald. *in suo Candel. tract. de sacr. vnct. tit. de materia num. 4.* Quod vero esse debeat consecratum ab Episcopo docent Summistæ. *verb. vnct.* Doctores scholastici *in 4. d. 23.* D. Tho. *in add. qu. 21.* Nau. *cap. 22. nu. 12.* Vict. *in sum. num. 216.* habetur in Conc. Flor. & Trident. *sess. 14. ca. 2.* Catech. Rom. *fol 33.* An vero ex commissione Papæ possit simplex sacerdos oleum consecrare, dubitat Sot. *in 4. d. 23. quæst 1.* Affirmat tamen Vict. cum Palud. & Scoto. *in 4. d. 23.* Caiet. *3 p quæst 72. art.* quos refert *in sum. num. 216.* tenet etiam Viuald. *loco proximo.*

3 QVÆST. *Quæ est forma sacramenti Vnctionis?* RESP. Est hæc. Per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam parcat (vel indulgeat) tibi Deus quidquid oculorum vitio (vel per visum) delinquisti.

4 QVÆST. *Quando sunt hæc verba proferenda?* RESP. Non ante

ante, nec post vnctionem, sed dum eadem vnctio fit. Notat Nau. *ca.* 22. *in fum.*

5 QVÆST. *Estne de necessitate huius formæ, vt proferatur per modum deprecatiuum?* RESP. Est quidem. Ratio est, quia ista forma eruitur ex loco D. Iacobi allegato, traditur ab Ecclesia. Nam forma per modum indicatiuū prolata est incertissima. Ideo non est audiendus Victor. *in sum. de vnct. num.* 218. adducens pro se Rich. & Durand. & quanquam Nau. *ca.* 22. *num.* 3. Angl. *de extr. vnct.* Vual. *in cand. tract. de extrem. vnct. tit. de forma. num.* 5. ex Sylu. & D. Thom. affirment D. Ambros. vsum fuisse forma per modum indicatiuum, non ideo aliter, quam per modum deprecatiuum est hæc forma proferenda, vti docent D. Thom. Angel. Sylu. Armil. quos refert, & sequitur Viuald. *loco citat.* cum Sot.

6 QVÆST. *Suntne verba assignata formæ huius sacramenti, ita certa, vt omnino eadem requirantur?* RESP. Quæstio est communis, cum reliquis sacramentis, de quibus cum me rogasti in genere, respondi verba formæ in omni sacramento non requiri quo ad sonum, & terminationem verborum, sed quo ad sensum. Itaque illa sola mutatio soni, & terminationis, quæ sensum mutat, mutat essentiam formæ. Gratissima mihi tamen fuit de hac re tunc tua interrogatio, propter euentum, qui mihi in transmontana contigit regione, dum parochialis Ecclesiæ Diu. Petri in oppido Torti Fluuij curam agerem, antequam beneficium illud per resignationem dimitterem. Solebam perpetuo comitari Coadiutorem quendam, cum ad infirmos hoc sacramentum deferebat, bis, & ter aduerti illum in proferenda forma propter similitudinem soni, & inscitiam latinitatis pro verbo, Deliquisti, dicere Dereliquisti, cœpi mecum impensius cogitare, an ita proferret, attentius aduerti aures, ita proferre illum solitum comprehēdi: rogaui hominem, an ita se res haberet, affirmauit, fateor, dolui vehementer, quoniā incidi in scrupulum non contemnendum, an omnia ante acta sacramenta extremæ huius vnctionis, & sæpe sæpius necessitatis ad comparandam gratiam, & salutem, recte fierent: illa.n. mutatio ita est in sono, vt arbitrer esse etiam in sensu, sunt.n. distinctissima verba, & ideo si quis dicat,

dicat: Per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam parcat tibi Deus; quidquid oculorum vitio dereliquisti: non faciet sacramentum. Ratio est quia bona intentio sola ministri non facit sacramentum absque vera materia, & forma, vt manifestissimum est.

7 QVAEST. *Quæ partes infirmi corporis sunt vngendæ.* RESP. Oculi, aures, nares, os, manus, pedes, renes (lumbos) pectus autem (si sit fœmina propter honestatem). Ideo in proferenda forma notandum est verbum, partis atque loco, oculorum, apponendum est, aurium, narium, oris, manuum, pedum, renum, vel pectoris.

8 QVÆST. *Quis est minister huius sacramenti vnctionis?* RESP. Solus sacerdos. Ita definit Concil. Tridentinum *sess.* 14. *capit.* 1. *can.* 4. Erat iam definitum *capit.* 1. *de sacra vnct. capit. presbyt. dist.* 95. Concil. Cabilonensi *capit.* 49. Tradunt Moderni Nauar. *in man. capit.* 22. *numer.* 12. Vbi in *sum. numer.* 220 Sot. *in* 4. *d.* 23. *quæst.* 2. *art.* 1. Hic autem sacerdos non quiuis esse debet, sed parochus proprius. Ita D. Thom. *in* 4. *d.* 23. *quæst.* 2. *art.* 1. Bonau. *quæst.* 2. *art.* 2. Richar. & Scot. *ibid.* Sot. *proxime citatus*, Sylu. Armil. *dag.* & reliqui Summistæ *verb. vnctio.* Si vero alius sacerdos vngeret, teneret sacramentum, Veruntamen talis sacerdos manet excommunicatus *Clem.* 1. *de priuileg.* cum absque Episcopi, vel parochi proprij licentia istud sacramentum ministrat contumaciter ijs repugnantibus. Controuertunt Doctores, an huiusmodi pœnas incurrat etiam in necessitate extrema infirmi, absente parocho, & alio sacerdote de licentia parochi apto ad illud ministrandum; cum scit parochum ægre intrusionem, vt ita loquar, etiam in hac extrema necessitate laturum. Affirmat Sylu. *vnct. quæst.* 4. cum D. Anton. quem refert Armil. *num.* 5. *& verb. excomm. num.* 49. Nau. *cap.* 22 *numer.* 10. Vict. *num.* 220. quos sequitur Viuald. *tract. de vnct. sit. & minist.* Negant tamen Archid. & Ioan. And. *cap. Si presbyter.* 26. *quæst.* 6. Innoc. & Hostiens. *cap. omnis. de pœnitent. & remis.* Ang. *verb. vnct. casu.* 12. *num.* 3. Caiet. *cap.* 62. Armil. *num.* 49. Sot. *d.* 3. *quæst.* 2. *art.* 1. Et sane crediderim Sanctam matrem Ecclesiam pro sua pietate noluisse hanc sacerdotis contumaciam, demus sceleratam, damnare

pœnis

pœnis, ne deterreatur à sacramento ministrando peroportuno, & sæpe necessario infirmo extreme indigenti. Quod si parochus hoc ministerium ægrè ferat, indignè ferret, & irrationabiliter. Quis enim pastor erit, qui ægrè ferat ab inimico suo auxilium præstari suæ oui extreme indigenti, & periclitanti? Ita mihi suadeo, alij aliud iudicent, facile doctiorum iudicio adhæreo, & subsum.

9 QVÆST. *Quis est capax huius sacramenti?* RESP. Homo infirmus, qui propter infirmitatem est in probabili mortis periculo. Hanc ob rem non datur damnatis ad mortem. Dandum tamen est senibus, qui absque infirmitate alia senio conficiuntur. Ita Viuald. cum Nauarr. Dudum vulneratis, qui ob vulnera moriuntur. Ita Sot. *in 4. d. 24. quæst 2. art. 2.* Sylu. *verb. vnct. quæst. 5.* D. Thom. & Palud. *in 4. dist. 25.* Flores Theolog. *quæst. de vnct. quæst. 4. conclus. 1.* Dandum infirmis, freneticis à quibus non timetur irreuerentia erga sacramentum, si antequam in frenesim ceciderint, illud petierunt expresse vel tacite, aut si talis est freneticus, vt moraliter credatur, quod si meminisset, illud petijsset. Oportet autem, vt non inciderit in amentiam dum esset in peccato mortali notorio, tunc enim incapax est alicuius sacramenti. Ita D. Thom. Sylu. Nau. quos refert, & sequitur Viuald. *de vnct.* Viguer. *in instituta, ca. 16. §. 5.* Dandum est infirmo, de cuius vita adhuc dubitatur, an viuus adhuc sit. Ita Nauar. *in sum. ca. 22.*

10 QVÆST. *Qui sunt effectus huius sacramenti?* RESP. Duplex. Primus est gratia animam sanctificans, certa, & æqualis omnibus ex opere operato. Ideo grauiter peccat, qui hoc sacramentum accipit in peccato mortali. Quia ponere obicem gratiæ est mortale. Datur autem in hoc sacramento gratia ad corroborandas potentias animæ, amouendamque imbecillitatem ex infirmitate ortam erga dæmonis præstigias, & spectra in illa vltima vitæ periodo grauiter insultantia. Ita Nauar. *capit.* 22. Secundus effectus est salus corporis. Ita communiter Doctores. Colliguntur hi effectus ex verbis Diu. Iacobi *capit. 5.* ita asserentis, & præcipientis. *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum:*

mum: & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.

11 QVAEST. *Qua dispositione accedere debet quis ad sacramentum?* RESP. Cum attritione vera, putata contritione. Ratio est, quia hoc sacramentum est viuorum, ideo tenetur quis accedere in vita spirituali, saltem putata, alioqui grauiter peccabit contra dignam dispositionem. Nam licet probabilissimum sit quoduis sacramentum conferre gratiam attrito vere, debet tamen accedens putare se esse contritum, præter quam accedendo ad sacramentum pœnitentiæ, ad quod, vt iam dixi, sufficit attritio, putata contritio. Ita Sot. *in 4. dist. 17. quæst.* 2. Caiet. *verb. contritio.* Henriquez *de sacramentis in genere capit.* 22. Suar. *tom.* 1. 3. *p. disput.* 17. *sect.* 2. §. *Sed obseruanda sunt.*

12 QVÆST. *Estne hoc sacramenum necessario suscipiendum?* RESP. Peccat grauiter, qui hoc sacramentum extremæ vnctionis omittit ex contemptu: vel ex iniuria salutis æternæ suæ, vel aliorum suæ domus, familiæ, vel curæ commissorum.

13 QVÆST. *Quæ decreuit Concil. Trident. de hoc sacramento session.* 14.? RESP. Plura. Nimirum esse verum sacramentum à Christo Domino institutum. Ita ergo reprobata sententia Magist. *in 4. dist.* 23. qui cum Hugone, & alijs asseruit fuisse institutum à Beato Iacobo, vt notat Sot. *in 4. dist.* 23 *quæst.* 1. *artic.* 1. Esse sacramentum promulgatum à D. Iacobo. Conferre gratiam ex opere operato. Remittere peccaaa. Alleuiare infirmum. Ideo Sot. *in 4. d.* 23 *qu.* 1. *art.* 1. definit hoc sacramentum. Est sacramentum infirmorum ad salutem animæ, & corporis. Item definit ritum, quem circa illud obseruat Ecclesia quadrare sententię D. Iacobi. Non posse talem ritum, aut mutari, aut contemni. D. Iacobum per presbyteros intellexisse solos sacerdotes Ecclesiæ, non vero seniores populi, & ideo per solos Episcopos, & sacerdotes posse conferri. Damnat denique anathematis, qui oppositum hisce dictis asseruerit.

(.·.)

DE SACRAMENTO Ordinis.

CAPVT XI.

De Institutione, Definitione, & gradibus, quibus constat sacramentum Ordinis. §. 1.

1 *An Ordo sit Ecclesiæ Sacramentum.*
2 *Quo pacto definitur.*
3 *Quibus gradibus constat.*
4 *An prima tonsura sit gradus huius sacramenti.*
5 *An prima tonsura sit antiqua in Ecclesia.*

1 QVÆSTIO. *Estne Ordo Ecclesiæ Sacramentum à Christo Domino institutum?* RESP. Esse sacramentum Nouæ legis à Christo Domino institutum, est de fide certum ex Conc. Flor. & Trid. *sessi. 7. can. 1. & sessi. 23. & ca. 3.*

2 QVÆST. *Quo pacto definitur?* RESP. Est signaculum, per quod spiritualis potestas circa Eucharistiæ in Missæ sacrificio tractationem Ordinato confertur. Ita Doctores communiter cum magistro *in 4. d. 24.* Signaculum idem est, atque signum sensibile.

3 QVÆST. *Quibus gradibus constat Ordinis sacramentum?* RESP. Septem: Ostiarij, Lectoris, Exorcistæ, Acoliti, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri. Sic enim appellantur his gradibus insigniti. Appellantur vero gradus per similitudinem, quia per eos, quasi per gradus ascenditur ad presbyteratus dignitatem. Primi quatuor horum graduum appellantur minores: reliqui appellantur maiores. *capit. De eo de tempor. ordin. capit. A multis. de ætat. & qualitat. ord. præficiend.* Appellantur etiam Concil. Trid. *sess. 23. ca. 11. can. 7.* Ratio est, quia primi quatuor remotius

ab Eucharistia distant; reliqui proprius ad eam conficiendam accedunt. Tres item vltimi appellantur sacri, qui habent continentiæ votum annexum: quamuis aliquando Subdiaconatus gradus illo caruit, vt constat ex cap. *A multis de ætat. & qualit. ord. præfic.* & ex cā. *Nullus Apostol. 21. dib.*

4 QVÆST. *Nonne prima tonsura est gradus sacramenti Ordinis?* RESP. Non quidem, sed præuia quædam ad gradus dispositio requisita in ordinando, quæ à Doctoribus iure merito appellatur quædam ad Ordines introductio. Per eam tamen quisque ex laico fit clericus, vt decernit Innocent. III. & habetur *in capit. Cum contingat de ætat. & qualit. ord. præfic.*

5 QVÆST. *Estne antiquum in Ecclesia prius tonsurā insignire Ordinandos?* RESP. Antiqua quidem: illius meminit D. Dionys. *ca. 6. de Eccles. Hierarch.* affirmatque fieri solitam in crucis formam: fieri vero in coronæ figuram iam ab Apostolorum temporibus, præcipuè à D. Petro ostendit Rabanus *li. 2. de instit. cleric. ca. 3.* & Beda *lib. 5. de gestis Anglorum*. Dicitur vero tonsura, quia in ea cerimonia crines ordinando tondentur.

De officiis cuiuscunque gradus Ordinum. §. 2.

1 *Quod sit officium cuiusque gradus.*

1 QVÆSTIO. *Dic quod est officium cuiusque gradus Ordinum?* RESP. Ostiarij officium est Ecclesiæ ostia aperire, & claudere, ibique præesse. Infideles, hæreticos, excommunicatos, quibus interesse sacris non licet è limine arcere. Quæ intra Ecclesiam sunt diligenter custodire, ne surripiantur. Cimbala ad vocandum populum pulsare. Ita Doctores cum Magist. *in 4. distin. 24.* Raban *libr. 1. de institut. cleric. capi. 12.* Lectoris officium est Veteris Testamenti Lectiones clarè, & distinctè in Ecclesia coram populo legere. Rudimenta fidei Catechumenos docere. Exorcistæ officium est manus super energumenos, & Catechumenos exorcizando imponere. Ita habetur *cā. Prælectis. 25. distin.* ex D. Isidoro. Prætereà admonere populum, vt recedant, & dent locum communicantibus. Aquam deinde fundere ad potandos communicato-

municatos post Eucharistiæ sumptionem, pro abluendo ore, & reliquijs sacris deglutiendis: est autem adeo proprium exorcistæ exorcizare, vt nullus, qui hoc gradu careat, possit exorcizare. Ita cautum est in Concil. Laodicensi *capit.* 26. & refertur *capit. Non oportet.* 69. *distinct.* Acoliti officium est lumen deferre cum Euangelium legitur. Ampullas cum aqua, & vino Subdiacono offerre Sacrificio Missæ ministrare. Ita habet Romanum Pontificale. Subdiaconi officium est calicem, & patenam ad altare Christi deferre, & Diaconis tradere, eisque ministrare vrceolum cum aqua. Aquam manibus præbere Episcopis, presbyteris, & Diaconis offerre linteum ad abstergendas manus. Ita D. Isidorus citatus, *cap. Prælectis 25. distinct.* Tradit Magist. sente. *in 4. distinct 24.* Addit etiam Pontificale Romanum illius officium esse pallas altaris, & corporalis abluere. Diaconi officium est, sacerdotibus assistere, & ministrare in omnibus, quæ aguntur in sacramentis. Componere mensam Domini, atq; vestire altare. Crucem ferre. Prædicare Euangelium populo. Ita Isidorus relatus *cap. Prælectis 25. dist.* Sed de his latius Gratian. *ca. Diaconi Ecclesiæ. d. 39.* Presbyteri officium docet Isidor. *loco citato* his verbis. *Ad presbyterum pertinet sacrificium corporis, & sanguinis Domini in altari Dei conficere. Orationes dicere, & benedicere dona Dei. Pertinet etiam ad presbyterum ministrare quatuor sacramenta, Baptismum, scilicet, Pœnitentiam, Eucharistiam, & Extremam vnctionẽ. Tonsuratus non habet in Ecclesia proprium officium, sed tantum reputatur aptus ad suscipiendos ordines.* Ita D. Thom. *in Addit. qu. 40. ar. 2.* ex D. Dionys. *ca. 6. de eccles. Hierarch.*

An omnes hi septem gradus, seu septem Ordines, sint sacramentum Ordinis. §. 3.

1 *An omnes gradus sint partes sacramenti Ordinis.*

1 QVÆSTIO. *Habentne omnes hi Ordines tam minores, quam maiores rationem sacramenti? suntne vnum sacramentum Ordinis?* RESP. Discrepans est admodum hac in re doctorum sententia. Durand. *in 4. d. 24. quæst. 2.* solum sacerdotium dicit esse sacramentum,

reliquos vero Ordines appellat sacramentalia, hos ritus, & ceremonias ad digne accedendum illuc. secutus est Caiet. *tom. 1. Opusc.* cum ait Diaconatus dum esse institutum humanum. Secutus est etiam Vi quo ad Ordines minores *in summ. numer. 209.* & de testate *eccles. tast. quæstion. 3. prop. 4.* Caietan. *capit.* Decr. *21. distinct.* Magister *in 4. dist. 24.* dum asserunt minor ordines non fuisse in vsu apud primitiuam Ecclesiam xta Vrbanum Papam, quem citat Gratian. *capit.* Nullus *Episc. 60. dist.* tenet Castro *de iust. hær. pun. ca. 22.* Sot. in *d. 24. qu. 1. art. 4.* Nau. *in sum. ca. 2. nu. 18.* Mich. Medin. *continentia sacerd. lib. 1. cap. 17. & 45.* Dico tamen *primum.* De fide est, Ordinem sacerdotij esse sacramentum Nouæ Legis. Ita omnium Catholicorum sensus. Dico *secundum.* Opinio Durand. adhuc non est ab Ecclesia damnata. Ratio est, quia non extat talis damnatio. Dico *tertium.* Vsus horum septem graduum non est nouus, sed iam habebatur in tempore Apostolorum: Ita Clem. Papa in *constit.* D. Ignatius *epist. ad Antiochen.* D. Cyprian. *lib. 1. epist. 5.* & *lib. 4. epist. 5.* & *lib. 5. epist. 14.* Cornel. Pap. *epist. ad* vt refert Euseb. *libr. 6. histor. Eccles. ca. 33.* Fabian. Papa refert idem Euseb. *lib. 3. hist. ca. 23.* Conc. Laodicenum. *Carthag. 4. can. 2.* Dico *quartum.* Securius est in fide & omnino probabilibus asserere non solum sacerdotium, sed reliquos sex Ordines est sacramentum Nouæ Legis à Christo Domino institutum. Ita Diu. Thomas. Dico *quintum* Ex his ordinibus septem, & gradibus conficitur vnum, idemq; Ordinis sacramentum: quemadmodum ex duabus consecrationibus panis, ac vini conficitur vnum, idemque sacramentum Eucharistiæ. Ita omnes *proxime* citati Auctores.

De reliquis Ecclesiæ statibus, hoc est Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, Patriarchis, Cardinalibus, Papa. §. 4.

An Prælatiæ Ecclesiasticæ sint partes sacramentalis ordinis.

2 *Quo modo differant inter se.*
3 *Quantum extenditur cuiusque potestas Ordinis.*
4 *Quantum extenditur cuiusque potestas iurisdictionis.*
5 *Vnde Prælati Ecclesiastici acceperint distincta nomina.*
6 *De Cardinalibus.*
7 *Quod est Cardinalium munus in Ecclesia.*
8 *Cur Cardinales induantur purpura.*

1 QVAESTIO. *Suntne hi gradus, seu status Ecclesiæ distincti Ordines ab Ordine Sacerdotij, ac proinde distincta Sacramenta Ordinis?* RESP. Minime: sed est vnum, idemque sacramentum (excipe Cardinalatum, vt ita dicam) perfectius in Papa, ac reliquis nominatis, imperfectius in simplici quouis sacerdote. Character enim, qui in sacerdotio semel imprimitur, extenditur in reliquis, tum quo ad potestatem Ordinis, tum quo ad potestatem iurisdictionis. Ita Doctores communiter, & Diu. Thom. *in Addit. quæstion.* 40. *artic.* 5. & Anacletus Papa *epist.* 1. & D. Gregor. vt habetur *capit. Decretus.* 21. *dist.* Vtrum vero Episcopalis consecratio appellanda sit sacramentum, est quæstio de nomine, cum constet, quid dicendum sit de re. Negat quidem D. Thom. *in Addit. quæ.* 40. *artic.* 5. Affirmant tamen Durand. *in* 4. *dist.* 24. *quæst.* 6. Gab. *quæ.* 1. *art.* 3. *prop.* 3. Scot. *quæ. vnica. art.* 2. Pal. *quæst.* 7. *num.* 16. Maior. *qu.* 1. Palat. *disp.* 2. Caiet. *tom.* 1. *opus. tract.* 12. Pet. Sot. *lect.* 4. *de sacr. Ord.* constat ex D. Paul. 1. *Tim.* 4. & 2. *Tim* 1.

2 QVAEST. *In quo differunt Papa, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi?* RESP. Dico primum. In ordinis potestate omnes sunt æquales. Ideo nullum omnino actum Ordinis exercere valet Papa, quem quiuis Episcopus valide exercere non possit. Ita cum communi Sot. *in* 4. *d.* 24. *qu.* 2. *art.* 4. Couar. *lib.* 1. *Resol. capit.* 10. *nu.* 8. Hanc ob rem quamuis aliæ sint atque aliæ externæ ceremoniæ iuxta maiorem, minoremve dignitatem, tamen essentialis

consecratio est eadem, vt videre est in Rituali Pontificio. Dico secundum. In potestate iurisdictionis valde, & multum differunt inter se.

3 QVÆST. *Ad quos actus extenditur potestas Ordinis in Papa, & Episcopis supra simplices sacerdotes?* RESP. Extenditur ad conferenda sacramenta Ordinis, & confirmationis. Ita Concil. Trid. *sess. 25. ca. 4. can. 6. & 7.* Hanc autem extensionem characteris excipiunt in ipsa essentiali consecratione iure diuino à Christo Domino instituto. Id constat ex locis Conc. allatis, & ex Epiphan. *lib. 3. haer. 75.* D. Damasc. *epist. 4.* Concil. Antiochen. *can. 10.* Leon. Papa *epist. 88.*

4 QVÆST. *Ad quos actus extenditur potestas iurisdictionis in Papa supra reliquos Episcopos, & in Episcopis supra sacerdotes tantum?* RESP. Ad ferendas censuras, ad distinguendos terminos Episcopatuum, & parochiarum, ad delegandam potestatem Ordinis ad creandos Ecclesiasticos magistratus, & dignitates, & similia, quæ longum esset, & exosum hic recensere. Papæ quidem potestas super vniuersum orbem, Reliquorum vero supra singulorum subditos tantum, vt iure optimo dicere possimus, quod alius cecinit. *Regum potestas in proprios greges, Reges in ipsos imperium est Iouis.* Hæc tamen omnia sunt intelligenda iuxta consuetudinem ab Ecclesia receptam, arctius, vel latius hanc iurisdictionis potestatem, artius, vel latius hanc iurisdictionis potestatem contrahentis, vel demittentis, quæ quidem consuetudo, cum loco, ac tempore sæpe mutetur, hic certo afferri nequit, sed oportet loco, ac tempori inseruire, ac parere.

5 QVÆST. *In quo differunt hæ dignitates?* RESP. penes nomen solum, & hanc intensionem iurisdictionum, quæ quidem significatur ornamentorum numero, quibus in consecratione huiusmodi prælati insigniuntur. Apposita vero fuerunt hæc nomina ab ipso D. Petro, & reliquis Apostolis, cum similes prælatos in hac, vel illa ciuitate creabant, ad similitudinē gentilium. Nam cum gentiles suos sacrificos appellarent, flamines, & archiflamines pro maiori, minorive potestate cōcessa: Ita D. Petrus, & reliqui Apostoli in creandis sacerdotibus similia imponebāt nomina. Ita tradit D. Clem. *epist. 1.* ad Iacobū referur c. In *illis 80. dist.*

6 QVÆST.

6 QVAEST. *Quid censes de Cardinalium dignitate?* RESP. Dico primum. Cardinalium dignitas non est Ecclesiæ ordo, à Christo Domino institutus. Sed est dignitas ex humano instituto creata. Hæc conclusio est contra Anchar. *lib. de potest. Eccles.* Turrec. *libr.* 1. *de sum. Eccles. c.* 80. D. Ant. 3. *p. tit.* 21. *c.* 1. §. 2. Sylu. *verb. Card.* Eam tamen probat Sot. *in* 4. *d.* 24. *q.* 2. *art.* 4. Ledesm. 2. 4. *q.* 41. *a.* 6. Dico secundum. Vocabulum, Cardinales, antiquum est. Ita locutus est Sylu. Papa anno Domini 345. vt constat ex *cap. Præsul.* 2. *qu.* 5. vbi Sum. Pontifex statuit, vt presbyter Cardinalis non deponatur, nisi conuictus à sexaginta quatuor testibus. Diaconus autem Cardinalis non nisi conuictus à viginti septẽ. Meminit huius nominis Põtius Papa XII. post D. Petrum, vt patet ex eius vita anno Domini 231. Meminit Nicolaus XI. *cap. In nomine Domini* 28. *distin.* Dico tertium. Cardinalium dignitas olim multo minoris fuit æstimationis apud homines episcopali dignitate. Constat ex *cap. Præsul.* 2. *qu.* 2. nunc vero infra Summum Pontificem maior apud homines æstimatur. Ratio huius æstimationis est, quia ex ijs solis eligitur Papa. Et ij tantummodo in Papæ electione suffragantur. Ita statutum est *cap. Licet c ap. Vbi periculum de elect.* qua de re Sylu. *verb. electio.*

7 QVÆST. *Quod est Cardinalium munus in Ecclesia?* RESP. Assistere Romano Pontifici, & Ecclesiæ negotijs. Ita decreuit Conc. Lateranense sub Leone X. Adeo vt in gubernanda Ecclesia agnoscant multi Auctores vnionem identitatis. Ita agnouit Ioan. Andr. *cap. Requisisti.* Franc. *ca.* 1. *de offic. delegati.*

8 QVAEST. *Quid sibi vult eorum indumentum rubrum?* RESP. Significat defensionem fidei, quam iurant in sua creatione se fortiter defensuros, etiam cum sanguinis, ac vitæ profusione. Quam ceremoniam decreuit Innoc. IV. in Conc. Lugdunens. anno Domini. 1243. Qua de re D. Anton. 3. *p. tit.* 21. *cap.* 1. 2. 3. Platina, *in vita eiusdem Pontificis* Gabr. *lib.* 4. *chronograph. pag.* 385.

De materia, & forma Sacramenti Ordinis. §. 5.

1 *Quæ est materia sacramenti Ordinis.*
2 *Quæ est illius forma.*

1 QVAESTIO. *Quæ est materia sacramenti Ordinis?* RESP. Immerito dubitauit Victor. *in sum. tract. Ord sacr. num.* 210. & Ledesm. 2. 4. *q.* 36. *art.* 5. an in hoc sacramento sit vera materia, & vera forma. Affirmandum tamen indubitanter est dari in hoc sacramento veram materiam, & formam. Ita Conc. Trid. *sess.* 14. & Conc. Floren. Dico igitur primum. Materia in sacerdotio est porrectio calicis cum vino, & porrectio patenæ cum pane. Ita Conc. Trid & Flor. Hæc propositio ita certa est ex Conc. vt erroneum sit, & pene hæreticum eam negare. Est præterea materia partialis sacerdotii impositio manuum Episcopi super ordinatum: & ideo materia totalis huius Ordinis ex duabus partialiter constat. Nota, & affirmat Scot. *in* 4. *d.* 24. *q. vnica.* Gab. *q.* 1. *ar.* 1. Mirr. *q.* 1. Arm *ver. ordo n.* 3. Panor. *cap. finali. de sacr. non iterand.* contra Syl. *ordo* 2. *n.* 4. Angel *n.* 7. Sot. *in* 4. *d.* 24. *q.* 1. *ar.* 4. Probatur tamen conclusio ratione: Nam per impositionem manuum Episcopi confertur sacerdoti gratia, vt affirmat D. Thom. *in Add. q.* 37. *ar.* 4. exponens illa verba *Noli negligere gratiam.* Quod aperte indicat D. Paulus ibid. & 2. *Tim.* 1. indicatque Concil. Trid. *loco citato.* Cum ergo non conferatur gratia sanctificans ex vi sacramenti, nisi per id, quod vel materiæ, vel formæ rationem habet, manifeste colligitur hanc manuum impositionem esse partialem materiam huius sacramenti Ordinis. Materia Diaconatus est porrectio libri Euangeliorum. Non pertinet vero ad hanc materiam impositio dexteræ super Diaconi caput. Materia subdiaconatus est calicis vacui cum patena vacua traditio. Non pertinet vero ad hanc materiam traditio libri Epistolarum. Materia gradus Acolitorum est traditio candelabri cum cereo extincto, & traditio vrceoli vacui. Dubitant Auctores, quæ harum duarum traditionum sit propria materia huius gradus. Richar. *in* 4. *dist.* 24. *quæst* 3. *artic.* 5. ait esse solam porrectionem candelabri. D. Thom. *in Add. quæst.* 37 *art.* 1. ad 2. & Palud. *in* 4. *d.* 24. *q.* 3. *ar.* 3. ait esse solam porrectionem vrceoli. Dico tamen vtramque porrectionem esse veram,

veram,& totalem materiam. Ita conc Carth. 4. Materia gradus Exorcistæ est traditio libri sacrarum lectionum. Ostiarij gradus materia est traditio clauium. Ita Doctores communiter, quam doctrinam colligunt ex Conc. Florentino.

2 Qvæst. *Quæ est forma sacramẽti Ordinis?* Resp. Quoniam tot sunt formæ in hoc sacramento, quot materiæ, materiæ vero tot sunt, quot gradus, imo in Sacerdotio, & in gradu Acolitorum duplex est materia partialis, vt in superiori puncto dixi, multiplices item sunt formæ. Quoniam vero huiusmodi formæ habentur in Romano Pontificali, pertinentque ad Episcopos ministros solos huius sacramenti, ne grauemus lectorem superflua lectione, si tibi placet, iis recitandis supersedeamus, sitque satis nostro instituto materias assignare, ex quarum tactione, quæ ad omnes ordinandos pertinet collatio huius sacramenti.

De attactu, in quo fit huius sacramenti collatio, & characteris impressio. §. 6.

1 *In cuius rei attactu consistit materia sacramenti Ordinis.*

1 Qvæstio. *Vnum rego, vt dicas, in cuius rei attactu collatio sit huius sacramenti, & impressio characteris?* Resp. Vnum dicerem, & sufficeret. Collocatur in tactione materiæ porrectæ, sed vt res maneat clarior, repetam materiam in vnoquoque ordine porrectam. Ostiarij igitur character imprimitur in tactione clauium. Lectoris character in tactione libri sacrarum lectionum. Exorcistæ character in tactione candelabri cum cereo, & vrceoli vacui. Subdiaconi character imprimitur in tactione calicis vacui, & patenæ. Diaconi character in tactione libri Euangeliorum. Presbyteri character in tactione calicis in quo est vinum: & patenæ cum hostia; probabilius tamen est, vt necesse sit simul pa-

te-

tenam, & hostiam super positam attingere. Hoc magnopere attendendum, nisi enim supradictæ materiæ tangantur, non suscipitur hoc sacramentum, nec fit impressio characteris.

De ministro, & effectu sacramenti Ordinis, insuper de dispositione, qua quis accedere debet ad illud. §. 7.

1 *Quis est minister huius sacramenti.*
2 *Quis est effectus huius sacramenti.*
3 *De effectu gratiæ collatæ in sacerdotio: & potestate Ordinis.*
4 *De dispositione necessaria ad suscipiendum hoc sacramentum.*

1 QVÆSTIO. *Quis est minister huius sacramenti?* Resp. Solus Episcopus. Ita Damasus Papa *epist. 4.* cum communi Ecclesiæ sensu.

2 QVAEST. *Quis est effectus huius sacramenti?* Resp. Duplex. Primus gratia sanctificans, est certa ex communi doctrina sacramentorum, & est veritas inter catholicos sine controuersia. Secundus, character. Ita omnes Doctores.

3 QVÆST. *Quoniam dixisti in sacerdotio duplicem dari materiam, duplicem itidem formam: ex vi autem sacramenti secundum certam doctrinam confertur gratia per veram omnem formam, & materiam. Rogo quos effectus habeat gratia sacerdotij gradu per duplicem illam materiam, & formam? Rogo itidem audetur diuersa potestas ordinis?* Resp. Datur nouæ gratia ad recte nouam potestatem administrandam. Itaque per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem datur potestas ad Christi corpus consecrandum. Per impositionem manuum datur potestas ad absoluendum à peccatis Et ideo si sacerdos cum sola prima materia, & forma ordinetur, solam habet potestatem ad corpus, & sanguinem consecrandum, non vero ad sacramen-

mentaliter à peccatis absoluendum. Ita Sot. *in 4. d. 24. q. 1. art. 4.* Non tamen imprimuntur diuersi characteres, sed prior impressus extenditur ad maiorem potestatem.

Dubitant Auctores, an minoribus gradibus imprimatur character. Dico tamen. Securius est in fide, & omnino probabilius non solum in diaconatus ordinatione, sed etiam in primis quatuor gradibus conferri characterem, Hæc conclusio manifeste infertur ex superiori doctrina tradita, vbi ostendi securius esse in fide, & omnino probabilius asserere hos omnes gradus esse sacramentum Ordinis, Igitur nec de infusione gratiæ, nec de impressione characteris per hos gradus, modo quidem licet dubitare. Ita D. Thom. in *Add. q. 36. art. 4.* Palud. & Sot. *locis supra citatis.*

4 QVAEST. *Qua dispositione quis accedere tenetur sacramentum Ordinis suscipiendum?* RESP. Tenetur accedere in gratia. Ratio est, quia per hos omnes gradus confertur gratia: accedere autem cum obice ad gratiam est peccatum graue; ergo qui accidit ad suscipiendum aliquem Ordinem, tenetur accedere in gratia. Dubitant vero nonnulli, an teneatur accedere ieiunus. Dico tamen non teneri ratione ipsius sacramenti quia de præcisa ratione sacramenti, non est, vt accedat quisquam ieiunus ad illud suscipiendum, vt patet in Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, Matrimonio; igitur si non obstet susceptio Eucharistiæ, quæ quidem præcipitur subdiaconis, diaconis, ac presbyteris: reliqui suscepturi alios ordines ieiuni accedere non tenentur.

DE HORIS CANONICIS, seu diurno officio sacerdotum.

CAPVT XII.

De definitione, & diuisione diuini officii. §. 1.

1 Quo

1 *Quo pacto definitur diuinum officium.*
2 *In quot partes, seu horas diuiditur diuinum officium.*
3 *Quid significant septem horæ diuini officij.*

1 QVÆSTIO. *Quo pacto definiri potest diuinum officium?* RESP. Est laus Dei vocabiliter exposita per ecclesiam decreta. Ita Tolet. *in sum. lib. 2. cap. 10. nu. 1.* cum communi.

2 QVÆST. *In quot partes diuiditur huiusmodi officium horas vocat?* RESP. In septem. Matutinam, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperam, Completam. Imitatque est Ecclesia tota, regij Vatis morem laudans septies Deum ipso teste: *septies in die laudem dixi Deo.* Alij autem à matutino separantes totum officium in octo horas distribuunt, aiuntque Ecclesiam imitatam fuisse Iudæi qui post liberationem à captiuitate Babylonica constituit, vt octies Deus laudaretur, quater in nocte, & quater in die. Ita *lib. 1. cap. 9.*

3 QVÆST. *Quid significant hæ septem diuini officij horæ?* RESP. Varia Christi passionis tempora, quæ quidam versibus continentur.

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.
Prima replet sputis: Dat causam Tertia mortis.
Sexta cruci nectit. Latus eius Nona bipertit.
Vespera deponit. Tumulo Completa reponit.

Ita communiter Doctores omnes.

De iis, qui tenentur recitare diuinum officium. §. 2.

1 *Qui tenentur recitare diuinum officium.*
2 *Quid intelligitur nomine Ecclesiastici beneficij inducendam recitandi obligationem.*
3 *An teneatur religiosus receptus in religionem ad domestica officia, ordinatus absque licentia prælati.*

4

4 *An teneantur excommunicati, suspensi, interdicti, depositi, degradati ab ordinibus.*

5 *An teneatur beneficiatus, qui non habet pacificam beneficij possessionem.*

6 *An teneatur beneficiatus qui causa studiorum in academijs versatur.*

7 *An teneatur recitare cras, qui hodie non recitauit diuinum officium.*

1 QVAESTIO. *Qui tenentur recitare diuinum officium?* RESP. Tenentur in primis Subdiaconus, Diaconus, & Sacerdos ratione solius accepti ordinis. Ita *cap. Dolentes de celeb. mis.* Deinde tenentur omnes, qui habent beneficium ecclesiasticum cum ratione solius beneficij Ita *d.* 42. *Can. fin.* & tenet Panorm. *in c. Dolentes. de celeb. mis. nu.* 4. Tenentur præterea Religiosi, licet non sint sacris initiati, si sint choro deputati. Nostrates vocant, choristas. Non est circa hoc textus, vt notant Sot. *lib.* 10. *Iust. qu.* 5. *art.* 3. & Tolet. *lib.* 2. *c.* 12. *nu.* 7. Obtinuit tamen consuetudo (quæ inueterate legis habet vim) vt docet communis opinio. Ita Syl. *hora q.* 2. D. Ant. 3. *p. tit.* 13. *c.* 4. Sot. citatus, cum Tol. & Nauar. *de orat. c.* 7. *nu.* 2. *&* 5. Ideo non tenentur religiosi conuersi, qui ad domestica officia recepti sunt in religionem; nec item nouitij. Ita Tolet. proxime, & D. Antonin. 3. *p tit.* 13. *cap.* 4. Roder. *in sum. c.* 140. *num.* 10. Tenentur etiam Moniales. Non est textus, sicut nec de Religiosis, ita tamen obtinuit consuetudo, & docet communis sententia, vt prob. Nau. *de orat. c.* 7. *nu.* 2. *&* 5. *arg. c.* 1. *de celebr. mis. & c. fin.* 29. *d.* cum D. Anton.

2 QVÆST. *Quid intelligitur nomine ecclesiastici beneficij?* RESP. Quicunque redditus ecclesiastici, qui non nisi clerico dari possunt. Et ideo qui habent reddditus ecclesiasticos, qui etiam sæcularibus conceduntur, non tenentur recitare diuinum officium. Ita omnes Doctores.

3 QVAEST. *Suscepit ordinem sacrum absque licentia sui prælati religiosus professus receptus in domum ad domestica*

offic

officia, teneturne postea horas recitare? RESP. Minime; in pœnam talis inobedientiæ præcepit Leo Papa X. minime recitare permittatur, sed cogatur laborare etiam quidem priuatus clericali dignitate. Ita adnotat Rodr. *cap.* 140. *sum. num.* 3.

4 QVÆST. *Tenenturne recitare diuinum officium excommunicati, suspensi interdicti, depositi, & degradati ab ordinibus?* RESP. Tenentur. Ratio est, quia tales priuantur honoribus, non oneribus, recitatio vero est onus, non honor. Neque in hoc illis debet suum crimē patrocinari. Ita Alex. *in capit. presbyterum* 28. *dist.* Nau. *in sum. capit.* 7. *numer.* 17.

5 QVÆST. *Teneturne recitare officium beneficiatus, qui non habet pacificam beneficij possessionem?* RESP. Minime. Ita Nauar. *lib.* 3. *consil. titul. de celeb. miss. concl.* 14.

6 QVAEST. *Quid censes de beneficiatis, qui causa studiorum in academijs versantur?* RESP. Tenentur recitare. Ita Monoch *lib.* 2. quem refert Emanuel *citato loco capit.* 145.

7 QVAEST. *Qui officium totum, aut partem officij hodie non recitauit, teneturne illud cras recitare?* RESP. Minime. Ita Innocent. *cap.* 1. *de celeb. miss.* Syluest. *hora.* §. 17. & in vsus obtinuit, quia officium est onus diei, vt est ieiunium, & ideo dies transit cum suo onere, vel, vt proprius loquar, onus transit cum suo die.

De qualitate officii. §. 3.

1 *An qualitas officij obliget sub mortali.*

1 QVÆSTIO. *Obligatne qualitas officij sub mortali?* RESP, Minime. Ita Sylu. *hora.* §. 1. & 11. Caietan. *ibi cap* 2. Armil. §. 7. Imo aiunt ex consuetudine obligare ex sola decentia, non sub peccato. Crediderim tamen veram esse Toleti sententiam circa eos, qui scienter omittunt qualitatem officii præscripti, existimat enim tales peccare mortaliter. Ita *lib.* 2. *cap.* 13. Vera igitur est prior sentētia circa eos, qui inaduertēter se gesserunt in huiusmodi mutatione, vt qui recitaturus de sancto, reci-

recitauit de feria, vel è contra. Satisque est suppleri defectum, si potest, vt repetendo inuitatorium. &c.

Quo tempore est recitandum diuinum officium. §. 4.

1 *Quo tempore tenemur recitare diuinum officium.*
2 *An tempore quadragesimæ recitanda sit vespera ante prandium.*
3 *Quando satisfit præcepto recitandi.*
4 *An melius sit anteponere, quam postponere.*

1 QVAESTIO. *Quod est proprium tempus ad recitandum diuinum officium?* RESP. Proprium horarum tempus, ita assignant Doctores. A solis occasu vsque ortum matutinis: potestque matutinum dici noctu, & laudes iam orto sole. Imo Nau. quem affert Roderic. *in sum. cap* 142. ita faciendum consulit ad acquirendam deuotionem. Prima recitetur post ortum solem, Tertia, Sexta, & Nona, ante prandium, Vespera post meridiem, Completa prope noctem.

2 QVAEST. *Tempore quadragesimæ, quando sunt recitanda vespera & completa?* RESP. Ante prandium tam in choro, quam in particulari. Non est tamen peccatum mortale illas priuatim recitare post prandium. Ita Sylu. *ver. hora* §. 10. Est tamen veniale, cum fit sine causa, iuxta Tolet. *lib.* 2. *c.* 13.

3 QVAEST. *Quando satisfacit quis præcepto recitandi, licet non seruet peculiare tempus horarum?* RESP. Qui à solis occasu huius feriæ secundæ, vsque ad mediam noctem feriæ tertiæ recitat officium, satisfacit officium feriæ tertiæ & sic dicendum de alijs diebus. Ita omnes.

4 QVAEST. *Estne melius postponere, aut anteponere, hoc est recitare horas ante earum tempus aduenientis, an post illud transactum, verbigratia primam ante solis ortum, an post solis occasum?* RESP. Anteponere. Ita omnes. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 33. Nau. *de orat. cap.* 3. *nu.* 45. Roderic. *in sum. cap.* 141. *num.* 4.

De loco in quo recitandum est diuinum officium. §. 5.

1 *In quo loco est recitandum diuinum officium.*
2 *An Canonici lucrentur distributiones recitando mi, & non in choro.*

1 QVÆSTIO. *In quo loco recitandum est diuinum officium?* RESP. Officium publicum in Ecclesia, loco determinato: priuatum vero, vbique, modo quiete, & decenter recitari possit.

2 QVÆST. *Canonici, qui choro tantummodo adsunt ad mi horas recitant, faciuntne fructus sui canonicatus?* Resp. Minime, loquendo de distributionibus. Ratio est, quia distributiones non dantur propter solam assistentiam in choro, sed propter recitationem in choro. Ita Medina in *sum. fol.* 15. Instruct. 2. *p. cap.* 95. Nau. *lib.* 3. *consil. tit. de mis.* Roder. *in sum. cap.* 145. *num.* 5. & alii. Et ideo tenentur ad earum restitutionem, iuxta eosdem Doctores.

De modo, quo recitandum est diuinum officium. §. 6.

1 *Quomodo est recitandum diuinum officium.*
2 *An satisfaciat, qui recitat cum socio balbutiente.*
3 *An satisfaciat, qui recitat in choro summissa non voce.*
4 *An satisfaciat, qui recitat, & simul audit sacrum ex præcepto.*
5 *Qua orationis recitatione supplentur defectus in recitando diuino officio, commissi.*

1 QVÆSTIO. *Quomodo recitandum est diuinum officium?* RESP. Attente, reuerenter, deuote. Attente in primis ad verba, vt illa recitans exprimat & audiat, licet non percipiat sensum, sciens se esse coram Deo, & Angelos habere socios. Sufficit autem re-

tentio virtualis, qua quis voluit in initio vacare Deo; licet actualiter per inaduertentiam distrahatur. Ita Nauar. *in man. cap. 25. numer. 104.*

2 QVAEST. *Recitat quis cum socio balbutiente propter linguæ impedimentum, ita vt non bene pronunciet, satisfacitne præcepto recitandi attente?* RESP. Satisfacit: imo malefacit, si interturbet, postulando, vt iterum repetat, & pronunciet. Ita Roderic. *in sum. ca. 142. num. 1.*

3 QVAEST. *Recitat quis in choro, sed tam summissa voce, vt non solum non audiatur ab alia parte chori, sed vix à vicinis, satisfacitne præcepto?* RESP. Satisfacit. Ita Roderic. *in sum. cap. 142 num. 2.* Contra Caiet. *in sum.* & Nauar. *de orat. cap. 19 num 81.*

4 QVÆST. *Possumne satisfacere præceptis recitandi officium, & audiendi sacrum, recitãdo & audiendo sacro?* RESP. Potest. Ita Tolet. *lib. 2. cap. 13.* Quoniam ista duo ad eundem ordinantur finem, nempe ad vacandum rebus diuinis.

5 QVÆST. *Teneſne memoria aliquam orationem, per quam suppleantur defectus in recitando negligenter commissi?* RESP. Teneo equidem subsequentem: eam refert Nau. *cap. Quando de consecr. disp. 1 not. 19.* Tolet. *lib. 2. cap. 13.* Ex gratia Leonis Papæ. *Sacrosanctæ, & indiuiduæ Trinitati, crucifixi IESV Christi Domini Nostri Humanitati, & Beatissimæ, ac Gloriosissimæ Virgini Mariæ fœcunditati, & omnium sanctorum vniuersitati sit sempiterna laus, honor, virtus, & gloria ab omni creatura, nobisque remissio peccatorum in infinita sæcula sæculorum, Amen.*

Vers. *Beata viscera Mariæ Virginis quæ portauerunt æterni Patris filium.*

Resp. *Et Beata vbera, quæ lactauerunt Christum Dominum.*

Pater noster. Aue Maria &c.

De causis excusantibus à recitando diuino officio §. 7.

1 *Quæ causæ excusant à recitando diuino officio.*

2 *Qui ex causa constitit in recitando diuino officio cũ socio, satisfacitne si causa cessante persequi-*

tur cum socio, recitaturus postea solus partem omissam.

3 *Quæ est pars notabilis diuini officij.*

4 *An satisfaciat canonicus, qui dum alij recitant quæ necessaria sunt, ministrat.*

5 *Quod est peccatum verba sacra diuini officij immediare.*

1 QVÆSTIO. *Quæ causæ excusant à recitando diuinum officio?* RESP. Multiplices. Atque in primis aggrauando, quam notabiliter offendit, & aggrauat recitatio Ita Innoc. & Hostiens. *in cap. 1. de celeb. miss.* Panor. in *4. dist. 15. articul. 2.* Nauar. *cap. 25. numer. 00.* Deinde occupatio vrgens circa negotium publicum, quam notabiliter impediret officii recitatio, qualis est prædicatio, vel lectio, vel defensio conclusionum publice habenda. Ita Sylu. *ver. hora. §. 18.* Gandau *quodl. 15. quæst. 12.* Major *in 4. dist. 12. quæst. 6. col. 4.* Tertio, Excusat etiam occupatio vrgens circa negotium priuatum, cui quidem non subueniam, si recitem, qualis est occupatio circa litem de re graui : vel circa viam celeriter agendam pro captanda possessione prædij, vel beneficij, &c. Ita omnes. Quarto, Custodia infirmi grauiter periclitantis: vel occursio ad rixam dirimendam, ne rixantes grauiter ledantur. Ita Tolet. *lib. 2. c. 14.* Ratio est manifesta, quia nemur ex charitate subuenire proximo periclitanti: leges autem humanæ charitati seruiunt, non contradicunt. Quinto, Excusat renuitas beneficii, qualis esset octo ducatorum. Ita Sorus *lib. 10. iust. quæst. 3. art. 3.* Ratio est, quia nemo tenetur ad tantum onus pro tam exiguo stipendio. Oppositum tenet Tolet. proxime, & Gloss. *can. Clericus. 91. d.* & Sylu. *verb. hora §. 3.* Vtraque opinio in vero sensu recipienda, & recipitur communiter ab omnibus. Soti quidem sententia circa totum officium, nimirum non teneri talem beneficiatum recitare totum officium. Toleti vero Gloss. & Sylu. circa partem teneri, scilicet talem beneficiatum recitare aliquam partem officii, pro maiori minoriue stipendij quantitate. Quæ ve-

ro

ro pars recitanda sit, arbitrio prudentis, & timorati viri relinquitur.

2 QVÆST. *Recitat quis cum socio, inter recitandum euenit tussis, vel accedit amicus, cum quo oportet loqui, socius progreditur notabiliter vlterius: potestne detentus persequi cum socio officium, recitaturus postea omissam partem?* RESP. Potest. Ita Nau. *in man. cap. 25. n.* 89.

3 QVAEST. *Quam iudicant Doctores partem notabilem diuini officij?* RESP. Dimidiam partem vnius horæ: non vero partem vnius Psalmi. Ita Roderic. *cap.* 140. *num.* 17. Non quidem expresse, sed tacite: ait enim non peccare mortaliter, qui omittit partem Psalmi ex paruitate materiæ: paruitas autem materiæ excusat à mortali, vt tenet D Thom. 2. 2. *quæst.* 59. *art.* 4. Nau. *cap. Inter verba.* 11. *q.* 3. *& in man. cap.* 11. *num.* 4.

4 QVÆST. *Satisfacitne præcepto, qui peragit ea, quæ conducunt ad officium, vt qui thure perfundit altare, qui pulsat organa, & quid simile?* RESP. Satisfacit. Ita Roderic. *in sum. cap.* 142. *num.* 2. Et iam quid simile dixi in præcepto de audiendo sacro.

5 QVAEST. *Qui interrumpit officium, teneturne iterum denuo incipere?* RESP. Quanquam interruptio sit magni spatij, factaque sit etiam absque causa, nõ est necesse iam recitata repetere, & incipere ab initio. Ita Aragon. 2. 2. *quæst.* 83. *artic.* 12. Roder. *in sum. cap.* 141. *numer.* 3. & alii.

6 QVAEST. *Quod erit peccatum ob solam negligentiam multoties syllabas contrahere, dictiones deglutire, & suos versus incipere, antequam socius finiat?* RESP. Mortale. Ita Nau. *cap.* 25. *num.* 98. quia notabiliter minuit officium, & interturbat deuotionem.

De restitutione fructuum beneficiati; qui non recitat officium diuinum. §. 8.

1 *Qui beneficiatus tenetur restituere fructus, quia non recitauit.*

2 *De quantitate fructuum restituendorum.*

3 *Cui facienda est talium fructuum restitutio.*

1 QVÆSTIO. *Hac de re iam te rogaui ad septimum præceptum Decalogi, nunc quæro an quid postea tibi occurrerit?* RESP. Duo sane notatu dignissima quorum ibi non memini. Primum Decretum Concil. Lateranen. sub Leone *sess. 9. §. Statuimus* his verbis. *Nullus ante sex menses primos beneficij habiti, tenetur ad restitutionem quamuis non recitet.* Quem textum ita exponit Tol. *lib. 2. cap. 12. numer. 5.* Confertur alicui aliquod beneficium quodcunque sit sub titulo clericali, si non recitat per sex menses primos, mortaliter quidem peccat, ad nullam tamen obligatur restitutionem. Secundum. Qui transactis sex mensibus post beneficium habitum non recitat tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum. Ita Nauar. *in man. cap. 25. numer. 122.* Tabien. *benef. 11.* & alii omnes.

2 QVAEST. *Circa quantitatem fructuum restituendorum, quid noui occurrit?* RESP. Non esse omnes omnino restituendos, quia non dantur propter solam officii recitationem, sed etiam pro aliis ministeriis Ecclesiæ, vt omnes concedunt, & quamuis circa quantitatem tot sint sententiæ, quot capita, optima videtur opinio Toleti *lib. 2. c. 2. n. 9.* Pro toto omisso officio restituendam tenetur partem fructuum illi diei respondentium.

3 QVÆST. *Cui facienda est talis restitutio?* RESP. Aut fabricæ Ecclesiæ à qua recipit fructus. Ita Conc. Lateran. citatum. Aut pauperibus. Ita declarauit Pius V. in sua Constit. Si vero beneficiatus pauper est, potest sibi, vt alij pauperes partem accipere, dummodo id non sit in occasionem non recitandi. Ita Tolet. *lib. 2. cap. 12. num. 6.* cum Nauar. *in man. cap. 25. n. 122.*

DE BENEFICIIS.

CAPVT XIII.

De beneficii definitione. §. 1.

1 *Quod est beneficium ecclesiasticum.*

1 QVAEST.

1 QVAESTIO. *Non erit abs re hoc in loco beneficiorum materiam apponere, vt ex ipsa tractationis serie manifeste deducitur. Rogo igitur quid est beneficium ecclesiasticum?* RESP. Est ius percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, clerico propter diuinum officium competens. Ita apposite admodum definiuit Tolet. *l. 5. c. 76. n. 1.* Pro diuino vero officio intelligitur non solum diuina horarum recitatio, sed etiam missæ sacrificium, & sacrorum administratio.

De eo qui potest conferre beneficium. §. 2.

1 *Quis potest conferre beneficium.*
2 *Quid est conferre beneficium, resignare, præsentare, & eligere.*

1 QVAESTIO. *Quis potest conferre beneficium?* RESP. In primis Papa omnia beneficia totius orbis. Deinde ex iure communi Episcopus beneficia sui Episcopatus, nisi sit statutum aliquod contrarium, vel immemorabilis consuetudo patronatus. Tertio capitulum cum Episcopus est suspensus à collatione beneficiorum: aut excommunicatus *ca. Tanta de excess. prælat.* Atque etiam sede vacante. Circa quem euentum non seruatur modo ius commune, ex quo solummodo potest conferre beneficia, quæ sine eo Episcopus non conferebat, non vero ea, quæ solus poterat conferre: sed hæc consuetudo est antiquata, quia Episcopus ad conferenda beneficia modo Capitulum nõ consulit, sed omnia per se confert. Quamobrem videnda sunt specialia priuilegia, quæ afferre non est nostri instituti. Ita Toletus. *loco citato.*

2 QVAEST. *Quid est conferre beneficium, resignare, præsentare, & eligere?* RESP. Conferre est dare ipsum ius, & titulum exigendi fructus, & potestatem exercendi officium. Resignare, est determinare aliquam personam, cui beneficium conferatur. Potest vero resignare, qui habet beneficium, & vult illud in alium transferre. Præsentare, est aliquem offerre ordinario, vt certum beneficium illi conferat, ad quam præsenta-

rationem, & postulationem habent à Papa facultatem minime negandam, qui fruuntur iure patronatus, siue ecclesiasticæ, seu sæculares personæ sint. Eligere est ternis vnum offerre prælato, cui beneficium certum confert ex facultate Papæ minime negandum. Hoc olim erat frequentissimum, solebat enim populus, & capitulum eligere, modo tamen ferme abolitum.

Cui est conferendum beneficium. §. 3.

1 *Cui est conferendum beneficium.*
2 *Quid faciendum curatis illiteratis post collationem beneficij.*
3 *Quis censendus est talis illiteratus.*
4 *Quod peccatum est conferre beneficium indigno.*
5 *Quas conditiones habere debeat dignus ad beneficium.*

1 QVÆSTIO. *Cui est conferendum beneficium?* Resp. In primis conferendum est digno. Dignitas autem consistit in tribus. In bonitate scilicet moris, in scientiâ, saltem earum rerum, quæ ad suum officium spectant. Et præterea in aptitudine ad exercendum suum munus, Qui enim bonus, & doctus est, tamen nequit exercere suum munus, vel non potest præ aliis occupationibus, vel quia non est datus praxi, & exercitio exteriori, tunc indignus censetur. Ita Maiolus *de irregul. 32. numer. 13.* Roderic. *cap. 29. sum. num. prim.* & Tolet. *lib. 5. cap. 78.*

2 QVÆST. *Quid faciendum Curatis illiteratis post collationem beneficiorum?* Resp. Non sunt removendi à beneficio, sed iuuandi socio literato. Ita decreuit Conc. Trid. *sess 21. cap. 6.*

3 QVAEST. *Quis censendus est illiteratus?* Resp. Ille qui nec linguam latinam mediocriter callet. Ita Roderic. *in sum. cap. 29. num. 3.*

4 QVAEST.

4 QVAEST. *Quod peccatum est conferre beneficium indigno?* RESP. Mortale, teneturque conferens ad restitutionem damnorum. Ita Angel. *restitutio.* Nau. *de script. capit. 2. except. 11.* Lupus *in capit. per vestras. capit. 26. numer. 11.* Tolet. *libr. 5. capit. 78.* Incurritque pœnas iuris, quas memorat Rebuffus *in pract. benefic. de pœnitent.* contra collatores.

5 QVÆST. *Præter hanc personæ dignitatem, quæ consistit in illustribus, scientia nempe, bonitate, & aptitudine exercendi officium suum, quæ præterea conditiones requiruntur à iure?* RESP. Plures. Prima, vt sit clericus saltem primæ tonsuræ. Ita Toletus *lib. 5 cap. 89.* Secunda, vt sit ex legitimo matrimonio procreatus. Ita Tolet. *proxime.* Tertia, vt sit legitimæ ætatis. *Cum in cunctis de elect.* Ætas autem ad episcopatum, determinatus trigesimus annus inceptus; ad curatum, vigesimus quintus inceptus. *cap. Cum in cunctis, cita.* ad beneficia simplicia, decimus quartus ex Con. Trident. *sess. 23. cap. 6.* Quarta, vt nullo sit inhabilis iuris impedimento, qualis est irregularitas, vel excommunicatio, aliave censura ecclesiastica. Ita Tolet. *proxime.* Quinta, vt non habeat aliud beneficium: sed de beneficiorum pluritate velim, vt me postea interroges.

De collatione beneficiorum ipso iure nulla. §. 4.

1 *Quæ collatio beneficij est ipso iure nulla.*
2 *De postulatione beneficij ab eo, qui non habet legitimam ætatem.*
3 *An sint incapaces beneficij Ecclesiastici filij Iudæorum, & Saracenorum baptizati infantes.*

1 QVÆSTIO. *Quæ collatio beneficij est ipso iure nulla?* RESP. Dico *primum.* Collatio facta illiterato. Ita Nau. *de rescript. capit. 2. except. 11.* Salzed. *in pract. crim. capt. 25. pag. 63. colum. 1.* Rebuff. *de pacif. possession. numer. 203.* Dico *secundum.* Collatio facta illegitimis. Ita Toletus *lib. 5 cap. 8.* Notandum præterea est non posse conferri pensiones filijs presbyterorum super beneficijs,

quæ fuerunt suorum parentum. Ita decreuit Concil. Trident. *sessione. 24. capit. 15.* Hinc colliges posse conferri filijs filiorum, hoc est nepotibus. Ita adnotauit Roder. *in sum. capit. 29. num. 4.* Ratio est, quia hæc lex est penalis, & ideo non extendenda nisi ad personas nominatas. Lex vero loquitur tantum de filijs, non de nepotibus, ergo nepotes non intelligendi sunt. Ita Glos. *in capit. 1. &* & *cap. Apostol. can. 8. quæst. 1.* Bellarm. *num. 3.* Præpos. *idem. num. 2.* Gueuar. *lib. 7. de potestat. legat. num. 315.* & communiter Doctores in materia de legibus, cum agant de lege pœn. Intelligenda deinde est Concilij pœna circa beneficia, quorum Ecclesijs presbyteri parentes seruierunt personaliter. Ita adnotauit Emanuel. *in sum. capit. 29. numer. 4.* ex Rebuffo *de dispensat. sup. defect. natal. num. 27.* Non deinde intelligenda de filijs presbyterorum, quos susceperunt coniugati ex legitima copula, antequam presbyteri fierent. Ita obseruatur in praxi ex Rebuffum citatum *part. 4. num. 2.* Hinc colligit idem Rebuffus posse parentes clericos succedere beneficijs suorum filiorum, quia id nec à Concilijs, nec ab alio iure prohibetur. Dico *tertium.* Est ipso iure nulla collatio facta excommunicato maiori excommunicatione, etiam ignoranti eandem excommunicationem. Ita Nauar. *in man. cap. 17. num. 271.* Couar. *capit. Alma mater. 2. p. §. 7. num.* Ratio est, quia ignorantia non facit habilem, quem iura inhabilem reddiderunt. Propter hoc in literis apostolicis collationis absoluitur collatus ab omni censura ecclesiastica. Adnotauit Staphilæus *de lit. Grat. fol. 82.* Gig. *de pension. quæstion. 14.* Rebuff. *in concord. tit. de excommunic. non euitand.* Nauar. *in man. capit. vigesimo septimo. num. 271.* Dixi (maiori excommunicatione) quia minoris excommunicatione ignorata, tenet in foro poli collatio licet in exteriori irritari possit. Ita Henriquez *tom. 2. lib. 13. de excommunic. capit. 2. &* 3. Dico *quartum.* Est ipso iure nulla collatio facta irregulari, etiam occulto. Ita omnes Doctores. Satis tamen est, si occulte post collationem petat dispensationem irregularitatis, ad fruendum beneficio sibi inhabili propter irregularitatem collato. Ita Nauar. & Henriquez quos refert, & sequitur Roder. *in sum. ca. 29. num. 6.* Dico *quintum.* Est ipso iure nulla colla-

cio beneficij facta non habenti ætatem legitimam, iuxta Conc. Trid. supra citatum. Peccatq; mortaliter Episcopus taliter conferens, agens contra legem Concilii in qua Episcopus nequit dispensare. Ita Eman. *cap.* 20.

2 QVAEST. *Duo adhuc te rogabo de hac re. Primum. Postulata est à Papa collatio per non habentem legitimam ætatem, sed dum facta fuit postulatio, & litera accesserunt, legitima facta fuit postulatio, & litera accesserunt, legitima facta fiat, vt fuit postulatio, & litera accesserunt, legitima facta fiat, vt qui dum non habet viginti quinque annos, incepit, postulat beneficium curatum, qui quidem inceperunt inter postulandum, & literas accedendum, estne bona collatio?* RESP. Maxime. Ita Nau. *lib.* 3 *Consil. tit. de temp. ordin. cons.* 43. quę refert, & sequitur Roder. *in sum. ca.* 20. *nu.* 1.

3 QVÆST. *Secundum rogo. Suntne incapaces beneficiorum procreati ex Iudæis, aut Sarracenis, baptizati tamen infantes?* RESP. Minime. Ita Couar. *in Clem. Si furiosus* 1. *p.* §. 2. quia non est textus, nec ratio oppositum suadens.

De ijs, ad quæ tenetur beneficiatus post collatum beneficium. §. 5.

1 *Ad quid tenetur beneficiatus post collatum beneficium.*

2 *Ad quid tenetur, qui suscepit beneficium curatum sine animo suscipiendi ordinem sacerdotij intra annum.*

3 *An dispensare possit Episcopus cum tali, ne intra annum sacerdos fiat.*

4 *De eo, qui suscepit beneficium curatum animo se ordinandi, vel non ordinandi, iuxta occurrentem meliorem occasionem status*

1 QVÆSTIO. *Ad quid tenetur beneficiatus post collatum beneficium?* RESP. Qui intra annum a collatione beneficij curati sacerdotio non initiatur, ipso iure beneficio priuatur. Ita statuitur *can. de elect. libr.* 6. probatque Rebuff. *in pract. benef.* de promotis intra annum. Et ideo intra annum à collatione beneficij curati, tenetur beneficiatus sacerdotij ordinem suscipere; quem si non

si non suscipit, amittit ipso iure deinceps fructus, teneturque illos restituere. Ita Nauarr. *in man. capit.* 21. num. 117. & *de orat. cap.* 22. *numer.* 49. Est autem super hoc Cardinalium declaratio maximopere notanda, quam refert Salzed. *in pract. crim. cap.* 52. *p pag.* 142. Verba autem Cardinalium sunt hæc. *Pœna canonis præscripta eis, qui intra annum sacerdotium non susceperint, non habet locum in rectore, qui intra annum à die susceptæ possessionis pacifica, se intra tempus comparuit, & se promoueri petijt, asserens, quantum in eo est, se paratum ad suscipiendum sacerdotium: sed ordinarius noluit eum propter illiteraturam, vel aliam causam promouere.*

2 QVAEST. *Qui beneficium curatum suscipit sine animo intra annum sacerdotium suscipiendi, ad quid tenetur?* RESP. Ad fructus perceptos restituendum. Ita apertè colligitur ex can. Concil. Trident. citati, vt notant Eman. *in sum. capit.* 30 *numer.* 3. & habetur *capit. Commissum. §. verum. de election.* Si tamen animum mutet, & intra annum ordinetur, nil restituere tenetur, iuxta eosdem doctores.

3 QVÆST. *Potestne Episcopus dispensare cum beneficiato beneficij curati, ne intra annum suscipiat ordines?* RESP. Si talis beneficiatus studiorum causa versetur in schola, potest Episcopus cum eo dispensare, ne intra primos septem annos suscipiat talem ordinem, dummodo intra primum annum fiat subdiaconus. Ita decernitur *cap. Cum eo. de elect. lib.* 6. notatq; Sylu. *beneficium.* 3. *qu.* 2. & Rodric. *in sum. ca* 30 *num.* 4.

4 QVÆST. *Habet quis animum suscipiendi ordines intra annum, sed habet etiam animum, si quid oportunius eueniat, manendi in statu laico, poteritne tuto accipere collationem beneficij, & fructus, quousque mutet omnimodam voluntatem se ordinandi?* RESP. Potest. Ita Nau. *in man. capit.* 21. num. 118. Qui etiam infert idem dicendum de eo, qui suscipit beneficium animo illlud omittendi, si aliud maius, aut commodius illi detur. Notat Roderic. *in sum. capit.* 30. *numer.* 6.

(∴)

De

De pluritate beneficiorum simul. §. 6.

1 *An liceat plura habere beneficia curata.*
2 *An liceat habere plura beneficia simplicia.*
3 *An possit Papa dispensare ad pluralitatem beneficiorum.*
4 *Quæ plura absque dispensatione possint haberi beneficium.*

1 QVAESTIO. *Licetne plura simul habere beneficia?* RESP. Minime. Ita decernitur *cap. singula 89. dist.* & Conc. Trid. *sessi. 7. capit. 24.* Notant. Tolet *li. 15. ca. 8. numer. 2.* Sot. *lib. 3. Iust. quæst. 6. art 3.* Nau. *in man. cap. 5. num. 125.* Rebuff. *de benef. tit. de dispensat. ad plur. benef.*

2 QVÆST. *Hæcne prohibitio intelligenda est de omnibus beneficijs tam curatis, quam simplicibus?* RESP. de omnibus. Ita declarauit Congreg. Cardinalium quam affert Eman. *in sum. ca. 31. num. 2.*

3 QVÆST. *Potestne Papa in hoc decreto dispensare?* RESP. Ex causa potest, quia in tali euentu est supra ius commune. Ita omnes. Non tamen censendus est dispensare, cum in supplicatione fit intentio alterius iam habiti beneficij, Ita probat Nauar. multis rationibus. Enchir. *de orat. 22. cap. num. 64.* Ostenditque Rodericus *capit. 31. sum. numer. 112.* solere apponi illam clausulam, ne gratia surreptitia videatur.

4 QVÆST. *Licetne in aliquo euentu plura simul habere beneficia?* RESP. Licet in primis. Cum talia beneficia, vel saltem alia excepto vno non exigunt residentiam personalem. Deinde cum vnum non est satis ad congruam sustentationem beneficiati. Tertio. Cum alterum alteri est iusta copulatione annexum. In his enim euentis nulla requiritur dispensatio Ita Nau. *in man. cap. 25. num. 127.* Angl. *in florib. verb. benefic.* Roder. *in sum. ca. 13. num. 2.* Tolet. *lib. 5 cap. 81.*

5 QVÆST. *Habet quis beneficium curatum, postea accipit alterum; quid censes de primo beneficio?* Nisi secundo renunciet post sex menses a collatione illius, vacat primum ipso iure. Ita Salzedo *in pract. crim. capit. 47.* contra Nauar.

oppos-

oppositum asserentem, qui immerito pro sua sententia adducit verba Conc. *sessi. 24. cap. 17* Cogantur omnes. Quæ quidem verba sententiam expectate videntur, sed fallitur, vt aduertit Roder. *in sum. ca. 31*, coactio enim & expectatio sententiæ intra primos sex menses; enim transactis, iure ipso vacat beneficium iuxta ipsius Concilij.

De Residentia beneficiatorum. §. 7.

1 *An residentia sit de iure diuino.*
2 *De pœna non residentium.*
3 *Quamdiu possunt beneficiati non residere.*
3 *An faciant fructus beneficiati non residentia.*
4 *A quo est exigenda facultas ad non residendum.*

1 QVÆSTIO. *Estne residentia beneficiatorum in curatis de iure diuino?* RESP. Maior. Caiet. 2.2. *qu* 185. *art.* 5. Sot. 20. *lib. Iust.* 3. *art.* 1. *in man. ca.* 25. *nu.* 21 Cou. *lib.* 3. *resol. ca.* 13. *num.* 9. *libr.* 1. *quæst* 19. & hanc opinionem satis innuit Conc. Triden. *sessi.* 23. *de reform. cá* 1. Nec excusantur ab hac personali residentia beneficiati substituendo quemuis idoneum vicarium, vt aduertit D. Thom. *in 4. d.* 2. *art.* 2. *ad* 3. & in *add. qu.* 10. *ar.* 5. *ad* 1. Hostie. *in sum. de cleric. excom. minist §.* 1. *num.* 2. Caie. 2.2. *qu.* 18. *ar.* 5. Sot. *Iust. qua* 3. *art.* 2. Neque item excusatur ab hac residentia religiosus professus, qui iuste obtinuit beneficium curatum. *ca. Si quis translatus* 21. *quæst* 2. & *Clem. in agro. §.* 1. *de statu Monach.* Ratio est, quia nihil officit statui monachali residentia in beneficiato. Ita Nauar. *lib.* 3. *cap.* 1. *de cleric. non resid. concl.* 5.

2 QVÆST. *Quas pœnas incurrunt beneficiati non residentes?* RESP. Eas longum esse annumerare, habentur in Concil. Trid. *sessi.* 24. *ca.* 12. *de reform.* & *ca. Conquerente. cleric. non resid*

3 QVÆST. *Quandiu possunt beneficiati esse absentes a beneficio?* RESP. Non vltra tres menses. ita Conc. Triden. *sessi.* 24. *ca.* 12. *de reform.*

4 QVÆST. *Faciuntne fructus beneficiati non re-*

RE

RESP. Minime, sed tenentur eos restituere, respondentes spatio absentiæ. Ita decernitur *cap. Conquer. de cleric. non resid.* & Conc. Trid. *sessi. 6. ca. 1. de reform.* & *sessi. 21. cap. 1.* & *sessi. 23. ca. 1.* §. *Si quis autem.*

5 QVAEST. *Indiget Episcopus, aut beneficiatus abesse à sua Ecclesia, à quo est petiturus licentiam?* RESP. Metropolitanus à Papa, Episcopi à Metropolitano. Si autem mora est in petendo, & necessitas vrget, petat ab Episcopo vicino antiquiori. Eaque danda est in scriptis. Ita Concil. Trident. *loco allegato.* Beneficiatus à suo Ordinario. Ita praxis.

CAPVT XIV.

De Simonia. §. 1.

1 *Qui Auctores agunt de Simonia.*
2 *Quo pacto definitur Simonia.*
3 *Circa quam materiam versatur Simonia.*
4 *Quæres vocatur spiritualis.*
5 *Quot sunt res spirituales.*
6 *Vnde deductum est vocabulum Simoniæ.*
7 *Quale peccatum est Simonia.*
8 *Quo iure prohibetur Simonia.*
9 *Qui contractus vt simoniaci sunt à iure prohibiti.*
10 *Quot sunt species simoniæ.*
11 *Quot modis licet offerre pretium temporale, pro re spirituali.*
12 *Quando committitur simonia.*
13 *Quæ res spirituales vendi, aut emi possint.*
14 *An sit simonia commutare res spirituales, pro alijs rebus spiritualibus.*
15 *An liceat commutare beneficium ecclesiasticum, pro alio beneficio ecclesiastico.*

16 An liceat exigere pretium pro labore antecedente administrationem sacramentorum.

17 Qui labor dicitur antecedere administrationem sacramentorum.

18 An sit simonia pacisci de pretio pro certa hora, aut in certo loco celebranda missa.

19 An sit simonia pacisci pro sustentatione corporis ministri sacramentorum.

20 An possit Episcopus pretium accipere pro actu exercendo potestatis iurisdictionis.

21 An possit minister sacramentorum pacisci de certa sua sustentatione.

22 De dote Monialium.

23 De emptione, & venditione sacrarum vestium, sacrorumque vasorum.

24 De simonia beneficiorum.

25 An sit simonia offerre pretium pro non eligendo indigno ad beneficium.

26 An sit simonia offerre pretium pro eligendo digno ad beneficium.

27 An possit vendi ius patronatus.

28 An liceat offerre pretium pro redimenda iniusta vexatione ad beneficium obtinendum.

29 An sit simoniacus beneficiatus, qui emit beneficium per alium.

30 An sit simonia dare pretium non collatori beneficij, sed amico collatoris, vt illud mihi obtineat.

31 An committat simoniam, qui ficto animo promittit se daturum pecuniam, si illi conferatur beneficium.

32 De permutatione beneficiorum.

33 An sit simonia commutare beneficium pro maiori commodo temporali.

34 *Quæ simonia committitur in locatione beneficiorum.*

35 *Ad quantum tempus possunt vendi, aut locari reditus ecclesiastici.*

36 *De simonia in pensionibus.*

37 *De simonia in emenda sepultura.*

38 *De pretio solito reddi Ecclesijs pro sepultura.*

39 *An possit dari pretium pro baptismo ministrando.*

40 *An sit simonia accipere pretium pro benedicendis nuptijs.*

41 *An sit simonia nolle benedicere nuptias absque oblatione offerri solita.*

42 *De pretio Concionum Euangelicarum.*

43 *An sit simonia seruire collatori, ad beneuolentiam eius comparandam, quæ motus mihi conferat beneficium.*

44 *An sit simonia mutuas dare pecunias cum pacto de mihi conferendo beneficio.*

45 *An committat simoniam, qui confert beneficium ad comparandam beneuolentiam alicuius.*

46 *An sit simonia resignare beneficium in manibus Episcopi, sub conditione conferendi illud certæ personæ.*

47 *De renunciatione beneficij litigiosi sub pacto reddendi renuncianti pensionem, si lis victa fuerit à renunciato.*

48 *De renunciatione beneficij cum spe accipiendi opera gratitudinis debitæ.*

49 *Quot diebus viuere debet renuncians post factam renunciationem.*

50 *An teneatur renunciatus renunciati reddere fructus, sub quorū fiducia renunciauit beneficium.*

51 De collatione beneficij curati cum pacto de dimittendo alij beneficium simplex.

52 De permutantibus beneficia absque ordinis vis.

53 De commutatione beneficij, à quo soluitur pensio.

54 De simoniaco Episcopo, qui confert beneficium vni, cum pacto de transferendo illud in alium reseruata pensione.

55 De pœnis simoniaci.

56 An pœnæ supra dictæ sint positæ omni simoniaco.

57 De restitutione debita ob simoniam.

58 Cui facienda est restitutio simoniæ.

59 De restitutione ob simoniam occultam.

1 QVAESTIO. *Quoniam huiusmodi materia laqueosa est: dic in primis qui Auctores agunt de ea?* RESP. Agunt de ea Beroy. *in capit. Non sine multa dubitatione. 31. 46. & 51. & in rubr. de vsuris.* Bernard. Diaz *in Prac. capit. 91.* Iul. Clar. *lib. 1. recept.* Nau. *in capit. fin. de simonia. Man. ca. 23. nu. 99.* D. Thom. *2. 2. qu. 100.* Cord. *lib. 1. quæst. 22.* Nauar. *libr. 2. de restit. cap. 2. à nu. 373.* Sot. *libr. 4. de iust.* Victor. *in relect. de simonia.*

2 QVÆST. *Quo pacto definitur simonia?* RESP. Est deliberata voluntas emendi, aut vendendi rem spiritualem, siue annexam rei spirituali, seu Voluntas contrahendi contractu oneroso circa talem rem. Item Eman. *in sum. verb. simonia,* & Tolet. *lib. 5. cap. 84.* & omnes.

3 QVÆST. *Circa quam materiam versatur simonia?* RESP. Claret interrogatio ex definitione posita. Versatur circa rem spiritualem, aut annexam rei spirituali.

4 QVÆST. *Quæ res vocatur spiritualis?* RESP. Omnis illa, quæ à Deo, vt est autor gratiæ, procedit, vel ad Deum, vt est autor gratiæ, ordinatur. Ea vero omnia, quæ à Deo procedunt, vel ad Deum referuntur, quatenus ea creatura intellectualis (vt homines, Angelosq; comprehendam) per media supernaturalia saluator, seu deducitur ad finem

ad suum finem supernaturalem; dicuntur ab eo procedere, seu ad eum referri, vt est auctor gratiæ.

5 QVAEST. *In quot diuiduntur huiusmodi res spirituales?* RESP. In quatuor, quædam enim dicuntur spirituales essentialiter. Tales sunt virtutes, & dona supernaturalia, vt fides, spes, charitas, gratia, &cæt. Quædam dicuntur spirituales causaliter, quia sunt causa rerum spiritualium. Qualia sunt sacramenta Ecclesiæ. Quædam dicuntur spirituales effectualiter. Tales sunt operationes ex aliqua spirituali potestate procedentes, vel operationes ad Deum ordinatæ, vt concionari, cantare in choro, sepilire mortuos, dispensare in voto & matrimonio, excommunicare, absoluere ab excommunic & alia huiusmodi. Quædam denique dicuntur res spirituales ex annexione: vel quia ad officium spirituale pertinent, qualia sunt beneficia ecclesiastica; & vasa ornamenta, &cæt. supellectilia sacra.

6 QVAEST. *Vnde dictum huiusmodi peccatum simonia?* RESP. A Simone Mago, primo auctore huius contractus lege in euangelica, sicuti legimus *Act.* 8. & habetur *can. Saluator. 1. qua. 3.* Voluit enim emere donum, seu gratiam miraculorum, vt eandem cum lucro posset alijs vendere.

7 QVAEST. *Quale peccatum est Simonia?* RESP. Ex genere suo mortale contra virtutem religionis. Nam qui emit, emit pretio rem, quæ excedit omne pretium temporale. Qui vendit quod suum non est, *homo* enim *dispensator est rerum spiritualium, non dominus. 1. Corinth. 4.*

8 QVAEST. *Quo iure prohibetur huiusmodi peccatum?* RESP. Naturali, diuino, & humano. Ita Tolet. *lib 5. cap.* 85. Naturali, quia prohibet vendere, & pretio æstimare temporali, quod venale non est, quia omne pretium temporale excedit. Diuino *Matth. 7. gratis date, quod gratis accepistis.* Positiuo *1. quæstion. 3. per totum.* & alijs canonibus. Et ideo grauiter fuit hoc vitium reprehensum a D. Pet. Act. 7. *pecunia tua tecum sit in perditionem.* Et ab Eliseo Proph. 4. *Reg. 5.* Cum vindicauit simoniam Giezi lepræ morbo.

9 QVÆST. *Suntne aliqui contractus, vt simoniaci a sacris canonibus damnati, quamuis secundum se renera non sint tales, sed tantummodo, quia prohibiti?* RESP. Maxime Permutare beneficium beneficio absque licentia Pontificis: Prohibetur *capit. Quæsitum de rer. perm.* Deinde vendere officium œconomi ecclesiæ prohibetur *can. saluator. 1. quæstion. 3.* quamuis illud officium sit temporale. Præterea vendere pensiones beneficiorum sine licentia Papæ. Ita adnotauit Tolet. *libr. 5. ca. 85.*

10 QVÆST. *Quot sunt species simoniæ?* RESP. Tres mentalis, conuentionalis, & realis. Mentalis est cum do, aut accipio rem spiritualem intentione dandi, vel recipiendi pretium temporale pro ea. Conuentionalis est, cum do, vel accipio rem spiritualem sub contractu dandi, vel accipiendi pro ea pretium temporale. Realis est, cum non iam mente sola intendo, neque solo contractu hæreo, sed exterius pretium temporale offero pro re spirituali. Aduertendum tamen est maximopere, quod ad perfectam, & realem omnino simoniam requiritur interior voluntas contractandi sub pretio temporali rem spiritualem: præterea pactum explicitum, vel saltem implicitum (erit vero censendum pactum implicitum, cùm datur pretium temporale quamuis nulla præcedat conuentio) denique exhibitio externa pretij, & externa donatio rei spiritualis. Et ideo altero horum deficiente non est realis, sed conuentionalis simonia. Ita Armil. *verb. simonia.* & Tolet. *lib. 5. cap. 8. num. 4.*

11 QVAEST. *Quot modis offerri potest pecunia, seu aliud pretium temporale pro re spirituali?* RESP. Multis quidem aut in sustentationem ministrorum aut in eleemosynam ecclesiarum, seu confraternitatum: aut liberali oblatione, donationeve, spontanea deuotione, & gratitudine, iuxta laudabilem consuetudinem loci: aut in pretium.

12 QVAEST. *Quando ergo committitur simonia?* RESP. nisi cum pecunia, vel quid simile datur in pretium rei spiritualis. Ita Tolet. *lib. 1. ca. 87.*

13 QVÆST. *Cùm res spirituales sint in triplici differentia quædam enim sunt pure spirituales, nullam habentes temporalem*

poralem mixtionem, vt virtutes supernaturales, & potestates, earumque vsus. Quædam sunt mixtæ ex temporali, & spirituali. Rursus harum secundarum, quædam participant plus de spirituali, vt sacramenta, quorum materiæ sunt res corporales, beneficia ecclesiastica, quorum fructus sunt etiam temporales. Quædam vero plus participant de temporali, quam de spirituali, vt calices, aliave vasa inseruientia rei spirituali, templorum loca, officia cantorum. quæro igitur vtrum harum rerum aliquæ emi vendive possint? RESP. Res purè spirituales, aut mixtæ, quæ plus participant de spirituali vendere, aut emere pretio, simonia est in omni consideratione, nam totæ simpliciter censentur spirituales. Secus dicendum de mixtis, quæ plus participant de temporali: censentur enim ad hunc effectum simpliciter temporales, & ideo in ijs vendendis non committitur simonia: nisi expresse intendatur vendi spirituale earum. Ita Tolet. *lib. 5. ca. 83.* Ideo licet vendere, aut emere calices, etiam consecratos pretio eodem quo emerentur, si non essent consecrati. Est tamen simonia emere, aut vendere ieiunium, orationes, aut alium virtutis actum.

14 QVAEST. *Estne simonia commutare res spirituales pro alijs spiritualibus, vt ieiunium pro ieiunio, orationem pro oratione, audire confessionem, vt alter audiat meam?* RESP. Minime. Ita Sot 4. *Iust. quæstion. 5* Tolet. *libr. 5 capit. 88. numer. 2.* licet oppositum teneat Conrad. *in 4. distinct. 25. art. 3.*

15 QVÆST. *Licebit igitur commutare beneficium pro beneficio?* RESP. Stando in iure diuino, ita est, sed talis commutatio est prohibita iure humano. *ca. Quantum de rer. permut.* atque in eo dispensat Summus Pontifex.

16 QVAEST. *Licetne exigere pretium pro labore antecedenti in administratione sacramentorum?* RESP. Licet. Ita Sot. 6. *iust. qu. 9. ar. 1.* Tol. *lib 5. ca. 88. nu 5.*

17 QVÆST. *Qui labor censendus est antecedere administrationem sacramentorum?* RESP. Omnis ille, qui ex se & ex natura rei non comitatur ipsam effectionem sacramenti: enim vero necessario comitatur labor actionem audiendi confessiones, baptizandi, operandi sacrum: iste labor vendi non potest. Veruntamen iter magnum

conficere ad audiendas easdem confessiones ad ... zandum, ad faciendum sacrum, ex se non est ... annexus tali operi.

18 QVÆST. *Potestne exigi pretium pro obligatione, qua ... se obligat certo tempore ministrare sacramenta, vel ... crum in tali loco?* RESP. Potest. Ita Gloss. *capit. ... catum de præbend.* Caietan. *verb. simonia.* Tolet. ... *capit.* 88. Ratio est, quia ibi non venditur res spiritu... sed libertas.

19 QVÆST. *Potestne exigi pretium ad congruam ... ministri sustentationem pro ministrandis sacramentis?* R... Potest. Etiamsi minister dives sit, & habeat aliunde ... cientia alimenta. Ita Tolet. *proxime* Id tamen prohib... Concil. Trident. *session.* 21. *cap. de reformat.* in fi... pro conferendis ordinibus, pro literis dimissoriis, ... gillo, sed vult, omnino gratis ista conferant, ... vitam alant mendicando, & pro rebus dictis spon... offeratur aliquod alimentum.

20 QVÆST. *Potestne Episcopus pretium accipere pro ... quem exercet per potestatem iurisdictionis, vt pro dispen... do in votis, pro relaxando iuramento, pro absolutione a ... sus, pro consecrandis templis & pro aliis huiusmodi?* ... Minim. Ita Diu. Thom. 2. 2. *quæstion* 100. *artic.* 2. ad ... ista sunt simpliciter spiritualia. Potest tamen si ... sponte, & gratuito: vel ad congruam sustentat... Quod si à Summo Pontifice aliquod pro talibus ... nibus exigatur, vel id fit in pœnam, qua inconsta... nitur volentis iurantis, aut nubentis: vel in compo... tionem, commutationemve vnius oneris ablati ... in aliud minus.

21 QVÆST. *Potestne sacerdos pacisci de certa qua... tate sustentationis pro faciendo sacro, aut funere, ... data, nolit celebrare, nec funus exequi?* RESP. Negat... Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *artic.* 1. quam opinionem ... bitratur Caiet. circa ministrum diuitem, non vero ... perem, qui non habet, vnde alatur. Ita *quodl. quæst.* ... vero 9 *iust.* 6. *artic.* 1. eam improbat etiam circa ... ministrum, amoto scandalo, quod quidem freque... inde oritur. Nulla tamen est simonia quærere loca... pinguiores sustentationes, & eleemosynæ pro sacro...

sacro, aut concione habenda, ministris tribuuntur. Sic Tolet. *lib. 5. ca. 89. nu. 7.*

22 QVÆST. *Quid censes de pecunia, pretiove dato, & accepto pro monialibus suscipiendis in monasterium?* RESP. Dico primum. Dare, vel accipere pecunias pro ipso ingressu religionis simonia est. Sic habetur *cap. Quod pro 1. qua. 2.* Dico secundum. Potest dari, & accipi, & pacisci pecunia pretiumve, pro sustentanda moniali in monasterio, vel monasterium sit pauper, vel diues. Ita Sylu. *simon. § 5.* & Tolet. *lib. 5. ca. 89. nu. 9.*

23 QVÆST. *Possuntne vasa sacra, vestesve sacræ vendi in vsus profanos?* RESP. Si frangantur, scindanturve, ita vt figura mutetur. Ita D. Thom. *2. 2. qu. 10. art. 4.*

24 QVAEST. *Quæ simonia committitur in beneficijs?* RESP. Dico primum. Simonia est vendere, aut emere beneficium ecclesiasticum. *cap. si quis 1. quæst. 3.* Dico secundum. Simonia est vendere, aut emere, pretiumve dare vel accipere pro resignatione beneficij, vel collatione, vel electione ad illud. Est omnium Doctorum. Addit vero Tolet. *libr. 5. capit. 90.* Imo pro ipsa interuentione. Nam qui daret pretium alicui, vt pro ipso interueniret apud patronum, vt illi conferat beneficium, simoniacus esset.

25 QVÆST. *Sunt digni ad beneficium, sed patronus vult eligere indignum, possumne pecuniam offerre pro non eligendo indigno?* RESP. Potes. Ita Caietan. *quodlib. 1. quæst. 9.*

26 QVAEST. *E contra, sunt omnes indigni, vnus tantum est dignus ad beneficium, possumne pecuniam offerre pro eligendo digno?* RESP. Potes. Ita Sot. 9 *Iust. quæst. 6. art. 1.* Tolet. *lib. 5. cap. 9.* Non tamen quando sunt multi digni, iuxta eundem Doctorem. Ratio est manifesta, quia ista oblatio pecuniæ pro eligendo illo solo digno in re est data pro non eligendis indignis.

27 QVAEST. *Estne simonia vendere ius, quod habeo ad beneficium, vel ius patronatus?* RESP. Prior casus est in litigãtibus de beneficio, & respõdeo affirmatiue. Ita Cardinalis loco proxime allegato. Solet tamẽ Papa huiusmodi litẽ cõponere, dando vni beneficium, & alteri pensionem in eo. Idem affirmo de iure patronatus, quod malũ

grauiter prohibetur à Conc. Trid. *sess. 25. cap. 9.* tanquam contra canones. Oppositum videtur asserere D. Thom. *2.2. quæst. 100. art. 4.* sed intelligendus est, cum patronatus pertinet ad villam, vel maioratum temporalem, qui vendito simul videtur vendi ius patronatus, cum ratio in illa venditione transferatur in emptorem villæ, vel maioratus. Et ita de eo acquiritur possessio, vt habet l. norm. *ca. Quærela.* Armil. *simonia. 5. §. 40.* veruntamen ea nil vltra omnino exigi potest.

28 QVÆST. *Licetne pecuniam dare ad redimendam vexationem iniustam beneficij?* RESP. Subdistinguit D. Tho. *2.2. qu. 100. 2. art. 2. ad 5.* Vel vexatio fit post consecutum ius beneficij, vt cùm litigator vult iniusta opponere impedimenta, & beneficiatum spoliare beneficium habito iuste. Et tunc ait licere. Et est communis opinio Gloss. *ca. Dilectus de simonia.* Vbi Abbas. *nu. 4.* & Ioannes *num. 2.* Rebuffus *de simonia. num. 17.* Nauar. *in man. cap. 25. num 114.* Ratio est, quia iure naturali mihi licet redimere bona à me possessa. Vel vexatio fit ante possessionem alicuius acquisitum beneficij. Et tunc absolutè negat. Hinc D. Thomæ opinionem limitat Sot. *9 lib. Iust. quæst. art. 1.* nisi violentia inferatur, vt cùm quis vi detinetur, ne compareat tempore proposito coram Episcopo ad beneficium consequendum, vel coram alijs, ad quos beneficij collatio pertinet, &c. tunc enim licet hanc veram rem pretio redimere. Crediderim, pace tanti Doctoris, posse etiam anticipata pecunia redimere vexationem, quam quis certo nouit sibi faciendam in ferendis suffragijs suæ maioris dignitatis, in oppositione ab ipsis malevolis suffragatoribus, & alijs similibus iniustè inducentibus. Hinc enim redimo pretio ipsam vexationem, non beneficium.

29 QVÆST. *Censenduſne est simoniacus beneficiatus, qui non per se, sed per alium emptū possidet beneficium?* RESP. Maxime. Et tenetur, vbi primum id scierit, dimittere beneficium. ita habetur *Extraua. ca. Ex insinuat. de sim.*

30 QVÆST. *Non dedi pecuniam collatori, sed alij, vt à collatore illud mihi obtineret, verbi gratia, cognato Episcopi, commisi ne simoniam?* RESP. Commisisti. Ita Tolet. *lib. 5. cap. 90. num. 9.* & est res clara.

31 QVÆST.

31 QVAEST. *Promisit quis ficta promissione, hoc est, animo non reddendi promissam pecuniam pro beneficio obtinendo, commisitne simoniam?* RESP. Minime. Ita Caietan. *quodl. 1. q. 9. Iust. quæst. 8. ar. 1.* Tolet. *lib. 5. cap. 90. num. 11.* Ratio est metaphysica, quoniam actus exterior sumit suam specificationem, ab actu interiori.

32 QVÆST. *Quid censes de permutatione beneficiorum?* RESP. Dico primum. Permutare beneficium spirituale pro officio temporali, seu sæculari, simonia est. Dico secundum. Permutare beneficium cum beneficio, vna ex tribus deficiente conditione, simonia est. Ita Sylu. *permutatio §. 1.* Tres autem conditiones assignat Tabiena *verb. beneficium. 3. §. 16.* Primam, vt Permutatio fiat cum facultate superioris: superior autem in hoc negotio est, qui potest illa beneficia conferre. Secundam, ne ante talem facultatem fiat absolutum pactum de permutatione: hoc tamen non tollit, quod possint inter se agere de permutatione cum facultate superioris. Tertiam, Ne in pretiũ etiam conferatur quicquam spirituale, vt aliud beneficium simplex, &c. Hoc tamen non tollit, quod in permutatione beneficii pinguiotis possit exigi pensio in eo de licentia Papæ. *c. Ad quæstiones de rer. perm.* notatq; Sot. *lib. 9. iust. q. 7. art. 2.*

33 QVAEST. *Estne simonia permutare beneficium pro quouis commodo temporali?* RESP. Maxime. Et ideo simonia est permutare beneficium, vt soror eius nuberet fratri suo, aut remitteret iniuriam.

34 QVAEST. *Quæ simonia committitur in locatione beneficij?* RESP. Dico primum. Simonia est locare potestatem iurisdictionis, seu vices spirituales, vt si Episcopus locet suam potestatem iurisdictionis, aut curatus potestatem ministrandi sacramenta. Ita Sylu. *simon. §. 14.* Dico secundum. Locare, aut vendere oblationes ecclesiasticas, non est simonia. Sylu. *simon. §. 14.* Idem affirmat de fructibus.

35 QVÆST. *Ad quod tempus possunt vendi, aut locari fructus beneficiorum?* RESP. Iuxta *Extrauag. Ambitiose: de rebus eccles.* ex Paulo II. ad triennium solum & vltra infligitur ipso iure priuatio eorundem fructuum. Hæc tamen Paulina non est vbique recepta, ita notat Nau. *cap. 27.*

sum. nu. 149. Caiet. *excommun.* Iuxta Nau. ad septe-
aitque esse decretum. *cap. Querelam, ne prælati vic*
sed in hoc textu nihil determinatur, sed appro-
catio, & venditio vsque ad septennium. Iuxta Syl.
tio §. 3. Tabiena, *ibid.* ad modicum tempus. Modicu-
ro tempus est minus decennio, vt notat Tolet. *lib.*
nu. 6. Iuxta Panorm. *cap. Querelam cit.* ad totam
locantis, & vendentis adducit pro sua sententia
ens. & Federium, quia non est iure prohibitum. Ver-
net Sylu. *simonia* §. 14. Vbi ergo Pauli Extrauagans
in vsu, hæc vltima sententia vera est, si adsit necessa-
cationis, & venditionis, vt approbat Tolet. *lib.* 5. *c.*
mer. 7.

36 QVAEST. *Quid censes de simonia in pensionibus?*
Pensiones, quæ ad resignationem alicuius benefici
tur, possunt redimi absque Simonia, etiam absque
tia. Quod si hæc facultas petitur, est ob securitatem
tractus, ne alter neget esse redemptas. Ita Card. Tole-
5. *ca.* 92. Dico secundum. Simonia est resignare be-
cium apposita pensione, cum pacto illam redimendi
tim. Ita Caiet. *opusc.* 16. *quæst.* 10. Dico tertium. Si-
est vendere, aut emere supra dictas pensiones. Na-
hoc iure prohibitum: prohibetur tamen consuetu-
& praxi Curiæ, vbi vt simoniacus punitur pensio-
emptor, & venditor. Ita Tolet. *lib.* 5. *cap.* 92.

37 QVAEST. *Estne simonia vendere ius sepulturæ, o*
quis habet, vt ipse, suique consanguinei, verbi gratia, sepe-
tur in aliquo loco? RESP. Maxime. Ita Innocent. *ca. ad*
lendam, ius inquam, quod iam acquisitum est, vel e
piscopi licentia, vel ex mortuo iam in ea sepulto. Ne
emere terram (virginem vocant) ad sepulturam, non
simonia.

38 QVAEST. *Potestne exigi certa pecunia dari solita Ec-*
sijs pro sepultura concessa? RESP. Potest. Ita Sylu. *sepul-*
ra nu. 2. Videndus tamen hac de re D. Thom. 2. 2. *q.*
art. 4. *ad* 3. Lopez. *L.* 1. *tit.* 13. *p.* 1. *verb. vender.* Molin. *de*
mogen. cap. 24. *nu.* 40. Menoch. *lib.* 2. *de arbitr. casu.*
Sot. *lib.* 9. *Iust. q.* 6. *ar.* 1. *ad* 3.

39 QVAEST. *Est infans in extrema vitæ periodo: adsu-*
duo, ego nescio formam baptismi: alter scit, sed non vult
pro

pretio illum baptizare, estne simonia tale pretium offerre pro redimenda illa negationis vexatione? Resp. Minime. Idem censeo de adulto, qui non potest ab alio obtinere baptismum sine pretio, & est in vltimo vitæ periculo, & in periculo damnationis, quia difficilis est actus contritionis, cuius flamine baptizetur, vt iam respondi in materia de baptismo. Ita Roderic. *de simon. in sum. numer.* 8.

40 Qvæst. *Estne simonia quicquam pretij petere, vel sponte datum, accipere in pretium pro benedicendis nuptijs?* Resp. Maxime. Ita decernitur *cap. In Ecclesia. Extrauag. de simon.*

41 Qvæst. *Solent nubentes pro benedicendis nuptijs parocho ex more offerre quicquam, committitne simoniam parochus, qui alteri non vult concedere licentiam benedicendi, nisi ipsi soluantur dona solita?* Resp. Minime. Ita Sylu. *simonia.* §. 8. post Panormitan. quos sequitur Eman. *de verb. simonia. c.* 58. *num.* 9.

42 Qvæst. *Possuntne prædicatores Euangelij pacisci de pretio ad congruam suam sustentationem pro prædicatione, & facta ea, pretium exigere?* Resp. Possunt. Ita Caiet. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 2. Sot. 9. *lib. iust. quæst.* 6. *art.* 1.

43 Qvæst. *Offert quis Episcopo pecuniam, & obsequia præstat, vt Episcopi comparet benevolentiam, qua motus Episcopus illi conferat beneficium ex gratitudine, atque ita secundario per pecunia, & obsequiorum vim intendit beneficij collationem, committitne simoniam?* Resp. Minime. Ita omnes cum Nauar. *in sum. capit.* 23. *numer.* 106.

44 Qvæst. *Commodaui pecunias Episcopo cum pacto de beneficio dando, commisi ne simoniam?* Resp. Commisisti. Ita Nauar. *in sum. ca.* 17. *nu.* 207. Aragon. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. Mercatus. *de vsuru. ca.* 7. Medin. *in instruct. lib.* 2. *cap.* 14. §. 24. Ratio est, quia commisisti vsuram, vsura autem est pretium, seu lucrum, ergo commisi simoniam, siquidem eo pretio obtinui beneficium, seu vt verius loquar, beneficium fuit pretium.

45 Qvæst. *Quid censes de collatore, qui confert beneficium ad acquirendam, vel non amittendam amicitiam alicuius, aut ad comparandas laudes, vel euitandas con-*

tumæ-

tum elias alterius? RESP. Si intentio collatoris in hoc tantummodo sistit, non committit simoniam. Ita Caiet. *in sum. verb simonia.* Sot. *lib. 9. Iust. q 7. art. 2.* Ratio est, quia tunc collatio beneficii non procedit ex auaritia, sed ex ambitione: simonia autem supponit auaritiam. Dico secundum. Si intentio progreditur vlterius, ita vt comparet amicitiam alterius ad lucra, vel seruitia inde proueniencia, non tantum in gratitudinem, sed in pretium: vel etiam ad fugienda damna emergentia, & comparanda lucra cessantia, simonia est. Et ideo committit simoniam Rex, qui iure patronatus confert beneficia, seu Episcopatus Magnatum filiis, vt postea parentes pecuniam suppeditent ad bellum, vel quid simile Ita Roder. *verb. simonia. c. 59. nu. 9.* cum communi.

46 QVAEST. *Estne simonia resignare beneficium coram Episcopo, assignando certam personam, cùm illud conferat?* RESP. Est quidem. Ita Gomes. *in rubr. de trien. possess. quæst. 16. nu. 3. & 4.* Rebuff. *in praxi benef. de resig. pura. & in cap. de rebus condit. num. 4.* & est contra ius *ca. Ordin. 1. q. 1. cap. Tua de simonia.*

47 QVAEST. *Habeo beneficium, sed adhuc de eo lis est, renuncio illud Petro cum pacto soluendi pensionem, si ipse litem vicerit, committone simoniam?* RESP. Committis. Ita Nauar. *in man. cap. 23. num. 100.* Estque ante litis victoriam conuentionalis, obtenta vero lite est simonia realis, si pensio soluitur. Notat ex eodem Nauarro Eman. *in sum. verb. simon. cap. 60. nu. 3.* & alij.

48 QVÆST. *Resignauit Petrus beneficium Ioanni, sed intendit secundario, vt Ioannes postea gratum se ostendat, & beneuolum, quod si non existimaret futurum, nullatenus resignasset, committitne simoniam?* RESP. Minime. Ita D. Tho. *2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 2.* Ratio est, quia gratitudo non habet rationem pretij, nec debetur ex obligatione legali, sed tantum gratuita.

49 QVAEST. *Quot dies viuere debet renuncians propter infirmitatem post factam renunciationem?* RESP. Viginti. Ita habet Regula 18 Cancellariæ.

50 QVÆST. *Renunciauit Petrus absolute beneficium in Ioannem, sed cum fiducia accipiendi ab ipso Ioanne, aut omnes redditus, aut certam partem fructuum, teneturne Ioannes illos*

sol-

soluere? Minime. Ita Sotus, *lib.* 3 *Iust. q.* 6. *art.* 2. *& lib.* 4. *q.* 7. *articul.* 2. Ratio est, quia ista fiducia non posuit obligationem iustitiæ, sed ad maximum gratitudinis; ergo stando in iure naturali solum obligatur Ioannes ex gratitudine: gratitudo vero alia via satisfieri potest, vt notat Nauar. *in man. cap.* 23. *nu.* 104. *&* 105. *& tract. de simon. nu.* 12. 13. *&* 14. Imo contra hanc fiduciam est motus proprius Pij V. qui excommunicatione Papæ reseruata punit, & Petrum ex fiducia pactione simplici accipientem, & Ioannem dantem, vt notat Gord. *de casib. q.* 3. Quod si talis fiducia fuit declarata inter eos, renunciatio fuit simoniaca, vt aduertit Roderic. *in sum. verb. simon. cap.* 60. *nu.* 7.

51 QVAEST. *Habet Petrus beneficium simplex, vult obtinere ab Episcopo, vel alio patrono aliud maius, vt obtineat, promittit se resignaturum simplex cui voluerit Episcopus, de facto resignat, committiturne simoniæ?* RESP. In foro exteriori committitur, & ita iudicandum est. In foro vero animi, si illi promissio non facta fuit in pretium, sed tantum in causam impulsiuam, vt facilius Episcopus, patronusve suum beneficium conferret, non committitur. Ita Nauar. *lib.* 5. *Consil. tit. de simon. consil.* 23.

52 QVAEST. *Qui absque ordine iuris inter se permutant beneficia, incurruntne aliquam pœnam, censuramve Ecclesiasticam?* RESP. Minime. Nulla enim imposita est in iure. Notauit Arag. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 6. Pœna vero apposita à Conc. Constan. quod refertur *in Extrauag.* 2. *de simon.* cõprehendit veros naturali iure simoniacos, qui pretio vendunt, emuntve res spirituales, non vero simoniacos solo iure positiuo, vt tales punitos, quales sunt permutantes, beneficia, non seruato iuris ordine, vt notat Couar. *lib.* 1. *resol. cap.* 9. *num.* 3. *&* 5.

53 QVAEST. *Habet Petrus beneficium cum pensione, habet aliud Ioannes sine ea, potestne ex Episcopi licentia Ioannes commutare cum Petro, cum pacto, vt pensionem soluat Petrus, sicuti antea soluebat?* RESP. Minime, quia est simonia conuentionalis, vt aduertit Nauar. *in man. cap.* 23. *num.* 106. Debetque obtinere à papa facultatem soluendi talem pẽsionem, ne in realem simoniam cadat, vt notat Eman. *in sum. ver. simon. c.* 95. *num.* 7.

54 QVÆST.

54 QVÆST. *Committitne vsuram Episcopus, qui beneficium vni confert, dicendo dabis illud Petro, & reseruabo tibi pensionem?* RESP. committit. Ita Nau. *in man. cap. 23. num.*

55 QVÆST. *Quæ pœna impositæ sunt simoniacis?* RESP. Quadruplex est simoniaci pœna. Refertur à Sylueſt. *simonia* 19. Duæ tamen sunt in vsu. Prima est excommunicatio Papalis ipso facto. Secunda est priuatio ipsius beneficij empti, aut venditi, cum obligatione restituendi pecuniam acceptam. Ita Card. Tolet. *lib. 5. cap. 93. num. 1.*

56 QVÆST. *Dixisti superius tres esse simoniacorum species, nimirum mentalium, conuentionalium, & realium, dic ergo estne hæc pœna posita omni simoniaco?* RESP. Dico primum. De simoniaco pure mentali omnes conueniunt non esse latam pœnam. Cum tamen in aliquem actum exteriorem emanauit, affirmat Sotus *lib. 9. Iust. quæst. 8.* Oppositum tamen est asserendum cum Panormit. *cap. mandatum de simonia.* Sylueſt. *simonia §. 20.* Caietan. *ibidem cap. 2.* & Toleto *proxime*, qui id affirmat expresse decerni. *cap. Mandato. de simon.* Dico secundum. Propter simoniam conuentionalem, quæ ex neutra parte ad opus emanauit, sed solum in conuentione, pactoque stetit, etiam omnes Doctores negant incurri pœnam. Nec etiam ob eam incurritur pœna, cum datum fuit pretium, sed non beneficium vel aliud spirituale. Ita Caiet. & Sotus *loco proximo.* In ea vero, in qua datum fuit beneficium, sed nondum datum est pretium, controuertunt Auctores. Negat Nauar. *cap. fin. de simon.* In oppositum est communis opinio cum Soto *lib. 9. Iust. quæst. 8. §. 1.* Putatque Toletus esse veriſimam, & expressam *in cap. Cum super eo. de confess. cap. Nouit de simon.* Tenet id stylus Romę. Ratio Cardinalis est, quia translato beneficio, facta fuit vera emptio, & venditio realis, ergo vera, & realis simonia. Verumtamen Nauarri opinionem censet probabilem. Dico tertium. Propter realem simoniam commissam in conferendo ordine & beneficio, & propter eam solam incurruntur huiusmodi pœnæ. Ita communis opinio sine controuersia.

57 QVÆST. *Quid censes de restitutione debita propter simoniam?* RESP. Dico *primum*. Propter simoniam pure mentalem nulla debetur restitutio. Ita habetur *cap. vlt. de simon.*

simon. & tenent *Caiet.* 2. 2. *quæst.* 100. *artic. vlt.* Nauarr. *in man. cap.* 23. *numer.* 102. Atque in hoc, vt bene aduertit Rodericus *in sum. verb. simon. cap.* 66. differt simoniacus ab vsurario, quod vsurarius mentalis tenetur ad restitutionem, quia, qui reddit vsuras, semper reddit inuitus: qui autem dat simoniaco, libens dat, sed illi responderi posset. Etiam emptor simoniæ dat inuitus, quia potius vellet sibi gratis beneficium dari. Hoc tamen non obstat, quia etiam emptor cuiusque rei potius vellet sibi rem dari gratis, quam pretio, vt aduertit Nauar. *supra.* Aragon. 2. 2. *quæst.* 100. Nauar. *lib.* 2. *de restit. cap.* 2. *nu.* 384. Medin. *in sum.* Dico secundum. Qui beneficium habent simoniace per alium obtentum, sed à se bona fide possessum, non tenentur simul cum beneficio resignato fructus collectos, & bona fide consumptos restituere, sed solum eos, quos habent, quando beneficium resignant. Ita D. Thom. 2. 2. *quæstion.* 100. *articul.* 6. *ad* 3. Dico tertiũ. Qui simoniace pro collatione ordinum, & beneficiorum pecunas accepit, tenetur illas restituere ante iudicis sententiam. Ita D. Thom. 2. 2 *quæst.* 100. *art vltim.* Medin. *de rest. quæst.* 3. Sot. *lib.* 9. *Iust. quæst.* 8. *art* 1. Ratio est, quia ius canonicum supra allegatum, illum reddit incapacem dominij talis pecuniæ, licet alij aliter sentiant.

58 QVAERST. *Cui facienda est talis pecuniæ restitutio?* RESP. Dico primum, Si qui dedit, ignorauit simoniacum esse contractum, ipsi semper est reddenda, quia bona fide dedit. Ita decernit *cap. veniens. de simon.* Dico secundum. Simoniaco vero reddenda est, cum ante sententiam latam super simoniam redditur. Post sententiam latam Ecclesiæ, vel pauperibus, quia lata sententia, ipso iure priuatur dominio talis pecuniæ Ita Arag. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 6.

59 QVÆST. *Obtinuit quis simoniace beneficium, sed occultè petit à Papa dispensationem, cui debet facere restitutionem pecuniæ acceptæ?* RESP. Respondet Eman. *in sum. verb. simonia. c.* 66. *nu.* 6. faciẽdam ipsi Papæ tanquam dispensatori beneficiorum, & fructuum.

CA-

CAPVT XV.

De Sacramento Matrimonii.

§. *Nostri est finis non ita ieiune de sacramentis agere, ritualem institutionem eorum, materiam, formam, ministrum, subiectum & effectum ostendamus: sed ea persequi, quæ communiter Doctores agitare solent. Ideo acturi de sacramento Matrimonij, dicemus prius de contractu naturali, in quo fundatur. De impedimentis ad nuptum. De sponsalibus, & Denunciationibus, quæ præmittuntur: postea de Repudio, Polygamia, & separagemus.*

De Matrimonio, quatenus est contractus naturalis. §. 1.

1 *Quid est matrimonium naturale.*
2 *A quo fuit institutum.*
3 *Quando à Deo fuit institutum.*
4 *Quomodo fuit institutum.*
5 *An tale matrimonium sit ex præcepto divino naturali.*

1 QVÆSTIO. *Quid est matrimonium naturale?* RESP. Est cõtractus inter virum, & mulierem, nullo naturæ, aut humanæ legis impedimento inhabilitati ad contrahendum, de retinendo perpetuam vitæ consuetudinem, aliquo externo signo declaratus.

2 QVÆST. *A quo fuit hic contractus naturalis institutus?* RESP. A Deo ipso. Ita Catholici Doctores. Probat Argentinas *in 4. d. 26. quæst. 1 art. 2.* Nam ab eo præcipue facta fuit matrimonij institutio, à quo primo, ac præcipue facta fuit legitima viri, ac mulieris coniunctio maritalis: sed à Deo ipso facta fuit talis maritalis coniunctio, se-

cun-

cundum Christi Domini testimonium *Matth. 19. Quod Deus coniunxit homo non separet*, ergo, &c.

3 QVAEST. *Quando fuit à Deo institutus hic contractus maritalis?* RESP. Bis secundum Doctores, semel tempore innocentis Naturæ ante peccatum: Ita notat Gratian. *cap. Sicut §. his ita 32. quæst. 2.* Mag. *in 4. d. 16. ibidem.* Scot. *quæst. vnica* Abb. Mag. D. Bonauen. *quæst. 1. art. 1.* Richard. *quæst. 2. art. 3.* Institutum vero fuit in statu innocentiæ in officium naturæ ad propagandam prolem, vt loquitur D. Augustin. *de Gen. ad lit. cap. 7.* In statu vero peccati in remedium concupiscentiæ, vt colligitur ex D. Paulo. 1. *Cor. 7.* dicente: *propter fornicationem autem vnusquisque suã vxorem habeat, & vnaquæque suum virum.*

4 QVAEST. *Quomodo facta fuit à Deo huiusmodi matrimonij naturalis institutio?* RESP. Omissis plurimis hac de re opinionibus, dico. Primum. Matrimonium in statu innocentiæ, vt est contractus naturalis, institutum fuit à Deo per inspirationem, qua reuelauit Adamo, & Euæ se velle, vt inter Adamum, & Euam, ac inter eorum posteros esset maritalis coniunctio, perpetuam vitæ consuetudinem retinens. Qua facta reuelatione adduxit Euam ad Adamum accipiendam in suam, ac proinde tanquam paranymphus primos humani generis parentes cõiunxit. Notat Ben. Per. *lib. 4. in Gen. disp. de formation. Euæ, quæst. 9.* Ita præter Bonauent. Scot. Argentinatem citatos tenet Abulensis *super verba Gen. Non est bonum hominem esse solum.* D. Thom. *in addit. quæst. 42. art. 4. & super Geneseis citata verba. Non est bonum, &c.* Dico secundum. Hæc institutio facta fuit in paradiso voluptatis. Ita notant Gratianus, & Magister *citatis locis* Altisiodor. *in sum. tractat. 4. de matrimon.* Dico Tertium. Hanc institutionem Adamus promulgauit, cum matrimonium contraxit, dicendo Euæ. Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea, accipiente Eua contractum. Dico quartum. Matrimonium in statu peccati, prout est contractus naturalis, institutum fuit à Deo *Gen. 9.* cum dixit Noe, & posteris illius post diluuium: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Ita Richard. *loco citato.*

5 QVAEST. *Estne contractus matrimonialis ex iure diuino naturali?* RESP. Dico primum. In mundi exordio & post

diluuium ob penuriam generis humani tenebantur homines contrahere matrimonium ex iure diuino naturali. Ita D. Thom. *quodl.7. art.17. & in addit. qu.41. art.1. ad* 1. D. Bonau. *in 4. q.16. art.1. qu.3.* Durand. *quæst.2.* Palud. *quæst.3. nu.4.* Ratio est, quia ex iure diuino naturali tenetur subuenire toti: sed propagatio speciei humanæ pendet ex singulis hominib. per legitimam generationem procreatis, ergo in penuria ac defectu speciei humanæ tenentur homines ad actus matrimonales exercendos. Dico secundum: Modo post multiplicationem humanæ speciei singuli homines singulariter sumpti deobligantur ab hoc naturali iure. Dixi, singulariter, quia simul sumpti, vt continent totam speciem humanam, adhuc eo iure adstringuntur. Ac proinde si omnes omnino singulares matrimonio abstinerent, tenerentur Principes communitatis aliquos cogere ad nuptum. Ita D. Thom. Bonau. Sot. Durand. Palud. *locis citatis.* Cum igitur D. Paul. 1. *Cor.7.* dixit, loquendo de virginitate seruanda: *Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum*, verbum, omnes sumit diuisim, non vero coniunctim. Dico tertium: Si modo ob pestes aut bella, tanta facta esset humanæ speciei diminutio, quanta fuit in exordio mundi, & post diluuium, etiam obligarentur ex ipso naturali iure singuli homines ad contrahendum matrimonium. Hæc conclusio claret ex ratione adducta in primo dicto. Nequam ab hoc implendo naturali iure deobligarentur, qui votum haberent castitatis ex vi præcisa ipsius voti. Ita Durand. & Argentin. & Sotus citati. Palatius *in 4. d.16. dub.* 1. Viuald. *de matrimon.* Ratio est, quia votum semper includit conditionem, nisi obstet maius bonum, maiusque ius: tunc vero maius esset bonum conseruatio speciei, maiusque vinculum ius naturale, obligans individuum ad conseruandam speciem.

CAPVT XVI.

DE IMPEDIMENTIS ad matrimonium contrahendum.

De

De impedimentis in communi. §. 1.

1 *Quotuplex est impedimentum matrimonij.*
2 *An Ecclesia possit statuere impedimenta ad matrimonium.*
3 *An Princeps, aut Respublica sæcularis possit impedimenta statuere ad matrimonium.*
4 *An vere contrahant, qui contrahunt, arbitrantes se habere impedimentum dirimens ad contrahendum.*

1 QVÆSTIO. *Quotuplex est impedimentum ad matrimonium contrahendum?* RESP. Duplex, aut enim impedit & non dirimit, hoc est; ita obstat, vt quī contrahunt cum tali impedimento, peccent, sed vere nubant. Aut impedit, ac dirimit, hoc est, ita obstat, vt non solum peccent, qui cum eo contrahunt, sed etiam non vere nubant. Ita communiter Doctores cum D. Thom. *in 4. d. 34. q. 1. art. 1. in corp.*

2 QVAEST. *Potestne Ecclesia statuere impedimenta dirimentia matrimonium?* RESP. Potest. Oppositum docuit Lutherus, sed est Catholica veritas definita in Conc. Trident *sess. 23. canon. 4. de sacramen. matrimon.* atque *cap.* 1. statutum impedimentum dirimens his verbis.

Qui aliter, quam præsente paroch. &c. matrimonium contrahere attētabunt, eos sancta synodus ad sic cōtrahendū omnino inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit. Ratio adducitur à D. Thom. *in . d. 40. art. 4. ad 2.* Palud. *supra quæst. 4. num. 24.* Victor. *de matrimon. 2. p. num. 12.* quia Ecclesia habet vim super ipsum contractum naturalem, ac proinde potest apponere conditiones ipsum confirmantes, aut irritantes.

3 QVÆST. *Potestne Princeps sæcularis, aut Respublica statuere impedimenta dirimentia matrimonium?* RESP. Dico primum. Respublica ciuilis infidelium, quia Ecclesiæ non subiacēt. Itemque Respublica ciuilis christiana, si suæ iurisdictioni relinquatur, potest valida impedi-

menta apponere naturali, ac ciuili contractui matrimoniali. Ita Victoria *loco citato.* Ruardus *artic.* 16. Sot. in 4. d. 34. *quæst.* 1. *art.* 1. *conclus.* 1. D. Thom. *ibidem. art.* 1. *ad* 4. Ratio est, quia Princeps, ac Respublica ciuilis possunt vtcipere aut prohibere, quod prodest, aut obest bono communi : sed vnum è rebus bono communi vehementer conducentibus, est matrimonium, ergo circa illud possunt Principes sæculares, ac Respublica ciuilis aliqua statuere, vt est contractus naturalis. De facto vero ita statutum est, *L. Sororis. §. si quis L. Semper. 7. si Senatorum l. fin. ff. de ritu nuptiarum.* Dico *secundum.* Ecclesia potest huiusmodi Principum sæcularium, & Reipublicæ ciuilis leges circa matrimonium irritare, & annullare. Ita D. Thom. *in 4. d. 42. quæst. 2. artic. 2. ad 4.* Palud. *in 4. dist. 26. quæst. 3. numer. 12. & 13.* Vict. & Sot. *supra.* Ratio est, quia potestas corporalis, & temporalis subiacet potestati spirituali, & æternæ. Principes vero, & Respublica sæcularis habent solam potestatem corporalem, & temporalem. Ecclesia vero habet potestatem spiritualem & æternam, ergo &c. Dico *tertium.* Leges circa matrimonium conditæ à Republica, seu Principe sæculari, quatenus ab Ecclesia non approbantur, eo ipso nullæ sunt & irritæ. Ita decernitur *cap. Ecclesiæ S. Mariæ de consti.* Et iuxta hanc conclusionem intelligendus est D. Tho. *in 4. dist. 42. q. 2. articul. 2. ad 4.* Palud. *d. 26. q 3. num. 9.* Abb. & Felin. *cap. 1. de sponsalib.* Couar. *de matrimon. 2. cap. 6. §. 10. num. 16.* Gloss. *cap. 1. 30. quæst. 3.* cum absolute videntur asserere nil posse Principem, ac Rempublicam sæcularem circa matrimonium statuere. Hoc est iuxta ipsius Ecclesiæ decretum *in cap. Ecclesiæ* citato.

4 QVÆST. *Contrahunt duo, habiles quidem ad contrahendum, sed ex errore arbitrantes inter se esse verum impedimentum dirimens, intendentes tamen facere quantum possunt, & contrahere, quantum ad contrahendum habiles sunt, regulam verum contrahunt matrimonium?* RESP. Supposito quidem creditu difficillima: ea tamen data, & confessa, respondeo affirmatiue. Ita Archid. & Rosella quos citat Sylu. *matrimon. 8. quæst. 13.* Couar. *de matrimon. 2. p. cap. 3. num. 7. num. 2.* Probatur efficaciter à simili. Nam si quis ex priuato errore putet non esse sacramentum baptismi, tamen

tamen intendat illud si forte est, suscipere à baptizante sub vera forma, verum suscipit baptismum, vt docet communis cum D. Thom. *in 4. d. 30 quæst. 1. art. secundo ad 1.* ergo & verum contrahet cum simili priuato errore matrimonium.

De impedimentis dirimentibus matrimonium. §. 2.

1 *Quot sunt impedimenta dirimentia.*

1 QVAESTIO. *Quot sunt impedimenta dirimentia matrimonium?* RESP. Duodecim, quæ his versibus continentur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen.
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas.
Si sis affinis Si forte coire nequibis.

De impedimento Erroris. Sect. 1.

1 *Quotuplex est error.*
2 *Qui error dirimit matrimonium.*
3 *Quo iure error dirimit matrimonium.*

1 QVAESTIO. *Quotuplex est error?* RESP. Quadruplex, nimirũ personæ, conditionis, qualitatis, fortunæ. Error personæ interuenit, cum putatur esse Socrates, qui est Plato. Error conditionis, cum putatur esse liber, qui est seruus. Error qualitatis, cũ putatur esse bonus, qui est malus. Error fortunæ, cum putatur esse diues, qui est pauper.

2 QVÆST. *Qui horum errorum dirimit matrimonium?* RESP. Dico primum. Dirimit error personæ. Ita communiter Doctores *in 4. d. 30.* Habetur *cap. primo 29 q. 1. ca. Tua nos. de sponsalib.* Ratio est, quia in eo errore deficit cõsensus in matrimonium. Dico *secundum*. Si in errore qualitatis, & fortunæ interueniat etiam error personæ, non sit validum matrimonium. Ita Magist. *citato loco*, & D. Thom. *in 4 d. 30. quæst 1. art. 2. ad 5.* Richard. *ibid. articul. 1. quæst. 2. ad 2.* Gabr. *quæst. 1. artic. 2. conclus. 4.* Nauar. *in sum. cap.*

cap. 22. numer. 32. Hæc constat ex superiori conclusione. Dico *tertium*. Si in errore qualitatis, & fortunæ apponatur ipsa qualitas, & fortuna, vt conditio sine qua non fiat consensus: matrimonium factum sub tali conditione, ea deficiente, est nullum. Hæc claret ex terminis. Illam manifestius ostendam, cum me de consensu conditionato interrogaueris. Dico *quartum*. Error conditionis dirimit matrimonium. Sed hac de re me peculiariter sciscitaberis.

3 *Quo iure error personæ dirimit matrimonium?* Respondeo Iure naturali. Ita D. Thom. *vbi sup.* Palud. *in 4. dist. 34. quæst. 1. num.* 8. Victor. *de matrimon. num.* 270. Sot. *in 4. dist. 30. quæst. 1. art. 1. concl. 1.* Viuald. *de matrimon. n.* 127. Ratio est, quia deficiente consensu, naturaliter deficit matrimonium: sed in errore personæ deficit consensus, ergo &c.

De impedimento Conditionis. Sect. 2.

1 *Quæ conditio dirimit matrimonium.*
2 *An sit validum matrimonium cum serua ad tempus.*
3 *Quæ ignorantia seruitutis validet matrimonium.*
4 *An sit validum matrimonium cum ancilla, quam dominus tradit nuptui.*
5 *An serui, & ancillæ sit validum matrimonium ignorata seruitute.*
6 *An valide contrahat mancipium inscio domino, vel contradicente.*
7 *An dominus teneatur consentire mancipij nuptijs.*
8 *An teneatur seruus potius domini seruitio, quam vxori.*

QVÆSTIO. *Quæ conditio dirimit matrimonium?*
RESP. Conditio seruitutis ignoratæ, igitur si liberi, So-

Socrates contrahat cum Bertha ancilla, arbitrans Bertham esse liberam, nullum contrahit matrimonium. Ita Doctores *in* 4. *d.* 36. D. Thom. *qu.* 1. *art.* 1. *ad* 3. Durand. *q.* 1. *ad* 2. Bonauent. *ar.* 1. *ad* 2. Scot. *q.* 1. Palud. *q.* 1. *nu.* 8. Nam ita decretum est, & irritatum tale coniugium ab Ecclesia *c. ad nostram, de coniug. ser. cap. si quis lib. ca. si quis ingenuus c. ſs fœmina.* 29. *q.* 2. Limitatur ista propositio à Richard. 4. *d.* 39 *qu.* 1. *ar.* 1. Nauarr. *cap.* 22. *num.* 33. Tolet. *lib.* 7. *c.* 3. *num.* 6. nisi qui errat, sic contrahat, quod esset paratus contrahere etiam cognita tali conditione seruitutis. Veruntamen oppositum mihi videtur probabilius, vt dicam *infra num.* 3. Mota autem fuit Ecclesia ex grauissimis rationibus. Nam in eo coniugio læderetur liber coniux in tribus bonis, quæ Doctores assignant matrimonio; nempe in bono prolis, quia eam non habebit in sua potestate. In bono fidei, quia coniux seruituti addictus non potest libero coniugi debitum, ad quod per coniugium obligatur, libere reddere: nam potest tempore necessario à domino in labore occupari. In bono separationis, quia poterit seruus à domino in alum locum duci, aut vendi. Hinc aperte apparet hoc impedimentum non dirimere coniugium infidelium, qui Ecclesiæ legibus non subiacent. Dixi conditionem ignoratæ seruitutis esse impedimentum dirimens, quia si liber contrahit scienter cum ancilla, aut è contra, verum contrahit matrimonium. Ita communiter Doctores cum D. Thom. *in* 4. *d.* 36. Sylu. *matrimon.* 8. *q.* 3. Couar. *de matrimon.* 2. *p. cap* 4. *§.* 7. *nu.* 1. & Gloss. *cap. vlt. de coniug. seru.* Tolet. *lib.* 7. *c.* 3. *nu.* & expresse habetur *ca. Proposuit. de coniug. seru.*

2 Qvaest. *Estne validum matrimonium contractum cum libera ad tempus tantummodo, postea vero futura ancilla, & è contra, ignorata à libero seruitute?* Resp. Minime. Ita Angel. *matrimon.* 3. *imped.* 4. *numer.* 6. probatque ex *L. Statu liberi ff. de statu lib.* Ratio legis est, quia quidquid à tali fit, non fit vt libero, sed vt addicto veræ seruituti.

3 Qvaest. *Quæ ignorantia satis est ad hoc impedimentum?* Resp. Sufficit ignorantia, tam antecedens, quam etiam comitans, (vt loquuntur Theologi.) Ita D. Anton. 3. *p. tit.* 1. *cap.* 3. Sot. *in* 4. *d.* 35. *art.* 2. Ledesm. 2. 4. *q.* 53. *art.* 1. Ratio

est, quia ignorantia concomitans facit non voluntarium, hoc est inuoluntarium negatiue vt docet D. Thom. 1. 2. *quæst. 76. art. 3.* Cum igitur ad matrimonium requiratur maxima libertas, fit, vt hoc inuoluntarium negatiue sufficit ad illud dirimendum.

4 QVÆST. *Estne validum matrimonium cum ancilla, ignorata seruitute, quam dominus ipse tradit nuptui, vt liberæ?* RESP. Validum. Ita Hostiensis, Abbas, & communiter Doctores *cap. finali. de coniug. seruit.* Sylu. *matrimon.* 3. q. 2. Angel. *matrim. 3. imped. 4. nu. 7.* Sot. *d. 35. art. 2.* Nauar. *in sum. cap. 22. numer. 33.* Viuald. *de matrim. num. 124.* Habetur in *Authentic. de nupt. § si vero collat. 4.* Ratio est, quia eo ipso, quod dominus, præfato modo, ancillam nuptui tradit ingenuo, ipsam manumittit, donatque libertatem. Imo si scienti conditionem seruitutis ancillam dominus tradit in vxorem cum dote, eo ipso illam manumittit & libertate donat. Ita habetur *L. vnica. §. sed si quis nouerit. Cod. de latina liber.* notat Gloss. *cap. illud de præsumpt.* idem Panor. Ratio est, quia dos solis liberis conceditur præsumitur.

5 QVAEST. *Contrahitne verum matrimonium seruus nesciens ancillæ, quam ignorat esse ancillam, & è contra?* RESP. Contrahit. Ita D. Thom. *in 4. d. 36. qu. 1. art. 1. ad 1.* Scot. *4. 1. §. dico ergo* Durand. *quæst. 1.* Palud. *quæst. 1. num. 9.* Armil. *ver matr. nu. 5.* Ratio est, quia nulli in hoc contractu fit iniuria, cum æqua maneat vtriusque partis conditio.

6 QVÆST. *Potestne mancipium valide contrahere matrimonium inscio domino, aut eo contradicente?* RESP. Potest. Ita habetur *cap. Omnibus 29. quæst. 2. & cap. 1. de coniug. seru.* Tradunt communiter Doctores in *4. d. 36.* Ratio est, quia contrahere matrimonium est iuri naturali congruum: seruitus autem est de iure positiuo: ius autem positiuum non potest derogare iuri naturali, neque ijs, quæ iuri naturali sunt conformia.

7 QVÆST. *Teneturne dominus consentire in coniugio mancipij sui?* RESP. Minime. Peccat tamen grauiter, ex genere suo, impedimento illius matrimonium, minis, verberibus, aut aliqua iniqua ratione. Item grauiter peccat, absque alia vrgente graui necessitate tale mancipium

cipium vendendo in longinquam regionem, vbi neque at vti matrimonio. Ita D. Thom. *in 4. d. 30. quæst. 1. ad. 4.* Palud. *quæst. 2. num. 9.* Richard. & Sotus *citati.* D. Anton. *3. p. tit. 1. cap. 3.* Gloss. *cap. 1. de coniug. seru.* à quibus Auctoribus immerito recessit Tolet, *lib. 7. cap. 3. num. 3.* Ratio est, quia in vtroque euentu ita contra ius naturale, quod seruus habet ad contrahendum.

8 Qvæst. *Contraxit mancipium inuito domino, aut saltem inscio, rogo, an potius matrimonij vsui, quam domini seruitio teneatur?* Resp. Potius domini seruitio, quam matrimonij vsui tenetur, regulariter loquendo. Itaque si eodem tempore satisfaciendum sit duorum vni, nempe aut vxori, virove exigendi debitum coniugale, aut domino postulanti, & iubenti seruitium ab ancilla, aut seruo, potius tunc tenetur domino, quam coniugi. Dixi, regulariter, quia si ex negatione debiti esset periculũ incontinentiæ, aut aliud graue detrimentum, tunc ius naturale matrimonij, anteferendũ iuri gẽtium seruitutis, vt notat Panor. *ca. 1. de coniug. seru.* D. Tho. *in 4. d. 36. ar. 2. ad 3.* Sot. *in 4. d. 35. qu. 1. ar. 1. ad 2.* Hoc autẽ periculum incontinentiæ oriri debet ex fragilitate, non ex malitia, & luxuria. Doctrina tradita est à D. Thom. *loco allegato.* Richard. *in 4. d. 36. art. 4. quæst. 2.* Bonauent. *art. 1. quæst. 1.* Durand. *quæ. 2.* Palud. *quæst. 2. num. 14.* & communis Theologorum, Nau. *in sum. capit. 22. num. 33.* Ex qua oppositum omnino asserendum, cum dominus tale matrimonium sciuit, & in eo consensit, vt notat Armil. *verb. matrimon. nu. 6.*

De impedimento Voti. Sect. 3.

1 *Quod votum dirimit matrimonium.*
2 *Quo iure votum solemne dirimat matrimonium.*
3 *An consummato matrimonio, liceat coniugibus profiteri religionem.*
4 *An teneatur maritus post professionem religionis redire ad vxorem.*

1 Qvæstio. *Quod votum dirimit matrimonium?* Resp. Dico primum. Votum solemne castitatis, fit autẽ votum solemne, vel per professionem validam in aliqua religione approbata, vel per susceptionem sacri

ordinis, vt iam dixi *sup. cap. 6. §. 2. num. 19.* docentibus D. Thom. 2. 2. *quæst.* 8. *art.* 7. Scot. *in* 4. *d.* 38. *quæst. vnica.* Richard. *ibidem articul.* 7. *quæst* 3. Palud. *quæst.* 2. *num.* 10. habeturque *in cap.* 1. *de de voto, lib.* 6. Fit autem expressa professio, cum fit verbis coram legitimo superiore, petendo illam acceptare nomine Ecclesiæ, siue fiat in publico siue in secreto, vt notat Durand. *in* 4. *d.* 38. *quæst.* 1. Richard. & Scot. *proxime*, habeturque *in capit. Insinuante. Qui clerici vel vouentes*, contra Magistrum *loco citato.* Fit tacita professio per stationem habitus professorum Religionum proprij per triennium, minime reclamante tali professo. Ita Diu. Thom. *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 1. *artic.* 2. *quæst.* 3. ad 2. Richard. *proxime.* Palud. citatus *num.* 15. Gloss. *cap. Ratione. Qui clerici, vel vouentes*, habetur *cap. Statuimus, de regularib.* secundum Tolet. *lib.* 7. *capit.* 4. *numer.* 1. fit per hoc, quod quis post annum probationis actum professi facit, ac se vt professum gerit. Dico *secundum.* Votum solemne siue per susceptionem sacri ordinis, siue per professionem Religionis probatæ, dirimit matrimonium post illud contractum. Ita habetur *ca. insinuante. Qui clerici, vel vouentes. ca. vnico de voto.* Conc. Trid *sess.* 24. *can.* 9. Diuus *Tertium.* Votum solemne Religionis factum post matrimonium contractum, dirimit illud ratum, nondum consummatum. Ita D. Thom. *in* 4. *d.* 27. *qu.* 1. *ar.* 3. *qua* 2. ad 3. Richar. *ibidem ar.* 2. *qu.* 1. Durand. *qu.* 1. Palud. *qua* 3. Scot. *d.* 31. *quæ. vnica.* Habetur *cap.* 2. *& ca. Ex publico de conuer. coniugat.* Est enim hoc priuilegiũ à Christo Domino Religioni concessum, iuxta commune Doctorum interpretamentum, atque proloquium. Probatur hæc conclusio ab aliquibus ex eo, quod Christus Dominus à nuptijs Ioannem vocauit, coaptauitque in Apostolatum, vt videtur asserere D. Hieron. *in prolog.* Euangelij Ioannis, & in *prolog Apocalypsis.* D. August. *in prolog operum.* Ioan. Palud. *in* 4. *d.* 27. *quæ.* 3. *nu.* 25. Maior. *ibidem quæst.* 2. Almain. *de pot. Eccles. ca.* 15. Quia tamen hæc opinio falsa esse probatur à Cardinale Baronio *tomo* 1. *ann. Christi.* 31. *fol.* 106. parum firma est illorum probatio. Hinc factum fuit, vt mira duorum mensium spacium concedant coniugibus ad deliberandum, an illis ante consummationem matrimonij vtilius sit ad religionem migrare, intra quod spatium

nouer

peuter alteri tenetur debitum reddere. Ita habetur *capit. Verum, capit. Ex publico, de conuers. coniug. capit. Desponsatam, cap. Decreta 27 quæst. 2.* Notat D. Thom. & Richar. *supra.* Sotus *d. 27. quæ. 1. ar. 4.* Ideo rectè asserit Couarru. peccare mortaliter sponsum, vi comprimentem spõsam intra illos duos menses, volentem ingredi monasterium, & profiteri. Nomine vero religionis comprehenditur religio sancti Ioannis, vt contra Sotum asserit Nauarr, *libr. 3. cons. in 2. consilio de conuers. coniug.* Card. *quæst. 178.* claretque assertum ex statutis illius Religionis ab Ecclesia approbatis: fit enim in ea verâ castitatis professio. Nõ tamen tertij odinis Dominicanorum, & Franciscanorũ, quanquam sint Religiones approbatæ, sic Tolet. *libr. 7. ca. 4. num. 1.* Dico *quartum.* Votum solemne per susceptionem sacri ordinis non dirimit matrimonium ratum ante illud celebratum. Ita texit *in Extrauag. Antiquæ, de voto.* Dico *quintum.* Votum solemne, siue per professionem, siue per susceptionem sacri ordinis, non dirimit matrimonium consummatum. Ita habetur *cap. Notificasti 23. quæst. 5. cap. Sunt qui. capit. Agathosa, cap. Cum societas 27. quæ. 2. cap. Placet. de conuers. coniug.* Quamquam consummatum fuerit per vim. Ita Richard. *in 4. dist. 27. art. 2. quæst. 4. ad 1.* Durand. *quæst. 2.* Palud. *quæst. 3. num. 10.* Sot. *quæst. 1. art. 4. §. quod autem.* D. Anton. *3. p. titul. 6. cap. 21. §. 1.* Couar. *de matrimon. 2. p. cap. 7. num. 4. num. 10. p. 2.* Ledes. *2. 4. quæst. 63. art. 3.* Consummatum, inquam, per veram copulam, non attentatam, vt notant Palud. & Sot. Ratio est, quia per copulam iam mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Dico *sextum.* Votum simplex castitatis emissum in Societate sacrosancta IESV post expletum biennium nouitatis dirimit matrimonium postea contractum. Ita decreuit Gregor. XIII. propria constitutione, anno Domini 1584. notat Card. Tol. *lib. 7. cap. 4. num. 1.* Dico *septimum.* Nullum aliud simplex castitatis votum dirimit matrimonium. Ita constans est Doctorum sensus *in 4. d. 38.*

2 QVÆST. *Quo iure dirimitur matrimonium contractum post solemne castitatis votum, aut post simplex in Religione Societatis IESV?* RESP. Solo iure ecclesiastico. Ita Canonistæ *in cap. 1. Qui clerici, vel vouentes.* Gloss. Abbas, & Hosti-

Hostiensis. Guandan. *quodl.* 5. *quæ.* 28. Scot. *in* 4. *d.* 38. Richard. *art.* 7. *qu.* 2. *ad vltim.* Palud. *qu.* 9. *num.* 49. Angel. *matrim.* 3. *imped.* 5. Rosella. *imped.* 4. Abulen. *cap.* 30. Nau. *qu.* 36. Caiet. 2. 2. *qu.* 88. *art.* 7. Ratio est, quia seclusa hac Ecclesiæ determinatione tam Deo tradimur per votum simplex, quam per solemne, non minus enim obligamur quo ad Deum voto simplici, quam solemni, vt decernit Cœlestinus III. *ca. Rursus. Qui clerici, vel vouentes.* Ita iuxta probabiliorem sententiam. Nam oppositum asserit D. Thom. 4. *d.* 38. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæst.* 3. Durand. *quæst.* 1. Sot. *quæst.* 2. *art.* 1. & *lib.* 7. *iust. qu.* 2. *art.* 5. Ledesm. 2. 4. *quæst.* 5. *art.* 4. Cou. *de matrim.* 2. *p. c.* 7. §. 4. *nu.* 7. Viuald. *de matrim. num.* 142. aiuntque votum solemne dirimere naturaliter matrimonium. Ratio eorum est, quia votum simplex est sola quædam promissio: votum autem solemne, est totalis traditio. Facile veruntamen tollitur fundamentum, quia negamus in voto simplici non fieri Deo totalem vouentis traditionem.

3 QVÆST. *Licetne aliquando coniugibus, consummato iam matrimonio, ingredi Religionem?* RESP. Dico *primum.* Probabile est posse coniugem compressam vi, ac dolo à suo coniuge intra duos primos menses à iure concessos ad deliberandum de Religione profitenda, Religionem ingredi, ac profiteri inuito altero coniuge, & in sæculo remanente. Ita Palud. *in* 4. *d.* 27. *quæst.* 3. *numer.* 12. Sylu. *diuortium. quæ.* 5. Armil. *eodem verb. num.* 6. Ratio est, quia dolus, ac fraus nemini patrocinari debent, vt est tritum Iuristarum proloquium. Dico *secundum.* Cum alter coniux licite potest negare debitum consortium perpetuum, potestque se ab eo separare quo ad torum, & cohabitationem, tunc potest, eo inuito Religionem profiteri, aut sacris ordinibus initiari in sæculo. Ita Palu. proxime. Sot. *art.* 4. *citatæ quæ.* Sylu. *diuortium.* §. 13. Armil. *ibidem num.* 11. Habetur de profitenda Religione *cap. Agathosa.* 27. *quæ.* 27. *ca. constitutus, ca. Veniens, de conuers. coniug.* De sacris ordinibus suscipiendis habetur expresse, *cap. Mulier, de conuers. coniug.* Dico *tertium.* De communi consensu potest vterque coniux post consummationem matrimonij Religionem confiteri, *cap. Cum sis, ca. Vxoratus, de conuers. coniug.* 27. *quæst.* 2. Oportet autem (si iuuenes

nes sunt) vt ambo profiteantur simul, nec vnus recipiatur ad profitendum, altero in sæculo remanente. Ita decernitur *ca. Cum sis*, citato, & *ca. Ad Apostolicam de conuer. coniug.* Tempus autem profitendi non oportet, vt mathematice expectetur, hoc est, vt in eodem puncto temporis profiteantur, sed moraliter, ne detur periculum morale, vt qui post professurus est, redeat ad sæculum. Ratio est, quia aliter coniux adolescens remanens in sæculo periculo incontinentiæ maneret expositus, quod quidem, velis, vt aiunt, ac remis omnino fugiendum, iuxta Pauli consilium: *Melius est nubere, quam vri.* Per hāc vero professionem non rumpitur vinculum matrimonij (vt soluitur vinculum matrimonij tantū rati) sed adhuc remanent veri coniuges, *cap. Si quis 27. quæst. 2. ex 6. Synodo* generali. *cap. Ex publico. de conuers. coniug.* Hinc manifestè colligitur posse coniugem prouectæ ætatis, in quo non est periculum incontinentiæ, facultate donare alterum consortem, vt Religionem profiteatur, eo remanente in sæculo. Occurrit vero non leue dubium, an possit ille talem facultatem reuocare. Cui respondeo. Peccat mortaliter eam absque iusta causa reuocando. Ita Scotus *in 4. d. 32. quæst. 1. art. 2.* Durand. *qu. 2. ar. 3.* Palud. *qu. 2. num. 17.*

4 QVÆST. *Confessit vxor iuuenis marito facultatem profitendi Religionem, inscia quidem se teneri etiam Religionem profiteri, ne remaneat exposita periculo incontinentiæ. Rogo, an ea renuente Religionem profiteri, teneatur maritus professus ad vxorem redire, & vitam coniugalem cum illa agere* RESP. Tenetur. Ita Gloss. *cap. Agathosa 27. quæst. 2. ver. vel ipsa.* Sot. *in 4. d. 27. qu. 1. art. 4.* Scot. & Durand. *citati.* Videturque aperta decisio *cap. 1. & cap. Ex parte Abbatis, de cōuers. coniug.* Ratio est, quia talis facultas fuit ex ignorantia præstita, & ideo nulla ad professionem faciendam validè, obligantemque ad remanendum in Religione, hinc apertè colligitur, teneri vxorem conscium iuris, quæ tali facultate maritum donauit, sub mortali Religionem profiteri, effeq; ad professionem compellendam. Ita habetur *capit. Agathosa citato, & cap. Qui vxorem 33. quæst. 5.* Gloss. Durand. Sotus, & alij citati. Ratio est, quia talis consen-

sus

sus in professionem mariti inuoluit obligationem professionis Religionis, quam ipsa probè sciebat.

De impedimento Cognationis. Sect. 4.

1 *Quotuplex est cognatio.*
2 *Quot sunt lineæ cognationis naturalis.*
3 *Quot sunt gradus in lineis.*
4 *An gradus pro matrimonio sint computandi secundum ius canonicum.*
5 *Qui gradus in cognatione naturali dirimit naturali iure.*
6 *Qui gradus in cognatione naturali dirimunt iure ecclesiastico.*
7 *De cognatione spirituali.*
8 *De cognatione legali.*
9 *De gradibus cognationis legalis.*

1 QVÆSTIO. *Quotuplex est cognatio inducens impedimentum dirimens ad matrimonium contrahendum & quomodo definitur, & diuiditur?* RESP. Triplex nimirum naturalis, legalis, spiritualis. Naturalis, est consanguinitas duarum personarum, quarum vna ab altera vel ambæ ab eadem descendunt, carnali propagatione. Ita Præpositiu. in arbore consang. *libr. 6.* Nauar. *cap. 22. numer. 4.* Diu. Thom. *in 4. d. 40. artic. 1.* Durand. *quæst.* Scot *quæ. vnica.* Palud. *quæ. 1. num. 6.* Diuiditur vero cognatio naturalis in agnationem, & cognationem. Ita Iuristæ *L. Iurisconsultus. ff. de gradib. affin.* refertque Palud. *vbi proxime.* Enimuerò agnati dicuntur ij, qui per paternam lineam; cognati vero, qui per maternam descendunt; vt notat Couar. *loco citato, numer 2. §.* ex eadem cognatio legalis, est propinquitas personarū ex adoptione vnius, ab altera proueniens. Ita Gloss. *cap. vnico, de cognat. legal.* Nauar. *cap. 22. num. 44.* Viguer. *in Instit. Cathol. ca. 21. num. 7.* ex Palud. & Sylu. Est autem adoptare, legitima assumere tertiam personam in filium, & nepotem, &c. Adoptio autem est extraneæ personæ in filium, vel nepotem,

potem,&c.legitima assumptio. Ita D Thom.*in* 4.*d.* 42. *quæst.* 2.*artic.* 1. Durand.*qu.* 2. Sot.*qu.* 2.*art.* 1. Sylu. Armil.& alij Summistæ.*verb. adoptio.* Nomine extraneæ personæ veniunt, quicunque non erant sub potestate adoptantis, licet sanguinis propinquitate coniuncti, sic Mardochæus adoptauit Hester filiam fratris sui, *Hest.* 2. habetur *Instit.de adoptionibus,* §. *sed hodie.* Dixi legitima, quia secundum leges aliqui adoptare prohibentur. Eos referunt Palud.*in* 4.*d.* 42.*qu.* 1.*art.* 1.*nu.* 16. Sotus *quæst.* 2.*art.* 1.*ad* 2. Sylu.*adoptio.* Prohibentur imprimis ij, qui sui iuris non sunt. 2. Minores viginti quinque annis. 3. Minor natu nequit adoptare maiorem natu, imo debet pater antecedere filium adoptatum annis octodecim.*Institut. de adoptio.* §.*minorem natu.* 4. Is, qui ob impotentiam non potest validum contrahere matrimonium, tales sunt spadones, castrati, frigidi, maleficiati perpetuo.*L.* 2.*ff. de adoption.* notat Diu. Thom.*loco proximo.* §.*Fœmina.Instit. de adoptionibus.* §.*Fœminæ.* 6. Sexagenarius adhuc vegetis viribus constans nequit adrogare. Verum tamen hæc persequi alienum est a nobis. Duplex autem est hæc cognatio legalis, vna est adoptio, altera est adrogatio.*L. Generalit. ff. de adoption. Inst. eodem tit. nu, adoptio,* notat D. Tho.*citatus.* Cou.*de matr.* 2.*p. ca.* 6.*num.* 5. Est autem latum discrimen inter adrogatum, & adoptatum. Nam adrogari nequit nisi ille, qui est sui iuris, adoptari verò potest etiam ille, qui est sub potestate parentum. Ratio est, quia adrogatus transit in potestatē adrogantis: adoptatus vero minime. Deinde quia licet tam adoptatus, quam adrogatus succedant parenti, aut auo adroganti, & adoptanti, mortuo ab intestato: adrogatus tamen habet legitimam in bonis adrogantis, à qua nequit excludi, sicut si esset legitimus: non ita adoptatus. Tertio, quia adrogatio fieri nequit absq; Principis auctoritate, adoptio vero fieri potest sola auctoritate magistratus competentis. Quarto, quia ad legitimam adrogationem requiritur, vt filius adrogatus interrogetur, an velit adrogari & similiter, vt interrogetur pater, an velit illū adrogare: ad adoptionem verò hęc celebritas non exigitur à iure. Ita Richa.*in* 4.*d* 42.*art.* 2. *qu.* 1.*ad* 3. & Duran.*supra.* Cognatio spiritualis, est propinquitas, personarum proueniens ex vera Baptismi, aut Confir-

Confirmationis collatione: aut ex baptizati, vel confirmati susceptione. Duplex autem est hæc cognatio spiritualis. Paternitas nempe, & compaternitas. Paternitas remanet inter ipsum baptizatum, & baptizantem, atque inter ipsum baptizatum, & patrinos, inter confirmatum & confirmantem, atque inter confirmatum, & patrinos. Compaternitas manet inter susceptorem baptizati, & parentes baptizati, atque inter baptizantem, & parentes baptizati: similiter inter confirmati parentes, atque patrinos confirmati, similiter inter confirmantem, & parentes confirmati. Ita nouissime decreuit Concil. Trid. *sessione 4. cap. 2.* sublata omni alia cognationis spiritualis specie.

2 QVÆST. *Quot sunt lineæ in cognatione naturali?* RESP. Duæ: vna est recta, altera est transuersa, Rectæ linea ordo, seu ordinata collectio personarum sanguinitate coniunctarum. Linea recta, est collectio personarum quarum prima producit secundam, secunda tertiam, tertia quartam, quarta quintam, & deinceps, veluti pater, filius, nepos, &c. descendendo, atque in hac considerationе appellatur recta linea descendentium. Nam si inferiori incipiamus sursum versus, appellatur recta linea ascendentium. Linea autem transuersa, est collectio personarum, quæ ab vno, eodemque principio (stipitem appellant Doctores) sanguinis propinquitate emanant, talis est collectio fratrum, patruelium, consobrinorum, amitinorum, &c. Hanc autem lineam veluti scalam fingunt Doctores, personasque eius appellant gradus, quibus veluti descenditur à principiato, ad principiatum, vel ascenditur, à principiato, ad principium, seu recta tendendo, seu ad latus oblique progrediendo.

3 QVÆST. *Quot sunt in vnaquaque linea gradus?* Resp. Dico *primum*. Secundum ius canonicum in recta ascendentium, & descendentium linea, tot sunt gradus, quot sunt personæ, dempta extrema. v. g. Pater & filius sunt duæ personæ, dempta vna à qua incipimus, siue ascendendo siue descendendo remanet altera, & ideo pater, & filius sunt in primo gradu rectæ lineæ. Pater, filius, nepos, sunt tres personæ, dempta vna, remanent duæ, ideo nepos & auus sunt in secundo gradu rectæ lineæ, proauus, & pronepos

sunt in tertio: abauus, & abnepos in quarto, tritauus, & trinepos in quinto. Ita habetur *cap. Parentela. 35. quæst. 5.* Dico *secundum.* Ex iure canonico in linea transuersa æquali (est autem linea transuersa æqualis quando duæ personæ distant in eodem gradu à communi stipite) quo gradu alter distat à communi principio, seu stipite, eodē distant, in se. v.g. Germani fratres à patre distant in primo gradu, eodem distant inter se. Dico *tertium.* Secundum ius canonicum in linea transuersa inæquali (id est, quando alter à communi stipite distat inæqualiter) quo gradu à communi stipite distat remotior, eodem distant inter se, Verbi gratia, fratris filius, & patruus sunt in secundo gradu collateralium, quia fratris filius, distat à communi stipite, id est ab auo in 2. gradu. Ita habetur *cap. fi. de consan. & affin.* Dico *quartum.* Secundum ius Cæsareum in vtraque linea, recta scilicet, & transuersa, siue æquali, siue inæquali, tot sunt gradus, quot numerātur personę, vna dempta, à qua incipimus, v.g. duo fratres sunt in secundo gradu, quia cum patre à quo incipiunt numerati, faciunt tres personas. Has quatuor regulas supra positas tradunt D. Thom. *in 4. d. 40. ar. 2.* Scot. *qu. vnica.* Durand. & Palud. *quæst. 1.* Richard. *art. 1.* Sotus *qu. 1. art. 2.* Couar. *de matr. 2. p. ca. 6. §. 6. nu. 2.* Lud. Molin. *tom. 1. Iust. tract. 2. disput. 161.*

4 QVAEST. *In causa matrimoniali secundum quod ius, computandi sunt gradus?* RESP. Secundum ius canonicum. Ita Gloss. *in arb. consang.* Francus *ca. 2. de arbore. in 6.* Couar. *de matrimon. 2. p. ca. 6. §. 6. num. 8.* dicens hanc esse communem opinionem. In hæreditatibus verò, & successionibus standum est iure Cæsareo, in vtroque foro. Ita citati Auctores adnotant, præcipue Couarruuias, citans Ioan. And. & Præpos. Notat verò Molina in computatione iurisciuilis, non dari primum gradum in linea collaterali, quia semper sunt tres personæ.

5 QVAEST. *In quibus gradibus consanguinitatis prohibetur matrimonium iure naturali, & est irritum, si contrahi intendatur?* RESP. Opinio fuit grauissimorum Auctorum in omnibus gradibus rectæ lineæ, quamuis in infinitum protendatur, prohiberi matrimonium iure naturali. Ita Doctores *in 4. dist. 40.* Richard. *artic. 1. quæ. 4.* Scot. *quæst.*

vnica. Durand. *quæst* 1. Palud. *quæst*. 1. *num*. 14. Maior. 1. D. Anton. 3. *p. tit*. 1. *cap*. 14. §. 2. Summistæ *ver. matrimon*. Syluest. 8. *quæst*. 6. Armil. *num*. 25. Victor. *num*. 295. Vigu. *instit. cap*. 16. §. 7. *fol*. 210. Caius iurisconsult. & Gloss. in *L. Nuptiæ*. 4. *ff. de ritu nupt*. Præposit. & Gloss. *in arb. consan.* nouissimè docuit Tolet. *lib*. 7. *cap*. 5. *numer*. 7. Ratio est, quia in recta linea omnibus personis superioribus debetur reuerentia ab inferioribus, & ideo descendentes quantumuis remotissimi, dicuntur filij superiorum, quibus descendunt, & ideo Christus Dominus appellatur filius Dauid. Iuniores tamen Theologi in aliquibus gradibus agnoscunt hanc prohibitionem naturalem, sed non in omnibus. D. Bonauent. *in* 4. *dist*. 40. *quæst*. 1. & 3. Dionys. Cath. *qu*. 1. §. *his visis*. Caietan. 2. 2. *quæst*. 154. *artic*. 9. eam agnoscunt in solo primo gradu, Sotus verò in 4. *d*. 40. *quæst. vnica. art*. 3. *concl*. 2. eam agnoscit etiam in secundo gradu, aitque certum esse non promittendi tale impedimentum vltra 4. gradum. Idem tenet Angel. Couar. *de matrim*. 2. *p. ca*. 6. §. 6. *num*. 12. ait tale impedimentum excurri vsque ad 20. gradum. Ledesm. 2. 4. *qu*. 59. *ar*. 3. *dub*. 2. docet tamdiu hoc impedimentum durare, quamdiu intercedit ius amicitiæ, & familiaritatis. Dico secundum. In linea transuersa consanguinitatis in primo gradu, datur huiusmodi impedimentum iuris naturalis. Ita Diu. Augustin. *libr*. 15. *ciu. cap*. 16. Scot. *in* 4. *dist*. 40. Palud. *ibidem quæstion*. 1. *num*. 23. Maior *quæst*. 3. Sot. *quæst*. 1. *artic*. 3. D. Anton. 3. *p. tit*. 1. *cap*. 14. §. 2. Cathar. *libro* 5. contra Caietan. *cap. de matrimon*. 2. *p. cap*. 6. §. 10. *num*. 5. Fer. Soto *de matrimon. lect*. 10. *concl*. 2. Bellarm. *de matrim. cap*. 28. Aristot. *lib*. 2. *Poli*. Quamobrem merito grauiter damnat Sotus opinionem Caietani oppositum asserentis. Ratio est, quia omnis, quantumuis Barbara natio, ab hoc matrimonio auertitur.

6 QVÆST. *In quibus gradibus consanguinitatis prohibetur matrimonium iure Ecclesiastico?* RESP. Prohibetur vsque ad quartum gradum. Ita decernitur *capit*. *Non debet de consang*. ex Conc. Lateran. sub Innoc. III. celebrato anno fermè 1200. & in Conc. Trid. *sessi*. 24. *ca*. 5.

7 QVÆST. *Impeditne cognatio spiritualis matrimonium?* RESP. Impedit, *ca*. 1. *de cognat. spirit*.

8 QVÆST.

8 QVAEST. *In quibus gradibus illud impedit?* RESP. In ijs, quos *supra* assignaui ex Concilij Tridentini nouo iure.

9 QVAEST. *Impeditne, ac dirimit matrimonium cognatio legalis?* RESP Impedit, ac dirimit. Ita habetur *cap. Ita diligere. 30. qu. 3. ca. vnico de cong. legal.*

10 QVAEST. *In quibus gradibus impedit, ac dirimit matrimonium cognatio legalis?* RESP. Dico *primum.* Primus gradus adoptionis fit inter adoptantem, & adoptatum, ac adoptati filios, & nepotes vsque ad quartum gradum. Dico *secundum.* Secundus gradus adoptationis fit inter adoptantis filios, & ipsum adoptatum. Ita habetur *capit. vnico de cognat. leg.* Dico *tertium.* In primo gradu adoptionis matrimonium est nullum vsque ad quartum. In secundo autem est nullum, quatenus filij naturales, & adoptatus sunt in potestate parentis adoptantis, sic Tolet. *lib. 7. ca. 4. nu. 7.* ex communi sententia.

De impedimento Criminis.

Sect. 5.

1 *Quid Doctores intelligunt nomine criminis.*

1 QVÆSTIO. *Nomine criminis quid Doctores intelligunt?* RESP. Quatuor peccata. *Primum* est peccatum, quod vxor committit occidendo proprium virum, adiuuante eam amasio ante adulterium, qui vult cum ea matrimonium contrahere. Ita *cap. Laudabilem. de conuers. infidelium. capit. Si quis viuente 31. quæst. 1.* Requiritur tamen, vt ambo ad mortem concurrant. Ita Armil. *ver. matrimon. num. 30.* Nau. *ca. 22. nu. 46.* Sot. *d. 37. qu. 1. ar. 4.* Bellar. *de matr. ca. 22.* textus express. *dicto ca. Laudabilem.* Satis est concurrere per se, vel per alium, immediate, vel mediate, præcipiendo, iuuando, cõsulendo; nõ tamen sufficit ratihabitio. Ita Sco. *in 4. d. 35.* D Anto. *3. p. tit. 1. ca. 5.* Ang. *matrimon. 3. imped. 9. §. 6. & 7.* & Gloss. *dicto ca. Laudabilem,* & *ca. Si quis viuente.* Satis est quouis mortis genere maritum occidere, seu ferro, seu veneno, seu suffocatione, &c. Requiritur insuper, vt concurrant ad mortem animo sibi inuicem nubendi. Ita D. Thom. *in 4. d. 37. ar. 2.* Bonau. *ar. 2. qu. 3.* Richard. *ar. 2. qu. 2.* Dura.

quæst. 2. Scot. D. Anton. Nau. *citatis locis.* Requiritur denique, vt mors secuta fuerit ex vi machinationum adhibitarum. Ita ijdem Doctores. *Secundum* est, quod committit coniux post commissum adulterium, vel adhuc occidendo consortem per se, vel per alium, quouis modo occidat, vt dixi *in superiori puncto.* Ita decernitur, ca. *per eo, de eo, qui duxit.* Tenent Doctores *in* 4. *d.* 37. cum D. Tho. *ar.* 2. Circa hanc criminis speciem dubitant Auctores, an intelligendum sit de solo viro occidente vxorem. Affirmat quidem Vict. *de matri. nu.* 292. Oppositū docet Palud. *in* 4. *d.* 37. *qu.* 2. *nu.* 8. Syl. *matrim.* 8. *qu.* 8. habetur expresse *in ca. Si quis viuente sup. citato.* Dubitant deinde, an requiratur, vt coniux adulterans, vel adulter ipse occidat consortem eo animo, vt contrahat cum adultero. Negat Caiet. *ver. matr.* Armil. *num.* 30. Oppositum docet communis opinio, vt fatetur Caietan. *in* 4. *d.* 37. cum D. Tho. & Bonau. *nr.* 2. *qu.* 3. Richar. *ar.* 2. *qu.* 2. Dur. *q.* 2. Scot. D. Anton. Nau. *loco citato.* Et quamuis textus expressus non sit ita determinans, communis Doctorum sententia iuris mentem ita interpretata est. Dubitant tertio, an requiratur scientia impedimenti huius ex vtraq; parte adulterantis. Affirmat probabilius Nauar. *in sum. ca.* 22. *nu.* 46. Ratio eius est, quia tam in hac, quam in tertia criminis specie loquuntur canones de adulterio: sed in tertia specie Doctores exigunt hanc sententiam; ergo in secunda. Tertiū peccatum est adulterium cum data fide de coniugio contrahendo cum adultero. Ita decernitur expresse *ca.* 1. *ca. Significasti, ca. Veniens, de eo, qui duxit in matrim.* Tradunt Doctores *in* 4. *d.* 35. cum Magistro. Dubitant Doctores: vtrum promissa fides debeat præcedere, an subsequi adulteriū. Satis tamen est, siue præcedat, siue subsequatur. Ita Arm. *ver. matrimo nu.* 25. Per. Soto *loc.* colligiturq; satis ex tex. *ca. citati.* Dubitant deinde, an requiratur mutua promissio nubendi. Dico tamē satis esse, si ab vno, adultera nimirum, vel adultero fiat. Ita Palud. *loco citato*, habeturq; *in ca. Significasti, & ca. Veniens citato.* Dubitant tertio, an sufficiat simplex, & nuda promissio, facta ab vno, & acceptata ab alio. Eam quæstionem indecisam omisit Richard. *in* 4. *d.* 35. *art.* 3. *qua.* 4. D. Anton. 3. *p. tit.* 1. *capit.* 5. Satis tamen promissionem illam esse do-

cet

cet Palu. *in 4. d. 34. qu. 1. nu. 17.* Gabr. *d. 35. art. 2.* Sot. *d. 37. quæst. vnic. ar. 4.* Angel *num. 1.* Dubitant quarto, an requiratur formale adulterium ex vtraque parte adulterantis, & scientia talis impedimenti ad matrimonium. Affirmant Palud. *in 4. d. 34. qu. 1. nu. 17.* Maior. *qu. 2. d. 37. qu. 1. art. 4.* & est communior sententia. Quartum peccatum est, quod committit adulter coniux contrahendo de præsenti cum adulterante complice, viuente altero coniuge innocente. Ita *ca. Significauit, ca. Ex literar. ca. fin. de eo, qui duxit.* Tenet communis, vbi *supra*,

De impedimento circa cultus disparitatem. Sect. 6.

1 *Vbi continetur hoc impedimentum.*
2 *An cultus disparitas impediat naturaliter.*
3 *An in cultus disparitate sit periculum subuersionis.*
4 *An sit hoc impedimentum nunc ex iure positiuo canonico.*
5 *An prohibeatur iure cæsareo.*

1 QVAESTIO. *Vbi continetur hoc impedimentum in iure canonico?* RESP. Non est textus expressus apponens hoc impedimentum dirimens: sed habetur ex consuetudine Ecclesiæ vniuersalis iam à priscis temporibus introducta, vim legis habente ex communi doctorum consensione, vt notat Coua. *2. p. de matr. cap. 6. §. 11.* Prohibetur quidem in Concilijs Agathensi, Toleran. 3. & 4. & Calcedonensi, idque ex auctoritate Pauli 1. Corint. 7. *Cui vult nubat, tantum in Domino,* & 2. Corinth 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* Veruntamen in toto iure canonico non decernitur hoc impedimentum esse dirimens.

2 QVÆST. *Estne hoc impedimentum de iure naturali?* RESP. Affirmauit Ambr. Cathar. *lib. 5.* in Caiet. *capit. de matrim. §. inter dispares cultu.* Oppositum docet Richard. *in 4. d. 39. ar. 1. qu. 1.* Durand. *ad 2.* Scot. *ad 3.* Palud. *qu. 1. nu. 5. & 6.* Caiet. *proximo loco,* Sot. *d. 39. ad 2.* Couar. *de matrim. 2. p. cap. 6. §. 11. num. 1.* Viuald. *de matrim. nu. 218.* Ideo circa dispensationem tempore legis Naturæ, Ioseph nupsit

Ægyptiæ, Moyses Madianitæ. Tempore legis scriptæ Booz Moabitidi, Hester Assuero Chaldæo. Tempore legis gratiæ, sancta Monica viro Pagano, Clotildis Christiana, Clodoueo Ethnico Regi Francorum, vt notat Bellarm. *de matr. li. 1. ca. 23. col. 4.*

3 QVÆST. *Estne in tali contugio periculum subuersionis?* RESP. Magnum ex natura sua. De eo D. Cyprian. lib. *contra Iudæos, cap. 62.* Ambros. *lib. 1. de Abraham,* qui fertur *cap. Caue Christiane, 28. qu. 1.* Ideo D. Paulus dicit monet 2. *Corinth. 6. Nolite iugum ducere cum infidelibus: quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ conuentio lucis ad tenebras? aut quæ conuentio CHRISTI ad Belial: aut quæ pax fideli cum infideli.*

4 QVÆST. *Estne hoc impedimentum nunc in lege nostra ex iure positiuo diuino?* RESP. Minime quidem. In Scot. *in 4. dist. 39 artic. 2.* Durand. *quæst. 1. ad 2.* Couar. *de matrimon. 2. p. cap. 6. §. 11. num. 1.* D. August. *lib. de fide, & operib. cap. 19.* Ratio est, quia nullum inuenitur tale præceptum in lege Euangelica. Enim vero dicta D. Pauli relata, non continent præceptum, sed consilium, vt notat Sotus loco proximo, quamquam Aug. ad Polentium, quem refert Gratian. *ca. Sic enim. 28. qu. 1.* illud lata vocabuli vim sumptione, appellet præceptum.

5 QVÆST. *Prohibeturne iure Cæsareo matrimonium fidelis cum aliquo infideli* RESP. Maxime. Prohibetur sub grauissimis pœnis cum Iudæo, vel Iudæa, *L. Ne quis Christianus Cod. de Iudæis,* Item *lib. 4. Ordin. Castel. tit. 11. in L. 3.* Prohibetur cum Gentili. Ita Cord. Theodosiano *libro 3. tit. 7.* & *lib. 4. Ordin. Castel. tit. 11. in L. 3.*

De vi, impedimento dirimente matrimonium. Sect. 7.

1 *Quid intelligitur per vim.*

2 *An metus grauis dirimat matrimonium iure naturali*

3 *An per iuramentum firmetur consensus extortus metu cadente in constantem virum.*

4 *Quis metus est cadens in constantem virum.*

5 An

5 *An alius metus, qui non sit cadens in constantem virum, dirimat matrimonium.*

6 *Quid dicendum de metu reuerentiali.*

7 *An Princeps possit cogere subditos ad matrimonium.*

8 *An pater possit cogere filium ad matrimonium.*

9 *Quid dicendum de Principe, ac Patre cogente subditum, aut filium ad matrimonium ex iusta causa.*

1 QVAESTIO. *Quid intelligitur per vim, quoad impedimentum dirimens matrimonij?* RESP. Metus cadens in constantem virum. Quod verò sit impedimentum dirimens matrimonij, habetur *cap. Veniens. 2. de sponsalibus ca. Cum dilectus de his, quæ vi, cap. de neptis. 31. qu. 2.* Tenent Doctores *in 4. d. 29.* Abb. Mag. *art. 4.* Rich. *ar. 1. qu. 1.* D. Tho. *art. 3. qu. 1.* Durand. *qu. 2. ad 2.* Pal. *quæ. 1. num. 18. & 19.* Ratio verò cur Ecclesia induxerit hoc impedimentum, fuit, quia cum matrimonium sit vinculum indissolubile, requirit maximam libertatem: hanc autem impedit metus grauis cadens in constantem virum.

2 QVAEST. *Dirimitne metus grauis cadens in constantem virum matrimonium etiam iure naturali?* RESP. Negat Durand. *in 4. d. 29. quæst. 2.* Palud. *qu. 1. nu. 20.* Sot. *quæst. 1. art. 3.* Ratio eorum est, quia cum tali metu adhuc datur consensus contrahentium. Affirmant tamen Richard. & Scot. *citati proxime.* Ledesm. *2. 4. qu. 49. art. 3.* Vict. *de matrim. num. 268.* Almain. *in 4. d. 29.* Ratio est, quia talis metus contrarius est præcipuo fini matrimonij, qui est indissolubilitas: nam consensus extortus per talem metum nequit esse perpetuus, siquidem quod quis non diligit, facile contemnit, hoc est, dimittit, vt tanquam sapientum proloquium affertur *ca. præsens 20. quæ. 3.* Quamquã igitur verum sit, dari in tali metu adhuc consensum contrahentium, talis consensus non est sufficiens.

3 QVAEST. *Facitne validum ad matrimonium talem consensum metu gruai extortũ consentientis, iuramentum de*

libere contrahendo tunc matrimonio? RESP. Minime, ho Gloss. *ca. Significauit. de eo, qui duxit.* Richar. *in 4. d. 2. qu. 2. art. 1. ad vlt.* Palud. *qu. 1. num. 32.* Soto citatus, Couar. *matrim. ca. 3. §. 5. num. 3.* Ratio est, quia iuramentum non obligat vltra consensum supra quem cadit: sed consensus talis est inualidus, ergo iuramentum illum firmans.

4 QVAEST. *Quis metus dicetur cadere in constantem virum, dirimens matrimonium?* RESP. Dico *primum.* Metus detrimenti grauis corporalis, nisi consentiat in matrimonium: grauia autem sunt detrimẽta corporalia mortis aut enormis cruciatus, *capit. Cum dilectus. de his, quæ vi*, acerba vincula, aut diuturnitas carceris. *L. Nec tormenta. L. Qui in carcere. ff. quod metus causa:* minæ Principis tyrannice eas exercentis: seruitus, quæ mors est ciuilis, vt notat Palud. *sup.* & Sot. *artic. 2.* Stuprum notat D. Thom. *in 4. d. 29. qu. 1. art. 2.* Durand. *qu. 2.* Palud. *qu. 1. nu. 33.* amissio status, vel bonorum omnium. Text. & Gloss. *ca. Abbas de his quæ vi*, Couar. *sup. num. 18.* Nauar. *cap. 22. num. 51.* Qui addunt sufficere ad hunc metum amissionem partis magnorum bonorum. Infamia. Ita D. Tho. & Dura. citati *locis.* Censetur autem horum detrimentorum metus grauis non solum respectu propriæ personæ, sed etiam respectu propriæ vxoris, filiorum patris, matris, aui, nepotis, fratrum, vt notat D. Thom. *loco proximo*, ac de filijs exprimitur *L. Isti quidem. ff. quod metus causa.* Pensanda autem est horum detrimentorum grauitas ex personarum complexione naturali, ac proinde minor timor erit grauis comparatione fœminæ, quam maris, comparatione hominis debili corde quam magnanimi. Ita Gloss. *cap. Cum locum. de sponsal.* communiter receptam teste Nauar. *cap. 22. nume. 51. §. præmitto.* Dico *secundum.* Requiritur, vt hic metus sit ab extrinseco illatus. Ita præter alios, Richard. *in 4. d. 29. artic. 1. quæst. 1.* Nam metus talium malorum ab intrinseco ortus, non inualidat matrimonium, quemadmodũ non inualidat votum, vt habetur *ca. 2. de renunc.* & *ibi* tenet Abbas, Sylu. *votum 2. §. 12.* Couar. *de matrim. 2. p. capit. 3. num. 16.* Sot. *in 4. dist. 29. qu. 2. art. 3.* Ideo valeret matrimonium, quod contraheret damnatus ad mortem, si ex permissione legum acciperet meretricem in vxorem, vt notat Sotus, & Couar. Dico *tertium.* Requiritur insuper,

insuper, vt talis metus iniuste inferatur : nam si iniuste inferatur, non inualidat. Vnde si quis comprehensus in stupro propter minas pœnarum à iusto iudice, apposita iusta accusatione sumendarum, stupratæ fœminæ, aut alij nubat, verum contrahit matrimonium, quoniam talis metus est iuste illatus, nec enim fit iniuria ei, cui infertur.

5 QVAEST. *Estne aliquis metus citra metum cadentem in constantem virum, qui dirimat matrimonium?* RESP. Dubius hæret Sotus *in* 4. *d.* 49 *quæst* 1. *articul.* 3. Negat absolute D. Thom. *eadem de articul* 3 *qu.* 1. Richard. *artic.* 1. *q.* 1. Palud. *qu.* 1. *numer.* 17. & 20. Duran. *quæst.* 2. Syluest. *metus.* §. 7 atque teste Durando hæc est communis Doctorum sententia. Aduertendum tamen arbitror hanc communem opinionem limitandam, considerata metus cadentis in constantem virum definitione. Definitur vero metus cadens in constantem virum is, qui illatus, cogit hominem constantem eligere minus malum, vt effugiat maius sibi imminens. Constans autem homo est solus virtuosus, & ideo qui eligit quoduis peccatum leue, pro euitando quouis malo temporali graui, non est vir constans, & prudens, nam eligit maius malum, pro euitando minori: omne enim peccatum, quamuis leuissimum, maius malum est quouis malo alio temporali grauissimo, vt habetur *capit. Itane* 32. *q.* 5. *cap. sacris. de his, quæ vi.* Docet ethnicus Philosophus 3. *Ethic. capitul.* 1. Abb. *capitul. sacris. citato.* Nauarr. *cap.* 22. *numer.* 51. §. *quartum.* Couar. *de matri. cap.* 3. §. 4. *num.* 3. Gl. *capit. si aliquid.* 22. *q.* 4. Colligo igitur assertum: nam si metu mortis sponsaliq quis contraxit, & eodem metu cogitur consummare matrimonium non affectu maritali, matrimonium non valet, etiam vbi adhuc statur iuri communi, non promulgato, & accepto Concilij Tridentini decreto super reformatione matrimonij. Et tamen accidere ad non suam, quocunque metu fiat, peccatum est lethale: non est autem viri constantis committere peccatum, pro quouis temporalis detrimenti metu; ergo, &c.

6 QVAEST. *Quid censes de metu reuerentiali, dirimitne matrimonium?* QVAEST. Videtur affirmare Nau. *in sum. c.* 22. *num.* 51. §. *nouum.* Negandum tamen est cum Gloss. *c.*

Præsem. Abbat. *c. Veniens.* 1. Præpos. *ca. Cum locum. de sponsa. Cum tua de sponsalib.* Probatur ex *L. si patre cogente. ff. de ritu nuptiar.* decernente matrimonium validum filij, qui propter reuerentiam patris illud contraxerat.

7 QVAEST. *Licetne Principi cogere subditum ad matrimonium?* RESP. Minime quidem. Ita decernitur *cap. Neptis, cap. Si verum* 31. *quæst.* 2. Qua de re extat decretum Conc. Trid. *sess.* 24. *c.* 9. vbi anathematizantur Principes sæculares, qui aliquem cogunt, quo minus libere contrahat. Non comprehendit vero omnino impedientes ne contrahatur, sed cogentes, quo minus libere contrahatur. Quod maximopere notandum est.

8 QVAEST. *Licetne patri cogere filium ad matrimonium?* RESP. Idem de patre, atque de Principe dicendum puto cum Magistro. *in* 4. *d.* 29

9 QVAEST. *Licet patri, ac Principi ex rationabili, & iusta causa inducere subditum, an filium ad matrimonium?* Resp. Licet. Possuntque pater, ac Princeps sub mortali obligare subditum, ac filium ad matrimonium contrahendum. Ita D. Thom. *in* 4. *d.* 29 *ar.* 4. Richard. *ar* 1. *q.* 4. *ad* 2. Sot. 9. *art.* 4. *concluſ.* 1. *&* 2. Nauar. *cap.* 4. *num.* 15. Bellarm. *de matrim. cap.* 19. *§. vlt.* Cum igitur subditus, vel filius teneatur contrahere matrimonium, possunt Princeps, & Pater eos compellere ad contrahendum. Peccatque grauiter filius, inscijs parentibus, & inuitis contrahendo, nisi rationabilis causa. Ita Cord. *qu.* 171. Victor. *de matrimonio.* 269. Nauar. & Bellarm. *citati* Ratio est, quia in eo euentu, grauis parentibus irrogatur iniuria, & aliquando ignominia. Ideo Leges iustæ prohibẽt tale matrimonium absque libero parentum consensu, dũ filij sunt sub patria potestate. *L.* 2 *ff. de ritu nup. L. in sponsalib.* 2. *ff. de sponsal. L. ea quæ patris ff. de sponsalib.* præcipue loquendo de filiabus. Atque de ijs iam viduis, & extra patriam potestatem positis, si nondum impleuerunt 25. annum. *L. Vidua. Lib. coniunctione. Cod. de nupt.* Hæ tamen leges non irritant matrimonium contractum per liberum consensum filiorum, & filiarum, quidquid ganniant nonnulli hæretici moderni, vt notat Bellarm. *lib. cit. c.* 19. *&* 20. Quidquid dubitent aliqui Catholici, quos notat Couar. *de matrim. 2. p. c.* 3. *§.* 8. *n.* 1. Constat veritas hæc ex *c. Veniens* 1. *de sponsa.*

sponsalibus. c Sufficiat 27. quæst. 2. Ratio est, quia multa illicite fiunt, quæ facta tenent, & valent: nam grauissime peccaret, qui extra sacrum Missæ ritum hostiam consecraret, atque calicem, & tamen si consecrarentur, sic panis, & vinum, consecrata manerent.

De Ordine, impedimento dirimente matrimonium. Sect. 8.

1 *Qui ordinis gradus dirimit matrimonium.*
2 *An sacer ordo dirimat ratione sui ipsius.*
3 *An sacer ordo, dirimat ex Ecclesiæ statuto.*
4 *Quæ pœnæ sunt impositæ ei, qui contrahit post sacros ordines.*

1 QVAESTIO. *Cum in sacramento Ordinis multi sunt gradus, rogo, qui ordinis gradus, dirimat matrimonium?* RESP. Gradus subdiaconatus, diaconatus, & presbyteratus, qui quidem gradus appellantur. Ordines maiores, seu sacri. Ita definitur in Concil. Trident. *sess. 24. can. 9.* Toletan. 1. *capitul. 4.* Carthag. 2. *capitul. 2.* habetur, *capitul. Extra. de cler. coniug.*

2 QVAEST. *Dirimitne sacer ordo matrimonium ratione sui ipsius, an ratione annexi voti?* RESP. Dirimit, tum ratione annexi voti: tum ratione sui ipsius amoto voto. Quod dirimat ratione voti solennis annexi, tenent Doctores *in 4. d 38.* habetur aperte, *capitul. 1. de voto, & toto tit. Qui clerici, vel vouentes.* Cœpit autem hoc votum simul cum suscepto ordine sacro fieri ab antiquis Apostolorum temporibus, teste Soto. 6. 7. *Iust. quæst. 6 articul. 2. conclus. 4.* in Ecclesia latina. Quod autem dirimat ratione sui ipsius, tradunt D. Thom. *in 4. dist. 7. quæst. 1. art. 1.* Scot. *qu. vnic.* Dur. *quæst. 1. ad 1.* Richard. *art. 1. quæst. 1.* Maior. *dist. 24. & 27. quæst. 1.* Sylu. *matrim. numer. 8. quæst. 12.* Couar. *de matrimon. 2. p. cap. 6. §. 3. numer. 1.* D. Anton. *3. p. titul. 1. capitul. 8.* Sot. 7. *Iust. quæst. 6. articul. 2.* Ioann. Arbor. *libr 5. Theosophiæ, capitul. 7.* Castr. *de hæres. titul. sacerd. hæresi. 4.* Habetur *capitul. Olim. de cleric. coniug. capitul. De Syracusana distinct. 28.* Probatur praxi Orientalis Eccle-

Ecclesiæ, secundum cuius consuetudinem non est licitum ordini annexum votum, & tamen matrimonium post ordinem susceptum est nullum, & irritum. Facit pro hac sententia *cap. Si quis. 32. distinct.* Constatque hoc fuisse statutum ex Apostol. *can. 27.* Ideo si puer ante rationis vsum sacro ordine initietur, in qua initiatione veram characterem recipit, vt tenent Doctores *in 4. d. 25.* D. Thom. Bonauent. Richard. & communis contra Durandum: tenetur ad votum, vt tenet communior opinio cum Paludano *in 4. d. 25. qu. 3. nu. 10.* Sot. *q. 1. art. 2.* Sylu. Vivaldo, & alijs, quia votum requirit proprium vouentis consensum expressum, & tacitum, vel tamen talis puer magis inhabilis, ad contrahendum ratione status, vt docet Paludan. *in 4. d. 37. q. 1 nu. 14.* Gab. *d. 25. q. 1. ar. 2.* D. Anton. *2. p. tit. 1. c. 8.* Sylu. *matrim. 8. q. 12.* Quod idem dicendum est de eo, qui propter metum suscepit sacros ordines: nam etenim non manet obligatus ad seruandum votum, vt docent Richard. *in 4. d. 29. art. 1. q. 2.* Sot. *qu. 1. art. 3.* Angel. *Ordo. 3 nu. 26.* Nau. *capitul. 22. numer. 51. §. nouum.* Vivald. *citato loco, numer. 26. ex capitul. Cum locum, de sponsalib. cap. Perlatum, de his, quæ vi.* Qua de re Sot. *libr. 7. iust. q. 2. art. 1. & dist. 25. quæst. 1. art. 2.* & Caiet. *tomo 1. Opusc. tract.* Et tamen talis qui est coactus per metum, manet inhabilis ad matrimonium, non ratione voti, sed ratione status.

3 QVAEST. *Dirimitne sacer ordo matrimonium secundum se absque voto, ex ipsius Ecclesiæ statuto: an vero ex diuino præcepto?* RESP. Ex ipsius Ecclesiæ statuto. Ita D. Thomas *eo citato, & 2. 2. quæst. 88. articul. 11.* Palud *in 4. distinct. quæst. 1. numer. 8.* Sot. *quæst. 1. articul. 1.* D. Anton. *loco primo.* Et ideo si tam in Ecclesia Orientali, quam in Occidentali contra ius aliquando mos viguit (vt vult Caietan. *tom. 1. Opusc. tract. 27. qu. 1. ad 1.*) & videntur habere *Diaconi 28. distinct. cap. Aliter 1. dist.* viguit ante Ecclesiæ determinationem. Vel intelligendi sunt textus ex permissione, vt notat Sot. *in 4. d. 38. qu. 1. art. 1. Vel de vsu permissi matrimonij ante sacrum ordinem contracti, vt exponunt Richard q. 1. citata ad 3.* Catharin. *c. 2. in Caietan.* Scot. Sot. Couar. *locis citatis.*

4 QVAEST. *Quæ pœnæ sunt impositæ à iure ei, qui post sacrum ordinem*

tudines susceptos matrimonium contrahit? RESP. Manet excommunicatus *Clement. vnica. de consanguinitat. & affinitat.* Manet irregularis. *capit. Quotquot. 27. quæst. 1. cap. 1. & 2. Qui clerici, vel vouentes, capitul. final. de bigamis.* Notant D. Anton. 3. *p. titul. 1. capitul. 8.* Sylvest. *irregularitas, numer. 16.* Couar. *de matrimon. 2. p. capitul. 6. §. 3. numer. 1.* Qui auctores loquuntur absolutè, quanquam alij requirant ad hanc pœnam incurrendam consummationem matrimonij. Ita requirit Palud. *in 4. d. 27. numer. 12.* Richard. *artic. 4. q. 1.* Angel. *Bigamia, numer. 7.* Nauarr. *capit. 27. numer. 195.* Tertio amittit ipso facto, & iure beneficia, quæ habebat *cap. 1. 3. & 4. de cleric. coniug.* & Glossa. *ibid.* Quod idem dicendum de initiato minoribus, vt claret ex textu. Neque requiritur consummatio matrimonij, sed satis est contractio vera, vt notat Couar. Peracta tamen pœnitentia, potest vterque ab Episcopo restitui officio, & beneficio tex. expressus, *cap. Sane, de cler. coniug.*

De ligamine, impedimento dirimente matrimonium. Sect. 9.

1 *Quid est ligamen.*
2 *Quo iure est irritum matrimonium contractum post ligamen.*

1 QVAESTIO. *Quid est ligamen impedimentum dirimens matrimoniũ?* RESP Est vinculum coniugij, quo quis ligatus est vxori, etiam ante consummationem matrimonij rati: post quod secundum matrimonium contractum, est irritum, iuxta Conc. Trident. *sess. 24. can. 7.* & totum ferme *titul. de sponsa. duor.*

2 QVAEST. *Quo iure est irritum subsequens matrimoniũ?* RESP. Dico *primum.* Est irritum iure naturali. Ratio est, quia matrimonij vinculum, est iure naturali indissolubile. Ita D. Thom. 3. *cont. gent. capitul. 123.* & *in 4. dist. 33. q. 1. artic. 1.* Durand. *dist. 28. qu. 2.* Scot. *distinct 26. qu. 1. concl. 3.* Sot. *qu. 2. art. 2.* Couar. *de matrimon. 2. p. §. 3. numer. 5.* Probatur à D. Thom. quia naturalis inclinatio naturæ, obligar

gat ad educandam prolem per totam vitam, pro conse-
uanda specie: sed prolis bona educatio pendet ex soci-
tate vtriusque parentis; ergo & cæt. Deinde, quia con-
trarius est naturæ, & æquitati, vt quis vtatur muliere ad
adolescente, tempore quo ei inseruit propter vires & pu-
chritudinem, & postea exhaustis viribus, ac amisso
decore, quo sine tædio omnibus esse incipit, eam
mittat. Dico *secundum*. Est irritum iure diuino positiuo.
Ratio est quia iure diuino positiuo matrimonij, e
rati, & non consummati vinculum est secundum se
dissolubile. Ita D. Thom. *citatus*, Richard. *in* 4. *dist.* 28. *ar-
tic.* 2. *ad* 1. Durand. *quæst.* 2. Petr. Soto. *de matrimon.* lib.
Couar. *proxime*, habetur ex Conc. Trid. *sess.* 24. Probatur
ex *Genes.* 2. *Quamobrem relinquet homo patrem, & matrem
& adhærebit vxori suæ*, Matt. 19 *Quod Deus coniunxit, homo
non separet, Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis
mittere vxores vestras, ab initio autem non fuit sic.* Consta
autem hæc permissio ex 14. *Deut.* Quam puram permis-
sionem minoris mali ad euitandum maius, intelligit D.
Thom. *in* 4. *d.* 3. *quæst* 2. *art.* 2. *dub.* 2. 1. Corint. 7. *Iis qui
matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed dominus, vxorem
à viro suo non discedere, quod si discesserit, manere innuptam
aut viro suo reconciliari.*

De iustitia publicæ honestatis.
Sect. 10.

1 *Vnde oritur impedimentum publicæ honesta-
tis.*

2 *Quo pacto definitur impedimentum publicæ hone-
statis.*

3 *Ex quibus sponsalibus oritur impedimentum publicæ
honestatis.*

4 *Ad quem gradum extenditur impedimentum pub-
licæ honestatis.*

5 *Ad quem gradum extenditur hoc impedimentum
ortum ex matrimonio rato.*

6 *An oriatur ex matrimonio rato inualido.*

1 QVAEST.

1 QVAESTIO. *Vnde oritur hoc impedimentum?* RESP. Ex sponsalibus, *cap. Sponsam. Extrauag. de sponsal.* & *ca. vnic. de sponsal. in 6.* Insuper ex matrimonio rato, & non consummato. Circa hoc non est textus, vt notat Tolet. *lib. 7. c. 10. nu. 1.* Est tamen commune interpretamentum Doctorum argumento à minori, ad maius, vt colligit Panorm. si enim sponsalia, quæ minus ligant, inducunt hoc impedimentum; ergo & matrimonium.

2 QVÆST. *Quo pacto definitur hoc impedimentum?* RESP. Sic. Est impedimentum ab Ecclesia inductum dirimens matrimonium contractum inter sponsum, & cognatos sponsæ: & inter maritum, & cognatos vxoris adhuc non cognitæ carnaliter: & viceversa, intra certum gradum ab Ecclesia determinatum. Ita Canonistæ *cap. Audientiam cap. Sponsam de sponsali.* D. Thom. *in 4. d. 41. q. 1. ar. 1.* & *in Add. q. 55. ar. 4.* Summistæ *matrim.* Angel. 3. *impedim.* 14. Caiet. *imp.* 10. Armil. *n.* 46. Nau. *c. 22. n. 57.* Couar. 2. *p. c. 6. n.* & §. 1. Vict. *nu.* 393. Sot. *d. 41. art. 3.*

3 QVAEST. *Hoc impedimentum ortum ex sponsalibus, oriturne ex omnibus sponsalibus?* RESP. Minime, sed ex solis sponsalibus certis, absolutis, & validis. Ita decreuit Bonifac. VIII. *c. 1. de sponsal. in 6.* & Conc. Trid. *sess. 24. capit. 3.* Sponsalia vero incerta sunt, cum quis spondet ducere vnam è certis, vel incertis fœminis, non determinãdo personam, Conditionata sunt, cum apponitur conditio de futuro. Notat Nau. *lib. 7. c. 10. n. 3.*

4 QVAEST. *Ad quem gradum extenditur impedimentum ortum ex sponsalibus:* RESP. Omissa iuris antiqui determinatione, nouum ius Concilij Trid. *sess. 24. cap. 3.* sic se habet. Iustitiæ publicæ honestatis impedimentum, vbi sponsalia quacunq; ratione valida non fuerint, sancta Synodus annullat, vbi autem valida fuerint, primum gradum non excedant. Primus autem gradus intelligitur in vtraque linea.

5 QVÆST. *Hoc impedimentum ortum ex matrimonio rato, ad quem gradum excurrit:* RESP. Circa hoc nihil mutauit Conc. Trid. vt declarauit Pius V. *Extrau. Ad Romanum spectat, ann.* 1566. Ideo, quia olim protendebatur vsq; ad quartum gradum, nunc etiam adhuc extenditur.

6 QVAEST. *Oriturne hoc impedimentum ex matrimonio rat*

rato, inualido tamen propter defectum, seu impedimentum, initio tamen cum vero consensu contrahentium Resp. Oritur vt olim oriebatur. Ita declarauit Pius V. *in Extrauag. Ad Roman. cit.* aduertit Nauar. *cap.* 22. *num.* 57 Couar. *de matrimon.* 2. *p. ca.* 6. §. 2. Viuald. *de matrimon tit. de iust. quæst. hon.* Palud. *in* 4. *d.* 41. *quæst.* 2. *num.* 8.

De Affinitate. Sect. II.

1 *Quid est affinitas.*
2 *An ad affinitatem requiratur copula.*
3 *Ex qua copula oriatur affinitas.*
4 *Ad quos gradus extenditur affinitas.*
5 *De pœna contrahentium in gradibus affinitatis.*
6 *Quis est effectus affinitatis.*
7 *An affinitas dirimat iure naturali.*

1 QVÆSTIO. *Quid est affinitas?* Resp. Est impedimentum ortum ex carnali copula. Ita Doctores *in* 4. *d.* 41. D. Thom. *quæstion.* 4. *ad* 2 Durand. *quæst.* 1. Richard. *artic.* 1. *quæst.* 1. Palud. *quæst.* 1. *numer.* 9. Satis est copula coacta. Ita Couar. *de matrimon* 2. *p. cap.* 6. §. 7. *numer.* 2. *ex capit. Discretione, de eo, qui cog. consanguin. vxor sua.* Satis est habita cum dormiente. Notat Card. & Prepos. & Couar. *citato cap. Discretion.* Debet esse perfecta copula, & consummata: fit autem perfecta copula, cum seminatio viri fit intra legitimum fœminæ vas, licet claustrum virginale non frangatur. Notat Armil. *matrimon numer.* 2. Imo hoc impedimentum ex sententia multorum oritur ex sola receptione seminis virilis intra vas, quamquam fugatur à vulua fœminea in balneis, vel arte Dæmonum introducantur: Ita Palud. *citato loco.* D. Anton. 3. *p. tit.* 1. *c.* 11. Angel. *matrimon.* 3. *imped* 15. *num.* 5. Sylu. *matrimon.* 8. *qu.* 15. *dub.* 2. Et ideo ex sola fractione claustri, absq; seminatione intra vas, non oritur hoc impedimentum. Ita D. Thom. *in* 4. *dist.* 41. *artic.* 1. *dub.* 4. *ad* 4. Nauar. *cap.* 22. *num.* 42.

2 QVÆST

2 QVAEST. *Requiritur omnino copula ad hoc impedimentum?* RESP. Negauit D. Thom. *loco proximo*, & D. Anton. dicendo etiam oriri ex matrimonio rato, & non consummatio. Oppositum tamen dicendum est cum Scot. *in* 4. *d.* 41. §. *hic breuiter*. Couar. *de matrimon.* 2. *p. c.* 6. §. 7. *num.* 2. Abb. & Præpos. *ca. Sponsam, de sponsalib.* Richard. *in* 4. *d.* 41. *art.* 1. *qu.* 2. Palud. *quæst.* 1. *num.* 18. & *quæst.* 2. *num.* 6. declarauitq; Congreg. Card. 3. *p. tit.* 1. *c.* 11.

3 QVAEST. *In qua copula oritur hoc impedimentũ?* RESP. Oritur tam ex copula maritali, quam ex copula fornicaria. Ita habetur *c. Discret. de eo, qui cog. consang. vxoris suæ.* Non tamen ex copula contra naturam. *c. Extr. ord* 33. *q.* 3.

4 QVAEST. *Ad quem gradum extenditur hoc impedimentum affinitatis?* RESP. Dico *primum*. Affinitas non habet peculiares gradus distinctos à gradibus consanguinitatis, & ideo quo gradu quis est consanguineus viri, eodem est affinis fœminæ ab eo carnaliter cognitæ, & è cõtra, quo gradu quis est consanguineus fœminæ carnaliter cognitæ à Sempronio, eodem est affinis viri, qui eam cognouit. Ita D. Tho. *in* 4. *d.* 41. *art.* 2. *dub.* 1. & 2. Durã. *quæst.* 1. Palud. *qu.* 1. *n.* 22. Couar. *de matr.* 2. *p. c.* 6. §. 7. *num.* 6. Dico *secundum*. Affinitas orta ex copula licita maritali extenditur vsque ad quartum gradum. Ita habetur *cap. Non debet. de consang. & affin.* Dico *tertium*. Affinitas orta ex copula fornicaria secundum gradum non excedit. Ita nouiter decreuit Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 4. Dico *quartum*. Affinitas orta ex copula fornicaria in tertio & quarto gradu, non solum non dirimit, sed nec impedit. Ita declarauit Pius V. motu proprio edito anno Domini 1566 vt aduertit Nau *c.* 22 *n.* 43. & Viuald.

5 QVÆST. *Quæ pœnæ positæ sunt à iure ijs, qui contrahunt absque dispensatione in gradibus affinitatis?* RESP. Scla excommunicatio latæ sententiæ. Ita *in Clem.* 2. *de consang. & affin.*

6 QÆSVT. *Quis est effectus affinitatis superuenientis matrimonio?* RESP. Facit tale impedimentum, vt qui fuit in culpa, non possit absque dispensatione petere debitum. Ita supponit Toletus *lib.* 7. *cap.* 11. ex communi, & nemini dubia doctrina. Eam refert Viuald. *de matrimon. tit. de affin. nu.* 21. Ratio est, quia per copulam manet affinis vxo-

ris suæ. Est tamen tex. *capit. Transmissæ. de eo, qui cog. consang. vxor.* Quoniam vero Conc. Trid. decreuit hoc impedimentum vsque ad solum secundum gradum, excurrere, qui cognouit consanguineam suæ vxoris in tertio & 4. gradu, non manet affinis vxoris, & ideo potest petere. Quoniam tamen per copulam legitimam habitam cum sua vxore manet affinis consanguinearum vxoris vsque ad quartum gradum, tenetur in confessione dicere se cognouisse carnaliter consanguineam suæ vxoris in tertio & quarto gradu.

7 QVAEST. *Impeditne affinitas matrimonium ex iure naturali?* RESP. Dico *primum.* An affinitas orta ex copula materiali dirimat in primo rectæ lineæ gradu matrimonium iure naturali, problema est pro parte affirmatiua probabilius. Negantem partem tenent Caiet. 2. 2. *quæst.* 154. *artic.* 9. Sot. *in* 4. *d.* 41. *qu.* 1. *artic.* 3. Couar. *de matrim.* 2. *p capit.* 6. §. 10. *numer.* 6. citans August. *libr.* 3. *in Leu. qu.* 61. Affirmant D. Thom. 1. *ad Corinth.* 5. Abens. *Leuit.* 18. Palud. *in* 4. *dist* 41. *quæst.* 1. *numer.* 27. D. Antonin. 3. *p. titul. capit.* 11. Syluest. *Papa.* § 12. Gloss. *capit.* 5. 1. *Litteras de rest spoliat.* Maior *in* 4. *d.* 40. *q.* 3. Victor. *de matr.* 2. *p. num.* 5. Viguer *de matrim. cap.* 16. 7. Bellarm. *de matr. cap.* 27. & alij Viuald. *de matrimon. titul. de affinitat.* Ratio est, quia in gradu proposito datur magna indecentia. Quam quidem satis ostendit D. Paul. 1. Corint. 5. *Auditur inter vos fornicatio, qualis non est inter gentes, ita vt vxorem patris sui quis habeat.* Fateor hunc locum exponi ab aliquibus patribus, adhuc viuente patre, in quo euentu non solum incestus, sed adulterium committebatur. Ita D. Thom. Caietan. Roffensus Martyr. Bellarm. *de matrimon. capit.* 27. §. 2. Et ideo probabilis est opposita sententia. Dico *secundum.* Impedimentum affinitatis ortum ex legitima copula coniugali, in nullo alio gradu dirimit iure naturali matrimonium. Probatur exemplo Iacob, qui duas sorores germanas duxit vxores. *Genes.* 29. Probatur præcepto veteris Legis *Deuter.* 25. quo cogebatur frater accipere relictam, absque liberis sui fratris. Probatur vsu Ecclesiæ in his gradibus dispensantis, vt patet *capit. fin. de diuort.* Dispensauit Alexand. VI. cum Emmanuele inuicto Lusitaniæ Rege ad nubendum sorori vxoris suæ vita fun-

sunctæ. Dispensauit Iulius II. cum Henrico Angliæ Regæ ad nubendum cum vxore fratris demortui. Hanc veritatem definitiua sententia, oppositam sententiam, saltem nimiæ falsitatis damnante, declarauit Clem. VII. ex consilio omnium celebriotum Academicarum consulto, vt refert Nauar. *cap.* 22. *numer.* 84. & Castr. *lib.* 1. *de leg. pœn. capitul.* 12. Eamque probat Roffens. martyr. *in libr de connub. Regis Angliæ.* Caietan. *tom.* 3. *Opuscul. tract.* 14. ad Clementem septimum. Victor. *de matrimon p* 2. *numer.* 6. Dico *tertium.* Affinitas ex copula fornicaria orta, in nullo gradu dirimit iure naturali matrimonium. Ita D. Antonin. 3. *p titul. capitul.* 11 Sot. & Couar. *supra.* Probatur ex praxi, nam teste Antonin. in eo dispensauit Martinus V. Insuper Pius V. tribuit Henrico Cardinali, & Regi, vt in quouis gradu affinitatis ordo ex copula fornicaria, dispensaret.

De impotentia coeundi, impedimento dirimente matrimonium.

Sect. 12.

1 *Quid est impotentia.*
2 *An impotentia dirimat matrimonium.*
3 *Quot conditionibus constat impedimentum impotentiæ.*
4 *Quotuplex est impotentia.*
5 *Vnde probatur impotentia esse perpetua.*
6 *De impotentia ex defectu testiculorum.*
7 *An requiratur scientia ad hanc impotentiam.*
8 *Quo iure dirimat impotentia.*
9 *De impotentia iudicata perpetua, & postea comperta temporaria.*
10 *De arctione fœminæ.*

1 QVAESTIO. *Quid est impotentia, de qua agimus?* RESP. Est debilitas, qua quis impeditur intra vas fęmineũ semi-

seminare. Ita ferme Tolet. *lib. 7. c. 12.* ex Panorm. *ca. Quod sedem, de sponsal.* Requiritur enim ad euitandum hoc impedimentum, vt quis polleat vi ad coeundum carnaliter, insuper ad semen emittendum intra vas. Si enim quis valeat coire, sed non seminare, aut seminare, sed non coire, est impotens ad matrimonium. Ita Richard. *in 4. d. 34. articulo 2. quæstione 1.* Scotus. *ad 2.* Angel. *matrimon. 3. imped. 16. numer. 3.* Syluest. *matrimon. 8. quæst. 16.* D. Antonin. *3. part. tit. 1. cap. 6. §. 6.* Nau. *ca. 22. num. 26.* Sot. *in 4. d. 24. q. 1. artic. 2.* & est communis, vt testatur Armil. *matrimon. num. 51.* immerito ab ea recedens cum Tabiensi. *eodem ver. num. 12.* Et ideo censui addendum aliquid Tolet. definitioni, cum dixit, illa dicitur impotentia, qua non potest semen effundi. Licet enim quis possit semen effundere, sed extra vas ob debilitatem membri, adhuc est impotens: quamuis, vt arbitror, nubat fœminæ pollenti vi sugendi semen appositum iuxta vas, secundum multorum Philosophorum sententiam, balneorum experimento comprobatam.

2 QVAEST. *Dirimitne hæc impotentia matrimoniũ?* RESP. Dirimit. Ita habetur *cap. 1. & 2. 33. qu. 1. cap. Quod sedem de frig. & maleficiat.* Doctores cum Mag. *in 4. dist. 34.*

3 QVAEST. *Quot conditiones requiruntur, vt hæc impotentia dirimat matrimonium?* RESP. Duæ. Prima est, vt præcedat matrimonium: si enim illud subsequatur, seu, vt clarius loquar, si illi superueniat, nihil operatur. Ita habetur *cap. Decreta. 27. qu. 2.* Secunda conditio est, vt talis impotentia sit perpetua. *cap. fraternitatis. de frigid. & malef.* Censetur autem perpetua impotentia, quæ sine miraculo, vel peccato, vel vitæ periculo tolli nequit. Ita *ca. Fraternitatis citato.* Ita Richard. Ang. Sylu. Nau. *locis citatis.* Petr. Sot. *de matrim. lect. 5.*

4 QVAEST. *Quotuplex est impotentia?* RESP. Duplex: alia naturalis, alia artificialis. Naturalis est frigiditas in viro ex naturali orta complexione, propter quam, aut non potest membrum erigere, aut si erigat, non potest semen intra legitimũ fœminæ vas effundere. Dixi in viro, quia hæc frigiditas in fœmina, propter quam non emittit semen, nil impedit. Notat D. Thom. *in 4. d. 34. art. 2.* Rich. *art. 2. q. 2.* Sot. *q. 1. art. 2.* D. Anton. *3. p. tit. 1. ca. 9.* Ratio est, quia

quia semen muliebre non est necessarium ad generationem prolis. Nomine frigiditatis in viro, intelligitur è cõtrario, etiam nimia caliditas, propter quam, tam propere semen vir effundit, vt nequeat vas fœmineũ expectare. Intelligitur insuper quoduis aliud naturaliter coitũ impediens: impotentia autem coeundi, non est aliud, nisi impotentia seminandi intra legitimum vas. *cap. finali. de sponsalib.* iuxta D. Tho. Angel. Anton. Pal. & alios citatos. Nomine tamen frigiditatis cõprehenduntur omnia hęc, & alia impedimenta (seu impotentiæ) naturalia. Naturalis impotentia in fœmina, est arctatio vasis, propter quam nequit perfecte mari coniungi. Impotentia artificialis, vel fit arte hominis, vel dæmonis. Arte hominis fit per sectionem membri virilis, aut auulsionem, contritionemve testiculorum: fit per læsionem vuluæ, matricisve fœminæ. Arte dæmonis fit (quam magicam appellamus) modis quatuor, nimirum, vel impediendo localem motum ad copulam necessarium: vel frigiditatem inducendo, adhibitis remedijs naturalibus, quibus vigor membri languescit: vel per phantasiæ illusionem, qua vir vxorem, aut vxor virum abominatur: vel impediendo effusionem seminis occlusis meatibus, per quos defluit. Ita Palud. *in 4. d. 34. quæst. 2. n. 16.* Sot. *qu. 1. art. 3.* D. Anton. *3. p. tit. 1. c. 12. §. 3.* Vict. *in relect. de arte magica.* Hæc impotentia artificialis arte dæmonis effecta, appellatur à Doctoribus maleficium. Quod vero, si perpetuum est, dirimat matrimonium, constat ex communi Doctorum sententia cum Magistro, & D. Thom. *in 4. d. 34.* Vbi Scot. *q. vnica.* Habetur *in ca. Per sortiarias, 33. q. 1. cap. Ex literis. de frigid & malef.* Fit autem hoc maleficium à dæmone sæpius respectu vnius tantum fœminæ, aut viri, non autem respectu alterius; & ideo, cum qua homo non est maleficiatus, valide contrahit matrimonium. Notat D. Tho. *in 4. d. 34. art. 3. ad 3.* Palud *qu. 2. num. 7.* Armil. *matrimon. 49.* D. Antonin. & Richard. *supra.*

5 QVAERST. *Vnde probatur hæc impotentia perpetua?* RESP. Probabitur per testimonium personarum, quæ visu, aut tactu sciunt membrum virile fuisse sectum; vel testiculos fuisse auulsos: vel membrum esse debile. Probabitur experimento nõ fracti signaculi virginalis ad visum, seu

tactum honestarum fœminarum. Probabitur actus generalis fœminę, per tactum honestarum fœminarum. Ita habetur *capitul. Fraternitatis. de frigid. & malef.* Vt aperte cognoscatur, sitne impotentia perpetua, vel conceditur a iure triennium, quo possint contrahere cohabitare, & eodem thoro dormire, actum matrimonii exercendo, vt veri coniuges. Ita habetur *capitul. Laudabilem de frig & malefic.* & finito triennio conceditur confirmatio, seu declaratio occulti impedimenti, & datur locus apertæ probationis ostensioni, vt inuicem separentur.

6 QVAEST. *Estne impotentia dirimens matrimonium carentia vtriusque testiculi, vel naturalis, vel artificialis, non qui valet membro virili?* RESP. Affirmant aliqui Palud. *4. dist. 34. numer. 8.* D. Antonin. *3. p. titul. 12.* Palat. *dist. 1 nu. 1. cap. 11. §. 2.* Armil *matrim. 53.* Angel. *matrim. 3. num. 16. num. 1.* Guter. *in quæst. can. c. 16. num. 1.* Oppositam docent Canonistæ communiter *cap. Quod sede, de frigid. & malefic.* vt fatentur Angel. & Guter. Tenet. Sot. *d. 34. art. 2.* appellarque oppositam sententiam non tolerabilem. Est nunc certa de hac controuersia decisio Sixti data anno Domini 1587 declarans tale coniugium esse ac semper fuisse iure ipso naturæ nullum. Si quando retro talia coniugia permissa sunt, & ab Ecclesia tolerata, nondum veritas apparebat, & ideo priori opinioni adsentiebatur Dixi carentiam vtriusque testiculi, quia carentia vnius tantum, non est impedimentum dirimens. Ita Panormita. *in capitul. Quod sedem de frigid. & malef.* Palud. D. Anton. Armil. Sot. *locis proximè,* & Sylu. *summon. 3. qu. 18.* Ratio est, quia cum tali carentia, adhuc optima fit seminatio. Non fit autem in carentia vtriusque vt ostendit Tiraquel. *in connub. L. 13. n. 21.*

7 QVAEST. *Estne hæc impotentia impedimentum dirimens cum est nota ambobus contrahentibus, vel soli potenti?* RESP. Negat Mich. Medin. *lib. 5. de cœlib. capit. 47.* D. Thom. *4. d. 34. ar. 2.* Palud. *numer. 9. qu. 9.* Petr. Sot. *de matrim. lib. 5.* D. Anton. *3. p. tit. 1. capitul. 10.* Angel. Viuald. & alii. Affirmant tamen Sylu. *matrim. quæst. 16.* Panorm. *cap. Consult. de frigid. & malef.* Sot. & Nauar. Ratio est, quia potentia ad cocundum, est de essentia matrimonij, vt tradunt

D. Thom.

D.Thom. Richard.Scot. Durand. *citata distin.*34. Scientia autem impotentiæ, non de impotentia facit potentiã.

8 QVAEST. *Quo iure impedit, & dirimit impotentia perpetua matrimonium?* RESP. Naturali. Ita Victor. *de matrim. nu.*283. Sot. *d.*3. *art.*2. *concl.*1. estque certa decisio tradita à Sixto V. vt iam ostendi in hac *sect. numer.*7.

9 QVAEST. *Iudicata est per iudicis Ecclesiastici sententiam impotentia perpetua, postea probata est experimento, & effectu minime talis, quia v.g. filium genuit: teneturne ad coniugem redire, quamuis coniunx transierit ad secundas nuptias?* RESP. Tenetur. Ita habetur *c. Requisisti. c. laudabilem, & c.*1. *de frig. & malef. & cui.*33. *q.*2. Ratio est, quia in tali sententia iudex fuit deceptus, quia matrimonium coram Deo validum erat, & firmum.

10 QVÆST. *Est mulier arcta respectu huius viri, qui habet debiles vires ad primum eam cognoscendã, non autem ad secundam, & tertiam vicem, si ab alio viro potentiori prius cognoscatur, rogo, an hæc impotentia sit impedimentum dirimens? vel an teneatur, postquam ab alio, cum quo secundo contraxit, cognita est, redire ad priorem virum?* RESP. Est quidem: nec debet redire ad primum virum, si vere contraxit cum secundo. Ita habetur *c Fraternitatis citato* iuxta Glossam communiter receptam, & Panorm. *ib* Richard. *d.*34. *ar.*2. *q.*2. Dur. *q.*2. Palud *q.*2. *nu.*14. D. Anton. 3. *p. tit.*1. *c.*12. §.1. Angel. *matr.*3. *imped.*16. *n.*4. Ratio est, quia impotentia illa respectu prioris viri erat absoluta, & perpetua. Addendum tamen est, nisi ipsa possit facile, quanquam cum dolore nonnullo, incisionis medicæ remedio vas aperire, & velit aperire, vt potest: tunc enim valeret prius matrimonium. Ita D. Tho. & Anton. *locis citatis*, atque Sot. Armil. *matrimon. numer.*50.

De impedimentis impedientibus tantum, & non dirimentibus. §.3.

1 *Quot sunt impedimenta, impedientia tantum.*

2 *Explicantur singula impedimenta impedientia tantum.*

3 *Quod sit peccatum contrahere cum impedimento.*

1 QVÆSTIO. *Quot sunt impedimenta impedientia, & non dirimentia?* RESP. Sexdecim, quæ his versibus continentur.

Votum, interdictum, raptus, sponsalia, cædes
Consortis tori, presbyterive sacri.
Incestus, fœdusque sacra, cum virgine, vinclum,
Edocuisse fidem, pœnituisse palam.

Ita Caiet. *matrim. c. 3.*

2 QVAERST. *Explica singula.* RESP. *Votum*, castitatis simplex. *cap. Ruſsus. Qui clerici, vel voti.* Præterquam votum simplex emissum post nouitiatum in sacrosancta Societatis IESV Religione; vt iam ostendi *sect. 3. prac. §. Item* votum de non nubendo. Ita Caiet. *tom. 2. Opuscul. in qu. 1.* siue simplex, siue iuratum. Ita Nauar. *cap. 22. numer. 73.* Couar. *de matrimon. cap. 6. numer. 2. Interdictum* hoc est Ecclesiæ prohibitio; quanquam iusta de causa obsuspicionem impedimenti ab incerta fama ortam fiat a parocho, ne contrahatur ante declarationem. Ita Palud. in 4. *d. 3. q. 1. n. 10.* Sylu. *matr. 7 q.* Arm. *n. 54.* Nau. *ca. 22. n. 6.* contra Angel. *matrim. 3. impedim. 1. Raptus* alienæ sponsæ vel per verba de præsenti, vel de futuro: nequit enim raptor tam cum ea, quam cum alia contrahere in pœnam nefarij sceleris *capitul. Statutum. 27. quæst. 2. de rapt.* Dum alienæ sponsæ. Nam qui rapuit suammet sponsam, non contrahit tale impedimentum. Ita Panorm. *capit. Cum causa de raptorib.* Armil. *rapina.* Bellarm. *de matrimon. lib. 1. capit. 20.* Nau. *capit. 22. numer. 74. §. Non obstat.* Est enim raptus, abductio violenta puellæ liberæ ex domo patris, vel custodis *L. raptores ff. de raptor. virg. capit. Illa. 26. quæst. 1. capit. cum causa. de raptor.* Sufficit ad raptum violentia facta vtrique, puellæ scilicet & patri, vel custodi; sufficit facta alteri, puellæ nimirum, vel patri, altero consentiente in rapina. Ita D. Thom. *2. 2. quæst. 154. articul. 7.* Gratian. *de raptorib. §. Ex hac autorit. 36. quæst.* Est igitur de ratione raptus violentia. Ideo si solis precibus, vel promissis fœmina è paterna domo auferatur, nulla interueniente vi, non dicitur rapta, valetque proinde matrimonium cum ea initum, etiam antequam ad domum patris reducatur. Valebit multo magis, cum eamet raptorem inuitauit. Notat Gloss. *d. capit.*

Cum

Cum causa. Ad contrahendum hoc impedimentum, & incurrendas pœnas appositas raptoribus fœminarum, satis est fœminam rapi ad libidinem, non ad coniugium. Ita declarauit Congreg. Cardin. Nomine raptæ intelligitur quæcunque fœmina, seu virgo, seu non virgo. De raptæ vero fœminæ matrimonio, variè determinatum fuit in iure. Enim vero iure ciuili olim tale matrimonium erat nullum. *L. vnic. Cod. de rapt. virg.* Item iure canonico. *capit. de puellis. capitul. 36. quæst. 2.* postea decretum est ab Innoc. III. valere matrimonium, si ipsa rapta vellet raptori nubere. *capitul. fin. de raptorib.* Doctores vero interpretabantur esse validum, quamuis fierer, antequam rapta restitueretur custodibus & libertati. Ita Maior. *in 4. d. 29. qu. 2.* Couar. *de matrimon 1. pag. cap. 3. §. 9. numer. 1.* Contra Martib. de Magistris. *de temp. quæst. de rapt.* Nouissimè verò Conc. Trid. *session. 24, cap. 6.* irritum reddidit tale matrimonium, quamdiu rapta est in potestate raptoris: veruntamen decernit, si ipsa libertati suæ fuerit restituta. *Sponsalia,* id est, promissio futuri matrimonij. De his tamen latè suo loco à te rogari spero. *Cædes consortis tori,* id est, propriæ vxoris occisio. *capitul. Interfectores. cap. Admonere. 23. quæst. 2.* Doctores cum Magistro *in 4. d. 37.* siue maritus eam occidat ex odio, siue ex vindicta adulterij. Ita D. Thom. *in 4. dist. 37. quæst. 2. art. 2.* D. Anton. *3. p. tit. 1. ca. 16. §. 4.* Cædes itidem proprij viri. Ita Palud. *in 4. d. 37. quæst. 1. numer. 1.* Sot. *quæst. 1. numer. 1.* Nau. *capit. 22. nu. 74.* Armil. *matrim nu. 58.* Anton. vbi maxime. Non est circa viricidium textus expressus, vt notat Sylu. *matrimon. 7. quæst. 6.* Est tamen par ratio, & interpretamentum Doctorum. *Cædes presbyteri sacri,* id est, presbytericidium. Ita habetur *capit. Qui presbyterum de pœnitent. & remissio.* Dubitant Auctores, an ad hoc impedimentum requiratur conuictio criminis in iudicio. Pars affirmans est probabilior, quam sequitur Panorm. *dicto capit. Qui presbyterum.* Tolet. *lib. 7. capit. 15. num. 6.* Armil. *matrimon. num 59.* Ita verba textus: *Qui presbyterum occiderit, conuictus absque spe coniugij maneat. Incestus,* id est, coitus fornicarius cum cõsanguinea coniugis suę, vsq; ad 4. gradũ, aut affine mortua coniuge, non potest amplius nubere. Ita Nau. *capit. 22. numer. 7.* Couar. *de matrimon. capit. 6. §. 8.*

num. 1. Ita habetur *capi.* 1. & *cap. Ex liter. de eo, qui cog. con.* Doctores *in* 4. *d.* 34. cum Magist. idem dicendum est de vxore cognoscente consanguineum, vel affinem sui viri. Notat D. Anton. *tit.* 1. *cap.* 16. § 4. Armil. *matrim.* nu. Oportet autem ad hoc impedimentum, vt incestus formalis, hoc est, scienter factus. Ita Palud. *in* 4. *d.* 34. *qu.* 1. *num.* 13. Patratus etiam post coniugis amissæ, vel ar si obitum inducit impedimentum. *capitul. Transmissa de eo, qui cogn. consan.* quidquid in oppositum dicat Sot. *d.* 27. *qu. vnica. art.* 1. & Viuald. *de matrimon.* Dixi cum consanguinea, vel affine, sed iuxta multorum opinionem, etiam coitus cum ea, vel eo, quo cum habetur impedimentum publicæ honestatis, causa est huius impedimenti. Ita Pal. *in* 4. *d.* 34. *quæst.* 1. *art.* 13. Couar. *de matrimon.* 2. *p. cap.* 4. *nu.* 4. Dum vterq; delinquens viuit. *ca. Duo pueri. de despons. impub. iuncta Gloss. Dabitur.* Notat. *proxime citatus.* Coitus vero cum cognata spirituali, quanquam dicit possit incestus, vt aduertit Nauar. *cap.* 16. *nu.* 3. non opponit impedimentum. Ita Palud. proxime, Dubitant Doctores an coitus cum propria consanguinea, causa sit huius impedimenti. Affirmat Nauar. *cap.* 12. *nu.* 74. & *libr.* 1. *Cons. resp.* 17. ostenditq; ex iure, & Doctorum sententia late & copiosè. Ideo cum dispensatur inter consanguineos, qui incestu polluerunt, ex stylo Curiæ apponitur in dispensatione. At superstes sine spe coniugij maneat. Dubitant deinde, an hoc impedimentum oriatur ex incestu occulto, qui in iudicio probari nequit. Negat Panor. *capit. litteris de præsumpt.* Sot. *d.* 23. *qu.* 1. *art.* 1. Affirmant verumtamen Castro *libr.* 2. *de leg. pœn. ca.* 5. *argu.* 5. Nau. *cap.* 22. *num.* 74. & *libr.* 4. *Cons. titul. de consang. & affin. consil.* 1. Cord. *quæst.* 12. *art.* 2. sed asserunt non esse consuetudinem petendi dispensationem, nisi ad contrahendum cum eadem complice incestus, aut consanguinea eius, ratione affinitatis contractæ, quanquam incestus sit publicus. Quoniam verò hæc opinio est incerta, tutius erit petere dispensationem. *Fœdus* sacra cum virgine, est coniugium factum scienter cum professa moniali. Ita habetur *can. Hi vero.* 27. *quæst.* 1. *Vinculum.* Id est, affinitas, quam alter coniux scienter malitiose contraxit aduersus alterum coniugem, vt non possit ab eo petere: vel vterque malitiose,

tiosè, vt possint sibi inuicem negare. *capit. De eo.* 30, *quæst.* 1. Oritur hoc impedimentum ex susceptione à sacro fonte. Ita Caiet. *supra.* & Sot. *distinct.* 37. *artic.* 1. Nau. *capit.* 22. *numer.* 71. Ex susceptione filij in sacramento Confirmationis, iuxta Caiet. Ex baptismo facto ab ipsis parentibus malitiosè, ad non petendum debitum. *Edocuisse fidem.* Id est, Doctrina articulorum fidei, quam appellamus catechismum, data ei, qui est baptizandus, vel domi iam est baptizatus, sed adhuc in Ecclesia solemniter recipiendus, gignit hoc impedimentum inter catechizantem, & catechizatum, patrem ac matrem catechizati, eodem modo, quo in baptismo, & confirmatione, vt ex Concil. Trident. aduertit Nauar. *capit.* 22. *num.* 372. Habetur hoc impedimentum *capit. ante baptismum. de consecrat. distinct.* 4 *capit. Per catechismum de cogn. spirit. lib.* 6. Pœnituisse palam, hoc est, fuisse punitum iniuncta publica pœnitentia, & solemni: talis enim pœnitentia facta, est impedimentum ad deinceps nubendum. *capit. De his capit. Antiqui* 33 *quæstion.* 2. Quod intelligendum est, dum ipsa durat, vt notat Sot. *distinct.* 37. Verumtamen hoc impedimentum nunc iamnon viget, quia non fit solemnis pœnitentia, vt fieri solebat.

3 QVÆST. *Estne peccatum mortale contrahere matrimonium cum aliquo horum impedientium impedimento?* RESP. Negat Petr. Sot. *lect.* 7. *de matrimon.* Negat Armil. §. 60, vt notat Tolet. *libr.* 7. *cap.* 15. *num.* 6. Dubitat Palud. *dist.* 34 *quæst.* 3 *art.* 2. & Sot. *ibid.* Ratio eorum est, quia iam dissuetudine inueterata, non opus est petere dispensationem circa hæc impedimenta impedientia tantum. Affirmat tamen probabilius Caiet. *verb. matrimon. cap.* 2. §. *Et scito*, consentit Tolet. *libr.* 7. *capi.* 15. quanquam inquiens, non constanter affirmem. Dico igitur: De aliquibus horum impedimentorum, constat esse peccatum mortale ijs obstantibus contrahere: veluti de voto religionis, vel castitatis, de sponsalibus, de interdicto. De reliquis probabilior est opinio Caiet. & Tol. Ratio est, quia talis Ecclesiæ prohibitio, est in materia graui; transgressio verò præcepti in materia graui, obligat ad culpam grauem.

De

De dispensatione impedimentorum. §. 4.

1 *Quis potest dispensare in impedimentis dirimentibus.*

2 *An Doctores dubitent de dispensatione circa aliqua.*

3 *Quæ sunt impedimenta, de quorum dispensatione dubitant.*

4 *De dispensatione impedimentorum non dirimentium.*

5 *Cum quibus non dispensatur.*

6 *De causa ad dispensandum.*

7 *Quæ est legitima causa ad dispensandum.*

1 QVÆSTIO. *Profer in medium, quis potest dispensare in impedimentis dirimentibus?* RESP. In impedimento erroris cognationis naturalis pro recta linea saltem vsque ad 4. gradum, pro transuersa vsque ad primum, ligaminis, metus, & impotentiæ perpetuæ nullus in terris dispensare valet. In reliquis solus summus Pontifex. Ratio prioris partis conclusionis est, quia in ijs impedit ius naturale, vel ex defectu consensus, vel ex decentia naturaliter debita, & reuerentia, vel ex obligatione perpetua, vel ex contrarietate repugnante fini matrimonij, vt facile videre est in ijs, quæ proposui circa vnumquodque impedimentorum. Ratio 2. partis est, quia impediunt ex solo statuto Ecclesiæ. Dixi, solus cum Nau. *cap. 23 num. 85.* quia Episcopus non potest dispensare in aliquo impedimento dirimente secundum omnes, nisi quando impedimentum occultum est, matrimonium vero publicum, & separatio nimium scandalosa, & ad Papam, vel illius Nuncium potestate ad dispensandum pollentem, aut nulla, aut difficillima additio. Vt volunt Angel. & Sylu. cum Nau. *loco proxime citato per cap. At si. 3. de adult. tit. de iudic.* cum Ioanne *de lign.* & Panorm. quos *ibi* sequitur Instruct. *2. p. cap. 59. titu. de dispens.*

disput. pet. Tunc vero per epicheam dispensat Episcopus, præsumitur enim ea Papæ esse voluntas.

2 QVÆST. *Dubitantne Doctores de aliquibus?* RESP. Dubitant de tribus.

3 QVÆST. *Memora.* RESP. Faciam lubens. Dubitant in primis de voto solemni castitatis per professionem religionis approbatæ nuncupato. Veruntamen de ea quæ iam me rogasti. 1 *p. cap.* 6. §. 9. *num.* 5 respondique secutus partem affirmantem, quam appellat communem. Nau. *cap.* 12. *num.* 75. contrà Gloss. *cap. Cum ad monasterium de statu monach.* Armil. *dispensatio. num.* 12. Ratio mea est, quia oportebat ad bonum Ecclesiæ regimen hanc Ecclesiæ capiti potestatem relinqui extraordinariam: & ideo vsus est ea non semel Papa, cuius exempla referunt Palud. & Caietan. *locis citat.* Hic verò restat argumentum proponere Diu. Thom. oppositum asserentis? illudque soluere. Sic igitur argumentatur D. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 11. Post factam consecrationem calicis in ministerium altaris, tamdiu calix manet consecratus, quamdiu integer manet, neque potest ab eo, forma remanente integra, auferri consecratio, sed per votum solemne castitatis monachus sit religiosus consecratus Deo, & religioni, ergo quamdiu ille manet, tamdiu manet consecratus voto, ac proinde adeo voto adstrictus, vt ab aliquo nequeat eo liberari. Confirmatur efficaciter ex text. *ca. Cum ad monasterium:* vbi Innocentius III. decernit obseruantiam castitatis, & paupertatis, ita esse statui religioso adnexam, vt nec etiam Sum. Pontifex valeat de ea licentiam indulgere; ergo, &c. Obiectioni positæ occurrunt Caietan. *citato loco.* & Durand. *in* 4. *d.* 38 *quæst.* 2. *ad* 2. dicendo eam procedere, quamdiu talis monachus, qui votum emisit, manet religiosus: at verò Sum. Pontificem dispensando, facere de religioso, non religiosum, ac proinde aptum nuptui, sicut cæteri sunt, qui votum emiserunt. Dixi in voto solemni religionis: quia in voto solemni sacris ordinibus annexo, quod Papa possit dispensare, nemo negat, nec ipse D. Thom. imo affirmat 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 11. *in corp.* & Palud *in* 4. *d.* 37. *quæst* 1. *num.* 8. Sot. *ibidem quæst.* 1. *art* 1. Caiet. *tom.* 1. *Opusc. tract.* 27. *quæst.* 1. Gandau. *quodl.* 5. *quæst.* 28. Bellarm. *de matrim. lib.* 1. *ca.* 21.

Oper-

Oportet tamen ad hanc dispensationem interue[illegible] causam communis vtilitatis, vt notat Sot. *libro 7. Iust.* [illegible] *sput. 5. ar. 5.* Dubitant deinde de matrimonio rato ([illegible] de consummato constans est pars negans) Negant [illegible] Palud. *in 4. d 27. qu. 3. num. 25.* Sot. *qu. 1. ar. 4. §. Hu*[illegible] Almai. *de potest. Eccle. ca. 1.* Vict. *de matrim. nu. 281.* [illegible] *de matrim. 2. p. ca. 7. §. 4. nu 4.* Panor. *ca. Ex publico. de* [illegible] *coniug.* Deniq; omnes communiter Theologi teste [illegible] *tom. 1. Opus. tract. 28.* quanquam partem oppositã seq[illegible] Ratio eorũ est, quia matrimonium ratum, sicut con[illegible] matum, significat coniunctionẽ Christi, & Ecclesiæ [illegible] iunctio autẽ Christi, & Ecclesiæ est inseparabilis; [illegible] &c. Affirmat tamen Gloss. *ca. Ex publico. de conuers.* [illegible] Præpos. *ca. fin. de spons. duor.* Felin. *ca. Quæ Eccles. de* [illegible] communiter Canonistę testantibus in oppositũ [illegible] Panor. & Coua. Affirmat Syl. *diuortium. qu. 4.* Caiet. [illegible] *1. Opusc. tract. 28.* Armil. *dispensatio. num. 8.* cum Host. [illegible] Angel. Rosel. quos citat Ambr. Cathar. *contra Caietan.* [illegible] *6. cap. 3.* Nau. *ca. 22. nu. 21.* cum Mich. Medin. quem [illegible] Probatur vsu, & praxi, nam in eo dispensauit Mar[illegible] V. dispensauit Eugenius IV. teste oculato. D. Anton. [illegible] *p. tit. 1. ca. 21. §. 3.* dispensauit Paul. III. & Pius IV. [illegible] quater petente Nau. vt ipse fatetur *ca. 22. nu. 2.* Ratio [illegible] quia sicut ad votum, & iuramẽtum oportuit, vt Christus Dominus extraordinariam potestatem reliquerit [illegible] sandi, cum id suus Vicarius expedire iudicauerit, [illegible] ad dispensandum in matrimonio rato. Dubitant [illegible] de affinitate, an dirimat iure naturali in primo gra[illegible] ctæ lineæ, Sed de hac controuersia me rogasti, & ego [illegible] spondi, §. *proxime præcedenti Sect. vndecima,* nihilque [illegible] addendum occurrit.

4 QVAEST. *Quis potest dispensare in impedimentis* [illegible] *dirimentibus?* RESP. Ex communi Doctorum potest [illegible] piscopus. Ita Card. Tol. *li. 7. ca. 15. nu. 6.* Nau. *ca. 23.* [illegible] cum Palu. *in 4. d. 28. qu. 2.* D. Ant. *3. p. tit. 1. ca. 16. §. 4.* [illegible] hoc expressum in iure, sed de solo incestu cõcedit[illegible] scopis facultas dispensandi, cum est periculũ innocẽ[illegible] *ca. Antiqui ca. in adolescentia. 33. qu. 2. ca. Ex liter. 1. de* [illegible] *cogn. consan. vxor.* Tenent Palud. *in 4. d. 34. quæ. 1. col.* [illegible] Ant. *3. p. tit. 1. ca. 15. §. 4.* Hæc tamẽ facultas ex parit[illegible]

tion[illegible]

tionis à Doctoribus extenditur ad omnia alia delicta, ex quibus oritur impedimentum, impediens tantum, vt aduertit Nau. *loco citat.* Excipiuntur tamē hic duo vota, nimirum castitatis, & religionis, in quibus non potest Episcopus dispēsare, iuxta cōmunem doctrinam: neq; in ijs, nisi ex vrgente causa Papa dispensat. Excipiuntur sponsalia, de quibus dicam suo loco. Aduertit tamen Nauar. *ca. 22. nu. 75. & ca. 23. nu.* 85. non esse in vsu, vt pro impedimento impediente tantum, ab Episcopo, vel à Papa petatur dispensatio: etiam in impedimento incestus, nisi ad contrahendum cum consanguinea à se incestuose cognita, vel cū affine, orta affinitate ex ipso incestu. Nondū enim, ait, adhuc in tanta ætate vidi, vel audiui id fieri.

5 QVÆST. *Dic, cum quibus prohibet Concil. Tridentin. dispensari in impedimentis matrimonij?* RESP. Apponam Concilij verba, & ex ijs facile apparet prohibitio, ita enim *sessi. 24. cap. 5. de reform.* Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe consequendæ dispensationis careat. Idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe consequendæ dispensationis careat. Idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, si quidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subijciatur pœnis: non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cuius salubria præcepta temere contempserit. Si vero solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis dispensari poterit. In contrahendis matrimonijs, vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa, & gratis concedatur. In 2. gradu, nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam. Ita Concil.

6 QVAEST. *Requiriturne causa, ad dispensandum in matrimonij impedimentis?* RESP. Dico primum. Summus Pontifex validè dispensat in toto iure humano, etiam ab Apostolis constituto, vel à Concilijs Ecclesiæ generalibus.

bus. Ita D. Thom. *quodl.* 4. *artic.* 13. Gloſſa, & communiter recepta *capit. Propoſuit. de conceſſ. præben.* Ratio eſt, quia Summus Pontifex eſt ſuper omne ius humanum, & ſuper ſtatuta Conciliorum, vt cum communi docet D. Thom. *Opuſc.* 19. *cap.* 3. *& in ſente diſt.* 29. Turrec. *lib.* 2. *cap.* 93. Ferrar. *contra gent. lib.* 4. *cap.* 76. Et ratio eſt optima, quia caput in corpore eſt ſuper membra, paſtor eſt ſuper oues: ſed Papa eſt caput Eccleſiæ, eſt paſtor ouium Chriſti, vt docet Concil. Chalcedonenſe *in epiſt. ad Leonem*, & habetur *cap. Vbi periculum. de election. in* 6. Deinde, quia Papa eſt Chriſti vicarius, & ab eo immediate, non vero Eccleſia habet poteſtatem, vt decernit Concil. Florent. *ſeſſi. vltim.* Sed de hac re Theologi. 2. 2. cum agunt de Roman. Pontifice. Ideo quamuis Concilium generale vellet auferre à Papa poteſtatem diſpenſandi circa Concilij decreta, nihil efficeret, vt notat Turrecrem. *lib.* 2. *Eccleſ. cap.* 52. Victor. *de poteſt. Papæ. & Concil. prop.* 5. Conr. *in qu. lib.* 4. *quæſt.* 8. Dico ſecundum. Summus Pontifex diſpenſando ſine cauſa in ſtatutis Canonicis Conciliorum, peccat quidem venialiter, aut lethaliter iuxta materiam grauem, aut leuem ſuper qua diſpenſatur. Ita D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 97. *art.* 4. Victor. *de poteſtat. Pap. & Con. prop.* 7. Couar. *de matr. cap.* 6. §. 9. *num.* 7. Nam illi data eſt poteſtas in ædificationem. Et ideo peccat, qui ſcienter ab eo iniuſtam petit diſpenſationem, quia cooperatur illius peccato. Ita Gloſſ. *ca. Non eſt de voto*, communiter recepta, Caiet. 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 5. Qui tamen vtitur diſpenſatione facta in iure humano peccat tantum venialiter, niſi ſequatur graue ſcandalum, vel damnum tertij. Ita Sot. *lib.* 1. *Iuſt. qu.* 7. *art.* 3. Cou. *proxime*, Caiet. *verb. diſpenſatio*. Ratio eſt, quia iure naturali tenetur pars ſe conformare toti, patique legem, quam omnes alij patiuntur, quia adeo à natura ipſa edoctum eſt, vt illius vox ſit apud Horatium *in Troade. Ferre quam ſortem patiuntur omnes, nemo recuſat.* Dixi, in iure humano, & in ſtatutis Canonum Conciliorum, quia in his, quæ ſunt de iure diuino, quale eſt votum, iuramentum, matrimonium ratum, in quibus *ſupra* dixi poſſe Papam diſpenſare, diſpenſatio ſine cauſa eſt nulla, peccatque lethaliter, qui ea vtitur; vt docent cum communi Sot. & Caiet. *locis citatis.*

7 Quæſt.

7 QVAEST. *Quæ est legitima causa dispensandi in matrimonio?* RESP. Supposita Doctrina Victor. *de potestat. Papæ. prop.* 12. quod semper in dispensationibus attendendum sit bonum commune, neque faciendæ cum boni communi detrimento, vt docet D. Thom. 1 2. *quæst.* 97. *artic.* 4. *ad* 1. *& quæst.* 100. *art.* 8. & 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. facit aliquando ad bonum commune, vt cum aliquibus ex causa dispensetur, vt in matrimonio iam contracto veri coniuges efficiantur Causa igitur sufficiens est scandalum, quod sequetur ex separatione contrahentium. Ita Couar. *de matrim.* 2. *p.* §. 10. *numero* 13. Est proles suscepta ex consanguinea bona fide, & ignoranter, quod consanguinea esset. Ita *cap. Quia circa de consang.* adiuncto *capit. Cum haberet, de eo, qui duxit in matr.* vbi Abb. & Ioann. Andr. postea declarauit Concil. Trid. *sessi* 14. *cap.* 5. Est ipsum matrimonium bona fide contractum à consanguineis impedimenti ignaris, & consummatũ sine prolis euentu. Ita apertè Concil. Trid. Si verò solemnitatibus adhibitis impedimẽtum aliquod postea subesse cognoscatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis dispensari poterit. Causæ vero ad dispensandum, vt contrahant consanguinei, qui nondum contraxerunt, tres sunt præcipuæ. Prima est angustia loci, vbi contrahentes habitant, quando non inuenitur alter paris conditionis, & nobilitatis. Secunda, quando diues eiusdem loci vult consanguineam pauperem ducere, vel indoratam, assignando vxori dotem. Tertia, quando oportet ad componendas graues inimicitias, vel ad sedandas rixas acerbas, vel ad lites componendas. Ita Nauar. *capit.* 22. *numer.* 87. Instruct. 2. *p. capit. vltim. titu. de petend. dispensat.* Circa dotis incompetentiam notari oportet eam sufficere respectu personarum, eiusdem loci fœminæ, ideo licet in vicino loco dentur non consanguinei, qui velint fœminam talem pauperem, vel indotatã accipere coniugem, non proinde vitiatur dispensatio, sed tenet, & est bona. Ita declarauit Congregatio Cardinalium circa dispensationem in 4. gradu consanguinitatis. Imo declarauit in oppidis, & ciuitatibus propter ciuium paupertatem, & in alijs locis propter vicinorum cognationem posse dispensari,

etiã in tertio gradu. Quoniam vero hac in re certa regula statui nequit, causæ iustitia, & sufficientia relinquenda prudentis iudicio dispensantis, perpensis omnibus circumstantijs appositis. Ita Arm. *dispensatio nu.* 14. & [illegible] *ibidem qu.* 1.

8 QVÆST. *Quæ conditiones, seu circumstantiæ apponendæ sunt in petenda dispensatione circa gradum consanguinitatis mixtum, seu duplicem?* RESP. Necesse est ad validitatem dispensationis, vt vterque gradus explicetur. Is autem gradus mixtus, seu duplex, cum ab eodem stipite descendunt contrahentes æquali gradu, seu distantia per lineam paternam, & maternam, vt quando v. g. patres sunt fratres, & matres sunt sorores. Ita explicuit Cou. *de matrim. 2. p. ca. 6. §. 10. nu.* 12. Ratio est, quia difficilior reddit dispensatio: deinde, quia gradus mixtus, seu duplex non intelligitur sub gradu absolutè, vt habetur *cap. fin. Simon. & L. 2. ff. de verb. significat.*

9 QVÆST. *Quæ conditiones, seu circumstantiæ apponendæ sunt in petenda dispensatione?* RESP. Olim sufficiebat mentio solius gradus remotioris, quamuis propinquior esset prior gradus. Ita Gloss. *capit. Quod dilect. de cognat. & affinit. ibid.* Abb. Insuper *in capit. fin. de simon.* Felinus. Cou. *de matrim. 2. p. cap. 6. §. 10. num.* 12. Et Constit. Clem. VI. *incipiente Nuper.* Ratio erat, quia quando consanguinei distant inæquali gradu à stipite, quo remotior distat, eodem gradu distat inter se, per *ca. fin. de cognat.* & ita loquitur Tolet. *libro 7. capit. 5. num. 6.* Postea Pius IV. irritam declarauit dispensationem, in qua non fuit mentio vtriusque gradus. Atque hoc attento iure, Molina Theologus *tom. 1. iust. tract. 2. disp. 161. §. illud tamen*, vtrumque gradus exigit mentionem. Vltimo Pius V. constitutione propria, edita anno 1566. die 20. Augusti, cui apposuit titulum, declaratio constitutionis Pij IV. declarauit hanc Pij IV. constitutionem. Statuit igitur Pius V. non esse necessariam mentionem vtriusque gradus, nisi persona propinquior sit in 1. gradu, sed iubet, vt post obtentas literas dispensationis, obtineantur aliæ literæ declaratoriæ super gradu propinquiori. Ita adnotauit Nau. *c. 22. nu. 86.* Guter. *in can. qu. ca. 15. nu. 3.*

10 QVÆST. *Estne in petitione dispensationis cum con-*

guinea, vel affine, exprimenda copula, cum eadem habita? RESP. Maxime. Ita habet stylus Curiæ, declarauitque congregatio Cardinalium. Solent enim hæc verba in dispensationibus apponi, dummodo copula non intercesserit.

II QVAEST. *Non est habita copula supradicta, ante expeditionem literarum dispensantium, & ideo nec facta est de copula mentio: sed habita fuit post expeditionem literarum, antequam præsentarentur Episcopo proprio; rogo an valeant tales Literæ dispensantes?* RESP. Dupliciter fit huiusmodi dispensatio: nimirum aut gratiose ab ipso Papa immediate dispensante: aut mediate per commissionem, qua Papa delegat potestatem Ordinario proprio impetrantium dispensandi cum illis. Ita loquitur Concil. Trident. *sess. 22. ca. 5 de reform. Dispensationes*, inquit, *quacunque auctoritate concedenda, si extra Romanam Curiam committenda erunt, committantur Ordinarijs illorum, qui eas impetrauerint: ea vero, quæ gratiose conceduntur, suum non sortiantur effectum, nisi prius ab eisdem tanquam delegatis Apostolicis, summarie tantum, & extraiudicialiter cognoscatur, expressas preces surreptionis, & obreptionis vitio non subiacere.* Hoc posito dico sic. Si dispensatio fiat primo modo, tenet, licet habita fuerit copula, antequã Ordinatio literæ præsententur, neque dum factum sit examen de vitio surreptionis, & obreptionis, si re vera tale vitium non sit. Si vero dispensatio fiat secundo modo, & ante Ordinarij dispensationem, habita fuerit copula, ea detecta, Ordinarius nequit dispensare, ea vero occultata, dispensatio est nulla. Ita declarauit Congreg. Cardinal. notat Guter. *in q. can. capit. 15. num. 21.* Sed de hac re plura apud Cord. *qu. 45.*

CAPVT XVII.

De Sponsalibus, & denunciationibus.

De Sponsalibus. §. 1.

1 *Vnde dictum est nomen sponsalia.*
2 *Quo pacto definiuntur sponsalia.*

3 An sit necesse promissionem sponsalitiam exter declarari.
4 Quæ externa signa sufficiunt ad declarand sponsalitiam promissionem
5 Quo pacto celebranda sunt sponsalia.
6 In qua ætate valida sunt sponsalia.
7 An ad validitatem sponsaliorum malitia supp ætatem.
8 An parentes possint pro filijs minoribus legitima ætate sponsalia celebrare.
9 Vtrum sponsalia celebrata à parentibus pro filio minore, obligent ipsum filium.
10 Quot, & qui sint effectus sponsaliorum.
11 De pœna frangentium sponsalia.
12 Quot sunt genera sponsaliorum.
13 De sponsalibus conditionatis.
14 De sponsalibus sub conditione turpi, vel impossibili.
15 An ex sponsalibus conditionatis nascatur impedimentum publicæ honestatis.
16 An sit sponsalitia promissio sub conditione, si Papa dispensauerit.
17 De sponsalibus factis per metum.
18 De pœna apposita, ei, qui non steterit sponsalitijs promissionibus.
19 De arrhis.
20 De causis soluentibus sponsalia.
21 Quæ regulæ habendæ sunt in causis, ad soluenda sponsalia.

1 QVÆSTIO. *Vnde ductum est nomen sponsaliorum* Resp. A spondendo. Ita Vlpian. *L. 2. ff. de sponsalib.* Spondere autem, est sponte promittere. Fiebat autem olim hæc sponsalitia promissio per munera data partim

tij aut tutori puellæ in vxorem ducendæ. Ita *L. 1. Cod. Si nupt. ex rescript. pet.* Sic habetur 1. *Reg.* 18. respondisse Saulem Regem Dauidi nupturo Micholi filiæ suæ, si gigantem occidisset, cum ad nuptias declinandas inopiam causaretur Bethlemiticus pastor: *Non habet Rex sponsalia necesse* (id est, munera pretiosa, quæ olim dabantur Regibus, cum filias spondebant) *nisi tantum decem præputia Philistinorum.* Fiebat etiam per stipulationem. *L. 1. & 2. de sponsalib. & cap. Nostrates. 3. qu.* 5. Sponsus enim dabat fideiussores, seu sponsores promissæ fidei. Ita D. Tho. *in 4. 27. quæst. 1. artic. 1.* Et ideo ait Isidorus *libr. 9. Etymolog. cap. vltim.* sponsum sic dici, non quia promisit, sed quia sponsores dedit: similiter, & sponsa eosdem dabat sponsores. Nunc autem hæc promissio sponsalitia celebratur per contractum inter sponsam, & sponsum: celebratur autem hic sponsalitius contractus vno è quatuor modis. Vel simplici promissione de contrahendo matrimonio. Vel datis arrhis de non recedendo à contractu. Vel dato annulo sub arrha. Vel etiam addito iuramento de stando promissis. Ita Albert. Magn. *in 4. distin. 27. art. 15.* & *ib.* D. Thom. *qua. 1. art. 1.* Durand. *quæst. 3.* Palud. *qu. 1. num* 10.

2 QVÆST. *Quo pacto definiuntur sponsalia?* RESP. *Sponsalia sunt futurarum nuptiarũ mutua promissio.* Ita Albert. Mag. *in 4. d. 27. arrt. 12.* ibid. D. Thom. *qua. 1. art. 1.* Dur. & Palud. habetur *capit. nostrates, 30. quæst. 5. & L. 1. ff. de sponsali.* Quoniam verò hæc sponsalitia promissio, & celebratio fieri potest validè, & inualidè: cum autem inualidè fit, sponsalitia debent nuncupari, ideo exactius definiuntur sponsalia viri, & mulieris nullo naturæ, nec legis impedimento inhabilium de futuro matrimonio contrahendo promissio.

3 QVÆST. *Oportetne ad valorem, & obligationem huius promissionis, vt externe declaretur?* RESP. Oportet. Ita D. Thom. 2. 2 *qu. 87. art. 1.* Nam Deus intuetur cor: homo autem, quæ foris patent.

4 QVÆST. *Quæ externa signa sufficiunt?* RESP. Sufficiũt quæcunq; verba, quicunq; nutus, quæcunq; signa. Ita habetur *cap. pen. & vlt. de sponsalib.* Notant *ibi* Abb. & Præpos. habetur item *ca. vnico. §. 1. d. de despons. impub. l. 6.*

5 QVÆST. *Quo pacto est hic contractus celebr*
RESP. Publicè. Ita decreuit Innoc. III. *in ca. Cum inhibeat de clandest. desponsat.*

6 QVÆST. *Quæ ætas requiritur ad validitatem contrah sponsaliorum?* RESP. Septennium. Ita decernitur iure C sareo. *L. de sponsalib. 2. ff. de sponsalib.* Item iure Ca *capit. Literas. capit. Accessit capit. ad dissoluendum de sal. impub. capitul. Ex parte, de restitut. spoliat.* Requiri tem septennium, tam in sponso, quam in sponsa Nauar *in sum. ca. 22 num. 29.* cum communi Doct Septennium autem oportet esse completum *capit. capitul. sequent. de desponsat. impub.* Notant Ange *num. 5.* Gloss. *in Clemen. fin. de ætat. & qualitat.* com ter recepta. Ratio est, quia ad hanc promissionem requ ritur rationis perfectus vsus: hic autem nonnisi septe nio aduenire solet.

7 QVÆST. *Rogo igitur: si constet septennio complet rationis vsum non aduenisse: vel ante illud expletum* esse, *an septennio completo, adhuc inualida sint sponsa ro non adhuc expleto, teneant?* RESP. In priori difficul inualida esse sponsalia, tenuit Durand. *d. 27. quæst.* ad sponsaliorum valorem, non sufficere quemcumq nis vsum, sed qui polleat notitia futurorum. Cod *ibid.* D. Thom. *quæ. 2. art. 1. ad 2.* dum ait, *matrem sa salia requiri vsum rationis, quam ad peccandum* In altera difficultate negant esse vera sponsalia *Iuuenis. de sponsalib.* Angel. verb. *Sponsalia, §. 5.* Brun *de sponsalib. concl. 4.* Carrer. *libr. 1 de sponsalib. cap. 5.* eorum est, quia in iure absque vlla exceptione, re tur septennium: nam in ætate requisita ad matrimo statim excipitur, nisi malitia suppleat ætatem. In *nobis, eas attestationes. ca. Tua nos de desponsa. impub.* vnico eod. tit. in 6. Affirmant tamen D. Tho. *in 4. d. 2. ar. 2. ad 7.* Sot. *ibi qu. 2. ar. 2. d. 3.* D. Anton. *3. p. tit. 1* Syl *sponsal. qu. 2.* cum Hostiensi, & Innoc. quos citat *ea. Iuuenis. de sponsal. & ca. 30. qu. 1.* Ratio eorum est secundum Philosophum *li. 1. Physic.* Quod parum nihil distare videtur. In iure vero parum, & nihil æ parantur. Quæ quidem pars affirmans decernitur ab genio *ca. Iuuenis* citat, rogatus de eadem quæstione.

8 Quæs

8 QVÆST. *Possuntne parentes tutores, curatores, consanguinei curam infantium gerentes, sponsalia contrahere pro filijs minoribus septēnio?* RESP. Possunt, sed tantum vrgentissima causa interueniente. Ita Nicolaus Papa *in capit. Vbi non est. de desponsat. impuber.* Ita Barboza *2. pag.* 890 Ad hæc vero per parentes sponsalia contrahenda, non requiritur in infante certa ætas, sed quæuis sufficit. Ita *L. in sponsalib. 2. de sponsalib.* cum ait ad sponsalia non requiri certam ætatem, sic interpretatur legis mentem *Sot. in 4. d. 27. qu. 2. ar. 2. ad 1.*

9 QVÆST. *Hæc sponsalia contracta à parentibus ante septennium puerorum, obligantne ipsos pueros?* RESP. Minime quidem, sed oportet, vt ipsi pueri septennio expleto, liquidi ostendant se in talia sponsalia consentire. Ita decreuit Bonifac. VIII. *cap. vnico. de desponsat. impub.* Neque tenentur talibus præhabitis sponsalibus consentire ex iustitia, tenentur tamen ex debito honestatis, vt *ibid.* decernitur. Quod idem dicendum est, si sponsalia ab ipsis minorrbus sunt celebrata.

10 QVÆST. *Quot, & qui sunt effectus sponsaliorum?* RESP. Duo sunt. Primus est obligatio in sponsis ad contrahendum matrimonium promissum. *capit. ex Liter. capit. Sicut. capitul. Requisiuit. de sponsalib.* Quanquam sponsalia non fuerint iurata, *capit. De illis 1. de desponsat. impub. capi. iuramenti 22. quæst. 4.* Ita Albert. Magn. *in 4. dist. 27. artic. 14.* Palud. *ibidem quæst. 1. numer. 13.* Sylu. *sponsalia quæst. 4.* D. Thom. Et ideo peccat mortaliter, qui legitima causa minime excusante, recedit à fide sponsaliorum simplicium. Ita D. Thom. *in 4. d. 27. quæ. 2. art. 1. ad 2.* D. Anto. *3. p. tit. 1. cap. 18. §. 2.* Tenentur insuper ad damna restituenda subsecuta ex fracta fide. Ita communiter Doctores. Adeo autem obligat huiusmodi simplex promissio, vt non dissoluatur per aliam alteri cum iuramento factam. Ita Abbas, Innoc. Ioann. And. *capit. Sicut. de sponsalib.* Diu. Anton. *3. p titul. 1. capitul. 18. §. 2.* Sylvest *sponsalia. quæ. 7.* Cou. *1. p. de sponsal cap. 4. numer. 3.* Ratio est, quia iuramentum non est vinculum iniquitatis: iniquum autem est, non stare promissis. Secundus effectus est impedimentum publicæ honestatis. *ca. Sponsam. cap. Iuuenis. de sponsal.* Hoc autem impedimentum ex iure nouo Concil. Tride. *sess.*

24. *cap.* 3. oritur ex solis validis sponsalibus, & primum gradum non excedit. Gradum vero intelligo versus unam lineam, rectam, inquam, & transuersam. Iuxta vero decretum Bonifacij VIII. *ca.* 1. *de sponsal. in* 6. oritur etiam ex solis certis sponsalibus.

11 QVAEST. *Qua pœna afficiuntur à iure frangentes sponsalia?* RESP. Iubentur cogi ecclesiastica censura ab Alexand. III. *cap. Ex literis Syluani. de sponsalib. &c.* Praterea *eodem titul.* si sponsalia iurata fuerint. Hanc tamen censuras ecclesiasticas coactionem sustulit Lucius III. Alexandri successor. *cap. Requisiuit de sponsalib.* Et ex contraria decisione abierunt Doctores in oppositas opiniones, teste D. Thom. *in* 4. *d.* 27. *quæst.* 2. *art.* 1. *ad* 2. Quæ quidem contentio apte componitur dicendo non esse compellendum censuris ecclesiasticis renuentem sponsum, cum ex futuro matrimonio probabiliter timeantur grauia damna, nimirum vxoricidium, & similia, Ita Ant. 3. *p. tit.* 1. *c.* 18. §. 2. Brunel. *de sponsalib. con.* 16. *d.* 4. *nu.* Sotus *proxime* Cou. 1. *p de sponsalib. cap.* 4. *num.* 5. poena tamen semper est apponenda. *ca. De illis. de sponsalib. ea. Inter virum. eodem tit.* Quod quidem idem dicendum de sponsalibus simplicibus.

12 QVAEST. *Quot sunt genera sponsaliorum?* RESP. Sponsaliorum alia certa, alia incerta. Certa sunt, quæ fiunt vni tantum puellæ. Incerta sunt, quæ fiunt vni è pluribus. Alia absoluta: alia conditionata. Absoluta fiunt, cum absolute promittuntur. Conditionata vero, cum sub conditione celebrantur.

13 QVAEST. *Quid censes de sponsalibus conditionatis, suntne vera sponsalia?* RESP. Sponsalia conditionata, si conditio apposita est honesta, & vtilis, nec aduersatur substantiæ matrimonij, impleta conditione, sunt vera sponsalia. Ita D. Thom. *in* 4. *d.* 27. *qu.* 2. *ar.* 1. *ad* 4. Anton. *p. tit.* 1. *ca.* 18. §. 2. Sot. *in* 4. *d.* 29. *qu.* 2. *art.* 3. *conc.* 3. Habet. *ca. De illis. ca. Per tuas. ca. Super eo. de condit. apposit.* Quando vero conditio apposita aduersatur substantiæ matrimonij, sponsalia sunt nulla, etiam subsecuta conditione. Ita decernitur *ca fin. de conditione apposit.*

14 QVAEST. *Euenire potest, vt apponatur conditio impossibilis, & inhonesta: vt apponatur etiam conditio impossibilis, quæ*

quæro, quid censeas de talibus sponsalibus? RESP. Communis opinio docet conditiones turpes habendas esse pro nis opinio docet conditiones turpes habendas esse pro non oppositis, & iudicandum talia sponsalia esse vera, & valida. Ita D. Thom, & Anton. *citati.* Richard. *in* 4. *d.* 28. *art.* 2. *quæst.* 2. Durand. *q.* 2. *ad* 1. Decernitur *capitul. de cond. appos.* Idem decernitur de conditione impossibili. Verumtamen cum promissio in foro poli non extendatur vltra intentionem promittentis, attendenda est huiusmodi intentionem promittentis, attendenda est huiusmodi intentio; proinde si promittens nullatenus se voluit obligare, nisi impleta conditione turpi, vel impossibili, ea non impleta, sponsalia sunt nulla, impleta tamen, tenent, & valida sunt. Quidquid in foro fori alij iudicent.

15 QVAEST. *Nascitur ne ex sponsalibus conditionatis, ante impletam conditionem, impedimentū publicæ honestatis?* RESP. Minime. Ita habetur *c.* 1. *de sponsalib. lib.* 6.

16 QVAEST. *Estne sponsalitia promissio facta consanguineo sub conditione, si Papa dispensauerit?* RESP. Negant Innocent. Cardin. Abbas. & communiter iuris periti *in c. Super eo, de cond. appos.* Sylu. *matrim.* 3. *quæst.* 9. Vict. *de matrim. n.* 258. Veruntamen eorum rationes sunt improbabiles. Aiunt enim talia sponsalia esse prohibita. Deinde illam conditionem censeri à iure impossibilem, quippe quæ pendeat à principis voluntate, iuxta *L. Continuis. §. Cum quis. ff. de verb signif.* Affirmant tamen Adr. *de matrim. qu.* 10. *ad finem.* Couar. *de matrim.* 2. *p. c.* 3. *n.* 7. Viuald. *de matrim. nu.* 55. probatur, quia illa conditio est honesta, & licita, & Summo Pontifici repræsentata, interueniente causa suscipitur, & in ea dispensatur; ergo si apponatur, & impleatur, valebunt sponsalia.

17 QVAEST. *Valentne sponsalia facta per metum?* RESP. Dico primum. Sponsalia simplicia facta per metum grauem, cadentem in constantem virum, nulla sunt. Ita D. Thom. 2. 2 *quæst.* 89. *art.* 7. *ibid.* Caiet. Iurisperiti *cap. Debitores. de iur. iuran.* Ratio est, quia omnis simplex promissio extorta per hunc metum, inualida est. Dico secundum. De sponsalibus iuratis extortis per metum grauem, cadentem in constantem virum, acriter pugnant Doctores. Quod non valeant defendit Sot. *in* 4. *d.* 29. *q.* 1. *art.* 3. *§. aliud deinde.* atque tale iuramentum nullatenus

obligare: sicuti non valet professio religionis, neque ipsummet matrimonium, si fiant cum tali metu. Quod valeant, defendit D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 18 § 1. Gloss. cap. Abbas Couar. 2. p. de sponsalibus. c. 3. §. 5. nu. 4. Molin. tom. 1. de iust. tractat. 2. disp. 149. Ratio eorum est, quia cum iuramentum ex parte iurantis absque culpa impleri potest implendũ est. Ideo cap. Debitores. de iur. iur. tenet iuramentum de soluendis vsuris. Denique c. Si vero, eodem tit. expresse habetur iuramentum, etiam per metum extortum valere, petendamque esse dispensationem alius.

18 QVÆST. *An celebrari possint sponsalia sub pœna soluenda ab eo, qui promissis non steterit:* RESP. Minime. Ita prohibetur cap. Gemma. de sponsalib. L. Neque ab initio. Cod. de nupt. L. final. Cod. de sponsalib. Ratio est; quia hic contractus debet esse maxime liber. capit. Requisiuit. cap. Gemma. de sponsalibus: hanc autem libertatem adimit metus pœnæ. Dico secundum. Non tantum contrahentes prohibentur à iure sponsalia celebrare sub pœna, à seipsis soluenda: sed etiam prohibentur contrahentium parentes, & consanguinei suscipientes pœnam à se ipsis soluendam. Ita Panorm. cap. Gemma. cit. Barth. & communis in L. Tissia, de verb. oblig. Ang. sponsal. §. 14. Prohibentur item vade amici. Ita Ang. proximo loco, & Brunel. de sponsalib. tom. 16. declarat. 4. Ratio eorum est, quia authore Bartholo in dict. L. Tissia, propinquus; & valde amicus æquiparantur. Possunt tamen pœnam huiusmodi apponere extranei, ita Ang. & Brunelus proxime citati. Glossa in L. Tissia. Ratio est, quia adhuc metus pœnæ soluendæ à propinquis, & valde amicis, non finit consensum valde liberum, finit vero metus pœnæ soluendæ ab extraneis. Ideo promissio pœnæ facta à parentibus, propinquis, vel amicis sponsi, aut sponsæ, non obligat in conscientia. Ita D. Thom. in 4. dist. 27. quæst. 2. ar. 2. ad 4. D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 18. Caiet. verb. sponsalia. Neque firmatur, seu conualescit ex iuramento, sub quo fit. Notat Brunel. ex Bartholo. Ratio est, quia illa appositio pœnæ, facta contra legem, ad minimum est peccatum veniale, vt censet Caiet. verb. sponsalia. iuramentum vero non est vinculum iniquitatis, ideo nec illicitæ promissionis. Oppositũ censuit Molin.

tom.

*tom.1.Iust.tract.1.disput.*151. à paritate rationis de iuramẽto facto latroni de reddendo pretio, pro redimenda vexatione, sub iuramento promisso. Veruntamen non est firmum fundamentum, quia illa promissio facta latroni, nõ est deficiens ex prohibitione legis humanæ, aut diuinæ: nulla.n. lex prohibet promittere latroni, pro redimẽda vexatione: sed solũ deficit ex deficiente libero cõsensu necessario ad obligandũ promittentem. Promissio autẽ pœnæ, de qua agimus, est nulla ex prohibitione, cõtra quã peccat, qui pro stando promissis pœnam apponit.

19 QVAEST. *Licetne apponere arrham, hoc est pignus complendi matrimonium, vt notat Glos. cap. Geminianus, & Doctores in L. Tissia?* RESP. Licet. Ita habetur *L. Arrhis, & L. fin. Cod. de sponsa.* Potest promitti arrha vtrinque, hoc est, ab sponso, & sponsa. Ita Bald. Aretin. & Iason *in L. Tissia.* Couar. *de matrim. 2. p. c. 3. §. 7. num. 7.* Potest promitti in qualibet quantitate. Ita Imola, & Iason *in l. Tissia*, & Couar. *citatus numer. 9.* Completo matrimonio, arrha redit ad dantem. Ita Prępos. & Abb. *in cap. Geminianus* Armil. *verb arrha* Sylu. *ibid. qu. 9.* Qui recipit Arrham, & frangit fidem, reddit duplum. *L. arrhis. L. Mulier. Cod. de sponsalib.* Nisi sit minor viginti quinque annis: si enim minor est, simplum reddere permittitur. *L fin Cod. de sponsalib.* Dicitur vero solus ille frangere fidem, ex cuius culpa, & malitia matrimonium non est secutum. Hanc de arrhis doctrinam secundum commune ius, & acceptionem Doctorum, tradit D. Anton. *3. p. tit. 1. c. 8.* Syl. *Sponsal. quæstio. 9.* Angel. *numer. 17.* Dixi secundum ius commune: nam secundum ius peculiare Lusitaniæ, & Castellæ appellatur arrha donatio liberè facta ab vno alteri sponso, ante, vel post matrimonium ratum, non consummatum, eo autem consummato, donatus acquirit ius sibi, & suis hæredibus, Ita *libr. 4. Ord. Lusitan. tit. 9.* in antiq. & in nouis *lib. 4. titul. 47.* In Castella ista donatio non valet vltra decimam partem bonorum facta quo ad excessum. Notat Gomes *L. 50. Tauri. num. 12* In Lusitania vero vltra tertiã partẽ dotis *l. 4. Ordin. tit. 9. §. vlt.* & in nouis *l. 4 tit. 47. §. fin.* Sed hac de re latius Couar. *de matrim 2 p c. 3 §. 7 n. 12.*

20 QVAEST. *Quibus de causis soluuntur sponsalia?* RESP. Causæ, quæ soluunt sponsalia, multiplices sunt. *Prima* est

mu-

mutuus sponsi, & sponsæ consensus volentium se sese gere. Ita habetur *capit. 2. de sponsalib.* quamuis sponsalia sint iurata. Ita Palud. *in 4. d. 27. quæst. 1. num. 18* Durand. 3. Armil. *verb sponsal nu. 12.* Nauar. *cap. 22. numer. 23.* Can. *c. 2. de sponsalib.* Couar. *2. p. de sponsalib. c. 5. nu. 1.* Ratio est, quia illud iuramentum factum fuit dependenter à voluntate alterius, pro ipsius vtilitate: & ideo renuente altera voluntate, & cessante illius vtilitate, iuramentum non tenet. Si vero consensus non sit mutuus, sed ex vna tantum parte, hoc est, si sponsus solus, vel sponsa sola dicat nolo tibi nubere, nube cui volueris, alter quidem potest cui velit, nubere: qui vero ex malitia dissensit, minime, sed adhuc ad alias nuptias pendet ex consensu tacente & non consentientis in discessum. Notat Sot. *in 4. d. 27. quæst. 2. art. 5. §. quintus casus. Secunda* causa, est ingressus religionis. Nam ingrediente vno sponsorum religionem, suscipiendo habitum religionis, qui manet in sæculo, potest alteri nubere. Ratio est, quia per ingressum illum signis ostendit sponsus se velle à sponsalibus recedere. Ita Nauar. *cap. 22. numer. 26.* Sot. *d. 27. quæst. 2. art. 5. ad 5.* Conuertunt tamen Doctores, an per solum ingressum Religionis soluantur sponsalia, etiam quo ad sponsum ingredientem, vero animo experiendi, vtrum sibi liceat profiteri, Absolute affirmat Maior. *in 4. d. 27. q. 3. ca. vlt.* Angel. *ver. sponsalia. nu. 22.* Sylu. *q 10.* Cordub. *q. 81.* Negat tamen Palud. *in 4. d. 27. q 1. nu 23.* Gabr. *in supp. qu. 2. art. 2. casu. 6.* Rich. *art 2. q 4.* Durand. *q. 3.* Albert. Mag. *art. 16.* D. Thom. *q. 2. art. 3. ad 1.* Armil. *num. 12.* Coua. *sponsal. 1. p. cap. 5. numer. 11.* Viguer. *cap. 16. §. 7. vers. 7.* Fundamentum partis affirmantis est, æquitas rationis: nam sicut per professionem soluitur omnino matrimonium ratum ex vtraque parte, ita æquum videtur, vt per ingressum religionis soluantur sponsalia vtrinque. Fundamentum vero negantium Doctorum sumitur ex libera afferentium congruitate sine textu, qui ad hoc priuilegium non adducitur. *Tertia* causa, est susceptio sacri ordinis. Ita Palud *in 4. d 27. quæst 1. num. 21.* Sot. *quæst. 2. artic 5. col. 2.* Sylu. *ver. sponsal. q. 10.* Nauar. *ca. 22 num. 27.* Ratio manifesta est, quia sacer ordo est impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, hoc est, reddit inha-

inhabilem omnino sacro ordine initiatum ad nuptias, vt decernit Conc. Trid. *sess. 24. can. 9.* tum ratione voti annexi iuxta consuetudinem Ecclesiæ Latinæ. *c. vnico de voto lib. 6. c. Si quis eorum d. 32.* tum ratione ipsius sacri ordinis, vt notat D. Thom. *in 4. d. 37. q. 1. ar. 1.* Sylu. *matrim. 8. qu. 12.* Pet. Sot. *de matrim. lect. 5.* Ergo sponsalia per susceptionem sacri ordinis omnino soluuntur, quia nequeunt cogere ad nuptias contrahendas. Veruntamen peccat grauiter, qui inscia, aut inuita sponsa sacros ordines suscipit, seque reddit inhabilem ad sponsalitiam promissionem implendam. Ita Palud. *in 4. d. 27. q. 1. num. 21.* Gab. *qu. 2. ar. 3.* D. Anton. *3. p. tit. c. 18. § 2.* Sylu. *sponsa. qu. 7.* Et ideo in foro externo datur actio sponsæ contra sponsum ordinari volentem. Neque satis est ad hanc obligationem soluendam votum castitatis annexum ordini sacro, cuius oppositum videtur asserere Sot. loco proximo, quia obligatio promissionis factæ mulieri, anteferenda est statui cœlibatus, cuius obligatio in sponsalibus superuenit, quia non placet Deo promissio facta sibi, cõtra promissionem antea factam homini. *Quarta* causa, est votum simplex castitatis nuncupatum ante ipsa sponsalia. Ita habetur *ca. Rursus, qui clerici, vel vouentes.* Vtrum vero tale votum castitatis simplex soluat sponsalia ante illud facta, non leuis est dubitatio: affirmat Sot. *d. 27. l. 2. artic. 5.* D. Antonin. *in cap. De illis. de despons. impub.* Direct. iuris apud Sylu. *sponsal. nu. 7.* Ratio eorum est, quia in promissione sponsaliorum intelligitur illa conditio, nisi impediat melius bonum: bonum autem est melius seruare castitatem, quam nubere. Negant tamen Archid. *c. Rursus* citato. Palud. *in 4. d. 27. quæst. 1. nu. 23.* Gab. *q. 2. art. 3. casu. 6.* Armil. *ver sponsal. n. 12.* Nau. *c. 22. num. 27.* D. Ant. *3. p. tit. 1. c. 18. §. 1.* ex opposito fundamento, quia non est electio melioris status coram Deo, in præiudicium tertiæ personæ. Dico tamen sponsam deobligari à fide data per tale superueniens votum factum à suo sponso. Ratio sumitur ex onere per tale votum illi subsequutum: nam sponsus nequit deinde petere: graue autem onus est fœmineæ verecundiæ semper debitum petere: ab hoc igitur onere, ex sponsi voluntate tantum orto, se poterit sponsa liberare, alteri nubendo. Dubitant vero Auctores, an pro implen-

implendo voto teneatur sponsus profiteri religionem si sponsa nolit liberum illum dimittere in sæculo vt cœlibatu viuat. Affirmat Palud. *loco citato.* D. Anton. *proxime.* Nauar *capit.* 12. *numer.* 80 Ratio est, quia nec nequit perfecte implere suum votum, cum teneatur bendo debitum reddere vxori exigenti. *Quinta* causa subsequens post sponsalia cum Bertha, matrimoniu ratum cum Ioanna. Ita habetur *cap. Sicut ex liter. capit inter virum. de spons.* Dubitant Auctores, an mortua re, & viua adhuc priori sponsa, teneatur sponsus illa bere? Affirmat Vega *in sum. lib. 6. casu* 125. cum alijs, citat. Negat tamen Palud. *in 4. d. 2[illegible]. quæst. 1. n. 8.* Armi *sponsal nu. 7.* aiuntque sponsaliorum vinculum perfe quens matrimonium fuisse omnino solutum. Sexta ca sa est, fornicatio sponsæ sponsalibus superueniens: n propter eam dissoluuntur sponsalia, quo ad obligan nem sponsi, etiam iurata. Ita habetur *cap. Quemad dum. de iur. iuran.* quamuis sponsa fuerit per violentia oppressa. Notant Gloss. *cit. c. Quemadmodum.* Panorm. Andr. *ib.* Angel. *verb. spons. numer.* 92. Sylu. *quæst.* o Sot. *d.* 17. *qu.* 2. *art.* 5. *casu* 7. Ratio sumitur ex grau sponsi: itidem ex onere irregularitatis, quæ inde orit vt tenet D. Tho. *in* 4. *d.* 33. *q.* 3. *art.* 1. *ad vlt.* notat Co *de sponsalib. 1. p. ca. 5. n.* 2. neq; obstat innocentia sponsæ corruptæ, quia etiam propter causas superuenientes i culpa sponsæ dissoluuntur sponsalia, veluti propter co tatem, vt notat Palud. *nu.* 31. Maior, Syl. Sot. & Na *vbi supra.* Dissoluuntur etiam sponsalia propter forni tionem, sponsalia præcedentem, quam tempore co ctus sponsus ignorabat. Ita D. Antonin. *3. p. tit. 1. cap.* 1. Ang. Armil. Sot. *loc. citat.* Ratio est, quia etiam illa p cedens fornicatio est notabiliter ignominiosa spon Dissoluuntur etiam per fornicationem spiritualem est, per apostasiam à fide. *capit. Nō solum. capit. Iam nam. q. 1.* Tradunt Pal. *sup num.* 19. Anton. Sylu. Sot. Na *vbi sup.* Angel. *verb. sponsalia. §* 30. In hac vero cau quales sunt sponsus, & sponsa, vterque enim potest sponsalibus recedere: siue enim fornicatio sponsi semel sequatur promissionem, siue aliquoties præcesserit, sponsum reddit suspectum de non seruanda fide in poster

In

Ita D. Thom. *in* 4. *d.* 27. *quæst.* 2. *artic.* 3. *ad* 6. Durand. *qu.* 3. Palud. & Viuald. *de sponsalib. numer.* 33. *Septima* causa est, superueniens affinitas. Ita habetur *capit Si quis sponsam* 27. *quæst.* 2. *capit. Veniens. capit. ex literis. de eo, qui cog. Octaua* causa est, orta fama publica de canonico impedimento inter sponsos, quæ nequeat veritate extingui. Ita habetur *cap. Super eo, de consang & affin.* Notat ibi Hostiensis *cap. Cum in tua. de sponsalib.* Tenet. Alb. Magn. *in* 4. *d.* 27. *art.* 16. *casu* 4. Palud. *quæst.* 1. *numer.* 27. Angl. *verb. sponsal num.* 36. Nauar. *cap.* 22. *num.* 27. Hæc autem fama dissoluit sponsalia etiam iurata. Ad sponsalia vero simplicia dissoluenda, sufficit testimonium iuratum vnius personæ fide dignæ, dicentis interuenire inter sponsos consanguinitatis impedimentum. Text. expressus *in cap. Cum tua. de sponsalib. Nona* causa est, lapsus temporis præfixi in ipso sponsaliorum contractu ad contrahendum: nam e lapso termino, ille per quem non steterit, quo minus contraheretur, non tenetur iam ex vi promissionis ad contrahendum. Ita habetur *cap. Sicut ex litteris. de sponsalibus.* Tradit cum communi D. Thom. *in* 4. *dist.* 27 *qu.* 2. *artic.* 3. *ad* 2. Palud. *quæst.* 1. *numer.* 20. Angel. *verb. sponsal. numer.* 27. sed in hac causa attendenda est intentio sponsorum promittentium. *Decima* causa, est negatio dotis promissæ, vel alterius conditionis honestæ appositæ non impletio. Ita Ioann. Andr. *capit. De illis, de condit. appos.* Sylvest. *spons. quæst.* 10. Angel. *numer.* 32. Sot. *distinct* 27. *quæst.* 2. *artic.* 5. *casu* 5 *Vndecima* causa, est fuga, seu discessus vnius sponsi ad aliam longinquam regionem: nam qui manet, potest alteri nubere. Ita habetur *cap. De illis, de sponsal.* & *ibid.* Panorm. Alb. Mag. *in* 4. *d.* 27. *art.* 16. *casu* 2. Angel. *sponsal. num.* 26. Nau. *ca.* 22. *num.* 26. Controuertunt autè Doctores, an sponsus manens statim post discessum, possit alteri nubere. In iure ciuili taxatum est expectandi tẽpus, nimirũ biennium pro sponso absente intra eandem prouinciam secundum communem famam, ignorato tamen loco vbi sit: triennium vero pro absente in aliena prouincia. Ità decernitur *L. Sæpe ff de sponsalib. & L.* 2. *de repud.* In iure vero canonico non est præscriptũ tempus; sed standum esse iure Cæsareo, tenent Ioann. Andr. Hostiens. & Anton. *in c. De illis citato.* & Syl. *sponsal.*

sal. qu. 10. casu 4. Nam vbi ius canonicum non dispo-
standum est iure Cæsareo, vt colligitur ex *ca. 1. de nu-*
oper. nunciatione, tenentque communiter Canonistæ Ca-
dinalis autem, & Præpositi *in eodem cap. De illis.* Maior
4. d. 27. quæst. 3. casu 10. Sot. *q. 2. art. 5. casu 10.* Couar. *de*
sal. 1. p. c. 5. num. 7. Angel. & alij, iudicis prudentis ar-
negotium relinquunt. Quoniam vero Alex. III. in
ca. De illis, decernit, sponsis ad alias regiones profec-
berum esse mulieribus relictis ad alia se vota trans-
crediderim iuris determinationem procedere, cum
sus ex licentia sponsæ; vel vrgente necessitate dis-
cum vero inscia sponsa, seu potius repugnante,
sponsus occulte, posse sponsam statim ad secundas
ptias transire, vbi scandalum fuerit nullum. Ratio
quia per illum occultum discessum, vel vetitam
tiam, satis sponsus renunciauit iuri suo de implendis
missis nuptijs, nec dignus est, qui ab sponsa expectet
Duodecima causa, est grauissimus morbus superueniens
sponsalia, vt epilepsia, paralysis, lepra, morbus Gallicus
abscissio nasi, cæcitas, vel alia superueniens deformitas
Ita habetur *cap. Quemadmodum de iur. iuran. cap. Literæ*
coniug. lepros. sufficit cæcitas deformis vnius tantum
li: notat Alb. Mag. *in 4. d. 27. ar. 16. cas. 2.* D. Antonin.
Nau. *ca. 22. n. 27.* sufficit amissio ea pulchritudinis, vt
tabile tædium gignat sponso, magnamque displicen-
ne nuptiæ malum exitum habeant. Ita D. Thom. *in*
27. q. 2. art. 3. ad 3. Couar. *de spōsal 1. ca. 5. nu. 6.* Decima
causa, est superueniens inimicitia capitalis. Ita Palud.
Sylu. *locis citat.* *Decimaquarta* causa, est atrox sæuitia
asperitas morum sponsi, vel sponsæ, antea ignota
Abb. *c. Veniens, qui cleric. vel vou.* Nau. cum Sylu. *c.*
27. Decimaquinta causa, est superueniens, alteri
pauperras. Ita Panorm. *c. Quemadmodum. de iur. iura.*
sponsal. casu 9. Angel. *nu. 33.* Nau. *c. 22. n. 27.* Ratio est, qu
in tali promissione semper intelligitur conditio, si res
eodem, aut non multum dissimili statu permanerent.
Vnde non erit sufficiens ea pauperras superueniens, cum
qua adhuc remanet dos sufficiens ad leuanda onera ma-
trimonij: & in hoc sensu vera est sententia Couar. *de spō-*
sal. 1. p. ca. 5. nu. 4. & Gloss. *dicti ca. Quemadmodum. Decima-*
sexta

sexta causa, est reclamatio impuberis post tempus pubertatis (aliqui addunt, post rationis vsum, sed immerito, quia sponsalia facta ante rationis vsum sunt ipso iure nulla, vt *supra* iam ostendi *num.6.* itaque si impubes ad annos pubertatis perueniens reclamat, dicatque se nolle stare promissis sponsalibus, sponsalia manent nulla, siue alius velit, siue nolit. Ita decernitur *capit. De illis citat. capitul. A nobis. capit. Attestationes. de sponsat. impub.* siue alius sit pubes, siue impubes, & tenent cum communi Abb. & præpos. *capit. De illis, citato.* Neque requiritur alia causa, sed satis est sola, ipsa voluntaria reclamatio. Ita Panorm. *cit.* Sylu. *sponsalib. quæst.* 10. *casu* 12. Armil. *n.* 13. Angel. *nu.* 37. Hostiens. *c. De illis*, præcipue cum sponsalia non fuerunt iurata, vt tenet Couar. Imo etiam cum fuerunt iurata, vt volunt Palud. Angel. Sylu. Armil. & Sot. *in* 4. *distinct.* 47. *quæst.* 2. *art.* 5. *casu* 3. Ratio est, quia ius Canonicum loquitur sine distinctione de sponsalibus, intelligiturque illa tacita conditio in talibus sponsalibus, siue iuratis, siue non iuratis, nisi reclamauerit, cum ad annos pubertatis accesserit.

21 QVÆST. *Quot regulæ certæ sunt in causis soluentibus sponsalia?* RESP. Duæ. *Prima* est. Omnis causa superueniens sponsalia, illa soluit, quæ si à principio extitisset, ea contrahi impediret. Ita Maior. *in* 4. *distin.* 27. *quæst.* 3. Syl. *sponsalia. quæst.* 10, Nauar. *capitul* 22. *numer.* 27. D. Thom. *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 2. *artic.* 3. *ad* 4. *Secunda* est, causa dirimēs matrimonium subsequens, dissoluit sponsalia præcedentia. Ita cum communi notat Palud. *in* 4. *distinct.* 27. *q.* 1. *numero* 29.

De denunciationibus, seu bannis. §. 2.

1 *Quot denunciationes sunt præmittendæ.*
2 *Quibus diebus sunt faciendæ denunciationes,*
3 *Quando sunt faciendæ denunciationes.*
4 *Quo in loco sunt faciendæ denunciationes*
5 *An denunciationes sunt de essentia matrimonij.*

6 *An Parochus posſit dispensare in denunciationibus.*

7 *An Episcopus, & eius Vicarius posſint dispensare in denunciationibus.*

8 *Ex quibus causis posſit dispensari in denunciationibus.*

9 *In quibus diebus prohibetur nuptiarum solemnitas.*

10 *An liceat ante denunciationes postea habitas consummare matrimonium.*

11 *An posſit dispensare, vt denunciationes fiant diebus feritatis.*

12 *Quod peccatum committit, qui contrahit matrimonium ante denunciationes.*

13 *Quantum tempus esse debet inter denunciationes & matrimonium.*

1 QVAESTIO. *Quot sunt præmittendæ denunciationes, banna appellant Doctores?* RESP. Tres. Ita Conc. Trident *sess. 24. cap. 1.* Concil. Later. *cap. Si quis habetur. cap. cum inhibitio. de clandest. desponsat.*

2 QVÆST. *Quibus diebus sunt faciendæ denunciationes?* RESP. Tribus diebus festis continuis. Ita Concil. Trid. *sess. 24. c. 1.*

3 QVÆST. *Quando sunt faciendæ denunciationes?* Inter missarum solemnia. Ita Concil. Tridentin. *sess. c. 2.*

4 QVÆST. *Quo in loco sunt faciendæ denuntiationes?* Resp. In parochia, vbi habitant contrahentes, si vero habitent in duabus, in duabus faciendæ sunt. Ita fieri præcipitur in Constitutionibus Bracharensis diœcesis *tit. 8. const.* & Conimbricensis *tit. 9. const. 2.* declarauitque Congregatio Cardinalium.

5 QVÆST *Suntne hæ denunciationes de essentia matrimonij?* RESP. Minime. Ita Rosas *in Epitome de jur. capit. 2. numer. 22.* Guter. *de iuran. 1 p. capit. 31. n. 25.* Matiezo. *in Rubr. it. 1.* Sarmiento *libr. 1. select. cap. 6. numer. 7.* Nauar. *cap. 22. numer.*

numer. 70. *& c.* 16. *nu.* 36. Roland. *tom.* 3. *consil.* 93. *num.* 23. Cenedus *in collect.* 1. *p. collect.* 58. *numer.* 2.

6 QVAEST. *Potestne parochus ex causa has denunciationes omittere, vel pauciores tribus facere?* RESP. Minime. Ita Nau. *li.* 4. *cons. tit. de clandest. denunciat. cons.* 1. & *in sum. c.* 22. *n.* 70.

7 QVÆST. *Potestne Episcopus, aut illius prouisor, seu Vicarius Generalis in his denunciationibus dispensare, vt vel omittantur omnes, vel pauciores fiant ante matrimonium contrahendum?* RESP. Potest. Ita Palud. *in* 4. *d.* 28. *quæst.* 2. *nu.* 21. decreuitque Conc. Trid. *citato loco.*

8 QVAEST. *Ex quibus causis potest Episcopus, aut illius Vicarius generalis in denunciationibus dispensare?* RESP. Iuxta Conc. Trid. si timetur, quod aliqui malitiose matrimonium impedient. Deinde si nobilis nubit ignobili, diues pauperi, senex adolescentulæ. Ita Palud. *in* 4. *d.* 28. *quæst.* 2. *numer.* 19. Sot. *quæst.* 1. *art.* 2. Sylu. *matrimon.* 6. *quæst.* 7. Præterea, quando contrahentes habiti sunt pro veris coniugibus, & pudeat detegere impedimentum. Ita citati Doctores, & Segura *in direct. c.* 14. *nu.* 6. Nauar *ca.* 16. *num.* 38. Denique si instet tempus, in quo prohibetur nuptiarum solemnitas.

9 QVAEST. *In quibus diebus prohibetur nuptiarum solemnitas?* RESP. Prohibetur à primo die aduentus, vsque ad diem Epiphaniæ, & à feria 4. cinerum, vsque ad octauam Paschæ inclusiue. Ita præcipit Conc. Trident. *sess.* 24. *c.* 10. *de reform.*

10 QVÆST. *Licet illis, cum quibus dispensatum est in denunciationibus, statim consummare matrimonium?* RESP. Minime. Ita præcipit Concil. Trid. *loco proximo* Sed ante cõsummationem facienda est trina denunciatio, nisi aliter visum fuerit Episcopo: hoc enim ipsius prudentiæ relinquitur. Adnotat Tolet. *libr.* 7. *c.* 19. *nu.* 1. Peccatque lethaliter, qui contra hoc decretum Concilii matrimonium consummat. Ita Nau *c.* 16. *n.* 36. & Instructor. 1. *p. c.* 87.

11 QVAEST. *Potestne Episcopus dispensare, vt hæc trina denũciatio fiat tribus feriæ diebus?* RESP. Minime. Ita declarauit Congregatio Cardinalium. Nam Episcopus non est supra Concilium. Concilium vero iubet, vt fiant tribus diebus festis.

12 QVAEST. *Peccatne, qui omissis denunciationibus contrahit matrimonium?* RESP. Peccat lethaliter. Ita Naual. c. 19. *nu.* 36, Instruct. 1 *p. c.* 86. Nisi vrgeat necessitas infirmi mortis pro accipienda in coniugem concubina ad famam faciendum famæ, aut filios legitimos relinquendum: vel oporteat ad nubendum viro æquali, qui aliter decederet voluntatem mutabit, vt notat Instruct. Auctor loco citato.

13 QVAEST. *Quod tempus esse debet inter denunciationes & matrimonium?* RESP. Soli quatuor menses: nam qui denunciationibus habitis intra quatuor primos menses non contraxerunt matrimonium, nequeunt contrahere, nisi præmissa iterum trina denunciatione. Ita declarauit congregatio Cardinalium.

CAPVT XVII.

De matrimonio, quatenus est Sacramentum. §. 1.

1 *An matrimonium sit sacramentum.*
2 *Quis autor fuit sacramenti matrimonij.*
3 *De materia, & forma sacramenti matrimonij.*
4 *De ministro sacramenti matrimonij.*
5 *De peccato ministrantium hoc sacramentum.*
6 *Quando instituit Christus Dominus hoc sacramentum.*
7 *De effectu huius sacramenti.*
8 *Qua dispositione accedere quis debet ad matrimonium contrahendum.*
9 *Quæ sunt de essentia sacramenti matrimonij.*
10 *Quæ præsentia parochi sit necessaria.*
11 *Qui parochus adesse debet matrimonio.*

12 *An coadiutor parochi, sit ad hoc sacramentum parochus.*
13 *An sufficiat parochus non sacerdos.*
14 *De testibus matrimonij.*
15 *Quæ præsentia testium requiritur.*
16 *An pro toto orbe obliget hoc sacri Concilij decretum.*
17 *An liceat aliquando contrahere absque parocho, & testibus.*
18 *An requiratur præsentia parochi matrimonio denuo celebrato propter impedimẽtum, quod interuenit.*
19 *De loco vbi celebrandum est matrimonium.*
20 *Quæ ætas requiritur ad matrimonium.*
21 *Quo pacto definitur matrimonij sacramentum.*
22 *De benedictionibus matrimonij.*
23 *De matrimonio celebrato per procuratorem, internuncium, vel epistolam.*
24 *Vtrum matrimonium inter absentes sit sacramentum.*
25 *De matrimonio clandestino.*

1 QVAESTIO. *Estne matrimonium legis nouæ sacramentum?* RESP. Negauit Durand. *in d.* 26 *quæst.* 3. & Gloss. *cap. Quidquid* 1. *qu.* 1. Opposita sententia affirmans est de fide, definita in Concil. Trid. *sess.* 7. *can.* 1. *& sess* 24. *can.* 1. *c. Ad Abolendam de hæret.*

2 QVAEST. *Quis instituit sacramentum matrimonij?* RESP. Christus Dominus. Ita Conc. Trid. *sess.* 7. Christus enim contractum naturalem ordinauit in sacramentum.

3 QVAEST. *Quæ est materia quæ est forma sacramenti matrimonij?* RESP. De materia, & de forma huius sacramenti variæ fuerunt sententiæ. Prima dixit esse verba, seu signa externa contrahentium, ita tamen vt verba, seu signa primi proferentis sint materia : verba autem, aut signa secundi proferentis sint forma. Ita Richard. *in* 4. *d.*

26. *art.* 4. *ad* 1. Angel. *matrimon.* 1. *n.* 2. Veg. *l.* 6. *a*[illegible] que esse communem opinionem. Secunda sententia ipsos contrahentes esse materiam, verba autem [illegible] seu signa externa esse formam. Ita Palud. *in* 4. *d.* 26. [illegible] *nu.* 23. Palat. *disp* 1. Adrian. *de matrim. q* 1. Pet. Sot. *de matrimon lect.* 3 & 4. Couar. *de matrim. c.* 1. §. *vnico. n.* 8. [illegible] eorum est, quia in contractu matrimoniali [illegible] mutuo corpora contrahentium: sicut igitur in contractu emptionis, & venditionis materia est ipsa res empta vendita, ita in contractu matrimoniali. Tertia sententia asserit materiam huius sacramenti esse consensus contrahentium internos, formam vero esse verba, seu signa per quæ consensus declaratur. Ita Gloss. *capit. tua* [illegible] *sponsalib.* & Nauar. *c.* 22. *num.* 20. & hanc sentẽtiam appellat communem Canonistarum. Couar. *loco proxime* [illegible] sequitur Toletus *libr.* 7. *cap. num.* 4. Quarta sententia est materiam huius sacramenti esse actus contrahentium formam vero esse verba sacerdotis. Ego vos cõiungo in nomine Patris, & Filii, &c. Ita Canus *lib.* 8. *de locis* [illegible] Dico tamen. Materia, & forma sacramenti matrimonii sunt ipsi actus externi contrahentium, quibus [illegible] consensus declaratur, ita vt actus, per quos fit traditio vnius alteri habeant rationem materiæ: actus vero per quos fit acceptatio vnius ab alio, habeant rationem formę: fit enim in hoc contractu mutua corporum traditio & acceptatio, ita D. Thom. *in* 4. *dist.* 26. *quæst.* 2. *art.* 1. & 2. Durand. *q.* 3. Sot. *qu.* 2. *art* 3. Ferrar. *cont. gent. lib.* [illegible] *cap.* 78. Bellarm. *de matrimon. libr.* 1. *cap.* 6. Capreol. *in* 4. *distinct.* 26. *qu.* 1. *art.* 3. *ad* 2. *cont. Durand.* Ideo cum verba seu signa externa ad declarãdos consensus in hoc contractu nõ sint certa & determinata, neq; itẽ est materia certa, & determinata. Ex positis vero sententiis, quarta est omnino improbabilis, cum requirat pro forma verba sacerdotis, cuius præsentia tantum requiritur post Concilii Tridentini promulgationem, vbi tantum promulgatum fuit, & acceptatum sacri Concilii decretum, cum antea nec ipsa pręsentia esset ad sacramentum necessaria, nedum verba.

4 QVAEST. *Quis est minister huius sacramẽti?* RESP. [illegible]

contrahentes. Ita Doctores *in* 4. *d.* 25. Richard. *q.* 2. *art.* 4. Durand. *q* 3. Sot. *§. de ministro* Bonau. *ar.* 2. *qu.* 1. *Arg. qu* 1. *art.* 1 Pal. *qu.* 4. *num.* 22. Ratio est, quia ex natura huius contractus sufficiunt ad eius valorem ipsi soli contrahentes: Christus vero Dominus nihil addidit naturæ cõtractus, sed solum effecit, vt talis contractus, inter Christianos celebratus, efficax esset instrumentum gratię sanctificantis, & ideo nouum non creauit illius ministrum: sed ipsos reliquit, qui illum celebrare consueuerant, tales autem erant ipsi contrahentes.

5 Qv AEST. *Peccantne mortaliter contrahentes celebrando hunc contractum in culpa lethali, ratione ipsius ministerij, vt peccant ministri aliorum sacramentorum:* R E SP. Minime Ita Sot *in* 4. *dist* 1. *quæst.* 1 *art.* 6. Ratio est, quia non sunt ad hoc munus peculiariter consecrati, vt ministri à Christo Domino instituti, sed ab ipsa natura contractus.

6 Qvaest. *Quando instituit Christus Dominus hoc sacramentum:* Resp Opinio fuit multorum institutum fuisse *Matth.* 19, cum dixit; *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* quasi diceret. Hanc, quam Deus Pater sanxit coniunctionem viri, ac mulieris, ego quatenus orbis Redemptor nouo iure, & præcepto meo confirmo, perficioque, vt deinceps contractus matrimonialis nouam vim conferendi gratiam iustificantem habeat, sitque gratiæ signum practicum. Ita Sot. *in* 4. *d.* 26. *quæst.* 2. *art.* 2. post Scot. *quæst. vnica. concluſ.* 3. Pet Sot. *de matr. lect.* 2. Victoria *de matrimon. numer.* 241. Viuald. *de matrimon.* alii dixerũt institutum fuisse à Christo Domino in nuptiis Canæ Galilęæ, Ita Viguerius *in Instit. cap.* 16. §. 7. Dico tamen. Quãuis in scriptura omnia sacramenta habeant aliquod fundamentum, non tamen omnium institutio est ibi omnino sufficienter expressa, traditione Ecclesiæ secluſa. Talis est institutio sacramenti matrimonii. Nullus vero locus clarior est, quam *Matth.* 19 quem pro sententia prima retuli. Hæc tamen persequi non est meum, sed eorum, qui de traditionibus agunt.

7 Qvaest. *Qui est effectus sacramẽti matrimonij?* R E SP. Gratia sanctificans, ex opere operato. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 100. *artic.* 2. *ad* 6. & *in Add. quæst.* 42. *art.* 3. Richard. *in* 4. *d.*

26. *art.* 4. *quæst.* 1. Bonau. *art.* 2. *quæst.* 2. Argent. *quæst.* 1. *tic.* 1 *conclus.* 1. est de fide decretum à Concil. Trident. *sess.* 7. *can.* & *sess.* 14. *can.* 1. & Flo. Et ideo saltem erronea est opinio Durand. *in* 4. *d.* 26 *quæst.* 3. & Gloss. *cap. Quidquid quæst.* 1. positam assertionem negans. Dubitant vero Doctores, an per hoc sacramentum conferatur prima gratia, hoc est an detur ex opere operato gratia ei, qui accedit ad hoc sacramentum cum sola attritione, putata contritione? RESP. Affirmant probabiliter Pet. Sot. *de matr. lib.* 2. ad 2. propositionem. Bellar. *de matr. lib.* 1. *c.* 5. cõtra Soto. *in* 4. *d.* 26. *q.* 1. *concl.* 1.

8 QVAEST. *Qua dispositione accedere quis debet ad hoc sacramentum?* RESP. Cum hoc sacramentum sit vivorum, vt Theologi vocant, debet quis accedere ad illud sacipiendum saltem cum attritione, putata cõtritione. Hactatur vero Conc. Trid. *sess.* 24. *c.* 1. ipsos coniuges, vtrumquam cõtrahant, vel saltem triduo ante matrimonii summationem sua peccata diligenter confiteantur, & sacram Eucharistiam accipiant. Quod salubre constitutum est, & à Synodalibus Constitutionibus, praxique receptum. Peccat igitur mortaliter, qui accedit ad hoc sacramentum cum obice, hoc est, cum conscientia peccati mortalis, quia ponit obicem gratiæ. Sic Tol. *d.* 7. *c.* 9.

9 QVAEST. *Quæ sunt de essentia sacramenti matrimonii?* RESP. Sunt materia, forma, ministri, vt in reliquis sacramentis. Insuper præsentia parochi, aut alterius sacerdotis de licentia parochi, & tres, aut saltem duo testes. Iuxta Trid. *sess.* 24 *c.* 1.

10 QVAEST. *Quæ præsentia parochi est necessaria?* RESP. Ea, qua id, quod agitur, sic videat, vt possit esse testis oculatus rei peractæ: appellatur autem hæc præsentia moralis, & humana. Testis autem oculatus dicitur etiam is, qui ita rem actam audit, aut intelligit, vt iuramento eam affirmare possit. Hanc autem præsentiam secundum se considerandam censuit Congreg. Card. non veram affectata parochi ignorantia nolentis videre, audire, vel intelligere, quæ peraguntur: tunc enim adhuc valet, & est matrimonium.

11 QVAEST. *Qui parochus adesse debet?* RESP. Dico primo: Cũ diuersarũ parœciarum sunt contrahentes, sufficit præ-

sen-

sentia parochi illius Ecclesiæ, vbi contrahitur matrimonium, siue sit mulieris, siue viri. Ita Congregatio Card. sub Pio V. & Greg. VIII. adnotat Nau, *cap.* 22, *num.* 144. & Viu. *de matrim. nu.* 244. Quod si vnus sponsorum transeat ad alterius locum, animo ibi permanendi firmo domicilio, iam parochus loci est parochus vtriusque: nam domicilium facit incolas. *l. domicilium. ff. ad municipalem. & ibid. Gloss.* Dico *secundum.* Pro matrimonio peregrinorum ille est parochus, qui iuxta consuetudinem regionis illis tenetur administrare sacramenta. Ita declarauit Congregatio Card. Præcipit autem Concil. Trident. parochis, ne vagabundos iungant matrimonio, nisi prius diligenti inquisitione facta de impedimentis, & relata ad Ordinarium, ab eo licentiam id faciendi obtineat.

13 QVAEST. *Esne parochus ad hoc sacramentum Coadiutor proprij parochi in administrandis sacramentis?* RESP. Maxime. Ita communiter omnes.

13 QVÆST. *Sufficitne parochi præsentia, qui non est sacerdos?* RESP. Res est dubia propter verba Concil. Qui aliter quam præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi licentia, &c. Ideo quamuis pars affirmans sit probabilis, vt testatur Nauar. *libr.* 4. *Consilior. tit. de cland. desponsat. cons.* 10. Vega *lib.* 6. *casu* 112. *&* 119. & Roder. *tom.* 1 *cap.* 215. *concl.* 8. Pars negans est probabilior, & tutior, vt docet Nau. & Emanuel. in eamque inclinat Cong. Cardinalium. Ideo parochus non sacerdos, debet dare licentiam alicui sacerdoti, vt adsit huic sacramento.

14 QVAEST. *Qui possint esse testes in contractu matrimoniali?* RESP. Nullos excipit Concil. Trid. Ideo vbi lex non excipit, nec nos excipere debemus. Quamuis igitur secundum Ius Canon. & Cæsareum multæ tradantur testium exceptiones (de quibus nostra minime interest in præsentiarum agere) ad hoc sacramentum omnes videntur admittendi in testes. Ita Ang. *testes num.* 13, Cou. *de matr.* 2 *p. cap.* 8. §. 12, *num.* 8. Viu. *de matr. num.* 245.

15 QVÆST. *Quæ præsentia testium requiritur?* RESP. Ea, quam in parocho requisiuimus, moralis scilicet, & humana.

16 QVÆST. *Obligatne Christianos hoc sacri Concilij decretum in omni orbis parte degentes?* RESP. Minime quidem.

dem. Decreuit enim ipsum Concilium *capit. 1. de reform.* vt hoc decretum suum robur sortiatur post triginta dies à die primo publicationis suæ, in vnaquaque parochia facta numeratos. Quapropter in regionibus, in quibus Concilium non est promulgatum, aut nec sunt parochi, nec parochiæ, potest vere contrahi matrimonium secundum dispositionem iuris antiqui, absque parocho, & testibus, veluti apud Mauros, Turcas, Gentiles, & infideles. Ita aduertit Roder. *loco proximo*, & Vega *in casib. libr. 3. casu 301.* Et quoniam secundum ius antiquum sponsalia de futuro transibant in matrimonium per copulam maritali affectu habitam *cap. Veniens. cum Is qui fidem. de sponsalib.* iuxta Doctores *in 4. d. 28.* D. Thom. *artic. 2.* Rich. *art. 1. qu. 2.* Durand. *quæst. 15.* Palud. *quæst. 1. numer. 12.* adhuc eodem modo in eisdem regionibus transibunt.

17 QVAEST. *Estne hæc præsentia parochi modo post Concilij decretum ita de essentia matrimonij, vt nec pro vitanda morte, aliter matrimonium liceat contrahere, nec contemptu, & scandalo?* RESP. Negat Caiet. *in Opusc. tom. 1. tract. 13. quæst. 2.* & Sot. *in 4. d. 28. quæst. 1. art. 3. concl. 3.* ideo affirmant, si in euentu aliquo parochus adesse requiret, aut testes, essetque coniugium remedium vtrique posse personas habiles contrahere, & consummare matrimonium. Oppositum tenet Nau. *capit. 22. nu. 70.* hærendo verbis Concilij: *Qui aliter, quam præsente parocho, &c.* Quod quidem asserendum arbitror.

18 QVAEST. *Contraxerunt duo coram parocho, & testibus, postea inuentum est matrimonium nullum propter impedimentum, obtenta est super impedimento dispensatio, rogo, an iterum contrahendum, requiratur parochi, & testium præsentia?* RESP. Dico *primum.* Si impedimentum est occultum, & dispensatio obtenta est in foro conscientiæ, & matrimonium irritum celebratum fuit publicè, non est necessaria præsentia parochi, & testium, sed est satis vt usque nouus consensus inter contrahentes extreme declaratus. Ita Caiet. *tom. 1. Opusc. tract. 13. qu. 2.* Sot. *in 4. d. 28. qu. 1. ar. 2. conc. 3.* declarauitq; Pius V. eaque declaratione frequenter vtitur sacrum pœnitentiariæ prætorium, teste Nauar. *ca. 22. nu. 70.* Dico *secundum.* Cum impedimen-

cum

tum est publicum, & dispensatio etiam publice obtenta est, necessaria iterum est noua præsentia parochi, & testium ad matrimonium celebrandum: vel damnum graue contrahentium. Ita Cordub. *in quæst. qu.* 51. cum pluribus, quos refert, & Instruct. 1. *p. ca.* 85. Quia hæc videtur mens Concilij, & Pij V.

19 QVAEST. *Quo loco celebrandum est sacramentum matrimonij?* RESP. In facie Ecclesiæ. Ita Concil. Triden. *cap.* 1. *de reform.* Quid autem intelligatur per faciem Ecclesiæ, iudicandum est ex consuetudine regionis: nam teste Maiore *in* 4. *d.* 17 *qu.* 1. intelligitur præsentia multorum testium apud aliquas regiones. Alibi porta Ecclesiæ: Alibi ipsa Ecclesia, & ideo regionis mos seruandus est.

20 QVAEST. *Quæ ætas requiritur ad contrahendum matrimonium?* RESP. Dico *primum*. Secundum ius canonicum in masculo requiritur ætas quatuordecim annorũ: in fœmina duodecim completa *cap. Puberes cap. Continebatur cap. Attestationes. cap. Ex literis de sponsi. impub. libr.* 6 *cum Gloss. vtrobique*. Dico *secundum*. Eadem ætas requiritur in iure Cæsareo, quæ requiritur in Canonico. *l. quæsitum l in sponsalibus. ff. de sponsalib. ibidem* Gloss. & comm. cum Syl. *mat.* 1. *qu.* 1. D. Tho. *Add. qu.* 58. *ar.* 5. Nau. *cap.* 22. *nu.* 9. Sot. *d.* 35. *qu.* 1. *ar.* 7. Cou. *de matr.* 2. *p. ca.* 5. *nu.* 1. Viu. *de matr. tit de ætate* Dico *tertium*. Si malitia suppleat ætatem, minor ætas requiritur. Ita habetur *cap. De illis.* 2 *cap. puberes. cap. fin de desponsat impub.* Dico *quartum*. Hæc malitia consistit in duobus, scilicet, in discretione ad præstandum consensum, hoc est, qua intelligat quisq; quid faciat, & in potentia ad carnalem copulam. Ita Gloss. *cap. De illis. de sponsalib.* Couar. *de matrim.* 2. *p. ca* 5. *num.* 1. & communiter Doctores.

21 QVAEST. *Quoniam matrimonij definitio pendet ex iis, quæ supra proposui, ideo rogationem eius huc vsque remoui: rogo igitur, quo pacto definitur matrimonium, quatenus est sacramentum?* RESP. Videtur ita apte posse definiri. Est contractus viri, ac fœminæ legitimus, quo mutua corporum traditur potestas, gratiæ spiritualis collatiuus. Sic Tolet. *lib.* 7. *ca.* 1. *nu.* 1.

22 QVÆST.

22 QVAEST. *Quid circa benedictiones matrimonij decreuit Concil. Trident. sess. 24. capit. 21.* RESP. Horter coniuges, vt ante benedictiones non consummant matrimonium. Decreuit, vt hæ benedictiones à nemine alio dentur, quam vel ab Ordinario, vel parocho, vel alio sacerdote de licentia ordinarij, vel parochi. Si verò alius sacerdos sine licentia, vel ordinarij, vel parochi benedicere attentauerit, ipso iure maneat suspensus, donec aliter contrahentium Ordinario visum fuerit.

23 QVÆST. *Potestne matrimonium celebrari inter absentes per procuratorem, internuncium, vel epistolam?* RESP. Potest. Ita habetur expresse *cap. vltim. de procur. in 6.* definitum à Bonifacio VIII. Requiritur tamen speciale mandatum ad contrahendum cum certa, & expresse delegata persona. Ita Abb. *cap. in causis de elect.* Deinde, requiritur, vt procurator per se, & non per alium adsit contractui, nisi ex speciali facultate mandantis. Ita Sylu. *matr. quæst. 9.* Requiritur, vt matrimonium celebretur coram parocho, & testib. vbi viget decretum Concil. Trident. Denique requiritur, vt perseueret mandantis consensus: nam si mandans consensum reuocat, quamuis inscio procuratore, & alio contrahente, matrimonij contractus est irritus, & nullus. Ita *cap. Si duo, de procur. in 6.* Abb. *cap. causis. de elect.* Sylu. *matr. 5. quæst. 11.* Idem dicendum de internuncio, & epistola contrahentium. Ita Glos. *Nec illud 30. qu. 5.* Couar. *2. p. de mat. ca. 4. nu. 8.* cum Sot. & alijs, quos refert.

24 QVAEST. *Estne matrimonium celebratum inter absentes Christianos per procuratorem, internuncium, vel epistolam verum sacramentum?* RESP. Negat Adrian. *de baptis. qu. 2. ad 5.* Caiet. *tom. 1. Opusc. tract. 12. qu. 1.* Vega *in Inst. ca. 16. §. 7.* Can. *de sacr. in gen. 1. p. ad 1. arg. & lib. 8. de loc. ca. 5. Pœnitentiæ demum.* Affirmant tamen Palud. *4. d. 7. qu. 2. nu. 17.* ib. Sot. *qu. 1. art. 3. § at vero.* Syl. *matr. 5. qu. 6.* Pet. Sot. *lect. 3. de matr. §. Requiritur.* Amb. Catharin. *5. in Caiet. tit. de matr.* Bellar. *de matr. lib. 1. cap. 7.* Fundamentum eorum est, quia inter absentes datur verum matrimonium, sed omni vero matrimonio inter Christianos addidit Christus efficaciam sacramenti, vt decre-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nitur in Conc. Flor. in decrrto Eugenij IV. & Trident. *sessione.24.* ergo &c. Ratio verò Caiet. & aliorum est futilis quidem: contingit, inquit, vt dormiens, recipiat gratiam & sacramentum, si dormiente mandante, procurator celebret matrimonialem contractum. Quod quidem rotundo, nec inconueniens vllum iudicatur à dictis auctoribus. Præcipit tamen Ecclesiæ vsus, & consuetudo, vt taliter in absentia contrahentes in facie Ecclesiæ accipiant benedictionem coniugalem: ostendantque se libere consensum dedisse ad tale matrimonium celebrandum.

25 QVÆST. *Quod appellatur matrimonium clandestinum?* RESP. Quod fit sine requisitis iuris solemnitatibus. Solemnitates autem aliæ sunt ad decentiam, aliæ ad essentiam matrimonij attinentes. Omissis autem antiqui iuris solemnitatibus, nouæ à Concilio Tridentino decretæ, sunt tres: duæ quidem pertinent ad decentiam sacramẽti. Ad decentiam pertinet trina denunciatio intermissarum solemnia: deinde, vt fiat matrimonium in facie Ecclesiæ. Ad essentiam pertinet, vt celebretur matrimoniũ coram parocho, & testibus. Enimuero ante tale decretũ Concilij matrimonium celebratum inter ipsos solos cõtrahentes erat validum, vt omnes asserebant Doctores *in 4.d 28.lib.6.* cum Magist. & D. Thom. *art 3. ad 3.* habebaturque *in cap. Sufficiat 27 qu.2.* docetque ipsum Concilium *cap.1. de reform.* damnando anathematis eos, qui oppositum dicere auderent. Quanquam tale matrimonium testibus carens, si negabatur ab vno contrahentium, iudicabatur ab Ecclesia pro non habito, vt decernitur *capit. Aliter 30 quæst.5.* Duæ primæ solemnitates ad decentiam attinentes, iam olim præcipiebantur in antiquo iure: trina quidem denunciatio. *cap. Cum inhibitio. de clandestina despons. cap. Cum in tua de sponsalibus.* Vt verò fiat matrimonium in facie Ecclesiæ. *cap. Aliter. cap. Nostrates. cap. Nullus. cap. Qualis. cap. Sponsus 30. quæst.5.* Cum igitur hæc prohibitio Ecclesiæ sit de re graui, peccat lethaliter, qui sine legitima causa excusante contrahit clandestine. Ita Palud. *in 4.d.28. quæst.2. num.26.* Sot. *qua. 1. art.2. conclus.2.* Nauar. *cap.22. num.26.* nam vt loquitur sacrum Concilium, semper Ecclesia Dei detestata est talia

talia matrimonia clandestina, vt aduertit Conr. de matrim. 2. p. cap. 6. num. 7. Prohibuit vero Ecclesia tam hæc matrimonia clandestina ob multa animarum pericula inde prodeuntia: contingebat enim sæpissime, vt Ecclesia, quæ secundum probata iudicat, compellat coniugem separari à vero coniuge, & habitare cum suo, quia secundum matrimonium nullum secundum probatur externe verum: & verum secundum se, probatur externe nullum.

CAPVT XVIII.

De polygamia, libello repudij, & vsu matrimonij.

De polygamia. §. 1.

1 *Quid est polygamia.*
2 *Quotuplex est polygamia.*
3 *An sit licita polygamia successiua.*
4 *An sint benedicendæ secundæ nuptiæ*
5 *An sit licita polygamia simultanea in fœmina.*
6 *An sit licita polygamia simultanea in viro.*
7 *An Deus permiserit bigamiam, seu polygamiam.*
8 *An inter Christianos liceat polygamia.*

1 QVÆSTIO *Quid est polygamia?* RESP. Est pluralitas vxorum, seu maritorum.

2 QVÆST. *Quotuplex est polygamia?* RESP. Duplex: vna successiua, altera simultanea. Successiua est, vna vxore mortua, alia ducitur: similiter de viro. Simultanea est, cum viuente adhuc vna vxore, alia ducitur similiter de viro.

3 QVÆST. *Estne licita polygamia successiua, scilicet licetne mortua adhuc vna vxore, aliam ducere* RESP. Licet Ita docet D. Paul. *Rom. 7. & 1. Cor. 7.* Conc. Florent. & Trid. *sess. 24. can. 10.*

4 QVÆST.

4 QVAEST. *Suntne benedicendæ secundæ nuptiæ?* RESP. Seruandus est mos regionis. Multi asserunt esse benedicendas, cum adhuc mulier non fuit benedicta. Ita Couar. *de matrim p.ca.* 8. § 11. *nu.* 2. cum D. Thom. & alijs, quos citat, aitque hoc seruari in praxi.

5 QVÆST. *Estne licita polygamia simultanea in fœminis, hoc est, licetne vni mulieri plures simul habere viros?* RESP. Nunquam auditum est, etiam inter barbaras nationes, quod vna mulier plures habuerit viros. Est enim hæc polygamia contra ius naturæ.

6 QVÆST. *Est licita polygamia simultanea in viris, hoc est, licetne vni viro plures habere vxores?* RESP. Contra ius naturale est habere simul plures vxores. Ita habetur *cap. Gaudemus de diuort.* docet Doctores *in* 4. *dist.* 33, D. Tho. *qu.* 1. *artic.* 1. & 2. Richar. *art.* 1. *quæst.* 1. Palud. *quæst.* 1. *artic.* 1. Scot. *quæ.* 1. *ad* 1. Sot. *qu.* 1. *art.* . Ratio est, quia sicut dictat naturæ ius, vt mulier sit vnius viri vxor, sic etiam dictat, vt homo sit vnius vxoris vir: alioqui amor, & pax omnino tollerentur. Dico secundum. Est etiam contra ius diuinum habere simul plures vxores. Habetur hoc ius Genes. 2. *Quamobrem propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Nec enim dixit, ait Christus Domin. *Matth.* 19. erũt tres, vel plures in carne vna: nec dixit adhærebit vxoribus, sed vxori suæ Atque hoc præceptum de vnitate vxoris explicat Christus Dominus, iuxta sacrorum interpretum expositionem, quorum testimonia citat Castro contra hæres. *lib.* 11. *tit Nuptiæ. hæresi* 4.

7 QVÆST. *Dispensauitne Deus aliquando in hac lege naturali, & diuina?* RESP. Dispensauit tum in lege Naturæ cum Abrahamo, & Iacobo: tum in lege scripta cum Dauide, & alijs sanctis viris, ad propagandam sacram prolem, vt docet Innoc. III. *citato cap. Gaudemus de diuortijs.*

8 QVÆST. *Estne licita polygamia inter Christianos?* RESP. Nequaquam. Ita definitum est in Conc. Trid. *sessione* 24. *can.* his verbis; *si quis dixerit liccere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum, anathema sit.*

De diuortio, & libello repudij. §. 2.

1 An matrimonium sit iure naturali indissolubile.
2 De diuortio ex adulterio quo ad vinculum.
3 De diuortio propter conuersionem ad fidem.
4 An liceat coniugi conuerso ad fidem, habitare cum infideli consorte.
5 In quibus euentis liceat coniugi conuerso ad fidem transire ad secundas nuptias.
6 An liceat coniugi conuerso ad fidem, transire ad secundas nuptias, quando non conuersus consortis vult habitare cum eo absque iniuria Creatoris.
7 An liceat viro ad fidem conuerso permanere cum secunda vxore etiam ad fidem conuersa, relicta priori in infidelitate.
8 De diuortio ex adulterio, quo ad torum, & cohabitationem.
9 An coniux innocens, possit repetere coniugem adulterum iam à se per sententiam separatum.
10 An vir innocens teneatur dimittere adulteram vxorem.
11 An coniux nocens, & demissus propter adulterium, possit Religionem profiteri.
12 An coniux innocens teneatur recipere per torum & cohabitationem emendatam adulteram.
13 De diuortio propter periculum vitæ.
14 De diuortio propter periculum animæ.
15 De diuortio propter apostasiam à fide, vel haeresim consortis.
16 De libello repudij in lege veteri.

1 QVAESTIO. *Estne matrimonium iure naturali indissolubile?* RESP. Videntur negare Pet. Sot. *de matrimon. lect. 1. §. ita igitur*, & Bellarm. *de matrimon. libr. 1. capit. 4.* nam contractus per eas causas dissoluitur, per quas nascitur. *capit. Omnis res. de reg. iur. in 6.* ergo vt matrimonium nascitur per consensum contrahentium, ita per eum dissoluetur. Affirmant tamen D. Thom. *contra gent. libr. 3. cap. 123 & in 4. d. 33. qu. 2. art. 1.* Durand. *ibidem. dist. 28. quæst. 2.* Scot. *dist. 26. quæst vnica concl. 3. numer. 5.* Ratio D. Thom. sumitur ex naturali obligatione educandæ prolis, propter quam; vt conseruetur species per individua, institutum est matrimonium ab ipso Autore naturæ. Enim vero bona prolis educatio, pendet ex vtroque parente; igitur, vt datur obligatio naturalis ad bene educandam prolem: ita datur ad permanendum in matrimonio, ex quo proles orta est, & procreata. Plura habentur apud D. Tho. *loco citato contra gentes.*

2 QVÆST. *Soluiturne matrimonij vinculum, propter alterius coniugis adulteriū?* RESP. Affirmat Caiet *super Matth. ca. 19.* declarans se id ex Euangelio colligere; salua tamen Ecclesiæ determinatione. Propēdet in eam partē Catharinus *li. 1. contr. Caiet.* vbi ait ex Euangelio, & Apostolo non posse colligi, nō licere in causa fornicationis alterius coniugis, aliud matrimonium contrahere. Hæc Caietani sententia damnata est à Con. Trid. *sess. 1. can. 7.* & antea à Flore *in instructione Armenorum.* Definitur *ca. Gaudētes de diuort. ca. Ex parte de sponsa.* Con. Mileuita. *can. 17.* Affricā. *ca. 69.* Docuit Inno. 1. *in epi. 3. ad Exuperiū. can. 6.* D. Augu. *li. de adult. coniug.* præcipuè *li. 2. ca. 4. li. de bono coniug. ca. 7.* Clem. Papa *can. 48 Apostol.* Verba autem Christi Domini Matth. 19. *Qui dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem,* intelligenda sunt de dimissione, quo ad torum, & cohabitationem.

3 QVÆST. *Soluiturne matrimonij vinculum per conuersionem vnius coniugis ad nostram fidem, cum antea ambo erant infideles?* RESP. Cum alter coniux ad fidē conuertitur, & alter non conuersus, non vult habitare cum conuerso sine iniuria creatoris: coniux ad fidē conuersus, potest alteri nubere. Ita habetur *ca. Gaudemus de diuortijs ca. si infidelis. 28. qua. 2.* & *ibidem.* Gratianus. Docet Paul. 1. *Cor. 7.*

contumelia autē saluatoris, tunc fieri censetur, cum infi-
delis nomen Christi non vult penitus audire, aut nō ad-
cū contemptu prorumpit in blasphemias: prohibet de-
tum cultum, debitamq; venerationem imaginibus ex-
bere: auocat à fide domesticos. Ita declarat Innoc. III. in
Gaudemus, & *cap. Quando de diuort.* Si tamen coniux
conuersus, vult habitare cum conuerso sine iniuria cre-
toris, quamuis propriæ sectæ tenax, per conuersionem fi-
delis, non dirimitur vinculum matrimonij. Ita Natt. in
22. *nu.* 49. & Doctores *in* 4. *d.* 39. *ar.* 3. & . *ad* 2. Bonau.
2. *qu.* 2. Sot. *qu.* 1. *ar.* 3. *conc.* 1. D. Ant. 3. *p. tit.* 1. *ca.* 6. Syl. *matr.*
8. *qu.* 10. Armi. *matr. nu.* 38. Cou. *de matr.* 2. *p. ca.* 7. §. 4. *nu.*
4 QVÆST. *Licetne coniugi conuerso ad fidem, habitare cum*
coniuge infideli? RESP. Negant ij, qui arbitrantur per con-
uersionem vnius coniugis ad fidem, dirimi omnino ma-
trimonium, vt opinatur Panorm. *capit. Quando de diuort.*
De cohabitatione cum infideli nolente cessare à con-
melia Creatoris, aut libere discedente à fideli, negant
qui arbitrantur per eas contumelias omnino solui ma-
trimonium. Ita Gloss. *capit. Quanto.* Gloss. *capit. Si infidelis*
28. *qu.* 2. Richard. *in* 4. *d.* 39. *art.* 1. *qu.* 2. Angel. *matr.* 1. *ar.*
10 *numer.* 3. Textus enim *capit. Quanto.* ita loquitur: *Con-*
tumelia Creatoris soluit ius matrimonij circa eum, qui re-
quitur, id est, circa fidelem. Adducitur que locus Pau-
1. Corinth. 7. *si infidelis discedit, discedat, non enim seruitus*
subiectus est frater, aut soror in huiusmodi. De cohabitatione
infidelis, cum infideli volente habitare sine iniuria cre-
toris, negat Sotus *in* 4. *dist.* 39. *quæst.* 1. *artic.* 3. *ad* 3. arbitra-
tur enim id prohiberi in Conc. Tolet. 4. quod refert Gra-
tian. *cap. Iudæi* 28. *quæst.* 1. & refertur *capit. Sæpe.* 27. *quæst.*
Quanquam idem Sotus *d.* 26. *quæst.* 2. *arti* 3. *ad* 4. *ex* 1. *Cor.*
7. colligat oppositum docere D. Paulum, nimirum posse
vxorem infidelem manere cum marito ad fidem conuer-
so, si fiat citra periculum fidei. Dico igitur *primum*. Re-
moto periculo subuersionis, & scandalo, atque iniuria
Creatoris, potest coniux conuersus ad fidem permanere
cum coniuge infideli. Ita D. Thom. *in* 4. *d.* 39. *ar.* 3. Bonau.
ar. 2. *quæst.* 2. Anton. 3. *p. tit.* 1. *ca.* 6. Syl. *matr* 8. *qu.* 10. Armi.
matr. nu. 35. Couar. *de matr.* 2. *p. ca.* 7. §. 4. *nu.* 5. Probatur
1. Cor. 7. *si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc con-*

sit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Ratio est, quia tunc datur spes conuersionis coniugis infidelis, qua data, melius est cum eo habitare, teste Nauar. *ca.* 22. *num.* 49. Dico *secundum*. Coniux ad fidem conuersus, libere potest discedere à coniuge non conuerso, quamuis velit cum eo habitare sine iniuria Creatoris. Ita *citati* proxime Auctores, & Magist. *in* 4. *d.* 39. Couar. *de matr.* 2. *p. ca.* 6. §. 11. *nu.* 2. Locus vero D. Pauli citatus *in ep* 1. *Cor.* 7. continet consilium, non præceptū. Ita D. Hieron. *ibidem*, & D. August. relatus *in ca. Sic enim*, 28. *qu.* 1. Richard. *qu.* 1. *citata*. Couar. *de matr.* 2 *p. cap.* 6 §. 11. *numer.* 2. *ad finem*; cum Magist. *in* 4. *dist.* 37. *lit. B.* Hunc autem discessum intelligunt Doctores separationem quo ad torum solummodo, & cohabitationem, non quo ad vinculum, vt notat Nau, *ca.* 22. *n.* 49.

5 QVAEST. *Cum igitur per solam conuersionem vnius coniugis ad fidem, non dissoluatur vinculum matrimonij, vt habetur capit. Si quis virginem* 28. *quæstion.* 1. *& capit. Gaudemus de diuort. Dic in quibus euentis licet coniugi conuerso transire ad secundas nuptias?* RESP. In tribus. *Primus* est, si infidelis nolit habitare cum iam fideli. *Secundus* est, si nolit habitare sine iniuria Creatoris. Si inducat coniugem ad deserendam fidem. Ita Doctores cum Magist. *in* 4. *d.* 39. Habetur *ca. Si infidelis* 28. *qu.* 2. *ca. Gaudemus & c. Quãto de diuort.* Habet autem fidelis conuersus hoc ius à Christo Domino. Ita D. Bonau. *in* 4. *d.* 39. *art.* 2. *qua.* 2. Sot. *d.* 27. *qua.* 1. *art.* 4. colligitur ex loco Pauli 1. Cor. *Quod si infidelis discedit, discedat. &c.* Ac proinde tamdiu durat tale matrimonij vinculum, quamdiu fidelis vult, si enim, alteri nubat, vinculum omnino dissoluitur, vt notat D. Thom. *proximo ar.* 5. *ad* 2. Tenetur tamen coniux conuersus monere infidelem, vt conuertatur, vt cesset à contumelijs Creatoris, vel ab iniqua suasione. Ita Diu. Thom. habetur *ca. Iudæi* 28. *qu.* 1. notat Glos. *ca. Gaudemus citato*, nisi longissima sit distantia, & difficillima monitio. In qua monitione dispensatum est à Greg. XIII. pro Indis, & Æthiopibus.

6 QVAEST. *Rogo igitur, an possit conuersus transire ad secundas nuptias, cum alter non conuersus vult habitare cũ illo,*

sine iniuria Creatoris? RESP. Minime. Ita Panor. & Hostiensis *ca. Quanto de diuort.* D. Anton. 3. *p. tit.* 1 *cap.* 6. Angel. *matrim.* 3. *imped.* 10. *nu.* 3. Nauar. *ca.* 22. *nu.* 49.

7 QVÆST. *Permittuntur infidelibus multæ vxores, earum prima est vera vxor, vt habetur ca. Gaudemus. de diuortiis.* D. Thom. *in* 4. *dist.* 39. *ar.* 3, *illa tamen non vult conuerti, vel tamen habitare cum viro sine iniuria Creatoris: secunda tamen vel tertia conuertitur, potestne fidelis conuersus habere huic secundæ, vel tertiæ fideli conuersæ?* RESP. Si iuxta Doctorum sensum loquendum foret, minime quidem. Quæstio tamen fuit proposita Pio V. & Gregorio XIII. ab eisdemque motu proprio dispensatum est cum Indis, & Æthiopibus, & ex certa scientia concessum, vt ambo conuersi, tanquam veri coniuges manerent, prima relicta vxore infideli.

8 QVÆST. *Ex quibus causis licet fieri diuortium quantorum, & cohabitationem tantum?* RESP. Ex adulterio. Ita docuit Christus Dominus *Matth.* 19. Ad hoc diuortium non solum vir, sed etiam fœmina habet ius. Ita cum Magistro Doctores *in* 4. *d.* 35. habetur *ca. Christiana* 32. *qu.* 7. D. Thom. *in Add. quæ.* 62. *ar.* 1. *ad* 3. In viro sufficit actus sodomiticus. *ca. Omnes causationes.* 32. *qu.* 7. Panor. *ca. Maritus. de adul.* Palud. *in* 4. *d.* 35. *qu* 1. *nu.* 8. Syl. *diuortii* 7. Debet autem fieri tale diuortium iudicio Ecclesiæ *& 2. in* 33. *qu.* 2. nisi adulterium sit manifestissimum. Couar. *de mat.* 2. *p. ca.* 7. §. 5. *nu.* 11. & Sylu. loco proximo. Excipiuntur tamen septem euentus: primus est, cum ambo adulterium commiserunt. *ca. Nihil. ca. vlt. de adul.* Ita paria delicta, pari compensatione dissoluuntur. *Lex atq; vxore. ff. soluto matrimonio.* Nam qui posterius peccauit, amisit ius denegandi debitum priori peccanti. Facta autem hac compensatione, & repetito adulterio, incipit noua contentio, vt incepit prima vice: manetq; primus suo iure, qui primus crimen repetit. Ita Palu. *in* 4. *d.* 35. *qu.* 1. *ar.* 2. Sot. *d.* 36. *atr.* 1. Secundus euentus est, cum vir dedit vxori occasionē proximam adulterandi. *ca. discretum de eo, qui cogn. consan.* Propinquā autem causam dedit, qui reliquit solam, cum solo, quē sciebat illam vehementer amare, &c. Tertius est, cum nupsit alteri, credens maritum esse mortuū facta inquisitione morali *cap. cum per bellicam*

14. qu.

34.qu 1,ca. Cum in captiuitate 34.qu.1. Quartus,si alienum cognouit cõiux, vel alienam per ignorantiã inuincibilẽ, vt Iacob Liã cognouit *ca. si virgo. ca. in lectũ* 34.q.1. Quintus si vxor fuit oppressa per violentiam absolutam,liberã à culpa,*ca. Ita ne,& sequẽti* 32.qu 5. Sextus quando innocens sibi iam reconciliauit Ipontem nocentem. Reconciliauit autem,si veniam dedit, vel debitum petijt, nulla grauis metus vi coactus ad reconciliationem. Ita Sot.& D.Thom.*citati*. Septimus denique est, si cum ambo erant infideles, vnus alterum repudiauit,& postea ad fidem ambo conuertuntur. Ita habetur *capit. Gaudemus de diuort.*

9 QVAEST. *Obtinuit coniux innocens separationem per iudicis sententiam:post emendã nocentis, vult illum ad torum, & cohabitationem reuocare, rogo, an teneatur nocens ad eam redire?* RESP.Tenetur.*ca. Quod autem* 32.*qu.*1.Ita Richar. *in* 4.*d* 35 *art.*3.*qu.*2.Palud.*qu.*2.*nu.*11. Ratio est, quia illa sententia lata est in fauorem innocentis, ac proinde iuri eius non præiudicauit.

10 QVÆST. *Teneturne coniux innocens dimittere vxorem adulteram?* RESP. Si detur scandalum,& præsumptio iniusta,quod ille consentiat adulterio: vel non datur aliud remediũ ad emendam,tenetur, & in hoc sensu illã præcipiunt expellere sacri canones.*ca. Dixit Dominus.* 32.*quæst.*1.Aliter dicendum est,si in cohabitatione detur spes emendæ,& euitentur maiora mala,&c. Ita *in* 4.*d.*35. Richard.*ar.*1.*qu.*2.Sot.*d.*36.*ar.*2. Nau.*ca* 26.*nu.*28. cum Palud.& D.Anto.quos refert.

11 QVAEST.*Licetne coniugi ob adulterium dimisso,vouere castitatem,aut religionem profiteri inconsulto cõiuge innocente?* RESP.Minime. Ita D.Thom.*in add qua.*62.*art.*6.*ad* 4.Richard.*in* 4.*d* 35 *ar.*3 *qu.*2.D.Anton,3 *p tit.*1.*cap* 21.§. 6.Armil.*verb.diuortium nu.*8.Ratio est,quia culpa nemini debet patrocinari, & ideo adulterium non eximit adulteram ab onere subiectionis.

12 QVÆST.*Teneturne coniux innocens iterum recipere in torum, & cohabitationem nocentem coniugem emendatum?* RESP.Minime.Ita habetur *ca.Gaudemus de diuort.* docet cõmunis cum Palu.*in* 4.*d.*35.*qu.*2.*nu.*11. Quamuis ipse

vir postea incidat in adulterium. Ita D. Thom. in Add. 62. ar. 6. ad 4. Sot. d. 32. ar. 6. ad 3. Panor. & Gloss. cap. literis. de adult. D. Anton. 3. p. tit. 1. ca. 21. § 6 Sylu. Ratio est, quia nullam deinde vir iniuriam facit iam dimissæ.

13 QVAEST. *Licetne facere diuortium propter probabile periculum in cohabitatione?* RESP. Potest, Ita habetur ca Literas de restit. spoliat. § fin. Cou. de matr. 2. p. cap. nu. 1. Nau. c. 22. n. 22. quatenus quidē durat tale pericu-

14 QVÆST. *Licetne facere diuortium ob periculum peccati committendi in cohabitatione?* RESP. Licet habetur cap. 2. de diuort. docet Palud. in 4. d. 39. quæst. 1. 15. & Nau. *vbi proxime*, quatenus quidem durat periculum.

15 QVÆST. *Licetne facere diuortium propter hæresim, apostasiam à fide, in quam incidit alter coniux?* RESP. *capit. 2. de diuortio cap. fin. de conu. coniug.* docet communis schola: licet hæresis, & apostasia sit occulta, quia nus quidem non datur emenda. An vero damnatum publice coniugem de hæresi, vel apostasia, sed iam emendatum, teneatur coniux innocens recipere in torum, cohabitationem, dissidium est inter Auctores. Affirm. Gloss *cap. Mulier. & ca. fin. de conuers. coniug. cap.* diuort. Sot. d. 39. ar. 4. *specul. 3. p. art. 6.* Clarus *lib. nu.* 15. Hostiensis, Putreus, Anchar. Præpos. & alij *illis de diuor.* Negāt *in* 4. d. 35. Maior. q. 1. Gab. ar. 2. d. 32. Viguer. *ca. 16. § 7. vers. 9.* Valent. *tom.* 4. 2. Pet. Sot. *lect. 12. de matr.* Graph. *li. 2. ca. 8. nu. 12.* *pun her. c. 7.* Cou. 2. *p. Epit. c. 7. §. 5. nu. 5.* Matien. *de matr n. 8.* Roias 2 *p. de her. asser.* 40. Barboza *to. c. de illa. de diuor.* Simanch. *de iust. cath. tit. 4. nu. 16.* *matr. 4. nu. 5.* Rosel. *diuor. nu. 13.* Ange. *matr. 4. nu.* *diuor. qu. 10.* Palu. *in* 4. *de 35 qu. 1.* Inno. Zabarel. Anchor. *ca Quanto de diuort.* Dederunt occasionē huius dij duo capita iuris: parti affirmanti *capit. Mulier. coniug.* vbi Greg. IX. sic ait. *Mulier, quæ in fide remansit viro, qui ab infidelitate reuertitur, propter quā ab ea dicio Ecclesiæ separata, libere ad religionē conuolare* de videtur colligi, si nolit recipere illum, tenetur gionem conuolare. Parti neganti dedit fundamen-

De illa, de diuort. vbi sic Vrbanus III. *De illa, quæ viro suo labente in hæresim, ipsius consortium sine iudicio Ecclesiæ declinauit, videtur nobis, quod mulier ei, cum reuersus fuerit, est reddenda, quæ & si reuerti noluerit, compellatur. Si vero iudicio Ecclesiæ ab eo recesserit, ad recipiendum eum, nullatenus dicimus compellendam* Roborat non leuiter partem affirmantem tempus, quo condita sunt huiusmodi decreta: nam *cap. Mulier*, factum est à Gregorio IX. multos post annos à *ca. De illa*, facto ab Vrbano III. Vrbanus. n. mortuus est ann. 1178. Gregorius vero anno 1241. vt videre est apud Illescas; ergo videtur per *cap. Mulier* emendatum & correctum, *ca. De illa.*

Contra hanc tamen expositionẽ facit, quia à iure antiquo, & determinatione non est recedendũ, nisi per nouum id exprimatur, vt aduertit Naua. *de regularib. cons.* 30. & *de cõu. coniu. consi.* 1. Colligitq; ex *L. Præcip. Cod. de appell.* At vero *in ca. Mulier*, nulla fit mentio *ca. De illa*, iuris autẽ correctio est odiosa, & ideo vitanda, nisi expressa habeatur *ca. Nisi expediat in 6.* Ideo Auctores partis, quæ negat, dicunt in *ca. Mulier*, solũ declarari posse innocentem, nõ solum non recipere nocentem coniugem ad cohabitationem, vt decretum erat *in ca. De illa*, sed etiam transire ad religionem, quòd non ita clarũ erat. Alioqui graue onus imponeretur per tale decretum innocenti, nimirum, aut recipere in torum, & cohabitationem nocentem coniugem, à quo per declaratoriam Ecclesiæ sententiam de hæresi, vel apostasia damnato, erat separatus: vel ingredi religionem, cuius ingressus non nisi pro grauissimis criminibus, solet à iure alicui imponi, vt patet, *ca. De adulterio ca. De lapsis* 16. *quæ.* 6, Vnde tale decretum statutum esset in vtilitatẽ nocentis, damnum vero innocentis, quod quidem non est credibile. Dicendũ igitur est iuxta hanc negantẽ sententiam, quemadmodũ propter adulterium carnale, ita etiã propter adulteriũ spirituale, quod committitur per hæresim, vel apostasiam à fide, posse fieri diuortiũ quo ad torũ, & cohabitationem, post declaratoriam criminis sententiam, etiam à coniuge iam emendato. Ad quam separationẽ dedit facultatem Christus Dominus *Matt.* 19. Ex multorum interpretamento: dedit Ecclesia *ca. De illa citato*, sicuti potuit, vt probat Bellar. *de matr. li. 3. ca.* 14.

16 QVAEST. *Eratne in Lege veteri licitum repudium?* RESP. Affirmatiuam partem tenuit D. Thom. *in 4. d. 33. ibid.* Abulens. *quæst. 47.* & Caiet. item *in 4. d. 33. Palud. q. 1. artic. 2.* Scot. *qu. 3.* Durand. Palat. *disp. 3.* Bellarm. *de matrim. libr. 1. cap. 17. arg. 14.* Pet. Soto *lect. 13. de matrim. Eccles. hom. 74. in Matt.* Pet. Ledesm. *ad qu. 67. Add. D. Thom. a. 3.* Probant ex Deuteron. 24. & Malach. 2. *cum odio habueris, dimitte.* Hi igitur Doctores arbitrantur, tunc licitum fuisse ex quacunque causa dimittere vxorem, non solum quo ad torum, sed etiam quoad vinculum. Sed enim quiunt, fuisset solum peccatum permissum, aliquando reprehenderetur à Prophetis: nusquam tamen in tota lege inuenitur tale peccatum reprehensum, vt inuenitur vsura permissa Iudæis erga gentiles. *Ezech. 18. & Psal. 14.* Oppositum tenent cum Mag. *in 4. d. 33.* Bonauent. Rich. *ar. 3. qu. 1.* Sot. *qu. 2. ar. 2.* Castro *de leg. pœn. lib. 1. cap. arg. 2.* Cou. *de matrim. ca. 7. §. 4. numer. 4.* Lyra. *Deuter. Matth. 19.* Diu. Hieronym. *Matth. 5.* Ratio eorum est, quia Christus D. vsus est *Matth. 19.* permissionis vocibus *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras, ab initio autem non fuit sic:* fuit igitur peccatum permissum, vt multa alia permittuntur ad euitanda maiora mala.

CAPVT XX.

De vsu Matrimonij, seu de debito coniugali. §. 1.

1 *An sit licitus vsus matrimonij.*
2 *An teneantur coniuges sibi inuicem debitare debitum.*
3 *Quod peccatum est negare debitum.*
4 *Ob quas causas licet negare debitum.*
5 *An adulter occultus, possit exigere debitum.*
9 *Quomodo peccatur in exercitio copulæ maritalis.*
7 *An intra duos primos menses à matrimonio contracto, teneatur quisq; coniux reddere petitam copulam.*

8 *An ratione contagiosi morbi posit debitum negari.*

9 *An ratione voti castitatis, quod habet coniux petens, liceat negare debitum.*

10 *De incitamentis coniugum ad copulam.*

11 *De amplexibus, & osculis inter sponsos de futuro.*

12 *De tactibus impudicis inter sponsos de futuro.*

1 QVÆSTIO. *Estne licitus vsus matrimonij, hoc est, carnalis copula inter coniuges?* RESP. Maxime quidem. Est insuper inter fideles meritorius. Infideles enim, qui recte matrimonium tractant, non peccant in copula carnali. At vero fideles, si in gratia sint, & propter debitum finem matrimonio vtantur, merentur in ipso actu sicut in alio bono opere. Tunc autem est debitus finis, quando actus fit ex iustitiæ zelo, ad reddendũ debitum, & ex religione ad faciẽdum id, ad quod est matrimonium institutum; est autem institutum matrimonium tum ad propagandam prolem, tum ad subueniendum concupiscentiæ. D. Thom. *in Add. quæst. 46. art. 6.* Tolet. *lib. 7. c. 1. nu. 4.* Contra hanc veritatem fuit hæresis Manichæorum asserentium carnalem actum inter coniuges esse peccatum mortale. Sed damnata fuit hæresis in Concil. Florent. & *ca. Ad abolendam, de haretic.* Probatur & D. Paulo *ab Hebr. 13. Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus.* Vbi D. Paul. intelligit pro toto, ipsam copulam.

2 QVÆST. *Tenenturne coniuges inuicem sibi debitum reddere, cum exigitur?* RESP. Tenentur. Ita nos docuit D. Paul. *1. Corint. 7. Vxori vir debitum reddat, similiter autem, & vxor viro: mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem, & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem.*

3 QVÆST. *Quod peccatum est, negare debitum exigenti cõiugi?* RESP. Coniugi petenti debitum serio, negare debitum, est mortale peccatum contra iustitiam commutatiuam promissæ fidei. Ita Doctores communiter. Suf-

ficit autem ad hanc obligationem inducendam latens ... tatiua peritio ex signis veris, & indicijs manifestis ... pter pudorem personæ notat D. Anton. 3. p. tit. ... 7. Oritur autem culpa, tum ex natura contractus, in qu... mutua traditur corporum potestas, tum ob pericul... incontinentiæ.

4 QVAEST. *Ob quas causas licet negare debitum?* R... In primis propter adulterium commissum à coniuge ... bitum petente. Ita Doctores cõmuniter *in 4. d. 32. ... q. 1. n. 9. & d. 25.* Richard. *art. 5. q. 1.* Nisi innocens ... vel etiam adulterium commiserit, paria enim delicta ... ri compensatione dissoluuntur *L. Viro, atque vxore ... luto matrim.* Vel per petitionem debiti nocentem con... gem sibi reconciliauerit. Ita Caietan. *tom. 1. opusc. tract. ...* Armil. *matrim. nu. 77.* Nauar. *c. 22. n. 13.* Tabien. *matrim. ...* 4. §. 6. Deinde propter incestum commissum à con... exigente, cum consanguinea innocentis coniugis. Pe... tur enim talis incestuosus iure petendi debitum *... Transmissæ. de eo, qui cogn. consang. vx. cap. Qui dormiens ... quæst. 2.* Inde fit, vt innocens coniux, non teneatur re... dere. Ita Doctores *in 4. d. 32.* D. Thom. *art. 5.* Richar... *art. 4. qu. 2.* Sot. *d. 37. art. 2.* Nauar. *cap. 16. nu. 35.* Couar... *de matrim. c. 7. §. 2. n. 5.* Ratio est manifesta, quia pe... incestum, contraxit affinitatem cum propria vxore. Q... vero affinitas orta, ex copula fornicaria post Conc. T... dentinum ad solum secundum gradum excurrit, ... negare debitum non nisi incestuoso in secundo gra... potest innocens cõiux. Tertio, propter immodicam ... quentiam exigentis. Ita Sotus *d. 32. q. 1. art. 1. con. 2.* Ra... est, quia in petendo debet modus adhiberi.

5 QVAEST. *Peccatne coniux, qui adulterium commi... cultum exigendo debitum ab innocente, tanquam, rem ... & sibi debitam?* RESP. Affirmant Armil. Tabien. Na... *locis proxime citatis.* Castro. *de leg. pœn. lib. 2. cap. 4.* aiunt... talem adulterum, ipso adulterio, amittere ius ad pet... dum. Ex oppositio fundamento negant Caiet. *tom. 1. op... tract. 21. resp. 4.* Sot. *d. 36. art. 3.* Couar. *de matr. 2. p. ... 2. n. 4.* aiuntque sicut in alijs criminibus, sic in adulte... requiri iudicis sententiam, aut coniugis innocentis ... gationem, per quam priuatur iure petendi.

6 QVAE...

6 QVAEST. *Quando peccatur in actu, seu exercitio actus matrimonialis copulæ?* RESP. Peccatur in primis ratione finis intenti. Si enim finis est sanctus, qualis est procreatio prolis, vitatio fornicationis, mutua obsequiorum præstatio, actus est sanctus, & factus in gratia est meritorius vitæ æternæ: nam factus pro filijs in cultum Dei, est opus virtutis religionis: factus pro debito soluendo, est actus iustitiæ commutatiuæ, vt docet D. Thom *in* 4. *d.* 26. *qu.* 1. *art.* 3. *& in Add. q.* 41. *art.* 3. *ad* 4. Palud. *ib. q.* 2. *art.* 1. Sot. *q.* 1. *art.* 3. Vitiatur igitur ex prauo fine, grauiter, aut leuiter secundum finis malitiam. Quærunt igitur Doctores, an liceat hunc actum exercere propter vitandam incontinentiam, vel in se, vel in coniuge, cum illa vitari potest alijs remedijs durioribus. RESP. Licet quidem. Ita Durand. *in* 4. *d.* 31. *q.* 4. Pal. *q.* 2. *art.* 2. Capreol. *q.* 2. *ar.* 4. Caiet. *verb. matrim.* Sot. *d.* 35. *q.* 1. *art.* 4. Probatur ex Paulo 1. Cor. 7. *Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum.* Quærunt, an liceat propter sanitatem, non exclusis alijs finibus. Licet quidem. Ita Richard. *in* 4. *d.* 31. *art.* 3. *q.* 2. Caiet. *tom.* 1. *Opusc. tract.* 12. *qu.* 3. Catec. *ad paroch. tit. de matr. fol.* 337. Quærunt, an liceat propter delectationem carnalem, non exclusis alijs finibus, Respondent peccatum esse veniale. Ita Sylvest. *matr.* Tolet. *libr.* 7. *c.* 18. *num.* 2. D. Thom. *in* 4. *d.* 31. Peccatur deinde ratione modi, quo actus ille exercetur. Peccant enim mortaliter, qui illum exercent contra naturam, quãdo scilicet in vase non debito exercetur copula: quando etiam effunditur semen extra vas voluntarie. Veruntamen quando in proprio vase semen effunditur, quamuis modus non seruetur, veluti si fœmina superponatur, seu à posteriori parte semen recipiat, nisi sit periculum effundendi semen extra vas, non committitur peccatum mortale, ita Alb. Mag. *in* 4. *d.* 32. Tol. *lib.* 7. *cap.* 20. *numer.* 1. Angel. *verb. debitum coniug. nu.* 25. Syl. *eodem verb. qu.* 6. *&* 7. Nau. *c.* 16. *n.* 42. Nullum autem est peccatum, si hæc mutatio naturalis situs fiat ob necessitatem. Ita omnes citati, & alij. Peccatur tertio ratione temporis, in quo exercetur. Nam peccatum est veniale hunc actum exercere celeberrimis Ecclesiæ festiuitatibus, veluti diebus Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi,

As-

Aſcenſionis, quinta, & ſexta feria maioris hebdomadæ, niſi detur periculũ incontinentiæ: nam, vt eſt ſacrũ, profanũque prouerbium, *omnia tẽpus habent, eſt tempus reddi, & tẽpus lugendi.* Peccatum itẽ eſt veniale debitũ petere, & exercere die ante cõmunionem, niſi adſit periculũ incontinentiæ. Petere, dixi, non reddere, quia reddere nullum eſt peccatum, etiam ipſa die ſacræ communionis. Ita D. Thom, *in Add. q. 6 3. art. 1. ad 1.* Viuald. *de mat. tit. de deb. coniug. n. 13.* Dubitant Doctores, quod peccatum ſit conſummare matrimonium ante ſuſceptam benedictionem nuptialem. Aliqui dicunt eſſe mortale. Ita Pal. *in 4. d. 28 q. 2. art. 1.* D. Ant. *3. p. tit. 20. c. 1. §. 8.* Ratio eorum eſt, quia id prohibetur grauiter ab Eccleſia in aliquibus locis, ſub pœna excommunicationis. Alii dicunt eſſe ſolum veniale. Ita Summiſtæ *ver. deb. coniug.* Ang. *num.* Syl. *q. 9.* Armil. *n. 12.* Couar. *de matrim. 2. p. c. 7. §. 2. n. 1 & 2.* Caiet. *tom. 1. opuſ. tract. 13. q. 1.* Sot. *d. 18. q. 1. ar. 2.* Nau. *c. 22. n. 71.* Ratio eorum eſt, quia cõmunis, & vniuerſalis Eccleſiæ prohibitio eſt materia, non iudicialis, & ideo Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 1.* ſolum hortatur coniuges, ne conſumment ante benedictiones. Prior igitur ſententia vera erit, iuxta aliquas Conſtitutiones Synodales; ſecunda vero, iuxta communem Eccleſiæ prohibitionem. Dubitant deinde de tempore menſtrui. Peccatum eſſe mortale tenuit D. Thom. *in 4. d. 32. quæſt. 2. art. 2.* Scot. quem citat Sot. *d. 32. quæſt. 1 artic. 2.* Syluest. *deb. numer. 8.* Dico tamen (amota cauſſa ad exigendum, vel reddendum neceſſaria, quæ excuſat ab omni culpa) exigere, aut reddere debitum tempore menſtrui ſolum eſt peccatũ veniale, etiamſi credatur ex tali complexu, menſtrum eſſe concipiendum. Ita Palud. *in 4. d. 32 quæſt. 2.* D. Antonin. *3. p. tit. 1. cap. 20. §. 5.* Caſtro *de leg. pœn. lib. 1. cap. 12.* Tol *lib. 7. c. 20.* Viuald. de *mat. tit. de deb. coniug.* Nau. *cap. 16. num. 32.* Ratio eſt, quia licet proli videatur irrogari grauis iniuria propter monſtruoſitatem, vel infectionem lepræ, in qua quidem concipietur: parua tamen illi fit, quia illi melius eſt eſſe, quamuis monſtruoſitate affectæ, quam omnino non eſſe. Peccatur quarto ratione loci: ſi enim hic actus exerceatur coram alijs, gignet ſcandalũ. Dubitant vero doctores, an liceat exercere in loco ſacro.

Ali-

Aliqui affirmant esse peccatum mortale, quocunque modo, & quacunque de causa exerceatur, quantumuis occulte. Ita Palud in 4. *d.* 31. D. Anton. 3. *p. tit.* 1. *c.* 20. §. 2. Caiet. *ver. vsus matr.* Turrecr. in §. *sed cum naturale, art.* 5. *dis.* Naua. *c.* 16. *n.* 12. Dico *primum.* Exercere hunc actum in loco sacro, sine vlla vrgente causa, est graue sacrilegium, quantumuis occulte fiat. Ita citati Doctores. Dico *secundum.* Exercere hunc actum in loco sacro, vrgente causa, ad euitandam incontinentiam occulte, & nemine conscio, nullum est peccatum. Ita Ioan. Andr. Archidiac. Angel. Sylu Maior. quos refert, & sequitur Castro *lib* 1. *de leg. pœn. ca.* 7. *docum.* 2. Couar. de *Matrim. cap.* 7. §. 2. *num.* 3. Sot. *d.* 32. *artic.* 3. Ratio est, quia sicut ad euitandam mortem corporalem, licet effundere sanguinem humanum in loco sacro occidendo inimicum, ita ad euitandā mortem spiritualem, licebit effundere semen humanum per licitam copulam. Dico *tertium.* Publice exercere hunc actum in loco sacro ex quauis causa exerceatur, semper est peccatum lethale. Ratio est, quia tunc temporis gignitur scandalum, & violatur Ecclesia, *cap. vnico de consecrat. Eccles. li.* 6. Peccatur quinto ratione damni, quod ex tali actu subsequetur. Enimuero peccat mortaliter, qui exercet hunc actum cum periculo aborsus. Ita Sylue. *deb. coniug. q.* 5. Caiet. verb. *aborsus.* Naua. *cap.* 15. *n.* 14. Est autem hoc periculum tempore coagulationis fœtus, & tempore proximo partui.

7 QVAEST. *Teneturne coniux debitum reddere, si petatur intra duos primos menses à contracto matrimonio?* RESP. Minime. Nam illi duo primi menses conceduntur à iure ad deliberandum de eligendo potius adhuc statu religioso, quem ante consummationem potest intra illud tempus eligere, & profiteri. Ita habetur *c. Ex publico de conu. cōiug.* Docēt D. Tho. & Theologi, quos refert Sot. *d.* 32 *q.* 1. *ar.* 3.

8 QVAEST. *Teneturne coniux sanus reddere debitum coniugi leproso, cum periculo infectionis?* RESP. Minime. Ita Doctores in. 4 *d.* 32. Palud. *q.* 1. *n* 5. Durand. *q* 1. *art.* 2. Sot. *q.* 1. *art.* 1 Caiet. *verb. mat. c.* 2 Nau. *c.* 16. *n.* 25. Nam obligatio debiti reddendi, intelligitur salua subiecti consistentia, & valetudine. Est tamen aliquod lepræ genus, in quo nō est periculum infectionis, & tunc permanet debiti obligatio,

gatio, vt decernitur *c. Quoniam de coniug. leprof.* Quod ... ctum est de lepra, dicendum est de morbo Gallico, & ... lio contagioso. Ita Sotus. *d. 32. q. 1.* Armil. *ver. deb. coniug. nu. 3. & matr. n. 69.* Nau. *c. 16. n. 25.* vbi ait sic esse intelligendum *c. 1. & 2. de coniug. lepr.*

9 QVÆST. *Teneturne coniux reddere debitum coniugi illud exigenti, qui habet votum castitatis?* RESP. Hanc quæstionem iam proposuisti, & solui. *1. p. cap. 6. §. 2. nu. 6.* ... gatiua responsione cum Nauarro aduersus communem in qua sum etiam modo: præcipue cum ambo ex mutuo consensu vouerunt, quia vt vnus se priuauit iure exigendi, ita alium iure reddendi, sicut bene aduertit ... desm. 2. 4. *qu. 55. art. 1. ad 1.* Neque placet ratio communis sententiæ pro parte affirmatiua. Quando enim opus est de se, inquiunt, non est malum, sed ex malitia alterius, & alias est debitum, non peccat, qui in illud opus consentit, non consentiendo in malitiam. Non placet, inquam, hæc ratio, quia se habet ex parte petentis, & non redditis, atque adhuc ad illum consensum excusandum oportet, vt interueniat honesta causa: exemplo res erit manifesta: scio gentilem hominem iuraturum per falsos deos, sed mea valde interest ab eo iuramentum exigere: iuramentum ex se est sanctum, ex malitia vero hominis, ... eo fertur sacrilege, possum tale iuramentum exigere, & in talem actum, qui ex se bonus est, consentire: scio meum parochum esse in peccato lethali, indigeo baptismo aut alio sacramento: non est alius, qui illud ministrat: ministratio sacramenti ex se est sancta, eo malitia vero parochi, fit sacrilege, possum ab ex exigere sacramenta. Vnde manifeste apparet rationem allatam in nostro casu non concludere, vbi agimus de redditione, sine vlla excusante, & cohonestante causa. Et confirmatur non euitre. Enimuero nemo negat parochianum habere ... petenda sacramenta à suo parocho, & tamen nemo negat peccare grauiter parochum, qui sciens petentem esse in lethali, illi sacramenta ministrat, licet videatur reddere, quod alias debitum petitur, & non consentit in malitiam alterius.

10 QVAEST. *Quid censes de incitamentis coniugum ad vtpulam licitam ex debito fine?* RESP. Amoto periculo pe...

tionis, licitum est coniugibus vti calidis cibis, osculis, amplexibus, tactibus impudicis ad copulam coniugalem pro debito fine habendam: ad illam autem habēdam pro delectatione, est peccatum veniale. Ita Sylu. *debitum coniug. q.* 9. Armil. *ibid num.* 8. Caiet. *verb. matr. c. de vsu matr.* Nau. *c.* 16. *n.* 42. Henriq. *de matr. lib.* 11. *c.* 17 §. 6.

11 QVAEST. *Quid censes de osculis, & amplexibus inter sponsos per verba de futuro propter delectationem carnalem ex ijs orta, semoto periculo pollutionis, & absque animo progrediendi vlterius ad actum copulæ?* RESP. Caiet. *ver. sponsal. &* 22. *q.* 154. *art.* 4 & Nau. *c.* 16 *n.* 12. arbitrantur esse tantum peccata venialia. Esse vero peccata mortalia, arbitratur communis opinio cum D. Thom. 2. 2. *q.* 154. *art.* 4. Ratio vnica est, quia oscula, & amplexus, vt delectabilia secundum tactum inter marem, & fœminam, ab ipsa natura sunt ordinata ad copulam: igitur erunt licita tantummodo inter eos, inter quos est licita copula: cum igitur inter sponsos copula non sit licita, neque item erunt oscula, & amplexus.

12 QVAEST. *Quid censes de tactibus impudicis inter eosdem sponsos?* RESP. De his nemo dubitat esse peccata mortalia.

Additio ad hanc tertiam partem Examinis, pro declaran dis ministris sacramentorum.

1 QVAESTIO. *Quoniam dubitatum fuit ab aliquibus sacerdotibus simplicibus, hoc est, carentibus beneficio curato, an de sola licentia parochorum, absque alia licentia Ordinarij, possent administrare sacramenta Baptismatis, Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis, profer in medium, quid illis respondendum sit?* RESP. Dico *primum.* Minister Baptismatis ex officio est sacerdos parochus. Ita D. Thom. Sot. Tolet. quos retuli 1. *p. cap.* 4. §. 5. *numer.* 1. Dico *secundum* Nemini sacerdoti licet absque licentia parochi, vel Ordinarij, aut illius Vicarij generalis ministrare sacramentum baptismi. Ita habetur *cap. Interdicimus.* 16. *quæst.* 1. peccatque grauiter, qui contra hanc Ecclesiæ prohibitionem baptizat absque parochi, ve[l]

Or

Ordinarij licentia, vt ex ijsdem auctoribus ostendi s[upra] 4. §. 5. *num.* 1. Dico *tertium.* Ex licentia parochi, quilibet sacerdos simplex potest administrare baptismum habenti talis parochi. Ita expresse Nau. *c.* 22. *nu.* 7. §. *octauus* per. Viuald. *de baptismo. tit. de minist. n.* 1. Dico quartum. Solus sacerdos parochus, est nunc ex officio ministet ad conferendum sacramentum diuinę Eucharistię suis subditis. Ita habetur. *c. peruenit. de consecr. d.* 2. Notat Viuald. *de Eucha. tit. de vsu. n.* 2. Dixi nūc, quia olim, cum fideles communicabant sub vtraque specie, diaconus etiamet officio ministrabat sanguinem. Ita communiter Doctores sacri. notat Sot. *in* 4. *d.* 13. *q.* 1. *ar.* 3. *concl.* 3. Viuald. *de Euch. tit. de vsu. num.* 2. Tolet. *li.* 2. *c.* 28. *n.* 2. Dico quintum. De licentia parochi potest quilibet simplex sacerdos administrare Eucharistiam. sic Tolet. *l.* 2. *c.* 28. *n.* 2. & 16. *n.* 1. Dico sextum. Non solum sacerdoti, sed etiam diacono (in casu necessitatis) potest parochus dare licentiam administrandi Eucharistiam. Ita Viuald. *de Euchar. n.* 2. *vsu. n.* 2. Tolet. *lib.* 2. *c.* 28. *nu.* 2. & *lib.* 6. *c.* 17. *n.* 1. Extenditur necessitas cum adest parochus, sed est impeditus, & non est alius sacerdos. Ita habetur *ca. Diacono. & c. Fratres dist.* 93. Instit. *de Euchar. lib.* 2. §. *Sed nec.* Tenent Doctores *in* 4. *d.* 13. *quæst.* 2. *art.* 3. cum Paludano. Summista *tit. de comun. sacram.* Caiet. *ca. de ministro.* Armil. *nu* 21. Vict. *de Eucha. num.* 89. Glos. vero Instit. *citato loco* ait casum sufficientem esse, si sacerdos nō possit sufficere ad communicandam multitudinem. Dico septimum. Minister sacramenti extremæ vnctionis est solus sacerdos. Intenditur manifeste ex *c.* 5. *D. Iacobi*, dicentis. *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesia &c.* habetur *cap. de sacr. vnct. cap. presbyteros. dist.* 95. in Cōc. Cabilon. *c.* 4. Definitur in Concil. Trident. *sess* 14. *cap.* 1. *& can.* 4. Traditur ex D. Thom. & antiquis Nauar. *cap.* 22. *num* 12. Vict. *n.* 220. Sot. *d.* 23. *q.* 2. *art.* 1. Est igitur sacerdos necessarius necessitate sacramenti. De necessitate vero præcepti est sacerdos Parochus. Ita habetur *in Clement. de privileg. & Clement. Dudum de sepult.* Docent sanct. Thom. *in* 4. *d.* 23. *q.* 2. *art.* 1. *& in Add. q.* 33. *art.* 3. D. Bonau. Richard. Scot. & alij *in* 4. *d.* 23. Sot. *q.* 2. *art.* 1. Angel. *verb. vnct. q.* 3. Armil. *q.* 4. *&* 5. Syl. *q.* 5. Dico octauum. De sola licentia paro-

chi

potest quilibet simplex sacerdos administrare sacramentum extremæ vnctionis Ita Viuald. *de sacr. vnct. tit. de minist. n.* 3. Dico nonum. Qui sacerdos sine licentia Episcopi, vel parochi, administrat extra necessitatem sacramentum vnctionis manet excommunicatus. Ita colligunt Doctores ex *Clem. 1. de priu.* sacramentum tamen est validum, & vere collatum. Ita Viuald, *loco citato*, & Vict. *de Euch. n.* 200.

2 QVAEST. *De alijs sacramentis potestne esse aliqua dubitatio?* RESP. Minime quidem, quia sacramentorum confirmationis, & Ordinis minister, est solus Episcopus. Approbatio autem Episcopi ad sacramentum pœnitentiæ est post Concil. Trid. de essentia sacramenti. Quod vero sacerdos de licentia parochi possit adesse ad contractum matrimonialem tanquam conditio sine qua non, celebratur valide contractus coniugalis, ac proinde non tenet sacramentum matrimonij, decreuit idem Concilium, vt suis locis iam dixi, & ostendi. Et per hæc satisfactum est propositæ quæstioni secundum commune ius, Doctorumque sententiam. Si tamen in aliqua diœcesi alia vigeat consuetudo, nimirum, vt obtineatur facultas Ordinarij ad sacramenta ministranda, sicuti obtinetur ad primam post ordinem sacerdotij susceptum dicendam missam, seruanda est propter pœnam oppositam aliter facientibus. Nam sicuti iubetur, vt quisque sacerdos facultatem petat ad primam dicendam missam propter examen ceremoniarum, an forte eas recte teneat ac seruet. Ita optimum erit Consilium iubere, vt petatur facultas ad sacramenta ministranda propter ritum in ijs administrandis seruandum secundum Rom. S. Ecclesiæ morem, circa quem non leuiter sæpè sæpissimè cuique errare contingit, nisi diligentem adhibeat animaduersionem.

EXAMINIS THEOLOGIÆ MORALIS

PARS QVARTA.

In qua de peccato in communi, & singulari circa diuersarum personarum status alphabeti ordine multæ, ac variæ quæstiones mouentur, & soluuntur.

AD CALCEM DE OPERIBUS misericordiæ.

CAPVT I.

De peccato in communi. §. 1.

1 *Definitur peccatum mortale iuxta D. Augustinum.*
2 *Enucleatur definitio Augustini.*
3 *Traduntur peccati mortalis diuisiones.*
4 *Quot modis errarunt hæretici circa traditas diuisiones.*
5 *Discrimen inter peccatum mortale & veniale.*
6 *Quod est peccatum ex genere suo mortale, quod veniale.*
7 *An remittantur à Deo peccata mortalia omnibus.*
8 *An alicui peccatori denegetur in hac vita auxilium, siue gratia addiuuans ad conuersionem.*
9 *Per quod medium remittuntur à Deo peccata mortalia.*

10 Ad

10 *An peccata semel dimissa, iterum peccatori imputentur ad culpam.*
11 *An peccata semel dimissa iterum peccatori imputentur ad pœnam.*
12 *Vtrum de lege ordinaria remittatur vnum peccatum mortale sine alijs demissis mortalibus.*
13 *Per quid remittitur peccatum veniale intra viam.*
14 *Per quid remittitur peccatum veniale extra viam.*
15 *Quod est peccatum commissionis, & omissionis.*
16 *Vtrum contemptus sit peccatum mortale.*
17 *An ex multis peccatis venialibus fiat vnum peccatum mortale.*
18 *Vnde excusatur opus à peccato mortali.*

1 QVÆSTIO. *Antequam ad singula peccata veniamus, quæro ex te de peccato in communi. Quid sit peccatum?*

RESP. Suppono peccati nomen significare deuiationem à rectitudine debita operi faciendo. Ita D. Tho. 1. *p. quæst.* 63. *art.* 1. Hæc autem deuiatio contingit, vel in operibus naturæ, & tunc appellatur peccatum naturæ. Ideo Philosophus 2 *phys.* appellat monstra (in quibus deuiatum est à rectitudine animalis, vel alterius rei naturalis) peccata naturæ: vel contingit in operibus artificialibus, & tunc vocatur peccatum artis; vel contingit in operibus voluntarijs, & tunc vocatur peccatum mortale. Et ideo peccatum à D. August. *lib.* 2. *de consens. Euang.* appellatur trangressio legis, legis, inquam, vel naturæ, vel artis, vel rationis. Hoc igitur peccatum mortale definitur à D. Aug. *lib.* 2. *contra Faust. cap.* 27. Dictum, aut factum, aut concupitum contra legem Dei æternã, approbat D. Tho. 1 2. *q.* 71. & communiter Theologi & Nau. *prælud.* 7. *nu.* 4. & Gloss. *cap. ille rex. d epœn. dist.* 3. Lex autem æterna est diuina, & sũma ratio, cui debent dicta, facta, & concupita nostra aptari & conformari Ita D. Aug. *l.* 1. *de liber. arb. c.* 9 D. Tho. 2. 2. *quæst.* 91. *art.* 1. Adeo manifesta, & clara omnibus, vt naturæ dictatu, absque

alio magistro innotescat; mala prohibens, bona proponens. Et ideo cum Regium vatem quidam interrogaret: *Quis ostendet nobis bona?* respondit Deo gratulans, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine* Psalm. 4. Item quidquid est contra legem naturalem, est contra legem æternam, vt docet D. Tho. 2.2. *quæst.* 91. *art.* vlt. & Cajet. *ibid.*

2 QVAEST. *Obscura sane est descriptio proposita, enuclia verioribus verbis mentem Augu. nam neq; occiso verbi gra. neq; contumelia, neque cogitatio materialiter sumpta, pe. sunt, quid igitur vult Aug. cum dicit, peccatum est dictum aut factum, aut concupitum contra legem æternam?* RESP. Sensus est. Peccatum est voluntaria deuiatio à lege æterna, seu regula diuina in exequendo opere, vel dicto, vel in concupienda aliqua re. Ideo Tolet. *li.* 3. *c.* 1. definit peccatum, est recessus voluntarius à regula diuina. Quod voluntarium intellexit Aug. *in ver. contra,* vide Bellar. *tom.* 3. *contra* 2. *lib.* 1. *de peccatis c.* 1.

3 QVAEST. *Quot nominibus appellatur peccatum?* RESP. Pluribus. Aliud enim appellatur mortale; aliud veniale. Aliud appellatur mortale ex genere suo; aliud veniale ex genere suo. Aliud appellatur commissionis; aliud omissionis.

4 QVAEST. *Dic in primis, quod modis errarunt hæretici? Circa primam diuisionem, qua diuisisti peccatum in mortale & veniale?* RESP. Pluribus. Witcleff asseruit omnia peccata reproborum esse mortalia: omnia vero peccata prædestinatorum esse venialia, ac proinde prædestinatum semper esse in gratia: reprobum semper esse in odio Dei. Hunc errorem confutat Waldensis de *sacr. c.* 158. Castr. *ver. peccatum hæres. vlt.* oppositum definit Conc. Trid. *sess.* 6. *can.* 17. Luther. dixit solum peccatum infidelitatis esse mortale reliqua vero omnia venialia. Confutat hic errorem Castr. *loco citato,* & Vega *lib.* 4. *supra Conc. Trid.* 1. Veritas vero nostra est de fide definita in Conc. Trid. *sess.* 6. *can.* 17.

5 QVAEST. *Quod est discrimen inter peccatum mortale & veniale?* RESP. Torsit Doctorum omnium ingenia proposita quæstio: atque nullus hactenus à priori, vt Logici loquuntur, discrimen assignauit omnino certum. Opi-

pro-

niones nō affero, ne sim tędio lectori. Duę sūt potissimę. Prima Scot. *in* 2. *d.* 21. *q.* 1. Gab. *in* 4. *d.* 16. *q.* 1. *a.* 1. *not.* 1. asserentium in hoc esse discrimen, quia peccatum mortale it contra præceptum: veniale contra consilium. Damnat hanc opinionem Veg. *lib.* 14. *sup. Concil. Trid. cap.* 12. & merito iure. Enim vero nubere opus est bonum, & tamen it contra consilium Pauli de non nubendo, 1. *Cor.* 7. *Qui non nubit melius facit.* Clarius discrimen est, quod apponunt Alens. 2. *p. q.* 106. *memb.* 1. Bonauent. *in* 2. *d.* 42. *qu.* 1. *art.* 1. Nimirum in eo consistere, quia mortale it contra præceptum: veniale vero præter præceptum, seu non secundum præceptum. A recta enim via possumus deuiari dupliciter, vel eundo contra, vt si eundum sit sursum, tendamus deorsum, vel eundo præter, seu non secundum viam, vt si eundum sit recta, tendamus oblique, vel distorte, circulariter. Ita sequitur Tolet. *lib.* 3. *cap.* 1. A posteriori vero multæ assignantur rationes, hoc est ab effectu orto ex mala causa. Nam appellatur mortale, quia priuat vita spirituali, hoc est, diuina gratia. Qua de morte dixit Sapiens *cap.* 6. *homo per malitiam occidit animam suam.* Appellatur autem veniale, quia facile inuenit veniam à Deo concessam.

6 Qvæst. *Quod est peccatum ex genere suo mortale? quod veniale?* Resp. Peccatum ex genere suo mortale est, quod intra eandem malitiæ speciem accrescit ad mortale absque alia extrinseca circumstantia, seu malitia aduenięte. *verbi gratia*, furtum intra eandem furti speciem, crescit ad mortalem quanticatē. Veniale ex genere suo est, quod intra eandem speciem accrescens, quantumcunq; accrescit, non peruenit ad mortale, sed indiget externa malitia aduenięnte. Tale est mendacium iocosum: verbum otiosum, & similia.

7 Qvaest. *Remittunturne in hac vita peccata mortalia?* Resp. Multipliciter errarūt hęretici in hoc puncto. Nam Catari, & Cataphrigi dixerunt peccata Christianorum esse irremissibilia. Huius erroris meminerunt Epiphan. *hæres.* 59. D. Hieronym. *libro* 2. *cont. Iouin. & epist.* 50, 54. 61. August. *de ver. & fals. pœn. cap.* 3. *& de agon. christ. cap.* 3. Cyprian. *cap.* 52. Athanas. *orat. de pec. in Spiritum Sanctum*, qui illum tribuit Origeni. Fundamentum huius erroris sum-

ptum est ex Paulo 6. *ad Hebr. Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt,* & *cap.* 10. *Non relinquitur hostia pro peccato.* Tertullianus dixit peccata semel commissa post lapsum dimitti, non tamen si iterum committantur. Ita de eo affirmant D. Hieronym. *libr. de script. Eccles.* Vincent. Lyrensis. *lib. contra nouitates.* Nicephor. *libro* 4. *capite* 12. *&* 34. Nouatus dixit aliqua grauissima peccata non remitti, quale est apostasia a fide. Negare CHRISTVM in tormentis. Ita Euseb. *lib.* 6 *hist. capit.* 35. Ruffin. *capite* Nicephor. *libr.* 6. *capit.* 3 testantur. Dico tamen primum. Tam in statu naturæ, quam in statu legis scriptæ peccata mortalia à Deo dimittebantur. Est de fide. In decimo *Sap.* 10. reprehenditur Cain, quod veniam desperarit. *Genes.* 4. De statu legis scriptæ. *Isai.* 55. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & conuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Dico secundum. In lege gratiæ dimittuntur à Deo peccata Christianorum. Est veritas definita in Concil. Milevitano & Arausicano. in Nicen. *can.* 8. in Trident. *sess.* 6. *capite* 14. *& can.* 19. *& tota sess.* 14. Dico tertium. Verbum D. Pauli *Hebr.* 6. *&* 10. *Impossibile est eos, qui semel. Non relinquitur hostia pro peccato,* &c. Idem est atque difficillimum. Ita Hierony. *cont. Iouinian. lib.* 2. De Anselm. *capit.* 6. *ad Rom.* Conc. Colon. *tit. de pœn.* Hanc autem difficultatem intelligunt dicti Patres circa atrociora peccata. Dico quartum. Verus sensus Pauli est, de secundo baptismate, quod quidem semel susceptum impossibile est iterum susci pi ad delendum peccata. Ita D. Chrysost. D. Basil. & alij *ibid.* D. Aug. & Athan. *cit.* D. Ambros. *lib.* 2. *de pœn. cap.* 2. Iust. Mar. *ad gentes quæst.* 97. Dico quintum. Non semel tantum, sed quoties homo peccat, & ad Deum conuertitur, toties ab eo consequitur veniam peccatorum mortalium. Est de fide, Matth. 18. *Non dico tibi septies, sed septuagies septies.* Ita D. Hieron. *ibid.* Hilar. *can.* 1. Chrys. *hom.* 62. *in Matth. &* 2. *in Psal.* 50. *& hom.* 24. *& 25. ad pop.* Damasc. *lib.* 2. *parares. capit.* 86. Nicephor. *lib.* 4. *capit.* 23. Optima sunt verba Tertull. *c.* 8. *de pœn.* Nemo deterior fiat, eo quod Deus bonus sit, toties remittens, quoties delinquimus. Dico sextum. Nullum est tam

peccatum, cuius à Deo venia obtineri non possit. Constat fuisse peccata hæresis remis. *Apoc.* 3. *&* 2. *ad Tim.* 2. & ideo quiuis peccator est ad pœnitentiam recipiendus ex Conc. Nissen *can.* 8. & alijs quæ refert Euseb. *lib.* 5. *hist. cap.* 3. *& lib.* 6. *capit* 32. Hinc fit, vt loca *Matth.* 12. *& Marc.* 3 vbi blasphemia in spiritum Sanctum dicitur non remitti, neque in hoc seculo, neque in futuro. Similiter. 1. *Ioann.* 5. vbi appellatur certum peccatum ad mortem, intelligenda sint de difficultate consequendæ veniæ. Ita Vega *lib.* 13. *in Trid.* Chrysost. *hom.* 42. *in Matth.* D. Tho. 3. *q* 68. *art.* 1 D. Ambros *lib.* 1. *de pœn. cap.* 3. *&* 9. Nisi velimus interpretari locum D. Ioan. de impœnitentia finali, in qua quis moritur, vt significauit D. Aug. *lib. de cor. & gratia. cap.* 12. & Beda ad eum locum. Cassianus *epist.* 3. Gregor. 16. *moral. cap.* 28. insinuat D. Hieron. *cap.* 14. *Ierem.* in illa verb. *Noli orare pro populo isto.*

8 Qvæst. *Suntne aliqui, vel fuere peccatoros, qui in hac vita non possint ad Deum verè conuerti, vt ab eo obtineant veniam?* Resp. Senserunt de insignibus peccatoribus Henriq. *quodl.* 8. *qu.* 1. Abulen. *c.* 4. *Exod. qu.* 12. & Deut. 2. *qu.* 10. Medin. *lib.* 3. *de fide cap.* 1. Cathar. *de prad. & repr.* Rosens. *ar* 36. *contra Lutherum.* Ruard. *art.* 7. Sensus vero eorum est Deum in pœnam talium peccatorum illis denegare gratiam sufficientem ad se conuertendum vere, vt possint veniam consequi. Probari videtur hæc opinio *Eccles.* 7. vbi Deus dicitur peccatores certos despicere. *Psalm.* 8. dimittere. *Hierem.* 51. derelinquere, similiter loquuntur Isidor. *lib.* 2. *de sum. bon. ca.* 15. Euseb. *lib.* 8. *demonst. cap.* 2. Greg. 11. *moral cap.* 5. *&* 31. *capit.* 11. Bern. *de fallacia sac.* D. August. *c.* 14. *de gratia.* Oppositum tamen asseruerunt D. Thom. 1. 2 *quæst.* 85. Alens. 4 *p. quæst* 13. *mem.* 4. *art.* 2. *& q.* 14. *mem.* 5. *art.* 2 Altisiod. *lib.* 3. *tract.* 2. *c.* 1. *qu.* 1. & *lib.* 4. *tract.* 6. *capit.* 1. *quæst. vlt.* Medin. *tract.* 1. *quæst.* 11. *de pæn.* Sot. *in* 4. *d.* 15. 1. *quæst.* 1 *artic* 1. Perr. Sot. *lect.* 5. *de pœn.* Veg. *lib.* 13. *in Trid. cap.* 12. *&* 13. Dried. de *captiuit. tract* 5. *cap.* 3. Ruard. *loc cit* Probatur ex vocatione generali Matth. 11. *venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* De durioribus peccatoribus dicit scriptura. *Sapien.* 11 & 12. *Dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam* hoc est, expectat patienter, suppeditando gratiam

sufficientem ad conuersionem, pro hoc solo fine, vt libere conuertantur. Ita exposuit D. Petr. 2. *can.* 3. vt homines quantumuis prauos ad pœnitendum prouocet. Ideo D. Paul. totam impœnitentiam, & duritiam ejus in nos ad *Roman.* 2. *Tu autem secundum duritiam tuam & impœnitens cor.* vt declaret duritiam, & impœnitentiam quamcumque non defectui diuini sufficientis auxilij, sed prauo libertatis vsui esse tribuendam. Quod quam satis clare videtur Deus ipse testari. Oseæ 13. *perditio tua ex te Israel, tantummodo ex me auxilium tuum.* Et haec communis Theologorum sententia, & locutio, cum ea dicendum nemini a Deo denegari sufficientem gratiam quantumcunq; peccatori non ponenti eidem gratiæ obicem, qua possit ad Deum conuerti. Loca vero scripturæ adducta pro contraria opinione intelliguntur de actibus particularibus, quæ Deus in criminum pœnam infligit peccatori, denegat, præuidet. n. talem peccatorem, ad clementia abusurũ non cooperando, & ideo eã denegare ne maiori i dignus fiat animaduersione, vt recte docent Suar. *d. de. effectu pœn. circa remiss. mortal. peccat. Sect.* 2. n. 9

9 QVAEST. *Per quod medium remittuntur a Deo peccata mortalia?* RESP. Dico *primum.* Remittuntur per actum dilectionis Dei super omnia, Ita Pet. Sot. *lect.* 5. *de just. Caiet.* 1. 2. *qu.* 87. *art.* 3. Gregor. *in* 1. *d.* 17. Adrian. *quodl.* 3. D. Bern. *epist.* 170. D. Greg. *hom.* 33. *in Euang.* D. Aug. *de uitat. c. vlt.* Nau. *c.* 1. *nu.* 1. Probatur ex 1. Ioann. 4. *Qui diligit, ex Deo est.* Nam talis actus dilectionis Dei per omnia, est perfecta conuersio peccatoris ad Deum ergo conuertet Deum etiam ad peccatorem, iuxta illi promissionem Zac. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Dico *secundum.* Remittuntur per actum doloris detestantis peccatum super omne detestabile, eo quod sit offensa Dei, quem summe diligere debemus. Ita omnes Theologi, & adeo hoc medium efficax ad veniam consequendam, putarunt aliqui, vt crederent necessariũ, ita vt possit homo habere actum dilectionis Dei super omnia, & manere in peccato mortali, nisi doleat de eo presenti, & actuali dolore. Ita Cano *relect. de pœn. p.* 3. Quod quidem verum est, cum ita diligens recordatur peccati commissi (si cum tali recordatione eorum in pecca-

ri possit actus talis dilectionis, quod negat Pet. Sot. *lect. 4. & 5. de pœn.*) Cum vero ex obliuione totali, vel ex naturali incogitantia, peccati non meminit, certum est, quod primo loco dixi, nimirum iustificari peccatorem per talem actum amoris. Ita D. Thom. 3. *p. quæst.* 87. *art.* 1. & Sot. *in* 4. *d.* 14. *quæst.* 1. *art.* 2. Cui etiam non assentior, cum dicit per actum martyrij pro Christo passi absque alia detestatione, & dolore peccati, licet martyr recordatur peccatorum, talia peccata dimitti. Ita Suarius illū impugnat *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 29. *Sect.* 2. *&* 3. Dico *tertium.* Remittuntur peccata mortalia in sacramento pœnitentiæ per attritionem cognitam talem: in reliquis per contritionem veram, vel attritionem existimatam à suscipiente contritionem. Hæc est manifesta ex generali doctrina in materia de sacramentis, tum in communi, tum in singulari, vt iam respondi suo loco.

10 QVAEST. *Remittunturne peccata à Deo, ita vt nunquam deinceps peccatori deputentur ad culpam?* RESP. Fuere hæretici, qui dixerunt, peccata cum dimittuntur, non omnino auelli, sed tegi, aut radi, & per commissum subsequens peccatum iterum repullulare, ac renasci, imputarique ad culpam, quemadmodum de operibus meritorijs asserunt Theologi, cum per peccatum mortificantur. Oppositum tamen definit Conc. Trident. *sessi.* 5. 6. & 14. Fuerunt Catholici, qui dixerunt post dimissa peccata, subsequens commissum, ita pro ingratitudine esse graue culpam, vt æquipolleat culpæ simul sumptæ omnium dimissorum: & in hoc sensu peccata dimissa, per subsequens peccatum iterum imputari, & puniri. Ita Hugo, Vict. *de sacr. d.* 14. *cap.* 9. Magist. *in* 4. *d.* 22. *num.* 6. Medin. *de pœn tom.* 1. *quæst.* 8. Colligitur hæc opinio ex D. August. *libro de baptism. par. cap.* 12. *&* 13. & *serm.* 51. *de verb. Domin.* fundamentum est parabola à Christo Domino proposita de debito dimisso seruo. Matth. 18. *serue nequam omne debitum dimisi tibi*, & postea iubetur detrudi in carcerē, donec reddat vsque ad nouissimum quadrantem. Veruntamen facilis est expositio parabolæ, quasi diceret, reliqua debita dimisi, & sunt dimissa. Veruntamen debitum denuo contractum nolo dimittere, sed exacte totum reddes. Ideo opposita sententia est certa apud omnes

alios cum D.Tho. *in* 4. *d.* 22. Gratian. *ca. vlt. de pœn. dist.* vbi multa congerit Patrum testimonia, sumiturq; ex Paulo *ad Rom.* 11. *Dona Dei sunt sine pœnitentia.* Circumstantia vero ingratitudinis, licet aliquantulum aggrauet, vt notat D.Thom. non tamen adeo aggrauat, vt toti præsidenti malitiæ æquipolleat, vt docet Suar. *de pœn. disp. 4. de reditu pecca. Sect.* 3. & ideo, per se loquendo, nequit sine necessitate confessionis.

11 QVÆST. *Siquidem non deputantur ad culpam, quia per subsequens peccatum deputentur ad pœnam?* Respondeo nimè quidem, claret ex *Nau.* 3. quia Deus non iterat bis in idipsum. Probatur ratione, quia pœnæ malum, vt pœna, non potest infligi à iudice, nisi pro culpa: sed culpa ablata est, & pro illa data iam pœna non redeunte culpa, nequit iterum redire pœna. Et hæc est communis opinio.

12 QVÆST. *Quæro vlterius, vtrum remittatur vnum peccatum mortale non remissis alijs de lege ordinaria?* Resp. Minime. Imo est de fide, quod non possit de lege ordinaria remitti vnum mortale, quin remittantur omnia. Ita Theologi cum Diu. Thom. 3. *p. quæstion* 86. *articul.* 2. Ratio est, quia non potest remitti peccatum mortale, quin peccator recipiatur in amicitiam Dei: non potest vero recipi in amicitiam Dei, qui habet peccatum mortale: ergo cum vnum remittitur, necesse est, vt omnia remittantur. Deinde ille, cui remittitur peccatum mortale, admittitur ad regnum cœlorum: non potest vero admitti, qui habet peccatum mortale: ergo cum vnum tollitur, alterum tolli necesse est. Ita argumentatur Innocen. III. *in capit. Minores de baptism.* vt concluderet non posse remitti, & tolli peccatum originale, non sublato, & remisso actuali. Multa adducit Medin. *de pœn. qu.* 11. Dist. de potentia ordinaria, quia de potentia absoluta, hanc neget Sot. *in* 4. *d.* 14. *quæst.* 1. *artic.* 3. Affirmat tamen Sot. *in* 4. *d.* 14. *quæst.* 1. Gabr. *quæst.* 1. *articul.* 2. Medin. *de pœn. tract.* 1. *quæst.* 7. Adrian. *quæst.* 4. *de pœnit.* quos refert, & sequitur Suar. *disp. de remiss. pec. Sect.* 6. Illius fundamentum est, quia de potentia absoluta potest Deus dimittere peccatum, quin donet gratiam, & recipiat peccatorem in suam amicitiam. Tunc vero fieret remissio per actus imperatos

imputationem, sed hoc longius persequi, alterius est considerationis.

13 QVAEST. *Per quid remittitur peccatum veniale?* RESP. Multipliciter hac de re opinati sunt Theologi. Durand. *in* 4. *d.*16. *qu.*2. *&* *d.*21. *qua* 1. dixi veniale expelli per quemlibet actum contrarium, etiam naturalem, *Verbi gratia*, mendacium per actum naturalem voluntatis nolentis deinceps mentiri. At vero Gabr. Maior. & reliqui Nominales, insuper Scot. *in* 4. *distin* 16. dixerunt veniale tolli per pœnam assumptã: qui arbitrabantur per veniale peccatum non remanere in anima maculam culpæ, sed reatum tantum ad pœnam, & ideo pœna satisfacta tolli tale peccatum, etiam in inferno. Dico *primum*. Ex peccato veniali remanet in anima non solum reatus ad pœnam, sed maculam culpæ. Ita Diu. Thom. 12. *quæst.* 88. *artic.* 1. *& quæst.* 7. *de malo. articu.* 11. Dico *secundum*. Tolli peccatum veniale, non est satisfieri pro pœna debita; sed est tolli maculam culpæ. Ita D. Thom. *loc. citat.* Sot. *in* 4. *d.*15. *qua.*2. *ar.*2. Ledes. 1. 4. *qua.*28. *ar.*1. Cordub. *lib.*5. *quæst.* 8. *&* 11. Dico *tertium*. Peccatum veniale non tollitur per actum mere naturalem. Ita D. Thom. 3. *p. qu.*87. *artic.*4. *&* 1.2. *quæst.*87. *art.*5. *ad* 3. *quæst.*7. *de malo. artic.*10. & *in* 4. *dist.* 16. *qua, ar* 1. *quæstiun* 2. *ad* 3. *& ibi.* Palud. *quæst.*1. *articu.*1. Richard. *artic.*5 *qua* 2. *&* *dist.*21. *quæst.*3. *artic.*2. D. Bonau. *artic.*1. *quæst.*1. Alens. 4. *p. qua.*65. *alias* 15. *memb.*3. §. 4. Sot. *distinct.*15. *quæst.*2. *articul.*4. Abulens. *quæst.*71. *in capit.*25. Mart. Richard. Vict. *opusc. de diff. peccat.* Pet. Sot. *lect.*18. *de pœnit.* Ratio sumitur ex scriptura, remissionem peccati venialis Deo tribuente. Ita Psal. 31. *Beatus vir, cui nõ imputauit Dominus peccatum*, id est, dimisit ex gratia. Ita exposuit Paul. *Rom.*4. peccatũ vero etiam veniale. Ita Gloss. ordin. Similiter 1. Ioann. 1. *Fidelis est, vt remittat nobis peccata nostra*, id est, peccata, quę nos iusti committimus. Ita explicuit Conc. Mileuita. *cap* 6. 7. 8. Iusti autem non cõmittunt peccata mortalia. Præterea quotidie petimus, *Dimitte nobis debita nostra*, debita, inquam venialia. Ita exposuit Con. Trid. *sess.*6. *ca.*11. Deniq; *can. cap.*2. dixit Ioan. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus ad Patrem*, id est, intercessorem, qui oret. Peccauerit vero etiam venialiter. Ita Diuus Augustin. ibidem. *tractatu primo*. Dico *quartũ*.

Ad

Ad consequendam remissionem peccati venialis requiritur, vt cui fit remissio, sit in gratia sanctificante. Ita omnes supra citati Auctores. Ratio est, quia vt tollatur peccatum veniale, requiritur proprius actus peccatoris, & hic non purè naturalis, vt iam dixi, sed acceptabilis Deo in ordinem ad supernaturalem finem. At vero actus peccatoris, nihil habent valoris apud Deum pro dimissione culpæ: & ideo nunquam remittitur veniale peccatum, quin prius remittatur mortale. Dico *quintum*. Peccata venialia remittuntur per quemlibet actum boni hominis iusti. Ita asserunt Scot. *in* 4. *d.* 21. *quæst.* 1. Major *quæst.* 1. Gab. *ibidem d.* 16. *qu.* 1. Medin. *de pœn. tract.* 1. *qu.* 3. Atque habetur in Decret. *de pœn. d.* 3. *capit. de quotidiana*, vbi dicitur huiusmodi peccata tolli per orationem dominicam. Marianus Vict. *de confessi. capit.* 10. ait tolli per actum, quo iustus vult placere Deo. Suarius *disput. de remissi. venial. Sect.* 2. tolli per propositum non amplius committendi tale peccatum, excludendo complacentiam in eo. Vnde apparet falsam esse opinionem Alens. 4. p. *qu.* 15. *alias* 65. *in* 4. *artic.* 4. *quæst.* 27. *alias* 69. *m.* 3. *artic.* 3. & Palud. *in* 4. *distinct.* 16. *qu.* 2. *ar.* 2. affirmans esse necessariam contritionem ad remissionem in venialium. Ratio est, quia quicunq; actus bonus hominis grati, est digni maiori Dei amicitia: ad amicitiam vero maiorem pertinet remissio leuium offensarum. Dico *sextum*. Per quodlibet sacramentum remittuntur omnia peccata venialia ex opere operato, nisi suscipiens sacramenta actualem repugnet per actualem complacentiam eorum, vel eorum alicuius. Si enim accedat sine actuali complacentia & cum voluntate recipiendi sacramentum, & illius effectum, venialium omnium recipit veniam ex opere operato sacramenti. Hanc latè probat Suar. 4. *tom. de remiss. venial. Sect.* 3. ideo probatione supersedeo. Probabilius est non remitti peccata venialia per aquam benedictam ex opere operato. Ita Suar. *loco citato*. Cum igitur aqua benedicta perfundimur, excitatur in nobis deuotionis actus, & per hunc ex opere operantis veniale tollitur. Neque ad tollenda peccata instituta fuit hæc benedictio ab Alexand. I. vt habetur *capitul. Aquam. de pœnit. dist.* 5. sed ad coercendos dæmones, vt notat Diu. Thom. *in* 4. *dist.* 6. *quæst.*

6. quæst. 2. articul. 3. quæst. 2. ad 4. & dist. 16. quæst. articul. 2. quæst.

11 QVÆST. *Suppono vt certum, posse animam iustam decedere ab hac vita in peccato veniali, vt ait* D. Thom. *in 4. dist. 2. quæst. 1. artic. 3. quæro per quid tollitur illa culpa, & macula, vt anima aduolet ad aulam cœlestem: nil enim coinquinatum intrabit in eum?* RESP. Sot. *in 4. d. 16. q. 2. artic. 2.* quem sequitur Vasques 1. 2. *d. 41. num. 3.* ait tolli per actus bonos animæ in purgatorio existentis, colligitur ex Di. Gregor. *libr. 4. Dialog. capitul. 39.* & refertur *capit. Qualis.* in Decreto. *d. 25.* D. Isidor. *lib. 1. de diu. offic. ca. de sacrificijs.* Rich. *opusc. de diff. mort. & venial.* Dicendum nihilominus est, talia peccata tolli per actum dilectionis Dei super omnia, & contritionem veram, quam anima elicit in primo instanti separationis à corpore: Ita Doctores alij. Caiet. *1. p. quæst. 63. art. 5.* Molin. *ibid. art. 6. concl. 1.* D. Tho. *in 4. d. 21. & qu. 7. de malo. art. 11.* Bonau. & Richard. *in 4. d. 21.* Adrian. *quæ. 4. de confessi,* atque quo ad hanc remissionem culpæ adhuc anima dici potest esse in via. Quoniã vero iam separata est à corpore, dicitur ab alijs Doctoribus obtinere veniam in purgatorio, latè sumpto vocabulo purgatorij.

15 QVÆST. *Quod est peccatum commissionis, quod peccatum omissionis?* RESP. Peccatum commissionis est culpa, quæ committitur transgrediendo præceptum negatiuũ: peccatum vero omissionis est culpa, quæ committitur transgrediendo præceptum affirmatiuum. Ita cum communi Vasques 1. 2. *disp. 92. num. 1. disp. 93 nu. 13.*

16 QVÆST. *Estne contemptus præcepti, siue diuini, siue humani, siue præcepti grauis, siue leuis semper peccatum mortale?* RESP. Maxime. Ita cum communi Caietan. *2. 2. quæst. 104. 105. & 106. & opus. 24. qu. 21.* Nauar. *cap. 23. numer. 25.* committitur autem contemptus, cum aliquis non vult obedire, & subijci, vt ipsi præcepto, vel præcipienti non obediat. Ita D. Thom. *2. 2. quæst. 186. art. 4. ad 3.* Caiet. *2. 2. quæst. 104. ar. 2.* Nau *ca. 23. nu. 46.*

17 QVÆST. *Ex multis peccatis venialibus fit vnum mortale?* RESP. Ita vulgo iactatur: ait enim rudis multitudo ex solo præciso numero septenario peccatorum venialium fieri peccatum mortale: & sic de septem in

septem

septem peccatis venialibus memorant mortalia, atque ita videtur loqui Glossa *cap. Tres sunt autem de pœnit. dist.* 1. Oppositum tamen est dicendum cum communi, quam tenet Caietan. 2. 2. *qu.* 10 . *ar.* 2. & Vega. *li.* 14. *in Trid. ca.* 11. Viuald. *de Euchar. tit. de præpar. nu.* 5.

18 QVÆST. *Vnde excusatur opus à peccato mortali?* In primis ex defectu deliberationis pleni iudicij. Ita D. Thom. 2. 2. *quæstion.* 154. *art.* 5. Nauar. *capit.* 16. *num.* 11. Deinde ex inaduertentia naturali ad effectionem operis: accidit enim, vt quis cogitet rem turpem, & delectetur in tali cogitatione, & non aduertat se talia cogitare. Ita D. Thom. 1. 2. *quæst.* 74. *art.* 6. *ad* 3. & communis. Secundo ex leuitate rei præceptæ. Tertio ex paruitate materiæ iuxta omnes.

CAPVT II.

De septem peccatis capitalibus. §. 1.

1 *Quot sunt peccata mortalia capitalia.*

2 *Cur sola septem appellantur peccata mortalia capitalia.*

3 *An omnia sint peccata mortalia.*

1 QVÆSTIO. *Quot vulgo numerantur peccata mortalia?* RESP. Septem. Sunt autem illa: Superbia, Auaritia, Luxuria, Ira, Gula, Inuidia, Acedia.

2 QVÆST. *Cur hæc sola appellantur mortalia capitalia?* RESP. Quoniam ab his, omnia mortalia oriuntur. Ita D. Thom. 2. 2. *qu.* 16. *ar.* 8.

3 QVÆST. *Suntne hæc septem omnia peccata mortalia?* Minime, sed appellantur mortalia capitalia, quia natura sua sunt multorum mortalium, Ita D. Thom, loco proximo. D. Greg. 31. *moral.* quos refert, & sequitur Tolet. *lib. de peccat. mort. ca.* 2. *nu.* 4. Nau. *ca.* 23. *nu.* 3.

De superbia primo capitali peccato mortali. §. 2.

1 *Quid est superbia.*

2 Qui

2 *Quis est proprius actus superbiæ.*
3 *Quando est superbia peccatum mortale.*
4 *Circa quæ versatur superbia.*
5 *Quid est vana gloria.*
6 *Quod peccatum est vana gloria.*
7 *Quot sunt species vanæ gloriæ.*
8 *Quando peccat quis vanè gloriando.*
9 *De vana iactantia verborum.*
10 *Quod peccatum est facere opera sancta ob vanam gloriam.*
11 *Quid est inuentio nouitatum.*
12 *De hypocrisi.*
13 *De pertinacia.*
14 *De discordia.*
15 *De Contentione.*
16 *De inobedientia.*
17 *De curiositate.*
18 *De ambitione.*
19 *De præsumptione.*

1 QVÆSTIO. *Quid est superbia?* RESP. Est inordinatus amor propriæ excellentiæ, seu, vt ait Tol. *li. de sep. pec.* est appetitus celsitudinis peruerse volũtarius. Addiderim verbo celsitudinis, propriæ. Ita D. Augu. 14. *ciu. ca.* 13. Dixi, inordinatus, quia amor ordinatus, proprię excellentiæ seu appetitus propriæ celsitudinis ordinate volũtarius, est actus bonus secundũ se. Et ideo Nau. *c.* 23. *n.* 5, cum D. Tho. 2. 2. *q.* 162. *ar.* 2. diuidit superbiam in bonam, & in malam: nam appetere propriam excellentiam de re bona ob finem bonum iuxta propria merita, nõ est actus superbiæ, sed modestiæ, veluti excellentiam in scientia, in virtutibus, in viribus, in arte, supra alios. Ita Nau *ca.* 23. *nu.* 5. cum D. Thom. 2. 2. *qu.* 162. *art.* 6.

2 QVÆST. *Quis est proprius actus huius amoris, seu appetitus inordinati propriæ excellentiæ?* RESP. Est sua minora bona naturalia, vel supernaturalia prępponere bonis naturalibus, vel supernaturalib. sui proximi. Ita Nau. *cap.* 23. *nu.* 6.

3 QVÆST.

Q3VÆST. *Quando est hic appetitus inordinatus propriæ excellentiæ peccatum mortale?* RESP. Dico *primum*. Quando habetur cum contemptu Dei, & tunc est maximum omnium peccatorum, vt ait Gloss. *Psalm.* 18. & S. Thom. *loco proximo*. Cum autem non habetur cum Dei, sed legis contemptu, superbia quidem est, vt ait Nauar. loco proximo, sed aliquando venialis. Nam sicut rentur propriam excellentiam ex recta intentione, absque Dei memoria, est actus humilitatis, ita appetere excellentiam immeritam sine vlla actuali memoria Dei, est actus superbiæ. Excellit autem tunc quis cum contemptu Dei, quãdo, quod à Deo habet, existimat à se ipso habere aut vult ab alijs, tanquã à se ipso bona habens existimari, aut vellet à se ipso bona sua habere, & non à Deo, aut dolet, quod talia bona à Deo; & non à se habeat. Ita Tolet. *lib. de pec. cap.* 4. *num.* 2. Addit autem Nau. *cap.* 3. *num.* 7. cum quis existimat se bona habere à Deo quidem, sed non gratis, at ex iustitia sibi debita, veluti propter ieiunia, preces, eleemosynas, &c. Dico *secundum*. Quando habetur cum notabili contemptu proximi. Ita communiter Doctores cum D. Thom. 2. 2. *quæst.* 162. Ille autem notabiliter proximum contemnit, cum superbiendo contemnit sordidum proximi statum cogitatione, vel ore, vel opere, per contumeliam cum intentione vilipendi, complacendo sibi de misera proximi fortuna, & abiectione.

4 QVÆST. *Circa quæ versatur appetitus propriæ excellentiæ?* RESP. Versatur circa famam, & humanas laudes, & tunc dicitur inanis, seu vana gloria: agit vero de ea Diu. Thom. 2. 2. *quæst.* 132. Versatur circa honores, dignitates, munia honorifica Reipublicæ, & tunc dicitur ambitio: agit vero de ea D. Thom. 2. 2. *qu.* 131. versatur circa aggressionem rerum, quæ proprias vires excedunt, & ostendendam animi, seu virium magnitudinem, & tunc vocatur præsumptio: agit vero de ea Diu. Thom. 2. 2. *quæst.* 130.

5 QVÆST. *Quid est vana gloria?* RESP. Est appetitus gloriæ inordinatus. Gloria vero, est clara cum laude notitia. vane igitur gloriari, est inordinate appetere manifestationem propriæ excellentiæ cum laude immeritæ

& in-

& indebita. Nem appetere hanc gloriam, non est ex se malum, sed indifferens: est autem malum, cum appetitur inordinate, sic Tolet. *libr. de pecc. capit. 6. in* 4. Nau. *ca.* 23. *nu.* 10.

6 QVÆST. *Quod peccatum est vana gloria ex genere suo?* RESP. Veniale tantum. Ita D. Tho. 2. 2. *qua.* 132. *art.* 3. Ratio est, quia per hoc vitium intra suos terminos contentum, non grauis Deo, aut proximo irrogatur offensa.

7 QVÆST. *Quot sunt species vanæ gloriæ, quas appellant Doctores filias vanæ gloriæ?* RESP. Septem. Scilicet, Iactantia, Inuentio nouitatum, Hypocrisis, Pertinacia, Discordia, Contentio, Inobedientia. Iactantia est declaratio inordinata propriæ excellentiæ per verba. Inuentio nouitatũ, est manifestatio propriæ excellẽtię per facta vera. Hypocrisis, est manifestatio propriæ excellẽtię per facta ficta, & falsa. Pertinacia, est ostentatio inordinata proprij iudicij Discordia, est ostentatio inordinata propriæ voluntatis, contra voluntatem proximi. Contentio, est inordinata circa res dubias, vel certas altercatio. Inobedientia, est inordinata renuentia mandati superioris. Ita Nau. *ca.* 21. *nu.* 11.

8 QVAEST. *Dic quando peccat quis vanè gloriando?* RESP. Quando gloriam, laudem, aut famam appetit de re aliqua, quæ est peccatum, proponitque se illam adepturum ex illo peccato. Deinde cum pro non amittenda fama, vel laude, proponit potius eligendum à se peccatum, vel de facto eligitur, tunc autem offensa erit grauis, aut leuis iuxta grauitatem, aut leuitatem dicti peccati ex quo fama eruitur, vel quod eligitur pro fama conseruanda.

9 QVAEST. *De vana iactantia verborum quid sentis?* Dico primum. Inanis iactantia de opere nunquam à iactante se facto, quod fere sine graui damno proximi & sine graui Dei irreuerentia fit, est tatnum venialis culpa. Ita Nau. *ca. Inter verba nu.* 39 Colligitur ex D. Thom. 2. 2. *q.* 132. *ar.* 3. quamuis oppositũ velit Abulens. *ca.* 6. *Matt. quæst.* 3. fieret autem cum graui proximi damno, si quis iactaret peritissimum medicum, aut aduocatum, artis tamen medicæ, & iuris vtriusque inscius, si ob talem iactantiã decepti rudes ad illum irent, & detrimentũ paterentur

rentur salutis, & iustitiæ. Ita Nau. *ca. 23. nu. 13.* Tolet. *lib. 6. cap. 8. num. 4.* cum obligatione restituendi iuxta communiores Auctores, *& c. final. de iniur. & damn. dato*, L. Qui cum alio *ff. ad L. Aquil.* Facta item est iactantia cum graui Dei irreuerentia a Rege Tyri, de quo *Ezech. 28.* testatur. *Eleuatum est cor tuum, & dixisti, Ego sum Deus.* Et in his duobus casibus euentis iactantia est peccatum mortale. Addit vero Tol. *li. 7. c. 8. n. 4.* Est etiam culpa lethalis, quãdo quis se iactat cum notabili proximi iniuria. Talis, ait, fuit iactantia Pharisæi, cum dixit. Luc. 18. *Non sum sicut cæteri hominum raptores, adulteri, vel vt hic Publicanus.* Quod animaduersione dignissimum iudico, propter frequentiam huiusmodi comparationum, quæ communiter fiunt. Ratio est, quia in illa iactantia, est scandalum aliorum, graue quidem cum est de peccato graui, leue, cum est de peccato leui. Interdum est mendacium, cum res se ita non habuit. Hoc enim intelligo, cum in tali iactantia non interuenit consentia operis facti, vel voluntas tale opus faciendi. Si enim interuenit, est aliud peccatum præter scandalum & mendacium.

10 QVAEST. *Quoniam reducitur ad iactantiam suorum operum sancta ad honorem, & cultum Dei, solummodo ordinata, principalius ad laudem propriam, quæro quale sit hoc peccatum?* RES P. Veniale Ita Nau. *cap. 23. nu. 1.* cum plurimis quos refert contra Abulens. *cap. 3. Matth. qu. 3.* & *dicto verb. vana gloria.*

11 QVÆST. *Quid censes de inuentione nouitatum?* RESP. Peccatum nouitatis committitur, cum aliquis inuenit noua aliqua exhibere, vt laudem ab alijs comparet. Est autem hæc nouitas, non tantum in rebus, sed in verbis. Ex genere suo est tantum culpa venialis. Ita Tolet. *lib. 7. capit. 13.* Ideo nisi noua inuentio rerum nouarum aliunde vitietur, semper cum est culpa, est tantum venialis. Ita Nauar. *ca. 23. nu 17.*

12 QVÆST. *Quid dicis de hypocrisi?* RESP. Hypocrisis est simulatio virtutis, quam quis non habet. Duplex est hypocrisis: vna, qua quis intus vult esse malus, sed vult apparere alijs bonus: alia, qua quis vult externe apparere virtuosus, cum non sit, vt deditus orationi, misericors pauperibus procliuis. Dico *primum.* Hypocrisis semper est pec-

peccatum. Ita Caietan, 2.2. *quæst* 3. Toletan. *libr.* 7. *capit.* 9. Ratio est, quia semper est mendacium pernicioſum. Dico *secundum*. Hypocriſis, qua quis vult intus esse malus, foris tamen tantum apparere bonus, est peccatum mortale. Ita Toletan. *libr.* 7. *capitu.* 7. Hypocriſis, qua quis facit aliqua opera sancta, vt alij arbitrentur illum habere sanctitatem, quam non habet, est solum peccatū veniale. D. Tho. 2.2. *qu.* 110. *art.* 4. D. Bonauen. *in* 3. *d.* 38. Syl. *hypocriſis*. loco proximo.

13 QVÆST *Quid censes de pertinacia*? RESP. Pertinacia est firma animi adhæsio alicui opinioni contra sententiam aliorum, & ex eo quod quis velit se ostendere doctiorem, contra argumentorum probabilitatem. Est autem graue peccatū mortale, cum habetur contra Dei honorem notabilem, vel notabile proximi detrimentū: erit vero contra Dei honorem notabilem in rebus fidei: in rebus mortalib. Contra proximi notabile detrimentum, in rebus medicinæ, & in materia legum circa pœnas, vel restitutionem. In alijs est tantum veniale peccatum. Sic Tolet. *lib* 7. *ca*, 11.

14 QVÆST. *Quid censes de discordia*? RESP. Discordia est voluntatum contrarietas. Idemq; est discordia, atque diuersitas cordis. Est peccatum mortale cum habetur in graue proximi detrimentum, vel grauem Dei irreuerentiam. Aliter, aut est tantum peccatum veniale, aut nullū. Ita cum D. Tho. 2.2. *qu.* 37. Nau & Tol. *loco citato*.

15 QVÆST *Quid censes de contentione*? RESP. Contentio est pugna verbis, vel scriptis exercita contra veritatē perspicuam. Dico igitur primum. Cum veritas impugnatur animo disputandi solum, & vt veritas clarior illucescat, nullum est peccatum talis contentio. Et ita contenditur in scholis. Nisi lege aliqua prohibitum sit, ne talis veritas in disceptationem afferatur, vt à Pio V. interdictum est, ne de originali peccato B. Virginis pro, vel contra disputetur. Dico secundum. impugnare veritatem perspicuam animo impugnandi & contrahendi, est peccatum graue, aut leue, iuxta veritatis grauitatem, aut leuitatem in Dei, proximive dedecus, & detrimentum. Dico tertium. Idem dicendū est de oppugnatione veritatis ex errore habitæ pro falsitate, quā quis propter animi

prauam affectionem, non vult deponere. Sic peccant grauiter hæretici, Turcæ, Mauri, Iudæi, Gentiles, qui facili negotio veritatis lucem videre poterant: sed a veritate auditum auertunt, *ad fabulas autem conuertuntur*, loquitur D. Paulus cum Timoth.

16 QVÆST. *Quid censes de inobedientia?* RESP. Inobedientia est transgressio præcepti, quia præcipitur. Vtens obedientia est impletio præcepti, quia præcipitur: contra inobedientia est transgressio præcepti, quia præcipitur. Ita Nau. *ca.* 23. *nu.* 15. Tolet. *li.* 7. *ca.* 14. ex D. Thom. 2. *qu.* 104. *ar.* 2. Est autem hæc inobedientia semper peccatum mortale. Ita Nau. & Caiet. 2. 2. *qu.* 104. *ar.* 2.

17 QVÆST. *Quid censes de curiositate?* RESP. Est appetitus sciendi inordinatus, Ita D. Thom. 2. 2. *quæstione* Anton. 2. *p. titul.* 7. §. 2. scientia autem intelligitur eam per sensus externos. Ita Nauar. *capit.* 23, *numer.* 23. Tolet. *libro* 7. *capit.* 12. Ad minimum semper est peccatum veniale. *capit. Nonne.* 37. *distin.* Contingit autem esse mortale cum ex tali curiosa, & nimia scientia oritur damnum proximi graue, qualis esset curiositas sciendi clam, & de insidijs alterius secretum domesticum, scilicet, modum gubernandi domum, modum agendi in toto cum coniuge, vel quid simile, quod quisque soli Deo notum velit. Talis esset maiori cum ratione curiositas sciendi alienum peccata, vel applicando aures ad illius confessionem, vel ex occulto loco ingressum, egressumve vicini vadat venial, vel quo tendat, absque vlla alia causa cognoscendo. Contingit deinde ratione damni proprij, cum, scilicet, ratione talis curiositatis exponitur quis periculo peccandi. Talis esset curiositas eius, qui curiose contemplaretur animalia coëuntia, si se veneri deditum cognoscat: item ille, qui curiose intueretur nudas corporis partes fœminarum pulchrarum præcipuè: quæ naturaliter prouocant ad libidinem: qui enim *amat periculum, peribit in illo.* Talis esset curiositas, qua quis Theologiæ ignarus, vellet scire res difficillimas fidei, cũ notabili periculo dubitandi de rebus certissimis. Notat grauiter Tolet. *cap.* 12. Contingit tertio ex parte modi, vt cum quis velit scire per dæmonem, vel illius ministrum.

18 QVÆST. *Quid sentis de ambitione?* RESP. Est appe-

ſitus inordinatus honorum, & dignitatum: ex genere ſuo tantum eſt veniale peccatum: ex circumſtantia externa fit mortale, vt cum appetitur officium in Republica ad ſiamna: ad profuſam licentiam peccandi, vel quid ſimile. Ita Nau. *ca.* 23. *nu.* 55. Tolet *lib.* 7. *ca.* 23.

19 QVÆST. *Quid cenſes de præſumptione?* RESP. Eſt appetitus oſtendendi ſe grandem, per opera grandia ſupra ſuum poſſe. Cum enim homo quiſque vult dicere, aut facere ſupra id, quod poteſt, dicitur præſumptuoſus. Peccat mortaliter in hac præſumptione, qui præſumit cum periculo notabilis damni aliorum, ſiue corporalis, ſiue ſpiritualis, vt qui ignarus artis medicæ, vel iuris, ægrotos ſuſciperet curandos, cauſas ſuſciperet patrocinandas, vel qui ignarus caſuum conſcientiæ ſe exponeret ad audiendas confeſſiones; vel ignarus formæ ſacramentorum, ſacramenta miniſtraret: imo ignarus ceremoniarum Eccleſiæ grauium circa ſacramenta: arbitror enim earum præceptum obligare ad mortale: ignarus Theologiæ concionarerur de rebus fidei difficillibus, cum periculo errandi in docendo populum. Peccat mortaliter, qui præſumit cum periculo proprij grauis damni, tum corporalis, tum ſpiritualis: vt cum quis immodicum pondus vult ſuſtinere: equum ferocem aſcendit, & ſcalam præaltam aſcendit, & ſimilia facit ſuas vires excedentia. Item, qui ſe agnoſcit procliuem ad venerea, præſumit ſolus habitare cum ſola fœmina, eſt enim ſic præſumere, Deum tentare. Sic Nauar. & Toletan. *locis citatis.* Diu. Thom *quodlib.* 8. *articul.* 13. Diu. Anton. 2. *p. titul.* 3. *capitu.* 6. §. 5. Caietan. *verb. peric. peccandi.*

De Auaritia.

§. 3.

1 *Quid eſt auaritia.*

1 QVÆSTIO. *Quid eſt auaritia?* RESP. Eſt inordinatus diuitiarum amor, ſeu amor immoderatus habendi. Sic Tolet *lib.* 7. *ca.* 27. Dixi, inordinatus, ſeu immodicus amor: nam ſi amor eſt ordinatus ad iuſtum, & ſanctum finem, non eſt peccatum. Ita Aug. *ho.* 13.

de temp. ex illo Apostoli: *Qui volunt diuites fieri,* &c. non dixit, qui diuites sunt, sed qui volunt diuites fieri, condemnat diuitates accusauit, non facultates. Vermis diuitiarum superbia est, tolle superbiã, diuitiæ non nocebunt. Ignoratio autẽ in optandis diuitijs, nisi coniuncta sit cum stultitia retinendi, vel auferendi alienum inuito domino, vel cum duritia non subueniendi extremæ, aut grauis vel suorũ, vel proximorũ necessitati, solum est peccatum veniale. Ita communiter Doctores, quos sequitur Tol. *li. 7. ca. 25.* Dixi, suæ, & suorum necessitati, quia, vt ait Doctor, auaritia non solum est ad alterum, sed ad se sum. Quam veritatem aduertit Lyra. *Num. 11.* Nam filij Israël pecoribus abũdarent, sic enim de ijs sacra tus. *Num 32. filij Ruben, & Gad, habebant pecora* men carnibus saturari optabant, dicendo Num. 11. *dabit nobis ad vescendum carnes.* Poterant, inquit, Lyra pecoribus habere carnes, sed propter auaritiam pa bant suis animalibus.

De luxuria. §. 4.

1 *Quid significet nomen luxuria.*
2 *Quot sunt luxuriæ species.*
3 *De pollutione.*
4 *De osculis, & amplexibus.*
5 *De delectatione morosa.*
6 *De vidua cogitante de actu præteriti coniugis, a coniuge absente, cogitante de actu cum præ coniuge.*
7 *De verbis, canticis, & gestibus impudicis.*

1 QVAEST 10. *Quid significat hoc nomen Luxuria?* Luxuria, seu luxuries significat aliquando luxum conuiuiorum, & vestitus mollitudinem. Ita Tull. 1. *offic. Luxuria cum omni ætate turpis, tum iuuenta fœdissima est.* Significat etiam vbertatem herbarum, arborum ex glebæ pinguedine, terrarumque fœcun te. Ita apud Virg. 1. *Georgic.*

Luxuriem segetum tenera depascit in herba.

Significat lasciuiam animalium, qua tripudiant pecudes pastu

propter alimenti abundantiam Ita apud Ouid. 1. *Fastor.*

Ludit & in pratis, luxuriaq; pecus.

Hic tamen sumitur pro appetitu, seu actu libidinosæ voluptatis humanæ, quem veteres appellabant fornicationem à loco, vbi quondam exercebatur, nempe in fornicibus, seu concameratis domibus, vbi se meretrices prostituebant.

2 QVAEST. *Quot sunt Luxuriæ species?* RESP. Septem. Prima est simplex fornicatio, id est, carnalis copula soluti cum soluta. Quæ quidem peccatum est mortale ad Ephes. 5. *omnis fornicator non habet hæreditatẽ in regno Christi.* Ita definitur *in Clem. Ad nostrum. de hæredit.* Estq; peccatum ipso naturę ductu cognitum, quia id contra finem ab Auctore naturæ in concubitu humano ordinatũ, nimirum bonã prolis educationem, quæ quidẽ haberi nequit, vbi datur incertus pater, qualis est extra matrimonium. Ita D. Tho. *in* 4. *d.* 33. *ar.* 1. *&* 3. *con. gen. ca.* 122. *&* 2. 2. *qu.* 154. *ar.* 2. Argent. *in* 4. *d.* 26. *art.* 2. *qu.* 1. Punitur acerrime ille, qui temere oppositum asserit tanquam iuri naturali contrarius. Quoniã vero hoc principiũ non est ex primis naturæ, sed ex secundis, vt loquuntur Theologi, ideo non est mirũ, si à rudi, hebeti, obtusoque aliquo ingenio ignoretur. Ita Sot. *d.* 26. *qu.* 1. *concl.* 3. notat Tol. *li.* 5. *in.* 10. *nu.* 7. *&* 8. Ad hanc speciem reducitur cõcubinatus, qui est status fornicationis continuatæ cum eadẽ meretrice. De quo statu agit Con. Trid. *sess.* 24. *c.* 8. circa ordinẽ concubinarios puniendi. Secunda species est stuprum, id est, copulæ prima cũ virgine fœmina, fœmina, dixi, non mare, quia viri defloratio non facit speciem luxuriæ, vt aduerrit Tol. *li.* 5. *ca.* 10. Ita loquitur communis sentẽtia, quæ tribuitur D. Tho. 2. 2. *qu.* 154. *art.* 7. Hanc tamen cõmunem doctrinam negat Sot. *d* 18. *qu.* 2. *ar.* 5. aitq; hanc circumstantiam non mutare speciẽ simplicis fornicationis (quanquam, inquit, si interueniat alia malitia, sc. iniustitiæ, vel fraudis, sit aliud peccatum nouæ speciei) ita tamen aggrauare speciem, si in actum externũ prodeat, vt sit de necessitate confessionis. Illi adhæret Suarius *disput. de integ. confess. sect.* 4. etam quo ad actum externum, quam quo ad actum internum, quia iuxta D. Anton. 2. *p tit.* 5. *capit.* 1. §. 6. tota malitia actus externi, emanat à malitia

actus interni. De vtroque igitur actu, inquit tamen Doctor, probabilissimum censeo, per se loquendo, secluſis extrinsecis occasionibus, vel damnis, non esse obligandos pœnitentes ad hanc circumstantiam in confessione aperiendam: neque confessores debere esse solicitos in illa interroganda, quia sæpe est res difficilis & periculosa, & cum ad minimum sit valde dubia potest huic se conformare opinioni. Hæc meus Magister, cuius verbis clarè elucet aperiendam esse talem circumstantiam, quando nulla est difficultas in ea detegenda neque, periculum vllum occultandi eam, si interrogetur quia cum res sit dubia, & non detur causa incedendi via incerta, certa est procedendum. Igitur semper ergo est detegenda, & de ea semper vir est interrogandus iuxta communem opinionem, quæ in viro loquimur. Tertia species est adulteriū, id est, copula cum vxorata vel vxorato. Si vero habetur inter duos vxoratos, dicitur committitur adulterium. Quarta species est incestus, id est, copula cum consanguinea, vel affine. Quinta species est raptus, id est, copula habita cum virgine inuita, & non nuente: seu inuita à domo parentum, siue custodiæ ducta. Sexta species est sacrilegium, id est, copula habita cum persona votum castitatis habente. Septima species est copula contra naturam. Exercetur autem inter duos mares, vel inter marem, & fœminam extra vas naturale, vel inter hominem, & bestiam.

3 QVAEST. *Quid censes de effusione seminis humani extra copulam in vase fœmineo?* RESP. Dico *primum*: Voluntaria seminis humani effusio extra vas naturale, est peccatum contra naturam, quod mollitiem appellant Doctores, iuxta D. Paulum. Cor. 6. *Molles regnum Dei non possidebunt*. Appellant etiā pollutionem. Dico *secundum*: Si curare, vt eueniat pollutio, siue in vigilia, siue in somno quocunq; bono fine procuretur, semper est peccatum mortale. sic Tol. *li. 5. ca.* 13. Dico *tertium*. Optare, vt eueniat pollutio absq; vlla procuratione, & consensu in eam delectationem eius, siue in somno, siue in vigilia propter aliquē bonum finē, veluti propter corporis sanitatē, vel ad sopiendas carnis tentationes, vel quid simile, nullum est peccatum. Ita Nauar. *c.* 16. *n.* 6. Tol. *li. 5. c.* 13. contra Sot.

d.12. q.1. art. 7. Neque valet argumentum. Licet desidetare, ergo licet procurare : nam licet desiderare mortem peccatoris , ob ipsius spirituale bonum , & tamen non licet illum occidere. Dico *quartum*. Complacere de pollutione nocturna, ex qua secuta est corporis sanitas, vel tentationum euitatio, vel aliud simile bonum, nullum est peccatum, sic Tolet *lib.5.ca.12.*. Dico *quintum*. Qui habet moralem certitudinem sibi ex tali causa euenturam pollutionem, tenetur sub mortali, talem causam euitare, cum potest, & ex ratione ipsius causæ debet. Dixi, cum potest, quia nemo tenetur ad impossibile. Dixi, cum debet, ex ratione ipsius causæ. Quia sunt aliquæ causæ, ex quibus oritur pollutio, sed quia, vel sunt honestæ, vel necessariæ, non tenetur quis eas vitare amoto periculo consentiendi in consensum carnalis delectationis. Tale est studium circa res venereas: talis est auditio confessionum fæminarum : comestio rerum calidarũ: accubatio sic, vel sic, cum aliter non potest somnus conciliari, sic Tolet. ex communi *libr. 3.cap.13.*

4 QVAEST. *Quid censes de osculis & amplexibus?* RESP. Oscula, & amplexus capta ad carnalem delectationem sunt peccata mortalia, quamuis copula nullatenus intendatur. Ita Caiet. *tom.1. opusc. tract. de delect. morosa.* Tolet. *libr.5. ca.14.* Dixi ob carnalem delectationem capta, quia capta ex more patriæ, & beneuolentiæ affectu, nullum peccatum gignunt, capta etiam ob recreationem naturalem propter tactus suauitatem, qualis caperetur, si quid aliud blandum tangeretur, ad maximum sunt venialia peccata. Volunt tamen Caietanus, & Toletus & Nauar. *c.10. num.12.* licere huiusmodi oscula, & amplexus ob carnalem delectationem inter sponsos de futuro , quia inquiunt, inter eos est inchoatum matrimonium. Mihi tamen hæc opinio nunquam probata est, quia oscula, & amplexus capta ob carnalem delectationem sunt inchoata copula, ad quam naturaliter tendunt: inter eos igitur erunt illicita, inter quos copula est illicita: nam ex eo capite censetur illicita mortaliter inter reliquos: sed inter sponsos copula de futuro est illicita; ergo erunt oscula, & amplexus. Ita cum communi D. Tho. 2.2. *q.15. 4.ar.4.* vt iam dixi *3.p.c.vlt.§.1.n.11.*

5 QVAEST. *Quid censes de delectatione morosa?* RESP. De-
lectatio morosa, de qua nunc agimus, est delectatio, quæ
oritur in parte sensitiua ex cogitato actu venereo, qui
quidem tunc est peccatum, cum quis in ea cogitatione
propter delectationem inde ortam perseuerat, & a motu
cogitationis inuenit nomen delectatio inde prouenit, &
appellaturque morosa. Quoties igitur actus, qui cogita-
tur, est peccatum mortale, toties delectatio proueniens
ex tali cogitatione, cum voluntarie percipitur, est pecca-
tum etiam mortale. Dixi, delectatio morosa, de qua nos
agimus, quia delectatio morosa, quamuis in communi
vsurpatione sumatur pro delectatione, quæ versatur cir-
ca res venereas, etiam versatur circa alias res malas, vt
cum inimicus cogitat de homicidio à se patrato, vel pe-
trando, fur de furto, & similes de aliis peccatis cogitant.
Conclusio est D. Thom. 1. 2. *quæst.* 74. *art.* 8. & 2. 2. *quæ.*
154. *articul.* 4. & Caiet. tum *ibi.* tum *verb. delectatio.* D.
Anton. 2. *p. tit.* 5. *cap.* 1. §. 1. Nauar. *cap.* 11. *num.* 13. & 14. &
Ioan. Medin. *de rest. qu.* 21. Instruct. 1. *p. ca.* 40. Armil. *ibid.*
Quanquam oppositum circa ea, quæ solo iure positiuo
prohibentur, asserant Sylu. *delectatio. quæst.* 1. & *curiosus.*
numer. 3. & *ludus. quæst.* 8. Angel. *delectatio. num.* 6. Rosel.
ibid. Ledesm. 2. 4. *quæst.* 21. *art.* 7. Cord. *lib.* 2. *quæst.* 30. *dub.*
1. Gabr. *in* 4. *d.* 15. *quæst.* 13. *articul.* 3. *dub.* 3. aiunt igitur non
peccare eũ, qui verbi gratia, cogitando se comedere om-
nes die prohibito delectatur de comestione ficta, & ima-
gini. Ratio eorum est, quia legislator solos actus externos
videtur posse comprehendere. Opinio tamen D. Thom.
est probabilior. Dixi delectationem ortam ex cogitato
actu, seu opere, non vero ex modo faciendi tale opus,
quia delectatio orta est cogitato modo curioso, verbi
gratia, patrati operis, vel patrãdi, non est peccatum mor-
tale, sed ad summum veniale otiositatis, seu curiositatis.
Ita Caiet. *loco citato.*

6 QVAEST. *Quid censes de vidua, quæ delectatur de op-
tato actu carnali habito cum coniuge viuo? & similiter de co-
iuge absente alio consorte circa actum habitum, vel habitum?*
RESP. peccare grauiter. Rem probat Nauar. grauiter &
luculenter *c.* 16. *num.* 10. Ideo probationibus supersedeo,
quia facile est illas videre ibidem.

7 QVAEST.

7 QVAEST. *Quid censes de verbis, canticis, & gestibus impudicis?* RESP. Verba, cantica, & gestus impudici, si fiāt ad delectationem carnalem ex ijs capiendam, sunt peccata mortalia. Ita Caietan. 2.2. *quæst.* 188. Nau. *c.* 23. *nu.* 131. & communiter Doctores. Si autem fiant vane ad recreationem captandam ex hilaritate verborum, & curiositate, peccata sunt venialia. Ita Caiet. *loco citato.* & Vega. *libr.* 14. *in Trident. cap.* 16. Veruntamen ea sunt venialia, vt ipsi naturæ contrariari videantur. Eleganter sane id asseruit Chrysostom. *homil.* 22. *ad popul. Antioch.* hisce verbis. *Linguam sub duobus septis, dentibus dico, & labiis Deus concluſit, vt tanquam verecunda virgo nihil indiscretum loquatur.* Cum vero talia verba, & cantica à fœmina proferuntur impudice, periculo sunt grauissimo libidinosæ concupiscentiæ. Ita Eccles. 9. *Colloquium mulieris, quasi ignis exardescit.* Ita Iob. 21. *Habitus eius prunus ardere facit, & flamma de ore eius egreditur.* Meminisse tandem debemus sanctæ illa D. Cypriani verba. *epistol.* 3. *ad Papam Cornelium.* De ore, ac verbis suis quisque proditur, & vtrum Christum in corde suo, an vero Antichristum habeat, loquēdo detegitur, secundum Christi verba Matth. 3. *progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali, de abundantia enim cordis os loquitur,* & sane nos Christianos Christi seruatoris carnem manducaturos, & sanguinem bibituros pudeat ad sacram Eucharistiæ mensam hisce verbis, & canticis impudicis turpificato ore impudenter accedere.

De Ira. §. 5.

1 *Quid est ira.*
2 *Quod peccatum est ira proprie sumpta.*
3 *Quod peccatum est ira improprie sumpta.*
4 *De maledictionibus iactatis in homines.*
5 *De maledictionibus iactatis in diabolum.*
6 *De maledictionibus iactatis in creaturas irrationales.*

1 QVAEST.

1 QVAESTIO. *Quid est ira?* RESP. Ira proprie, et inordinatus appetitus vindicta. Ita D. Thom. 2. 2. q. 158. & ex eo Nau. *cap.* 23. *num.* 115. Proprie, dum quia improprie, sumpto vocabulo, ira etiam appellatur passio appetitus irascibilis, quæ accidit, cum excitatur bilis, & furore contra proximum, quæ solum prorumpit in vociferationes, absque voluntate alicuius damni.

2 QVAEST. *Quod peccatum est ira proprie sumpta?* R. Ex genere suo mortale, cum nimirum inordinatio appetitus circa vindictam sumendam proximi, est grauis. Est autem grauis cum appetimus punire grauiter immerentem: punire illum, supra quem non habemus auctoritatem: punire non ex zelo iustitiæ, sed ex odio grauis, & desiderio inferendi damnum. Ita D. Thom. 2. 2. *qu.* 158. *art.* 2. & 3. Ratio est, quia tunc Deo grauis irrogatur iniuria, qui dicit. *Mihi vindictam & ego retribuam*, Infertur eum proximo graue damnum.

3 QVAEST. *Quod est peccatum ira, improprie sumpta?* R. Nullum quidem secundum se, quia est quædam passio naturalis orta in naturali potentia ex obiecto naturali, qua in re æquales sumus brutis animantibus, vt ait Tolet. *lib.* 7. *c.* 56. *n.* 2.

4 QVAEST. *Quod peccatum est ira, improprie sumpta, prorumpit in maledictiones?* RESP. Si tales maledictiones proferuntur oretenus, absque desiderio eas videndi exercitas in proximo, in quem iactantur: neque respectu personarum sunt grauiter contumeliosæ: ita illa impropria, est solum peccatum veniale. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 72. *art.* 3. Caiet. Sylu. Nauar. & alij, Qui tamen ex animo deliberato alium, vel se ipsum maledicit imprecando illi aut alteri graue malum sub ratione mali, cum desiderio quod eueniat tale malum, grauiter peccat, iuxta illud Pauli. 1. Corint. 6. *Maledici regnum Dei non possidebunt.* Et eo grauius, quo maiorem reuerentiam, illi cui maledixit, debet, iuxta illud Exod. 26. *Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur.* Dixi sub ratione mali, quia imprecari malum sub ratione boni, hoc est, vt inde eueniat bonum aliquod, non est peccatum, veluti imprecari grauitudinem corporis peccatori, vt conuertatur ad Deum, pro recuperanda salute animæ. ita Nau. *c.* 23. *n.* 17.

5 QVAEST. *Quid censes de maledictionibus iactatis contra diabolum ipsum?* RESP. Peccatum est maledicere diabolo propter naturam ipsius. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst. citat. artic.* 11. *ad* 4. Ratio est, quia natura dæmonis est bona, & à Deo facta. Nullum tamen peccatum est maledicere diabolo propter ipsius culpam, iuxta culpæ grauitatem. Ita Nauar. & D. Thom. *loco citato.*

6 QVÆST. *Quid censes de maledictionibus iactatis in creaturas irrationales?* RESP. Si tales maledictiones iactentur, & desiderentur creaturis irrationabilibus, vt creaturis Dei, est blasphemia. Si iactentur, & desiderentur, vt eueniant propter damnum redundans in proximũ, cuius illæ sunt, est iniustitia. Si vero iactentur & desiderentur, vt eueniant illis, neque vt creaturis Dei, neque vt rebus sui proximi, sed vt entia quædam sunt, est vanitas, & peccatum solummodo veniale: quippe quod res vana optatur cum rei ratione carenti non conueniat bonum, aut malum secundum se sumptæ. Ita ex D. Thom. 1. 2. *q.* 66. *ar.* 6. Nau. *c.* 23. *n.* 117.

De gula. §. 6.

1 *Quid est gula.*
2 *Quale peccatum est gula.*
3 *An liceat multo cibo, & potu vomitum mouere ad salutem.*
4 *An peccatum sit vomere ad iterum edendum, & bibendum.*
5 *Quando erit gula peccatum mortale.*
6 *De ebrietate.*
7 *An liceat se, vel alium pro salute inebriare.*
8 *An actus ebrij imputentur illi ad culpam.*

1 QVAESTIO, *Quid est gula?* RESP. Est appetitus inordinatus cibi, & potus. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 14. *ar.* 1. & 156 *artic.* 1 & *lib.* 2. *sent. d.* 42. & Caiet. *in loco* 2. *allegato.* D. Greg. 20. *moral.* Tolet. *libr.* 7. *capitul.* 59. Inordinatus dixi, quia appetitus ordinatus cibi, & potus ad sustentandam vitam, non est peccatum; imo potius est virtus temperantiæ, & sobrietatis.

2 QVAEST.

2 QVAEST. *Quale peccatum est gula?* RESP. Ex genere suo, veniale: etiamsi absque vtilitate vsque ad vomitum etiam se quis cibo, & potu ingurgitet. Ita Nau. [illegible] cum Caiet. *in sum. ver. gula.* contra Angel. *ver. manducare* & Syl. *gulæ.*

3 QVAEST. *Prodest ad salutem vomitus, liceatne absque peccato illum mouere cum cibo, & potu multo?* RESP. Licet ita Nau. *loco citato.*

4 QVAEST. *Estne peccatum mortale edere, aut bibere ad euomere cibos, & potum, vt iterum bibatur, & edatur.* RESP. Mortale quidem. Ita Peres doctissimus Societatis [illegible] in manuscriptis, sicque interpretatur sententiam Angel. *munditia.* Sylu. & Armil. *gula.* Videtur enim esse magna deformitas contra naturam.

5 QVAEST. *Quando erit Gula peccatum mortale?* RESP. Quãdo in ea ponitur vltimus finis, iuxta illud Pauli. *Quorum Deus venter est.* Deinde cum eduntur prohibita lege: Tertio cum ex cibo, & potu oritur graue damnum corporis, veluti ægritudo; vel damnũ animi, velut peccatum mortale: quale ortum fuit ex esu, & potu siborum Israel. de quibus sacra pagina. Quarto, quando scandalum oritur ex nimia superfluitate ciborum, de quo scandalo Paulus dicebat se nunquam manducaturum carnes, si sciret fratrem suum inde scãdalo offendi. Quinto & vltimo propter ciborum qualitatem, quos quidem natura non creauit ad esum, vel porum humanum. Talis est caro humana & sanguis humanus. Ita Caiet. *ver. Gula & 2. 2. quæst. 143. art. 2.* Nauar. & Toler. *citati*, et communi sententia. Addit autem Nauarrus citra maximam necessitatem: in qua arbitratur licitum est edere carnes humanas, & bibere sanguinem humanum, si homo inueniatur occisus, quia nunquam licet illum occidere. Tolerus vero addit, etiam licere propter infirmitatem magnam. Sed de hac opinione alij iudicent: mihi quidem nunquam placuit, & ita arbitror nequaquam id licere. Ducor naturæ testimonio, non enim pro qualis necessitate equus edit alium equum: bos alium bouem: nec canis alium canem.

6 QVAEST. *Quid censes de ebrietate?* RESP. Qui scienter inebriat, hoc est, nimio potu vsũ rationis scienter amittit, pec-

peccat mortaliter. Ita D. Thom. 2.2. *qu.* 150. & cum eo Nau. *c.* 23. *nu.* 121. Tol. *lib.* 7. *c.* 56. Item, qui scit alium inebriandum, ei vinum præbet. Ita Nauar. & Tolet. *loco citato.* Idem dico de periculo ebrietatis propriæ, vel alienæ. Ratio D. Thom. sumitur ex magno bono voluntarie amisso, nempe vsu rationis.

7 QVAEST. *Licetne se, vel alium pro salute recuperanda corporis inebriare?* RESP. Negat Angel. *ebrietas*, atque talem ebrietatem esse peccatum mortale. Affirmant nihilominus Caiet. 2. 2. *qu.* 150. *art.* 2. & Sylu. *verb. ebrietas.* Eos sequitur Tolet. *lib.* 7. *ca.* 54. cum non supersit aliud remedium. Deinde cum ex ebrietate non timetur aliquod malum, quod solet prouenire ex alijs ebrietatibus.

8 QVÆST. *Imputantur ne ad culpam ebrio voluntario scienter actus mali facti tempore ebrietatis?* RESP. Imputantur. Ita Syl. *ver. ebrietas*, & Tolet. *loc. prox.* præcipue cum iam iterum in ebrietatem inciderat, & similia mala fecerat: vel cum aduertit talia damna posse inde accedere.

De Inuidia. §. 7.

1 *Quid est inuidia.*
2 *Quale peccatum est inuidia.*
3 *Quando licet contristari de bono alieno.*

1 QVÆSTIO. *Quid ist inuidia?* RESP. Est tristitia de alieno bono, in quantum tale bonum minuit excellentiam inuidentis. Ita D. Thom. 2. 2 *qu.* 36. hoc enim vitio volumus, & desideramus alium carere tali bono, quia per illud nos excellit, cum nobis videatur, aut minor, aut æqualis. Ideo inuidere, idem est, atq; non videre velle: volumus enim non videre tam ipsum, cui inuidemus, quam bonum, quod inuidemus.

2 QVAEST. *Quale peccatum est inuidia?* RESP. Mortale ex genere suo, cum bonum de quo tristamur, est graue: & cum scienter, & libere consentimus in talem tristitiã. Ita D. Thom. & Tol. *locis citatis.*

3 QVÆST. *Quando non est peccatum tristari de alieno bono?*

bono? RESP. In primis, cum videmus ex eo prouenturn aliqua mala, vel Reipublicæ, vel proximo, vel ipsi proprio possidenti bonum, vt proueniet, si maneat in occasione peccandi, tunc enim non tristamur ratione boni, sed ratione mali. Deinde cum tristamur, non quia alius habet tale bonum, sed quia nos non habemus illud, aut aliud simile. Atque si hic dolor sit circa res spirituales, appellatur à sacris Patribus inuidia sancta.

De Accidia. §. 8.

1 *Quid est acedia.*

2 *Quale peccatum est acedia.*

1 QVÆSTIO. *Quid est accidia, seu vt alij legunt, acedia?* RESP. Accidia in tota sua latitudine sumpta est fastidium spiritualium rerum, seu tristitia ex eo quòd sint res spirituales. Ita D. Thom. 2. 2. *qu.* 35. *art.* 1. Vt si quis doleat quia creatus sit ad gratiam, ad merita, ad gloriam: si quis doleat de sacramentis gratiæ fontibus, de prædicatione Euangelij, & similibus.

2 QVAEST. *Quale est hoc peccatum?* RESP. Mortale grauissimum. Hinc aduertit Nauar. *cap.* 23. *nu.* 138. & Sylu. *in verbo accidia*, peccare mortaliter eum, qui fastidiosus vitæ, & ærumnarum, deliberate optat se nunquam fuisse natum, aut conceptum, aut potius esse brutum animal, quam hominem. Si quis tamen afficeretur tristitia ex eo quòd teneatur implere opus laboriosum spirituale sibi iniunctum, vt ieiunare, sacrum audire, aut quid simile, quod tamen faceret, hoc est, ieiunaret, sacrum audiret, & non peccaret. Ita Nau. *c.* 23. *n.* 124. Tol. *lib.* 7. *c.* 59. *n.* 4.

TRACTATVS DE PECcatis diuersorum statuum.

CAPVT III.

Accusatoris peccata. §. 1.

1 *An teneatur accusator restituere reo accepta per iniustam sententia.*

2 In

2 *An teneatur accusare crimen redundans in damnum commune.*

3 *An liceat vti falsis testimonijs, & instrumentis ad recuperandum meam rem.*

4 *Quotuplex est accusatio.*

5 *An liceat accusare ob solum bonum particulare.*

1 QVAESTIO. *Post latam sententiam, nouit accusator latam fuisse iniuste, teneturne ad restitutionem eorum, quæ pro illa accepit à reo.* RESP. Tenetur. Ita Innocẽtius *cap. Quia plerique, de immun. Eccl.* communiter receptus, teste Nau *ca.* 25. *num.* 31. Ratio est, quia sententia lata iniuste, iniuste adiudicat alteri, quod suum non est: sed quisque tenetur restituere domino, quod illius habet, quia suum non est: ergo, &c.

2 QVAEST. *Scio delictum redundans in damnum commune spirituale, temporale ue notabiliter, impediri verò nequit, nisi per meam accusationem, teneorne sub mortali accusare?* RESP. Teneor. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 61. *artic.* 1. & *ibidem* Caiet. Ratio est, quia pars, iure naturali, tenetur subuenire toti, & ita videmus manum se opponere vulneri capiti illato, vt totum animal saluum maneat, & incolume.

3 *Ad obtinendam rem à me iniuste ablatam, licetne vti falsis testimonijs, falsisue instrumentis?* RESP. Minime, imo est graue lethale. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 17. *art.* 3. *ad* 3. & Nau. *c.* 25. *nu.* 13. Ratio est manifestissima, quia iuramentum falsum assertorium, semper est mortale, sicuti mendacium in re graui, & iniusta semper est graue.

4 QVAEST. *Quotuplex est accusatio?* RESP. Alia iusta, alia iniusta. Iusta est delatio Rei in libello ob vindictam propter bonum commune. Ita Syl. *ver. accus.* & D. Tho. 2. 2. *q* 68. Et ideo quamuis crimen iam sit emendatum, quia ex punitione eius resultat commune exemplum aliorũ, & timor cõmunis, ne profuse crimina perpetrentur, fieri potest accusatio. Ita Sylu. *ver. accusatio. q.* 3. Angel. *ibid.*

5 QVAEST. *Estne iniqua accusatio facta ob vindictam particularem, hoc est, ob bonum meum particulare, vt scilicet resarciatur mihi iniuria, & alij deinceps caueant à verborum*

petulantia, & procacitate, deposito penitus odio animi? R. Minime, imo est bona, constat ex *ff. & Cod. de accusat.*

Acceptores personarum. §. 2.

1 *Quid est acceptio personarum.*
2 *Quod peccatum est acceptio personarum.*

1 QVAESTIO. *Quo modo definitur acceptio personarum?* RESP. Inepta electio alicuius ad rem, quæ debetur ex iustitia, non facta ex meritis, sed mera consideratione personę, vtpote, quia talis, vel talis. Ita Syl. cum D. Tho. & Hostiensi, quos refert verb. *acceptio person.*

2 QVAEST. *Quod est peccatum acceptio personarum?* R. Graue, aut leue, iuxta materiæ grauitatem, aut leuitatem. Ita Syl. *loc. prox. citat.*

Accommodatarij obligatio. §. 3.

1 *Quando teneatur accommodatarius ad restitutionem accommodatæ rei perditæ.*

1 QVÆSTIO. *Teneturne accommodatarius ad restitutionem rei accommodatæ, cum perijt?* RESP. Ex quacumque culpa res accommodata pereat graui, leui, aut leuissima, tenetur accommodatarius ad illius restitutionem. Ita definitur *c. vnico. de accommodato.* his verbis: Si gratia sui tantum, quis commodatum accepit, de leuissima etiam culpa tenetur, licet casus fortuitus (nisi acciderit culpa sua, vel interuenerit pactum, seu in mora fuisset) sibi non debeat imputari. Habetur etiam *L. In rebus. L. Sint certi. §. accommodatum. ff. de commodato.* Ratio est, quia dictat natura ipsa, vt rem in solam tuam vtilitatem acceptam omni diligentia custodias, sicuti colligitur ex D. Thom. 2. 2. *q. 62. art. 6.*

Aduocatorum peccata. §. 4.

1 *Quam causam licet aduocatis defendere.*
2 *An cognita iniustitia causæ, liceat aduocato consulere parti, vt fœdus ineat cum aduersario.*

3 *Quæ damna tenentur aduocati restituere.*
4 *Quod secretum tenentur aduocati seruare.*
5 *Quando teneatur aduocatus detegere secretum sibi commissum.*
6 *De iusto pretio, seu salario aduocatorum.*
7 *An liceat aduocatis pacisci de aliquota parte causæ vincendæ.*
8 *Quando licet aduocato pugnare contra partem ex secreto sibi ante commisso, ab eadem parte.*

1 QVAESTIO. *Quam causam possunt aduocati tuta defendere conscientia?* RESP. Causam, de qua atque de opposita, æque controuertunt Doctores. Ita Theologi, quos referunt Sot. 5. *iust. quæst.* 7. *art* 3. & Burgos *in proœmio leg. Taur. numer.* 399. Dico secundum. Etiã causam minus probabilem respectu oppositæ, intra tamen limites probabilitatis constitutam? Ita Soto. 5. *Iust. quæst.* 7. *ar.* Possunt insuper ad suum defendendum clientem iura, & leges bona fide interpretari, & inde argumẽta eruere, tacendo solutiones eorum sibi occurrentes. Ita citati Doctores. Duo tamen supra dicta puncta intelligo, cum defensio est ex parte Rei. Nam defendere auctorem contra Reum in causa criminali, aut ciuili, vbi Rei vita, fama, vel bonorum periclitatur possessio, nõ licet, nisi cum maior datur ex parte autoris probabilitas, quoniam tunc melior est conditio possidentis.

2 QVAEST. *Cognoscit aduocatus sui clientis iniustitiam, potestne illi suadere, vt veniat cum sua parte in fœdus?* RESP. Minime, sed peccat id suadendo, & consulendo: imo tenetur aduersario totum restituere, quod fallacijs illis illusus dedit, quoniam non libere, nec iuste dedit, sed solum ad redimendam iniustam vexationem. Ita Burg. *in proœm. leg. Taur. numer.* 255. & Perez *in lib.* 2. *titul.* 19. *lib.* 2. *Ord.*

3 QVAEST, *Ad quæ damna restituendi tenentur aduocati?* RESP. Ad ea, quæ suis clientibus euenerunt propter culpam latam, vel negligentiam magnam ipsorum aduocatorum: vel parti aduersæ, propter dolos, aut fraudem eo-

rum. Ita D. Thom. 2. 2. q. 7. art. 3. Sot. 5. Iust. q. 8. ar. 3. [illegible] 1. Nau. c. 25. num. 29. Erit autem aduocatorum lata [illegible] errare in re notissima, & nõ adhibere diligentiam ad [illegible] noscendam causæ iustitiam, vel iniustitiam.

4 QVAEST. *Tenenturne aduocati seruare secretum [illegible] rum suæ fidei commissum?* RESP. Tenentur cub culpa [illegible] ui, aut leui iuxta secreti grauitatem, aut leuitatem. [illegible] Palud. *in* 4. *d.* 27. *q.* 1. *num.* 9. Nau. *cap.* 25. *num.* 45. & 46. [illegible] deo si excommunicatio feratur super scientes, non [illegible] prehendit aduocatum scientem secreto rem. Ratio [illegible] quia seruare secretum tenemur ex iure naturali, ius [illegible] positiuum, naturali derogare non potest, seu à Princ[illegible] feratur, seu à Papa.

5 QVAEST. *Daturne euentus, in quo aduocatus [illegible] detegere secretum suæ fidei commissum?* RESP. Datur. Nim[illegible] rum cum ex iniustitia causæ sequitur innocentis, [illegible] mors, vel mutilatio, vel infamia notabilis, vel grauis [illegible] norum iactura, seu status. Tunc enim aduocatus [illegible] de iniustitia causæ, tenetur admonere eum, qui [illegible] consuluit, seruato ordine correctionis fraternæ, vt [illegible] stat: si autem nolit desistere, tenetur iniustitiam [illegible] detegere, vel alteri, qui possit adhibere remedium, [illegible] per accidens malum eueniat impostori. Ita Aragon. [illegible] *q.* 71. *art.* 3. Ratio est, quia vnicuique Deus mandauit [illegible] proximo suo, & ideo iure ipso naturæ, tenemur innocen[illegible] ti auxiliari. Hoc vero ius, quo obligamur defendere [illegible] nocentem, deobligat à iure seruandi secretum, quia [illegible] ius, & fortius.

6 QVAEST. *Quod erit iustum pretium aduocatorum?* RESP. Quod patitur laudabilis, & tolerata consuetudo loco[illegible] Ita Instruct. *libro* 1. *cap.* 27. cum Vict. quem citat.

7 QVAEST. *Possuntne in conscientia aduocati pacisci de [illegible] quota parte causæ, si obtigerit victoria?* RESP. Minime, [illegible] peccant grauiter. Cauetur id grauiter *L. Si qui Cod. de [illegible] stulation.* notat Syluest. *ver. aduocat. numero* 12.

8 QVÆST. *Consuluit Titius aduocatum Socratem de [illegible] sa ab illo propugnanda, in consultationem delegit multa [illegible] enda ad vtramque partem: sed postea alium patronum [illegible] uit, poteritne Socrates patrocinari alij parti?* RESP. Poterit, nemini detegendo secreta commissa, Ita Roder. *ver. ad-*

uoc.

noc. cap. 4. § 5. Ratio est, quia sua scientia nemini debet nocere, alius vero sibi imputet temeritatem & facilitatem detegendi arcana. Aduerterim sane posse hic intervenire malitiam aduocati, nimirum, si ita remisse agat, in illa causa defendenda pro parte istius consulentis, animo defendendi oppositam, vt ipse tædio affectus, & merito exulceratus, alium quærat defensorem: tunc arbitror aduocatum teneri ad damna subsecuta ex detectione secreti, quia illius culpa aduenerunt, vt liquido constat.

Appellantium peccata. §. 5.

1 De appellante ex sententia iusta.

1 QVÆSTIO. *Peccatne grauiter, qui ad differendam executionem sententiæ iustæ appellat?* RESP. Peccat. Ita Sot. 5. *iust. qu.* 6. *artic.* 3. Sylu. *accusatio. qu.* 14. & 15. cum D. Thom. & Richard. Nauar. *ca.* 25. *n.* 14. 29. 34. *D.* Anto. & Gabr. quos refert Cordub *casu.* 69. iuxta *cap. Vt debitus. de appel. in* 6. & Glos. *ib. c. Quicunque. & c. Omnino.* 2 *q.* 6. & Glos. *ib.* Ratio est, quia appellationes inuentæ sunt ad leuandum grauamen, vbi vero grauamen non est, iniusta est appellatio; per iustam vero sententiam nemini imponit grauamen. Deinde, quia in ea appellatione grauis irrogatur iniuria iudici; nam tacite illum insimulat, vel iniqui iudicij, vel inscitiæ, definitur enim appellatio, prouocatio iniquę sententiæ, querelam continens. *ff. de minor. præfect.* & colligitur ex *capit. Licet.* 3. *qu.* 6. concedunturque appellationes à iure, ad tollendum, vt iam dixi, grauamẽ. *Extrau. de appel. cu. Vt debitus, allegato*; ideoque appellando aperte dicit se pati ab eo grauamen iniuste. Et ita de hac iniuria decernitur *Cod. Quando prouoc. non est necess. L. vltim. in fin.* Et Glos. *c. Si quis præpost.* §. *Sententiam. dist.* 50. Ideoque tales appellationes frustratoriæ reprehenduntur in Concil. Trident. *sess.* 23. *de reformat. cap.* 1. & non admittuntur in iure, *cap. Quicunque* 2. *qu.* 6. & iubentur puniri *c. Omnino* 2. *qu.* 6. Irrogat deinde iniuriam Reipublicæ, quæ propter frustratoriam appellationem crimina non punit, vt debet. Denique facit iniuriam parti, quia perturbat illius iustitiam, teneturque

iuxta dictos Auctores, ad restitutionem iniquarum expensarum Peccat igitur grauiter iniuste appellans, quia facit id in iudicis vituperium, in aduersarij damnum, Reipublicę nocumentum. Dico secundum. Cum non declaret sententiæ iustitiá, licet appellare ad superiorem, nam appellatio est quædam iuris tutela. 2. q. 6. Item cum appellatur ad mitigandam pœnam, iuxta omnes.

AD LIT. B.

CAPVT IV.

Beneficiariorum peccata, & beneficij collatorum. §. 1.

1 *Quid est beneficium.*
2 *De collatione beneficij digno relicto digniore.*
3 *An sit simonia seruire, vt conferatur sibi beneficium.*
4 *Quantum peccat, qui beneficium dat indigno.*
5 *Quis dicendus melior, & dignior.*
6 *Quas conditiones requirat ius in eo, cui dandum est beneficium.*
7 *Quæ ætas requiratur ad beneficium obtinendum.*
8 *Quæ plura beneficia sunt incompatibilia.*
9 *An beneficiato liceat exercere artem medicam.*
10 *Quoties teneatur beneficiatus celebrare.*

1 QVAESTIO. *Quid est beneficium, vt ab imis fundamentis ordiamur?* RESP. Est ius percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, clerico propter diuinum officium competens.

2 QVAEST. *Peccatne grauiter, qui relicto digniore, beneficium dat digno?* RESP. Peccat ex sententia D. Thom 2. 2. q. 6. art.

art. 2. Tolet. *lib. 5. c. 4. nu. 8. & ca. 78. n. 4.* Sylu. *acceptio perſon.* Intelligunt propoſitionem de beneficio curato. Pedraza *præcep. 7. d. 16.* Caietan. *2. 2. q. 62. art. 2.* Saa. *verb. beneficium numer. 42.* & alij. Loquuntur hi Auctores abſolute de quauis electione digni, relicto digniore: electoremque obligant ad reſtitutionem faciendam digniori, ſed Eccleſiæ, illius beneficij, quia illi ſoli facta fuit iniuſtitia. De electione vero digni, relicto digniore in oppoſitione beneficij expreſſe loquuntur Caietan. *2. 2. quæſt. 61. artic. 2. ad 4. quæſt. 3.* & Aragon. quem citat, & ſequitur Roder. *in ſum. 1. p. quæſt. 108. num.* & Tolet. *loco citato*, obligantque iniquum electorem ad reſtitutionem faciendam digniori. Ratio eorum eſt, quia in oppoſitione candidatus dignior habet ius ad rem, & ideo per repulſam damnificatur iniuſte.

3 QVAEST. *Eſtne in peccato ſimoniæ, qui Epiſcopo, vel alij collatori beneficiorum præcipue, & primario, vt ei obſequatur, ſecundario vero, minus principaliter, vt ei beneficium conferat, ſeruit?* RESP. Minime: colligitur id manifeſte ex *cap. Si officia. 59. diſt. & cap. Quid prodeſt. diſt. 61.* Imo vero ſeruire Deo, eumque amare intentione minus principali obtinendi ab eo aliquid corporale, vel ſpirituale præter ipſum, non eſt peccatum. Ita D. Thom. *2. 2. p. 27. art. 1.* & definitur in Concil. Trident. *ſeſſ. 6. cap. 31.* vbi anathematizatur is, qui aſſeruerit peccare eum, qui intuitu præmij Deo ſeruit.

4 QVAEST. *Qui beneficium indigno dat, quantum peccat?* RESP. Grauiſſime. Nam iniuriam Deo facit, & Eccleſiæ eligendo indignum miniſtrum: deinde multis dignis, quorum de iure optimæ rationis beneficium erat. Ita Tolet. *lib. 5. c. 78.* obligatque iniuſtum collatorem ad reſtituendum Eccleſiæ.

5 QVAEST. *Qui dicendus melior, & dignior ad beneficium?* RESP. Non quidē, qui quo ad Deum circa conſcientiæ puritatem iudicatur melior: ſed qui ad honorem Dei exterius procurandū aptior, & induſtrior. Ita Sylu. cum S. Tho. quem refert *ver. accep. perſon. q. 2.* Ideo ſi potentia diuitiarū, vel nobilitas conferat ad comprimendos Chriſti aduerſarios, præferendi ſunt ditiores, & nobiliores tenuibus, & ignobilibus. Hinc fit, vt ſit dignior iudican-

dus is, de cuius satisfactione, & confidentia magis constat Episcopo, & ideo excusantur dantes beneficia consanguineis, aut seruitoribus suis, quia de ijs magis [illegible] Ita Sylu. *ver acceptio person. q. 3.*

6 QVÆST. *Quæ conditiones requiruntur à iure, vt quis iuste accipiat beneficium, & illud iuste retineat?* RESP. [illegible] res, sed præcipue tres. Nimirum, vt sit clericus, saltem [illegible] prima tonsura: vt sit legitimi matrimonij: vt sit legitimæ ætatis: statuit vero Conc. Trid. *sess. 22. cap. 4.* incipiens [illegible] beneficia, qui caret iuris conditionibus.

7 QVÆST. *Quæ ætas requiritur ad beneficium obtinendum?* RESP. Ad Episcopatum trigesimus annus incipiens: ad curatum vigesimus quintus item incipiens ex *Cum in cunctis. de elect.* ad simplex beneficium decimus quartus. Ita decreuit Concil. Tridentin. *sessione 23. cap.* 6. Beneficij vero collatio minori nato huius [illegible] est nulla circa dispensationem.

8 QVÆST. *Quæ plura beneficia ex Concil. Trident. decreto habere vni prohibentur?* RESP. Plures Episcopatus, quamuis exigui: plures curatus, item quamuis exigui [illegible] *capit.* 13. Plura, quæ residentiam requirunt, quales sunt canonicatus, & similia *sess. 24. capit.* 17. Item plura beneficia, cum vnum sufficit, ad decentem sustentationem beneficiarij ibidem.

9 QVÆST. *Peccatne mortaliter beneficiarius exercens artem medicam?* RESP. Peccat. Ita cauetur per Conc. Trident. *sess. 22. de reform. c. 1. & sess. 14. capit. 6.* Ratio quia exercitium artis medicę, est negotium pure [illegible] re, & grauiter beneficiarijs interdictum, vt liquet.

10 QVÆST. *Quoties tenetur beneficiarius celebrare?* Seruandus mos toleratus beneficij, atque capellæ, [illegible] cundum eum iudicandum. Ita Nau. *cap. 25. num.* [illegible] Nullus tamen tenetur quotidie celebrare, etiamsi [illegible] gatus sit ratione capellę. Non enim tenet obligatio. Sed debet celebrare salua reuerentia, & honestate. Ita *cap. signif. de præb.* Syl. *Missa* 1. §. 7. Tolet. *lib. 2. capit.* 3. *num.* 2.

A

AD LIT. C.

CAPVT V.

Cauponum peccata. §. 1

1 *An sit peccatum permittere meretrices versari in caupona.*

2 *An liceat vendere vinum ei, quem scio inebriandum.*

3 *De eo, qui dat vinum, vt quis inebrietur.*

4 *An liceat vendere die prohibito cibos vetitos.*

1 QVAESTIO. *Peccantne mortaliter caupones, qui meretrices prope cauponam curant habitare, permittũtque inseruire mensis, vt ita plures hospites ad se diuertantur, attracti mulierc ularum lenocinijs, nullam aliam turpitudinem intendendo?* RESP. Peccant, quia dant occasionem peccato alieno proximam, seu potius illam offerunt, offendiculumque opponunt, & muscipulam culpę lethalis, qui vero dat talis occasionis ansam, reus est eiusdem culpæ. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 10. 3. *artic.* 3. & 4. D. Anton. 2. *p. tit.* 7. *cap.* 4.

2 QVÆST. *Peccantne mortaliter caupones vinum vendentes ei, quem sciunt eo inebriandum?* RESP. Peccant. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 150. *art.* 1. Nauar. *cap.* 23. *num.* 121. D. Anton. 2. *p. tit.* 6. *cap.* 3. §. 2. Tabien. *ebrietas num.* 2. Angel. *ibid* §. 1. Ratio est, quia sicut vitæ, oculi, manus, pedis, & reliquorum naturalium non sumus domini, ita neque vsus rationis, vt docet Caietan. 2. 2. *quæst.* 150. *artic.* 1. Eriam ad breue tempus, quia, vt sic adhuc est ablatio contra rationem rei magni momenti. Hinc manifesta est conclusionis ratio. Nam caupo propinando vinum cooperatur huic peccato. ergo, &c. quia adiuuat, aut saltem non impedit, cum possit. talem vero consensũm damnat Apostolus Rom. 1. *Non solum qui faciunt, sed qui facientibus consentiunt.* Cap. 1. *de offic. deleg.* vbi Gloss. & omnes *cap. sicut dignum de homic.* Notat D. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *ar.* 7.

Enimvero, qui daret arma ei, quem scit, seipsum illico interfecturum, peccaret mortaliter teste D. Anto. 2. p. tit. ca. 24. §. 11. arg. ca. Notandum 2. qua. 1. ergo, &c. longa probatione supersedeo, quia res est nota.

3 QVÆST. *Quid igitur censes de eo, qui consulto vinum propinat, vt quis inebrietur?* RESP. Grauissimè illum peccare lethaliter, quia priuat hominem vsu maioris momenti naturalis, qui licet ad tempus sit, est tamen magnæ æstimationis. Peccat itidem ratione infamiæ ex ebrietate nascentis, quæ inter homines plurimi fieri solet.

4 QVÆST. *Peccatne mortaliter tabernarius mandando die prohibito cibos vetitos ei, quem scit peccare illis vescendo?* RESP. Peccat. Ita omnes, quia cooperatur peccato, cum posset illud impedire: imputatur vero nobis culpa, quam negligimus corrigere, cum possumus *cap. Cuiusdam 86. dist. cap. Error. 83. dist.* Vbi subditur. Non caret scrupulo consensionis occultæ, qui manifesto facinori debet obuiare. Ita docet Gabr. *in 4. d. 16. qu. 3. ar. 3. dub. 6.* Non peccat vero hos cibos vetitos venales exponendo, quia pluribus non sunt vetiti.

Conductorum peccata. §. 2.

1 *Quando tenetur conductor restituere equum raptum.*

2 *De dubio, an equus perierit culpa conductoris, vel non.*

3 *An liceat conductori conducere alium equum, cum equus conductus non satis est ad viam potens.*

1 QVÆSTIO. *Quando tenentur conductores equorum ad restitutionem equorum raptorum, dum erant in potestate?* RESP. Suppono rapi potuisse equum conductum, vel propter dolum, & malitiam conductorum, vel propter negligentem custodiam ex culpa grui, aut leui: vel casu, & fortuna. Dico primum. Teneri conductor ad restitutionem equi conducti, & rapti propter dolum & malitiam conductoris. Hæc constat ex terminis, neque indiget probatione. Dico secundum.

Ad

Ad nullam restitutionē tenetur conductor, cum ex mero casu, & fortuna equus conductus perijt. Hæc similiter ita claret, vt æquo iudicio ferret offensam, qui probaret. Dico tertium. Tenetur ad restitutionem conductor, cum equus ex culpa eius graui, aut leui perijt, non vero cum ex leuissima. Ita Caiet. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. Salon. *libr. de iust. quæ.* 67. *art.* 6. *controuers.* 7. Hostiens. *in L. Contractus. ff. de reg. iuris. & L. Si quis donum. §. Celsus. L. Si merces. §. Qui columnam. ff. locati.* Sot. 4. *iust. quæ.* 7. *ar.* 2. Sylu. *verb. culpa.* Innocent. & alij, quos refert. Ratio est, quia conductio cedit in vtilitatem locatoris, & ideo non obligat ad culpam leuissimam.

2 QVAEST. *Dubius est conductor, an equus perierit absque culpa leui, aut ex ea?* RES P. Tenetur equum restituere. Ratio est, quia per locationem non fuit translatum dominium, sed remansit penes locatorem, sed in dubio meū hoc sit, an tuum, melior est conditio possidentis, igitur melior est conditio locantis in nostro casu, & ex eo consequenti tenetur conductor ad restitutionem equi.

3 QVAEST. *Locauit Socrates equum Platoni sanum, bonum, fortem, &cat. Post egressus domo, cœpit ægrotare, nec vlterius progredi valuit, conduxit Plato alterum, quo iter conficeret, rogo, teneturne Socrati integram reddere mercedem?* RESP. Minime. Ita Nauar. *capit.* 17. *num.* 198. Beia 2. *p. casu* 20. *arg. capit. propter sterilitatem de locat. soluenda.* Igitur pensio soluenda pro rata illius temporis, quo ea vsus est Plato.

Coniugum peccata. §. 3.

1 *An sit peccatum contrahere cum hæretico.*
2 *An sit validum matrimonium fidelis, cum hæretico.*
3 *An liceat marito vxorem afficere supplicio.*
4 *Quantum peccat maritus otio vacans.*
5 *An peccet maritus non coercendo liberam licentiam vxoris.*
6 *An peccent coniuges non cohabitando.*

7 An peccet vxor assumendo sibi domus gubernationem.
8 De vxore rixosa.
9 Quod est peccatum contrahere matrimonium cum impedimento.
10 Quomodo peccetur in vsu matrimonij.
11 Quæ causæ deobligent à reddendo debito.
12 An sit peccatum petere debitum tempore nocturni.
13 Quod peccatum sit vti modis inusitatis ad copulam matrimonialem.
14 Quando peccant coniuges non reddendo debitum.
15 Quæ petitio debiti obligat ad mortale.
16 An liceat precibus remouere coniugem à petendo.
17 An liceat exercere actum matrimonij, ad vitandam incontinentiam.
18 An liceat exercere actum matrimonij propter sanitatem.
19 An liceat exercere actum matrimonij propter delectationem carnalem.
20 Quantum peccant coniuges exercendo actum matrimonij propter delectationem carnis excludendo fines matrimonij.
21 Quando delectatio carnis est causa tantum motiua.
22 De incitamentis coniugum.
23 De delectatione morosa ex actu cogitato præterito vel futuro coniugij.
24 An propter adulterium amittatur ius ad petendum debitum.
25 Quando non peccat coniux negando petitum debitum.

26 *An peccet maritus reddendo debitum vxori adulteræ.*

27 *An incestuosus cum consanguinea sui ipsius amittat ius ad petendum debitum.*

28 *An tale ius amittat incestuosus cum consanguinea suæ vxoris.*

29 *Quod peccatum est consummare matrimonium ante benedictiones.*

1 QVÆSTIO. *Peccatne coniux contrahendo cum hæretico?* RESP. Peccat grauissime. Stricte enim prohibetur tale coniugium in Conc. Elibert. *cap.* 16. Laodicens. *cap.* 10. & 31. Carthag. *ca.* 12. Agath. *ca.* 67. Chalced. *can.* 16. apponunturq; ibi graues pœnæ, & *in ca. Decreuit. de hæret.* dotes iubentur confiscari.

2 QVÆST. *Estne validum tale coniugium fidelis cum hæretico?* RESP. Negat penitus Simanchas *in cathol. institut. titul.* 40. *capit. de matrim. numer.* 17. arbitraturque tantus Doctor textum esse expressum. *Can.* 72. 6. *Synodi general.* irritantem, & annullantem nuptias. Oppositum tamen docet communis schola cum D. Thom. *in* 4. *d.* 39. *quæst. ar.* 1. & 3. *p. qu.* 59. *ar.* 1. Sot. *in* 4. *d.* 39. *art.* 2. *ad* 3. Ange. *impe.* 10. *art.* 8. Sylu. Arm. Tabien. alijq; Summistæ *verb. matr.* & *tom.* 1. *cap.* 14. *de Rom. Pontif.* Gloss. *Non oportet* 28. *quæst.* 1. Card. *c. fin. de condit. appositis* & *ca. Decreuit.* & *hæret. in* 6. Couar. *tom.* 1. *p.* 2. *cap.* 6. §. 11. Nau. *cap.* 22. *num.* 49. Ratio manifesta est, quia hæreticus est Christianus baptizatus, & ideo capax sacramentorum: neque inter hæreticum, & baptizatum, est cultus disparitas, profitentur enim per baptismum colere eundem Christum, & illius nota, & signo, hoc est, indelebili baptismali charactere insigniuntur. Et aliunde non est Ecclesiæ decretum talia matrimonia irritans. Ad Canonem allegatum sextæ Synodi respondeo, non fuisse à Sum. Pontifice approbatum, & ideo nec ab Ecclesia receptum. Probat id apertissimis rationibus Cano *li.* 5. *de locis. ca. vlt. ad* 6. Beda. *de natura rerum. ca.* 67. Platina *in vita Sergij Papæ.*

3 QVÆST. *Peccatne maritus percutiendo grauiter vxorem, & extra modum personæ, & conditionis. Item acriter, & iniuriosis*

iniuriosis verbis eam tractando, animo iniuriandi, & non ... rigendi? RESP. Peccat, quia vxor non est serua, sed ... & immoderatæ percussiones inseruiunt ad odium, ... correptionem. Sic Tolet. *lib. 5. ca. 2.*

4 QVAEST. *Otio vult maritus vacare, neque labor... parare cibos filijs, & vxori, quãtum peccat?* RESP. mo... Ita Tolet. *proxime.* Ratio est manifesta, quia caput, ... naturali, tenetur subuenire membris.

5 QVÆST. *Non coercet liberam licentiam vxoris ... tis?* RESP. Reus est culpæ lethalis, quia ipsi incum... moribus, & vita familiæ inquirere, & deprauata ... gere, cum potest, alioqui ipsi imputantur.

6 QVAEST. *Non cohabitant simul, cum com... potest?* RESP. Peccant mortaliter non cohabitan... ex vtriusque licentia libera ob aliquod bonum ... & corporis, aut impedimento ad separationem ... te: alioqui, qui negat cohabitationem, cum ab alte... quiritur, peccat grauiter, quia non est dominus ... poris, sed potestatem dedit alteri. Hinc manifeste ... gitur, teneri alterum mutare sedem respectu alter... alium locum vbi simul cohabitent, nisi in contractu ... trimoniali interfuerit pactum tacitum, vel expressum ... de non mutando loco: vel in tali mutatione pecca... immineat grauis damni animi, vel corporis. Sic Tolet. *lib. 5. ca. 2.* cum communi.

7 QVÆST. *Vult vxor gubernare domum, spreto ... no, & prudenti ad gubernandum: peccatne propter ... gubernationem?* RESP. Mortaliter quidem. Ita Tolet. *proximo.* Ratio est, quia vxor tunc deorbitat in re ... recta ratione, quæ naturaliter iubet membra obedire ... piti.

8 QVÆST. *Est vxor asperi ingenij, & rixosa: suis ... querelis virum prouocat ad iram, & dicteria, & male... nes, ad quid rogo tenetur in conscientia?* RESP. Ad ... dum, & ad naturalem iram compescendam: alioqui ... rixæ, & maledictionum peccata mariti, illi imputan... Ita Card. *proximo loco.*

9 QVAEST. *Quod peccatum committit qui sciens ... bit cum impedimento?* RESP. Lethale. Ratio est ...

sta, quia it contra sanctas leges, & statuta Ecclesiæ in re grauissima, vt liquet.

10 QVÆST. *Qui coniuges peccant lethaliter circa actum coniugalem?* RESP. Primo. Qui consorti blanditur cum periculo emittendi semen extra vas naturale, effusio enim seminis voluntaria extra vas, tam iniqua est, vt ex nulla circumstantia, neq; ob vllam causam licita sit. Secundo. Qui ita rem habet cum sua, vt eam haberet, licet sua non esset, quique ita rem habet cum sua permistione corporum, vt mente, & desiderio eundem actum habeat cum non sua. Tertio. Qui debitum rogatus negat, cum periculo incontinentiæ circa exigentem. Vel qui negat ex contumacia, nulla ad negationem obstante causa, præter ipsam nolitionem negantis.

11 QVAEST. *Quæ causa deobligant à reddendo debito coniugali?* RESP. Mortis periculum, ægritudinis magnæ, infectionis contagij, seu pestis, & similia; quia non tenetur quis cum tanto damno, neque ad hoc se obligauit. Item locus publicus ob honestatem; locus sacer ob reuerentiam.

12 QVÆST. *Estne lethale, exigere debitum tempore purgationis?* RESP. Si adsit periculum incontinentiæ, minime: nam periculum incontinentiæ parentum, præferendum est periculo infectionis geniti, quæ forte subsequetur. Nam proli melius est viuere, quamuis infectę, quam omnino non viuere. Ita communis schola.

13 QVÆST. *Peccantne lethaliter coniuges vtendo naturali vase, sed inusitatis modis?* RESP. Minime: Nisi insuetus modus coeundi periculum afferat aborsus; vel emittendi semen extra vas naturale, nam iuxta medicorum sententiam teste Soto *in 4. distinct. 31. quæst. 1. artic. 4.* mutatio situs, si semen recipiatur, non impedit conceptionem fœtus; ac proinde Albert. Magn. *in 4. d. 13.* absolutè dixit, nihil eorũ, quæ vir cum vxore agit intra vas legitimũ culpam esse mortiferam, refert & sequitur Comitolus *resp. mor. li. 1. q. 133.* Hinc fit, vt remoto hoc periculo, non peccetur mortaliter, si fœmina supergrediatur virum, nam iuxta philosophorum experientiam, matrix habet vim attractiuam sursum, & ita semen virile fugit, ne effluat. Neque si vir, versis fœminæ ad virum natibus, vas legiti-

legitimum possideat, qua in re se fefellit Palud. in 4. d. ... *quæst. 3. art. 2. concl. 5.* oppositum asserens contra ... nem, nisi ex affectu bestialitatis talis coitus pro... ali oqui ob necessitatem poterit inueniri, vt cum ... na prægnans distentam nimis aluum habet; vel ob... neque aliter coniungi mari est potens, tunc enim ... euitandum aborsum, vel ad euitandam incontinen... ita coire licebit.

14 QVÆST. *Peccatne mortaliter coniux non ... cum petitur coitum?* RESP. Negare coitum coniugi ... ti, ex genere suo peccatum est mortale, contra ... commutatiuam fidei promissæ. Ita præcipit Paul. ... 7. *Vxori vir debitum reddat, similiter autem, & vxor ... Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter ... tem, & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier ...* cet communis schola cum Scot. 4. *sent. d. 32.*

15 QVAEST. *Quæ petitio obligat ad mortale?* ... Seria, & omnimoda, siue expresse, siue signis euiden... fiat, quia pudor naturalis aliter prohibet declarare ... tem, præcipue in vxore. Notat id D. Anton. 3. p. ... 20. §. amica tamen petitio, & beneuolentia, non ... cum tanto onere, & pœna. Ita præsumendum est ... eò, qui frequentius petit, quam par est, debet ... petendo modus adhiberi, vt notat Sot. *in 4. d. 32. qu. ... art. 1. post. 2. conclus.*

16 QVAEST. *Licetne precibus remouere coniugem à ...* RESP. Modo non sint tales preces importunæ, & ... inferant molestiam, licet, tunc enim dabitur ... incontinentiæ. Ita Nau. *ca. 16. nu. 25.* Sylu. *debitum ... qu. 8.* & Sot. *sup.* citatus.

17 QVÆST. *Peccatne, qui debitum petit coniugale ... tandam incontinentiam, cum illam potest vitare ... dijs, nempe per ieiunia, verbera, aut humi cubationem, ... milia?* RESP. Minime. Ita Durand. *in 4. d. 31. quæst. ...* lud. *quæst. 21. art. 2.* Capreol. *quæst. 2. arti. 4.* Caiet. ... Sotus item *in 4. d. 35. qu. 1. art. 4.* Ita docuit D. Paul. ... 7. *propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habet ... vnaquæque suum virum.*

18 QVÆST. *Peccatne, qui actum coniugij exercet ... pter sanitatem, immemor prolis suscipiendæ, aut fornica...*

fugiendæ, *memor tantum sanitatis?* RESP. Minime quidem. Ita Richard. *in 4. d. 31. art. 3. qu. 2.* & Sot. *proxime citato.* Probatur à simili: Nam licitum est nubere ad obtinẽdam sanitatem in actu coniugij, dummodo fines matrimonij etiam intendantur, nempe prolis, & fornicationis euitato, vt docet Caiet. 1. *tom. opusc. tract. 12. qu. 3.* & Catec. *ad prac. tit. de matr. pag. 337.* ergo etiam licebit actum cõiugalem exercere ob eandem sanitatem contracto iam matrimonio, non exclusis finibus alijs.

19 QVAEST. *Peccatne mortaliter, qui debitum coniugale petit ob solam delectationem carnalem, non exclusis alijs finibus matrimonij, neque in memoriam venientibus?* RESP. Minime, sed tantum venialiter. Ita communiter Doctores D. August. 9. *in Genes. capit. 7.* & *de bono coniugali, cap. 16.* Magist. *in 4. d. 31.* & ibi. Albert. Mag. D. Thom. *in 4. d. 26. qu. 1 ar. 4.* D. Bonau *in 4. d. 31. qu. 3.*

20 QVAEST. *Si excludantur tres illi fines matrimonij à D. August. appositi lib. 9. in Gen. ca. 7. nimirum proles suscipienda, fides seruanda, sacramentum perpetuandum: Peccatne mortaliter coniux, qui coit, ad solam delectationem carnalem, vt finem tantum volitum, licet cum sua?* RESP. Mortaliter quidem. Ita D. Thom. *in 4. d. 26. qu. 1. ar. 4.* Sot. *in 4. d. 31. qu. 1. ar. 3.* Henriq. *lib. 11. de matr. ca. 4. §. 2.*

21 QVÆST. *Intendij quidem fines coniugij, sed ad eos intendendos mouetur à delectatione carnali, & ideo eos non appeteret, nisi moueretur ab illa?* RESP. Nullum committit peccatum. Ita Comitol. *lib. 1 quæst. 133.* cum Palud. *in 4. distinct. 31. quæstion. 3. artic. 2.* Diu. Anton. 3. *p. titul. 1. capit. 20. §. 6.* Vbi ex eorum sententia concludit nullum esse peccatum coniugem relinquere actum inchoatum, & imperfectum.

22 QVÆST. *Licetne coniugibus absque culpa vlla vacare medijs excitantibus ad copulam habendam pro finibus matrimonij?* RESP. Licet. & ideo nullum peccatum tunc est calidis cibis, osculis, amplexibus, tactibus venereis se ad libidinem prouocare. Ita Sylu. *de coniug. quæst. 9.* Armil. *ibid. num. 8.* Caiet. *ver. matrim. ca. de vsu matr. §. duodecimum est.* Nau. *ca. 16 num. 42.* Henriq. *lib. 14. de matrim. ca. 17. §. 9.*

23 QVÆST. *Peccatne coniux absens cum mente cogitans*

de actu coniugij delectatur carnaliter; aut vt delectetur carnalem percipiat in parte sensitiua volens, & cogitat circa pollutionis periculum? Resp. Peccat mortaliter. Ita Comitol. *libr. 1. quæst. 134.* Probabilissime ex Caiet *in 1. 2. qua. 74. art. 8. ad 4.* Sylu. *qu. 3.* Tabien. *verb. cogitatio. qu. 7.* Nau. *cap. 16. num.* Anton. *3. p. tit. 1. cap. 20. §. 6.* atque oppositum appellat defensores putidę delectationis Ratio quia illa delectatio sensitiua capi non potest, nisi gine vxoris in mente fabricata præsente, quia non nisi circa præsens versatur: sed ex imag præsente veluti marmorea, aut eburnea, peccat thale capere sensibilem delectationem; ergo dum de imagine facta in mente.

24 QVÆST. *Amisitne coniux ius ad exigendum tum propter adulterium occulte commissum?* Resp me. Idem Turrecrem. *in capit. Coniugio. 32. quæst* Arch. Caietan. *tom. 1. opusc. tract. 31. respon. 4.* Sot. 36. *quæstio. vnica artic. 3.* Couar. *2. p. de matrim. cap numer. 4.* Gloss. *capit. Extremum de adulter.* licet tum doceat Nau. *capit. 22. numer. 23.* Armil. *verb numer. 77.* Tabien. *matrimon. 4. §. 6.* Castro *lib. 2 pœn. capit. 4.* Ratio est, quia nemo tenetur se pro neque suo se iure spoliare; neque se ipsum exti sionem accusare; alioqui alteri coniugi daret occ nem scandali.

24 QVÆST. *Quibus causis interuenientibus coniux debitum negando, minimeque reddendo?* Resp tiplices quidem sunt, quæ omnes continentur in positionibus traditis à Scot. *in 4 sentent. distinct.* coniux, inquit, amisit ius petendi: vel non habet tendi pro nunc: vel quando alter coniux non ob ad reddendum: vel quando ad non reddendum tur maiori vinculo. Amisit vero ius petendi per rium publicè commissum, hoc est, notum a cont nocente. Ita Palud. *in 4. d. 32. quæst. 1. numer. 9.* Ri 35. *artic. 5. quæst. 1.* Item per votum solemne in emissum. Non obligatur vero ad reddendum ant menses transactos post matrimonium ratum, & non summatum, quia in eo spatio licet ei religionem

di, & profiteri. Obligatur vero ad non reddendum vinculo fortiori, cum in reddendo est periculum aborsus, seu occisionis fœtus in vtero. Ita Sylu. *debit. coniug qu.* 5. Caietan. *verb. aborsus.* Nauar. *capit.* 15. *num.* 14. Item cum debiti redditio vergit in detrimẽtum incolumitatis propriæ: tenetur enim maiori vinculo vitam fœtus seruare, aborsumque fugere, & propriam ægritudinem vitare, quam debitum reddere. De incolumitate viri, dixit expresse D. Tho. *in* 4. *d.* 32. *art.* 1. *ad* 2. *& art.* 3. *ad* 4. Durand. *ibid qu.* 1. *nu.* 6. Rich. *d.* 32. *ar.* 1. *qu.* 1. *& ar.* 4. *qu.* 1. *ad* 2. De incolumitate vtriusque indistincte locutus est Scot. *in* 4. *d* 32. & cum eo communis Schola, vt notat Comitolus *lib* 1. *quæst.* 136. qui vehementer reprehendit Gabrielem singulariter opinantem *in* 4. *quæst. vnica art* 2 *conclus.* 11. teneri vxorem sub mortali reddere debitum cum periculo propriæ salutis, imo, & vitæ, marito petenti, & periclitanti circa continentiam, cum tota illa incontinentia proueniat ex malitia mariti incontinentis: vxor enim vtitur iure suo. Intelligitur enim obligatio reddendi debitum, salua indiuidui vita, atque etiam salute corporea. Hæc autem salus notabiliter læditur per coitum leprosi, & ideo tunc deobligatur coniux à debito reddendo. Ita Palud. *in* 4. *dist.* 32. *quæst.* 1. *articul* 2. *conclus.* 1. Durand. *ibidem quæstion.* 1. *numer.* 8. Aureol. citatus à Gabriele *ibid. quæst.* 1. *artic.* 2. *conclus.* 11. Sot. *qu.* 1. *artic.* 1. Caier. *verb. matrim. cap.* 2. *de vsu coniug.* § *quintum caput.* Nauar. *ca.* 16. *num.* 25. Si vero aliqua lepra sit, quæ non inficiat (de qua re consulendi medici) licet timeatur prolis infectio, tenetur reddere, quia proli melius est sic esse, quam nullo modo esse, vt ait Diu. Thom. *loco citato.* Et in hoc sensu intelligendum est *capit. Quoniam de coniug. leprosorum:* vbi sanus coniux coniugi leproso, debitum reddere iubetur. Quod dixi de leproso, dicendum est de morbo gallico, aut alio quouis, cuius timeatur infectio. Ita Sot. *sup.* Armil. *verb. debitum coniug. num.* 3. *& verb. matrimon. num.* 69. Nauar. *ca.* 16. *nu.* 25. & sic intelligendum docet *cap.* 1. *& 2. de coniug. leprof.*

26 QVÆST. *Peccatne maritus debitum reddens vxori publicè adulteranti?* RESP. Peccat grauiter. Ratio est, quia in primis it contra prohibitionẽ *cã. si quis vxorẽ.* 2. 2. *q* 1. *c.*

Dixit Dominus, & c. sicut crudelis 32. quæ.1. Deinde qui[illegible] præbet manifestam occasionem perseuerandi in pe[illegible]to. Ita Couar. 2. *p. de matrim. ca.* 6. Caiet. *in sum. tit.* [illegible] *coniug. ca.* 10.

27 QVAEST. *Quid dicis de incestuoso adulterio cum [illegible] sanguinea sui ipsius?* RESP. Non peccat petendo, [illegible]dendo debitum. Ita Syluest. *matrimon.* 7. *quæst.* 6. *pron.* 3. Castro. *lib.* 2. *de leg. pœn. cap.* 7. Naua. *cap.* 16. *num.* [illegible] *in* 4. *d* 37. *artic.* 2. Ratio est, quia teste Sylu. hoc nu[illegible] peritur à iure prohibitum.

28 QVÆST. *Quid dicis de adulterio cum consang[illegible] vxoris suæ vel è contra?* RESP. Si cognouit vxor[illegible] consanguineam 1. vel 2. gradus peccat grauiter pe[illegible] Prohibetur ei petitio *ca.* 1. *& c. Transmissæ. de eo, qui cog[illegible]uit consang. cap. Qui dormierit.* 37. *qu.* 2. Docet D. T[illegible] *in* 4. *d.* 34. *ar.* 5. Rich. *art.* 4. *qu.* 2. Sot. *d* 37. *art.* 2. [illegible] Nauar. *proxime.* Couar. 2. *p. de matrim. cap.* 7. §. 2. *nu.* [illegible] tio est, quia in eo adulterio contrahitur affinitas [illegible] propria vxore, etiam post Concil. Trident. Ergo pe[illegible] petendo, non peccat vero reddendo. Redditio vero [illegible] tollit impedimentum affinitatis contractum, vt [illegible] Panorm. & Card. *dicto cap. Transmissæ.* & Sylu. *luxuria* [illegible] 4. *pron.* 4. Couar. *citato nu.* 5.

29 QVÆST. *Quod est peccatum petere debitum [illegible] dictiones nuptiarum?* RESP. Mortale peccat Sylu[illegible] *coniug. nume.* 11. videtur tamen id nimis rigorosum, [illegible] Conc. Trid. *sessi.* 24. *num.* 1. id non præcipit, sed hor[illegible] ideo sola venialis culpa contra exhortationem [illegible] de hoc puncto iam idem respondi, & latius probat [illegible] *cap. vlt. nu.* 6.

30 QVÆST. *Licetne ad occultandam infamiam [illegible] mouendum periculum mortis, exponere filium in [illegible] susceptum?* RESP. Licet. Si tamen parentes diuites [illegible] tenentur hospitali domui alimenta restituere: si pau[illegible]res, minime, quia talis domus pro pauperibus fuit [illegible]tuta. Ita Card. Tolet. *lib.* 5. *ca.* 11. *nu.* 11.

Captiuorum peccata. §. 4.

1 *De peccatis captiui Christiani inter infideles.*

1 D

2 *De peccatis captiui infidelis ab infideli.*
3 *An captiuus Christianus teneatur implere iuramentum quod fecit infideli.*
4 *An pretium redemptionis veniat ad collationem cum alijs fratribus.*
5 *Qua pœna punitur filius, qui captiuum patrem non redimit.*
6 *De captiuis Christianis, qui remigant in triremibus infidelium.*
7 *An maneat excommunicatus Christianus captiuus remigando contra Christianos.*
8 *An peccent Christiani captiui remigando contra infideles.*

1 QVÆST 10. *Dic quid censes de captiuis Christianis inter infideles?* RESP. Cum inter Christianos, & infideles possit bellum iustum, & iniustum aliquando interuenire, hoc mihi suadeo, si captiuus captus fuit bello iniusto, licet illi fugere, & fugiendo neque ipse, neque qui ipsum iuuant, peccant. Ita definitur *cap. Dominus 23. qu 1. ca. Vt pridie. 23. que. 8. L. 1. Cod. ne Christian. mancip.* Si vero captus fuit bello iusto, peccant, & ipse, & qui ipsū iuuant in fuga, nisi Dominus ipsum impellat ad fidem relinquendam, Christumque Dominum negandum. Ita Syl *furtum qu.* 6. Nauar. *cap.* 17. *nu.* 103. Tenetur insuper ad restitutionem, iuxta omnes. Hæc autem nunquam est facienda per restitutionem personæ, quia semper datur periculum aberrandi à fide; sed facienda est per compensationem æstimationis.

2 QVÆST. *Quid censes de captiuo infideli, ab alio infideli?* RESP. Cum inter fideles, similiter atque Christianos intercedat aliquando iustum bellum, aliquando iniustum, peccat captiuus in bello iusto, si fugiat, peccant, qui illū fugiendo adiuuant, teneturq; iterum in captiuitatē redire, tenenturq; adiutores reddere, quod si nequeant, aliū æque bonum seruum viribus, & industria Ita Conar. *reg. Peccatum 2. p. §. 11. nu. 6. & l. 1. Var. resol. ca. 11. nu. 10.* Nauar. *cap. 17. nu. 103.* Arag. *22. qu. 62. de domin.* contra Sot. *4. Iust. qu. 2.*

2.art.2. colligiturq; noſtra concluſio *ex cap. ſi quis furem 17.qu.4.* Ratio eſt, quia iure gentium captus in bello iuſto, eſt verum mancipium, capienſq; eſt verus dominus eius per verum dominium ab ipſo iure gentium introductum in capientem, ergo, &c.

3 QVÆST. *Teneturne Chriſtianus captiuus, bello iuſto captus iuramentum ſeruare, quo promiſit Mahometano dominum ſe redditurum, aut miſſurum pretium captiuitatis?* RESPONDETUR. Neq; huiuſmodi iuramentum facile eſt relaxandum. Daretur enim occaſio infideli blaſphemandi nomen Chriſtianum, & ſcandalum actiuum peierandi. Ita Rod. *in ſum. ca. 41. nu. 3.*

4 QVÆST. *Redemit pius pater Chriſtianum filium captiuum inter Mahometanos, ſeu alios infideles, in ſumptibus ea libertate multam ſummam, teneturne filius reſtituere illam ſummam in ſua legitima, afferreque in collationem hereditatis?* RESP. Minime. Ita cum Baldo Gomez. *L.29. Tau. num.29.* & alij quos affert Roder. *in ſum. ca. 41. nu.* Habetur in Ordin. Luſit. *li. 4. tit. 97. §.8.*

5 QVÆST. *Quæ pœna punitur filius ita impius, qui poſſet redimere patrem captiuum ab infidelibus, non redemiſſet?* Succeſſionis in bona patris. Ita habetur in Ordin. Luſit. *tit. 88. §. 6.* filiuſque illegitimus, etiam natus ab infideli, qui libertatem Patris procurauit, illi præferendus eſt. Ita Lopez, & alij, quos citat Roder. *in ſum. ca. 41. nu.*

6 QVÆST. *Quid cenſes de captiuis Chriſtianis ob metum verberum, aut mortis triremes remo verberantibus Chriſtianos in bello iniuſto?* RESP. Cenſeo peccare mortaliter ſic remigando: nam faciunt contra quintum præceptum de non occidendo, occidunt autem, qui conſiliunt, conſentiunt, adiuuant. *cap. Sicut dignum. de homicid. cap. Notum. 2. quæſt. 1. L. Is qui opem. ff. de furtis.* Quoniam timor mortis non excuſat, probatur aperte, quia nullus metus excuſat à culpa, faciendo id, quod eſt intrinſece malum, tale vero eſt iuuare occiſorem iniuſtum. Bela. *2.p. caſ. 24.* Ratio illius eſt, quia remigatio huiuſmodi, eſt actio directe, & per ſe ordinata ad occiſionem, & damnum innocentium Chriſtianorum. Et ita reperitur *3.p ca. 9. §. 16. ſect. 8.*

7 QVÆST. *Incurruntne excommunicationem ſe vere*

gande? RESP. Minime. Ita Nau. *cap. 27. num. 63. §. sep. quod Christ.* Beia *loco proximo.* Ratio est, quia censuræ Ecclesiæ non feruntur, nisi in libere contumaces. Tales vero non sunt, qui metu coguntur non obedire, cum metus non infertur ob iniuriam fidei.

7 QVÆST. *Peccantne huiusmodi captiui remigando contra alios infideles?* RESP. Negatiue respondet Nauar. *loco proxime citato.* absque distinctione. Cum ea veruntamen necessario loquendum. Nam vel bellum iniustum est, vel iustum: si iustum, recte dicit sapientissimus Doctor; si iniustum, parce dixerim, & debita reuerentia, eadem est ratio, atque contra Christianos, quia remigando iuuant ad damnum iniustum.

Collegarum alicuius domus peccata. §. 5.

1 *An peccent collegæ incolendo collegium contra illius instituta.*

2 *De conditione paupertatis.*

3 *An peccent non studendo diligenter.*

4 *De conditione sanguinis, aut nationis.*

1 QVÆSTIO. *Peccantne mortaliter, qui collegium ingrediuntur, & habitant contra instituta fundatoris?* RESP. Maxime. Tenentur insuper ad restitutionem expensarum, quas fecerunt ex collegiorum redditibus. Hæc est euidens.

2 QVÆST. *Fuit institutoris voluntas vltima, vt ingressuri, & habitaturi collegium sint pauperes: Titius est diues, & vult collegium ingredi, & ne illi obstet diuitiarum possessio, facit donationem reuocabilem, nimirum, quod illi reddantur diuitiæ, si à collegio exiuerit Rogo, estne talis collega tutus in conscientia, collegium ingrediendo, & habitando, & ex redditibus pauperum vitam alendo?* RESP. Minime, Imo est grauissimum peccatum talis palliata bonorum renunciatio, tacito, vel expresso pacto iterum accipiendi ea. Ita Nauar. & Instruct. quos citat, & sequitur Roder. *in sum. 1. p. capit. 45.* Secus videtur dicendum, si donatio esset omnimoda inter viuos, & irreuocabilis, per eosdem Doctores.

3 QVAEST. *Aluntur collegæ in collegio Pontificio, (in quo) expensis regijs, ecclesiasticisve, vt diligentem operam studio litteris, peccantne otiando?* RESP. Peccant grauiter, & tenentur ad restitutionem expensarum. Ita Nau. *num.* 59.

4 QVAEST. *Estne iusta conditio, quia instituitur vt in collegij ingressu certum personarum genus, veluti proceres Iudæis, remoto odio, attento tantum collegij honore?* RESP. Esset. Ita Cordub. *lib. quæst.* 54. Rod. *prox. citat.* Bela. Ratio est, quia cuique licet suum, cui voluerit, remittere.

Chirurgi peccata. §. 6.

1 *An peccet, qui vtitur remedijs non arte, sed experimento comparatis.*

1 QVÆSTIO. *Nunquam Titius didicit artem chirurgicam, sed experimento comperuit certos morbos, certis medicamentis felici euentu curari, peccatne vtendo illa experientia medicamentorum circa omnes infirmos eiusdem morbi, seu vlceris?* RESP. Minime. Ita Nau. *cap.* 25. *num.* 6. et l. §. *Medicus. ff. de var. & extraord.* Si tamen febris intendatur, & ingrauescat morbus, tenentur medicum deinde aut chirurgum consulere.

Custodum peccata. §. 7.

1 *De custodibus rerum suæ curæ relictæ.*
2 *De concustodibus.*
3 *De custodibus domorum.*
4 *De custodibus montium, & syluarum.*
5 *An liceat custodibus montium, & syluarum se accommodare ad capiendos venatores, & lignorum latrones.*
6 *De custodibus vrbium, & oppidorum.*

1 QVÆSTIO. *Cum multiplex sit custodum genus, de quibus sciscitabor ex te, quid iudicas: atque in primis quid censes de custodibus rerum mobilium suæ custodiæ relictarum, si furripiantur?* RESP. Dico primum. Si gratis rogatu dominorum, res illas seruabant, neque [illegible]

accidit ex dolo, aut lata culpa eorum, sed tantum ex leui, non tenentur ad earum restitutionem. Ideo grauiter peccaret dominus earum, si certus innocentiæ, res peteres in iudicio. Certus dixi, quia si in dubio est, potest illas repetere, & adiudicatas in pretio retinere. Ita Rod. *in sum. 1. p. cap. 124. num. 11.* cum Cordu. *cas. 175.* Sylu. *verb. cust.* Secus tamen dicendum, si furtum accidit ex dolo, vel lata culpa, vt manifestum est: nam ad illam custodiam se libera, & tacita promissione obligarunt. Dico secundum. Qui salario conductus rem seruat, & ea propter leuem eius, leuissimamue culpam furripiatur, aut pereat, tenetur ad illius restitutionem. Talis est seruus relictus à domino in custodia rerum suarum. Tales itidem sunt artifices, quibus relinquimus materias ad opera fabrefacienda, & alij similes. Et certe de stabulariis id decernunt Ordinat. Lusit. *lib. 5. tit. 64.*

2 QVÆST. *Quid censes de concustodibus?* RESP. Tenentur omnes, & singuli æque rem suæ custodiæ relictam custodire, & si pereat, aut furripiatur, tenentur ad restitutionem iuxta regulas *proxime* dictas. Ita Barthol. *L. Vt certo, §. fidem. ff. commoda.* Ratio est, quia obligatio vnius, non tollit obligationem alterius, sed æque tenentur singuli, atque omnes.

3 QVÆST. *Quid censes de custodibus domus, relictis ad custodiendos intus incluſos, ne exeant?* RESP. Si malitia tantum versata est circa incuriam eos custodiendi, ita vt nil amplius intenderint negligentes custodes, quam eos libertate detentionis donare, siue culpa incuriæ, seu consensus dimissionis leuis fuerit, siue grauis, non tenentur ad restitutionem damnorum, quæ liberi exeuntes præter dimittentium voluntatem fecerunt. Ita Arag. 2. 2. *quæst. 62 art. 7.* contra Sot. 4. *Iust. quæst. 7. art. 3.* Ratio est, quia tales custodes non se obligarunt ad custodienda bona vicinorum, sed tantum domi incluſos, ne euaderent.

4 QVÆST. *Quid censes de custodibus montium erga venatores, vel cæſores lignorum, cum ista cæſio, & venatio ibidem sint prohibita?* RESP. Peccant lethaliter non manifestando huiusmodi venatores, & cæsores, quoniam ad eam detectionem iuramento se adstrinxerunt. Insuper

tenentur ad pœnam restituendam, quæ ex defectu lectionis Reipublicæ, vel populo non fuit adiudicata. Aragon. *proximè* citatus. Nam licet pœna à transgressione legis non debeatur in conscientia nisi post iudicium, debetur tamen à custode ante sententiam, per quam fuit, ne iudicaretur, cum ex officio, & salario teneantur illam procurare. Tenentur insuper restituere damnum tum in montium truncatione, culpa eorum, & silere non restitutum.

5 QVÆST. *Peccantne huiusmodi custodes se occultando in syluis vt fures licentius vagentur, venentur, & ligna rubea vt facilius capiantur?* RESP. Si damnum permittant fieri vt deinceps exemplo captorum, alij caueant à damno non peccant, neque tenentur restituere damnum permissum. Ita Nau. *c.* 17 *num.* 124. Rol. *in sum.* 1. *p. ca.* 124. n. 7. Ratio est, quia in ea permissione bonum, vtilitatem domini, & Reipublicæ procurant.

6 QVÆST. *Quid censes de custodibus vrbium, & agrorum?* RESP. Tenentur manifestare nocte inuentos fures; est, quia ad id iuramento se obligarunt. Ita citati Doctores.

Clericorum peccata. §. 8.

1 *An recitatio diuini officij distracta, & indeuota satisfaciat diuino officio.*
2 *Ad teneatur ad restitutionem fructus beneficiati male recitans.*
3 *An satisfaciat præcepto recitatio mentalis.*
4 *An liceat clericis exercere mercaturam per seipsos.*
5 *Quæ proprie appellatur mercatura.*
6 *An liceat clericis exercere mercaturam per alios.*
7 *An liceat clericis exercere aliquam artem.*

1 QVÆSTIO. *Suppono, vt certissimum, & indubitatum, quod subdiaconus, & diaconus sacerdos tenentur recitare diuinum officium, quæro, an satisfaciant præcepto id recitando distracte, & indeuote?* RESP. Affir-

mat

mant plurimi. Hoſt. *cap. Dolentes. extrau. de celeb. miſſ.* D. Ant. 3. *p. tit.* 13. *cap.* 4. §. 7. Ang. *verb. hora.* §. 2. 8. Sylueſt. *in aur. roſa. c&ſ.* 9. *& ver. hora. qu.* 11. Gloſſ. *in cap. graui. de celeb. miſſ.* Ratio eorum eſt, quia licet diſtinctio, attentio, & deuotio ſint modi concomitantes orationem, & recitationem officij, & fines intenti ab Eccleſia, vt claret ex *c. Dolentes. de celeb. miſſ.* modi tamen concomitantes, & fines præcepti, non cadũt ſub præcepto, teſte vtroque D. Tho. 1. 2. *q.* 100. *art.* 9. *&* 2. 2. *q* 44. *ar.* 4. *ad* 1. ac proinde ſola ipſa recitatio præcipitur. Deinde, quia deuotio, & intentio ſunt actus mere interni: actus vero mere interni, non cadunt ſub præceptum Eccleſiæ, quia Eccleſia, non iudicat de interioribus, neque actus internos præcipit, vt docet D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 9. Oppoſitum tamen omnino dicendum cum D. Thom. 2. 2. *qu. art.* 13. Caietano *ibidem.* Palud. *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 5. Gabr. *in can. lect.* 62. Maiore *in* 4. *d* 12. *queſt.* 7. Adrian. *quodl.* 8. Gerſone 3. *p. alphab.* 71. *lit. f.* Caiet. *verb. hora.* §. 3. Nauar. *opuſc. de orat. cap.* 13. *nu.* 22. *&* c. 20 *nu.* 31. Sot 10. *Iuſt qu.* 5. *art.* 5. *concl.* 6. Et ita opinantur omnes ſummiſtæ. Colligitur ex 1. Corinth. 14. *Si orem lingua, mens mea ſine fructu eſt.* Ratio germana eſt, quia attentio, deuotio, & diſtinctio, non ſunt puri modi orationis, vt pro fundamento ſupponunt contrariæ ſententiæ Auctores; ſed ſunt de ratione & eſſentia ipſius orationis: cum vero præcipitur recitatio diuini officij, præcipitur oratio, id eſt. eleuatio mentis ad Deum, cum certis verbis, & orationibus: eleuatio autem non fit ſine intentione mentis, diſtinctione recitationis, & deuotione cordis. Et hinc ſolutum manet primum alterius opinionis argumentum. Ad ſecundum vero dico Eccleſiam non præcipere actus pure internos, poſſe tamen præcipere eos, qui ex ipſa rei natura neceſſarij ſunt ad digne exequendos externos, quos ipſa præcipit, qui quidem habent ſe inuicem ſicut forma, & materia ad conſtituendum totum compoſitum naturale, in quo deficiente vna, totum diſſoluitur. Non quidem illos præcipit directe, ſed indirecte, quia neceſſario requiruntur ad actus, qui præcipiuntur directe.

2 QVÆST. *Recitans tam male, vt non ſatisfaciat præcepto, teneturne ad reſtitutionem fructuum perceptorum bona-*

beneficij, ac si non recitaret? RESP. Tenetur. Ita Vega in *cas.* 33. cum alijs. Ratio est, quia ita recitans sic apud Deum habetur, ac non recitans: Si vero non recitasset, non faceret fructus, teneturque ad eorum restitutionem, etc. &c. Nam par ratio, idem ius parit. per *cap. Dudum. 2. de elect. L. Istud. ff. ad L. Aquiliam.* Deinde, quia constitutio quæcumque pœnalis extendItur ad alium casum, qui continetur sub ratione lata saltem verborum, vt probat Anton. *cap. fin. de consuetud.* & Dominicus, ac Perosin. *in 1. de temp. ordin. lib. 6.* sed male recitans, includitur sub nomine non recitantis, saltem late sumpto vocabulo, qui coram Deo æstimatur, ac non recitans: ergo, &c. Denique, quia priuatio fructus imponitur beneficiario non recitanti ratione culpæ: sed male recitans eandem culpam committit, & peiorem, nam ad culpam transgressionem præcepti recitandi addit mille irreuerentias, factas Deo quo cum loquitur irreuerenter, & scandalum præsentibus, si forte adsint: ergo cum culpa male recitantis grauior sit culpa non recitantis, magis priuabitur fructibus, & tenebitur ad eos perceptos restituendos, quam non recitans, vt apparet manifestum in conscientia, & coram Deo: nam fructus dantur ob laborem, & seruitium.

3 QVÆST. *Peccatne mente tantum, & non voce recitando horas canonicas?* RESP. Peccant, & non satisfaciunt præcepto: quia horæ canonicæ voce sunt proferendæ. Ita S. Tho. 2. 2. *q.* 63. *ar.* 13. Alens. 4 *p. q.* 9. *art.* 1. *n.* 2. Adrian. *quæst.* Sot. 10. *Iust. q.* 5. *art.* 4. Beia 1. *p. cas.* 55. Gloss. communiter recepta *Clem. 1. de relig.* habetur *ca. Presb. de cel. miss.* tenet Innoc. *c. Dolent. eodē tit.* Nau. *c.* 10. *de orat. nu.* 47. Preces vero debent cū recitantur in choro ea voce, vt audiātur a populo, at vero extra chorum, vt verba distincte proferantur. Quidquid dicat Medin. *tract. de orat. q.* 1.

4 QVÆST. *Licetne clericis exercere mercaturam per se, vel per alios?* RESP. Minime. Ita illis prohibetur *cap. Consequens 21. & capit Fornicari eadem d. & capit. Quoniam cleric. & cap. Negotiatorem. 14. qu. 4. & cap. Prædicat. 16. quæst. 1.* Imo clericis negotiatoribus apponuntur grauissimæ pœnæ. Nam in *Ne clerici, vel monachi. capit.* secundum institutta decernitur, vt excommunicentur *cap. Sed nec. eodem tit.* præcipitur,

tur, aut suspendantur ab officio Ecclesiastico. Idem statuitur *cap. Consequens est. dist.* 88. At vero *cap. Clericus. dist.* 94. imponitur eis depositionis pœna. Denique *cap. Canonum.* 14. *qu.* 4. iubetur, vt explodantur à clericali consortio. Ideo peccant mortaliter mercaturam exercendo. Quod intelligo per se ipsos, ratione lucri, vt alij mercatores exercent. Ita D. Thom. 2. 2. *qu.* 77. *art.* 4. Sot. 6. *iust. qu.* 2. *art.* 2. *conclus.* 5. Sylu. *cleric.* 3. *q* 3. Armil. *emptio. nu.* 27. Nauar. *cap.* 25. *num.* 110. & 111. Rod. *in sum.* 2. *p.* 1. cum Rebuffo. *de mercat. minus art.* 1. Salced. *in pract. crim. cap.* 55. Aragon. 2. 2. *qu.* 67. *artic.* 4. *fol.* 644. Comitolus *lib.* 1. *quæ* 54. aperte traditur à D. Chrysost. *hom.* 38. *oper. imperf.* text. express. *in Clem.* 1. *de vita, & honest. cler.*

5 QVÆST. *Quæ proprie appellatur mercatura, in qua exercenda peccat grauiter clericus?* RESP. Omnes ea & sola, in qua res emitur, vt eadem absque alia artificio adhibito vendatur cum lucro. Ita Comitolus. *lib.* 1. *quæst* 54. cum D. Chrysost. *cit. proxime.* Ideo non est mercatura emere animalia macra, vt pinguia facta vendantur, & alia similia in quibus adhibetur industria, labor, & artificium ementis ad venditionem cum lucro.

6 QVAEST. *Licetne clericis exercere mercaturam per alios?* RESP. Licet, Probatur ex *Clem.* 1. *de vita. & honest. cler.* vbi inhibetur clericis exercere officium tabernarij, macellarij, & similium personaliter. Si igitur clericus Deo vacet, & precibus, solumque alicui tribuat pecunias, vt mercaturam exerceat amoto scandalo, potest lucrum reportare. Ratio est, quia lucrum non est prohibitum clericis, si ad bonos, & honestos vsus acquiratur. *cap. Cler. d.* 91. Conceditur que illis tale honestum lucrum apertissimis verbis in Concil. Agathensi, relato *cap.* 1. *de cel. miss.* Probat Gloss. *cap. Peruenit dist.* 86. *§. auaritia causa. c. Negotiatorem* 88. *dist.* Panorm. *c.* 1. *Ne clerici, vel monachi.* D. Ant. 3. *p. tit.* 1. *c.* 2. *§.* 2.

7 QVAEST. *Licetne clericis aliquam artem exercere?* RESP. Licitum est clericis honestas, & decentes artes per seipsos exercere. Ita definitur in Conc. Carthag. & habetur *cap. Clerici de vit & honest. Cleric. & cap. Clericus. dist.* 91. *& ca. Nunquam. de consecrat. dist.* 5. Nam Paulus cum Aquila, & Priscilla scenofactoriam artem exercuit. *act.* 18.

Neque

Neque Petrus, aut alij Apostoli piscatoriam artem ... seruit. Ideo possunt clerici emere, vel conducere ... ad eos in sui, suorumque sustentationem ex colo... Ita Gloss. *cap. Peruenit. verb. auaritiæ. dist. 88.* Possunt ... emere res, quas sua arte, & industria meliores red... & meliores vendant cum lucro. Et ideo non est ... tum emere vinum nouum, quod ex industria ser... optimum per annos, vt cum lucro vendatur. Ita allegat Med *cod. de reb. rest. quæst. 30.* Syl. *clericus. 3. qu. 1. &* 2. ... pluribus, quos citat Host. & Panor. *ca. secundum. Nota vel monach.* Salo. *2. 2. quæst. 77. art. 4. contra. 4.* Ratio ... quia negotiatio honesta ex se licita est, imo vtilis & ne... cessaria Reipublicæ, teste Philosopho, *1. Polit.* & Tullio *... offic.*

Columbas nutrientium peccata. §. 9.

1 *An liceat alicui vti remedijs ad alliciendas alienas columbas in suum columbarium.*

2 *An liceat alienas columbas occidere ad euitandum damnum propinquarum segetum.*

1 QVÆSTIO. *Solent nutritores columbarum aspergere columbarijs odores optimos, & aspergere certa semina grana, non vt suas recreent, & nutriant, sed vt aliena rapiant potius, quam alliciant ad sua columbaria. Quid ... cas?* RESP. Peccare mortaliter. Ita Nau. *cap. 17. ...* tenerique ad restitutionem columbarum, & filiorum ... lictorum. notat Roderic. *p. 2. sum. cap. 19. nu. 2.*

2 QVÆST. *Definit lex certos terminos, intra quos pro vicinitatem columbarij prohibet columbas occidi: Secus ter eosdem terminos segetem habet, sæpissime in eā ... inuenit, poteritne tuta conscientia illas occidere?* RESP. ... serit, si aliter damnum impediri, vel resarciri non pos...

Nam ius ipsum naturale præcipit, damnificatum ... modo ipso quo potest, impedire dam... num proprium.

Concubinarij peccata. §. 10.

1 *De concubinario occasionem proximam non tollente.*

1 QVAESTIO. *Estne in statu damnationis æternæ, & peccato habituali concubinarius, qui quantumcunque dolere sibi videatur de præterito, & proponere de futuro, tamen occasionem præscindere non vult?* RESP. Maxime. Estque status perpetuis lachrymis deplorandus: tenemur enim sub mortali occasiones proximas peccatorum remouere, talis vero est cohabitatio, aut conuersatio cõcubinarij cum concubina, præsertim si adhuc valens est, & succi plena, ait Comicus *apud Terentium.*

Confessoris peccata. §. 11.

1 *De absoluente eos, qui manent in occasione proxima peccandi.*

2 *An peccet confessarius absoluendo pœnitẽtem, quem certo scit sibi mentiri.*

3 *An teneatur confessor, qui absoluit impœnitentem, illum monere, vt vere confiteatur, quia præterita confessio fuit nulla.*

4 *An teneatur confessarius imponere pœnitentiam iuxta grauitatem peccatorum.*

5 *Quæ pœnitentia imponenda confessario pro peccato dubio.*

1 QVAESTIO. *Peccatne lethaliter confessarius absoluens concubinarios publicos, aut secretos quantumcunque de præterito dolere affirment, & de futuro proponere, antequam promittant se inuicem separandos, aut separatos esse dicant?* RESP. Peccat. Sunt enim tales concubinarii in statu habitualis peccati: debetque confessor sibi persuadere eos, aut raro, aut nunquam ita habitando peccatum relicturos. Ita Nau. *ca.* 16 *num.* 345. *& in Add. ad c.* 3. D. Anton. 3. *p. tit.* 17. *c.* 20. Sot. *in* 4. *d.* 18 *q.* 3. *ar.* 3. Angel. *conf.* 6. §. 2. *& concubinatui.* Syl. *conf. qu.* 8. *& confess.*

sunt

ſunt enim huiuſmodi peccatores in occaſione proxima peccandi, quam tollere obligantur; tum ratione ſcandali, tum ratione reincidendi in ſimilia peccata, de quibus ſunt moraliter certi.

2 QVAEST. *Peccatne mortaliter confeſſor, qui clare cognoſcit, aut veriſimiliter credit pœnitentem mentiri in confeſſione, velleque ipſum fallere, & tamen talem impœnitentem abſolvit?* RESP. Peccat. Late probat hanc concluſionem Cord. 4. cum plurimis, quos citat, & refert.

3 QVAEST. *Ob incuriam, & negligentiam omiſit confeſſarius certam rogationem de circumſtantia neceſſaria ad confeſſionis integritatem, rogo, an teneatur pœnitentem monere de defectu commiſſo?* RESP. Iam reſpondi tertia parte huius examinis, cum me de ſacramento pœnitentiæ interrogaſti, non licere confeſſario extra confeſſionem locum cum eodem confitente, abſque illius licentia de peccatis auditis in confeſſione. Nunc tamen dico hunc defectum eſſe vrgentem cauſam, obligantem confeſſarium ad petendam à confitente facultatem, vt illum moneat de re neceſſaria circa factam confeſſionem. Ac proinde ſi monitio abſque ſcandalo fieri poteſt, tenetur talis confeſſarius pœnitentem monere, dummodo illi non obuenat graue detrimentum. Ita Sylu. *confeſſor. 3. qu. 14.* Medin. *confeſſ. qu. 26. & 27.* Sot. *in 4. d. 18. qu. 2. art. 4. & 5.* Nauar. *ca. 17. nu. 22. & 23. & cap. 6. num. 1. & 4.* Cordub. *q. 7.* Fac autem abſque ſcandalo, ſi confeſſor, culpam in ſe ipſum reijciat.

4 QVAEST. *Teneturne confeſſor imponere pœnitentiam ſecundum grauitatem peccatorum, maiorem, vel minorem?* RESP. Tenetur, & aliter faciendo abſque rationabili cauſa peccat lethaliter contra præceptum Eccleſiæ, & officij obligationem. Ita præcipitur in Conc. Trid. *ſeſſ. 14. cap. 8.* vbi ait: *Debent ſacerdotes, quantum ſpiritus, & prudentia ſubiecerint pro qualitate criminum ſatisfactiones imponere.* Præcipitur in Conc. Mogunt. *2. c. 3.* & Niſſen. *c. 12. c. Dom. de pœn. & remiſſ. cap. ex multis. de pœn. d. 1.* tradit Ang. *in Enchirid. c. 65.* Probat Suar. *diſp. de ſatisfact. Sect. 2.*

5 QVAEST. *Peccatne confeſſor imponendo pœnitentiam arbitrariam pro peccato, quod neque ipſe, neque pœnitens cognoſcit eſſe mortale, vel veniale; ſed tantum eſſe culpam?* RESP.

Mini-

Minime quidem, nisi aliunde augeretur culpa. Ita Adriā. *in 4. de confess. quæst. 4. dub. 7. & quodl. 5. art. 2.* Medin. *de confess. quæst. 26. & 27.* Gabr. *in 4. . dist 17. quæst. 1. dub. 2.* Sylu. *confess. 3. quæst. 6. 7. 10. 11. 14.* Sot. *in 4. d. 18. q. 2. art. 4. & 5.* Nau. *c. 13. num. 22. & 23.* Cord. *qu. 9.*

Canonicorum peccata. §. 12.

1 *An teneatur canonicus canere in choro ad lucrandas distributiones.*

2 *An teneatur canonicus ad restituendas distributiones, quas percepit si non cecinit.*

1 QVAESTIO. *Teneturne canonicus ad lucrandas distributiones quotidianas canere officium diuinum in choro cū alijs, an sufficit recitare intra se solū, imo satius ne est solū assistere?* RESP. Tenetur in choro canere cū alijs. Ita illis præcipitur à Concil. Tridentin. hisce verbis. *sess. 24. de reformat. cap. 12. Omnes per se, & non per substitutos compellantur obire diuina officia, atque in choro ad psallendum hymnis, & canticis Dei nomen reuerenter, distincte, deuoteque laudare.* Caietanus vero *libr. 17. responsorum resp. 8.* eos obligat sub lethali ad totam suam dimidiam partem canere cum suis.

2 QVÆST. *Tenenturne ad restitutionem distributionum, quas acceperunt pro sola assistentia chori non psallendo?* RESP. Tenentur. Ita Alens. 4. 4. *p. quæst. 9. ar. 1. num. 2.* Habetur *c. Presb. de celeb. miss.* docet Innoc. *c. Dolentes, eodem tit.* Nauar. *c. 10. de orat. n. 47.* Sot. 10. *Iust. q. 5. ar. 4.* Beia. 1. *p. cas. 55.* Ratio est, quia fructus beneficij dantur propter officium: cum igitur officiū canonici sit recitare officiū diuinum in choro, expresse decreuit Concil. Trid. *citat.* non obeundo officium, nequit in conscientia percipere fructus beneficij, sicut curati non recitantes extra chorum.

Compensantium peccata. §. 13.

1 *An liceat facere secretam compensationem.*

2 *De quibus rebus liceat facere compensationem.*

3 *An liceat facere compensationem ex deposito.*

4 *An liceat facere compensationem ex rebus apud me relictis demortui debitoris.*

1 QVAESTIO. *Liceatne secreta compensatio, intervenientе causa iusta?* RESP. Maxime. Ita Medin. de rest. *quæst. 3. art. 12. & qu. 1.* Sot. *5. Iust. q. 3. ar. 3. ad 1.* Nav. *cap. 17. nu. 107.* Causa vero iusta secundum eosdem Doctores, est probabile periculum amittendæ amicitiæ, publice, vel in iudicio res debita petatur, periculum rixæ, vel contumeliarum, & similia. Non peccat ignorans certus sui debiti, quod aliter extorquere nequit sine periculo grauis incommodi, clam se compensat ex rebus debitoris. Certus dixi, quia si incertus est, & dubitat, debeaturne illi res, an non, peccat se cõpensando, grauiter aut leuiter, iuxta grauitatem, aut leuitatem rei ablatæ, & periculo compensationis: quoniam in dubio melior est conditio possidentis, vt alibi iam non respondi.

2 QVAEST. *De quibus rebus fieri potest compensatio?* Resp. Iuxta Panor. *c. Bona fides. de deposito.* ex solis rebus similibus omnino, & hæ solæ sunt, quæ constant, numero, pondere, vel mensura: & aliter minime, *v. g.* debes mihi equum, non possum facere compensationem in pecunia vel tritico, &c. Dico tamen. Opinio Panorm. admittenda in foro fori, non tamen coram Deo in foro poli. Ita Med. Ioan. *cod. de red. restit. quæst. 2. causa. 12.* Comitol. *lib. 3. resp. quæst. 39.* Et ideo si compensatio fit in re dissimili, tenetur compensator reddere debitori excessum valoris supra debitum.

3 QVAEST. *Possumne facere compensationem ex depositis?* RESP. Minime. Ita cauetur *Decret. Bona fides. de depositis. L. postrema. Cod. de compensat.*

4 QVAEST. *Habeo apud me res Petri vita functi, mihi debentis centum aureos, scio illum è vita migrasse cum aliis debitis antiquioribus, rogo, an possim retinere res, quas habeam in compensationem mei debiti?* RESP. Scio responsionem posse retardari ex eo, quod Petrus viuus teneretur prius omnia debita persoluere, si non esset omnibus simul soluendo. Dico tamen, potes eam facere compensationem. Ita Comitol. *lib. 3. respons. qu. 39.* Ratio est, quia non tenetur

ita rebus alienis prouidere, vt tuarum facias iacturam, & è manibus finas labi, quod præ illis habes, neque est lex quæ illum ordinem in compensatione præcipiat, vt ostendit Comit. *citat.*

AD LIT. D.

CAPVT VI.

Delatoris peccata §. 1.

1 *Ad quid tenetur delator falsi criminis.*
2 *An teneamur deferre illum, cui non profuit fraterna correctio.*
3 *An teneamur deferre cum propria infamia reum læsæ maiestatis.*
4 *An cum periculo propriæ vitæ teneamur denunciare de crimine particulari.*
5 *An hæreticus occultus teneatur se ipsum deferre.*
6 *Quid intendere tenetur delator in denunciatione.*

1 QVÆSTIO. *Ad quid tenetur delator falsi criminis?* RESP. Delator, seu denunciator falsi criminis, tenetur ad damnum parti subortum ex falsa crimination: duplex enim in falsa denunciatione commisit peccatum, vnum sacrilegij falsi testimonij iurati: alterum infamiæ rei, & causæ damni illati, hoc igitur, & infamiam tenetur restituere, vt est manifestum ex terminis. Ita D. Thom. 2 2. *q* 71. *art.* 3. *ad* 3.

2 QVÆST. *Si præmissa correctione fraterna, quæ non profuit, adhuc reus criminis perseuerat in scelere, tenemurne sub mortali, illum deferre?* RESP. Tenemur. Ita nobis præcipit Christus Dominus: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum: si te non audierit, dic Ecclesiæ.*

3 QVÆST. *Quando crimen vergit in damnum commune*

Reipublicæ, vel regiæ personæ, tenemurne deferre cum propria infamia, si non aliunde speretur emenda? Resp. Tenemur, quia iure naturali obligamur bonum commune anteferre parti culari. Et ideo tenetur filius sub mortali deferre patrem proprium de crimine hæresis, vel læsæ maiestatis, aut alterius in commune tendentis periculum cum aliter ei subueniri non possit. Ita Sylueſt. *filius* 3. Alens. 3. *p. q.* 33. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 57. Et ideo benigne interpretandus Roder. à Cunha. *q.* 19. cum oppositum videtur sentire, loquens in specie de muliere sollicitata in confessione.

4 Qvaest. *Teneturne quis denuntiare (non interueniente bono communi) cum periculo amittendæ vitæ propriæ?* Resp. Minime. Ita Sot. 5. *Iust. qu.* 6. *art.* 4. Syl. *metus q.* 7. Comitol. *lib.* 5. *resp. quæst.* 7. *n.* 8. Gabr. *in* 4. *d.* 18. *qu.* 3. *art.* 3. Rodr. *excommun.* 6. Sylu. *excomm.* 5. *qu.* 14. Armil. *ib. num.* 9. Thom. 2. 2. *q.* 147. *art.* 3. *ad* 2. *& in* 4. *d.* 15. *quæst.* 3. *art.* 2. 4. Almai. *tract.* 1. *moral. c.* 3. *prop.* 4. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 2. Naua. & Alens. quos citat. Ledesm. 2. 4. *q.* 25. *art.* 3. *dub.* 2. Suar. *de cens. disputat.* 14. *Sect.* 3. *nu.* 13. *& disput.* 20. *Sect.* 1. *num.* 9. *& tom.* 2. *Relig. lib.* 4. *de hor. can. cap.* 27. *in* 30. & hæc omnium concors opinio Doctorum. Imo neque cum periculo vitæ filiorum text. express. *L. Isti quidem ff. de his quod metus causa.* Tradit Sanch. *lib.* 4 *disp.* 4. *nu.* 5. Comitol. *lib.* 3. *q.* 2. Tiraq. *in præf. L. Si vnquam. num.* 7. *Cod. de reuocand. donat.* Alciat. *de præsumpt. reg.* 1. *præsump.* 1. Roland. *cons.* 30. *num.* 61. *vol.* 1. Imo neque cum periculo vitæ aliorum ascendentium, & descendentium. Ita Sanch. cum alijs. *disp.* 4. *n.* 4. *& propos. c. Cum locum. n.* 10. *de sponsal.* Imo neq; cum periculo vitæ viri, aut vxoris. Ita Sinch. *cit. loc. num.* 3. Henriq. *lib.* 11. *de pœnit. cap.* 9. *num.* 5. Sot. *in* 4. *d.* 29. *q.* 1. *ar.* 2. *ib.* D. Tho. Bonac. *Cum locum. n.* 5. *de spon.* Turrecrem. *in sum.* 31. *q.* 2. *n.* 7. Sylu. *metus. q.* 1. *ib.* Angel. Ratio est, quia vir, & vxor sunt una in carne vna. Imo neque cum periculo vitæ fratrum. Ita Sanc. *disput* 4. *num.* 7. Ratio est, quia Natura arctissimo iunxit amore fratres. Imo neque cum periculo amittendi honoris. Ita Barbatius. *cons.* 6. *n.* 3. *vol.* Gabr. *tom.* 2. *communium. li.* 11. *verb. met. col.* 2. Padilha *L. Interpositam. n.* 14. *Cod. de transact.* & alii, quos refert, & sequitur Sanch. *li.* 4. *disp.* 5. *n.* 11. & probat Cunha. *q.* 19.

5 Qvaest.

5 QVAEST. *Teneturne hæreticus occultus se ipsum Inquisitoribus deferre?* RESP. Minime. Ita Roias *sin.3.nu.35.* Simanch. *de Iust.cach. 6.42.num.13.*

6 QVAEST. *Quid intendere tenetur delator, in denunciatione?* RESP. Bonum commune, scilicet emendam aliorum in posterum, nam si denunciat, vt alteri noceat, peccat grauiter, aut leuiter iuxta damni inferendi intentionem. Ita Card. Tol. *lib. 5.c.57.*

Depositarij peccata. §. 2.

1 *An fieri possit compensatio ex pecunia in deposito habita.*

2 *An vti possim rebus in deposito habitis.*

1 QVÆSTIO. *Qui in deposito habet pecunias, poteritne illis negotiari, & lucrum sibi reseruare?* RESP. Potest, dummodo non sit in mora reddendi, cum ab eo petuntur. Ita Card. Tolet. *lib. 5. cap. 22. num. 6.* Ratio est, quia illud lucrum est suæ industriæ.

2 QVAEST. *Habeo in deposito vas aureum, vel argenteum, aut vestes sericas, & similia, possumne eis vti?* RESP. Si ex vsu talis rei in deposito habitæ nullum, aut leuissimum patiatur detrimentum, potes. Ita Card. Tolet. *lib. 5. cap. 2. num. 6.* Nemini enim facis iniuriam. Aduerterim tamen circa eos, qui sub pignore occulto dant mutuas pecunias honestis personis, quæ cum rubore apud eos suam indigentiam declararunt: eos quidem grauiter peccare, cum pignora nota ostendunt, eis apud hospites vtendo, veluti pateris, poculis, annulis, catenis, & similibus, manifeste ostendendo res illas apud se esse pignori datas: erunt enim contra fraternam charitatem, quæ præcipit, *quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.* Læditur etiam grauiter amicitia humana: oriuntur enim inde aliquando graues inimicitiæ, vt ego ipse experimento vidi.

Diuinorum, seu augurum peccata. §. 3.

1 *An liceat augurari futura ex auium cantu, & volatu, aut ex animalium mugitu.*

2 *An ex causis naturalibus, liceat conijcere euentus naturales.*

3 *An liceat vti chiromantia.*

4 *An diuinus teneatur restituere pretium acceptum pro augurando.*

5 *An vti liceat maleficio ad tollendum aliud maleficium.*

1 QVAESTIO. *Licetne ex cantu, aut volatu auium animalium vagitibus, & similibus rebus naturalibus, ex somnijs, ex sortibus, aut alijs naturalibus euentu certo conijcere euenta supernaturalia, & ea, quæ pendent ex libero hominis arbitrio?* RESP. Minime. Sed peccat lethaliter, qui talia diuinat certo. Ita D. Thom. 2.2. q. 95. ar. 7. & sq. & ib. Caiet. Sot. 8. *Iust. q. 3. art. 1.*

2 QVAEST. *Licetne ex illis euentis naturalibus multa conijcere naturalia?* RESP. Licet. Ita D. Thom. & alij citati Doctores, & idem D. Thom. 3. *contra gent. cap. 93.* Abb. in *opuscul. astron cap. 31.* Medin. *de rect. in Deum fid. lib. 2. cap. 1.* Dedit enim Auctor Naturæ cognitionem quandam pluuiam animantibus ratione carentibus, vt se muniant contra pluuiam, tonitrua, fulgura, tempestates, insuper, vt exeant tutæ ad pastum. Similiter ex complexione naturali, naturaliter sequi debent tales effectus, nisi à diuina gratia, & hominis libera volitione impediantur: scilicet ex abundantia choleræ, sanguinis, & alterius humoris, ex qua abundantia naturaliter sequitur propensio ad rixam, ad luxuriam, & similia. Certo tamen affirmare hunc hominem futurum vitiosum, vel virtuosum, est vanum, & superstitiosum, contra scripturam asserentem Deum solum scrutatorem esse cordis.

3 QVAEST. *Licetne vti chiromantia?* RESP. Minime. Ita prohibetur in iure, loca asserunt Castr. *li. 1. de hæret. pun. c. 13.* Simanch. *de inst. cath. cap. 21. n. 180.* Nau. *lib. 2. de rest. c. 2. n. 109.* Ideo peccat iuxta hos Auctores, mortaliter, qui chiromantia vtitur.

4 QVAEST. *Teneturne diuinus restituere pecunias, quas accepit à consulentibus pro responsis petitis, & acceptis à diuinis?*

gnone? RESP. Minime. Ita Roder. *verb. diuinare. cap.* 8. *n.* 4. Nau. *lib.* 1. *de restit.* Ratio sumitur à communi restitutionis regula, iuxta quam non tenetur quis restituere pretium, quod accepit ob rem turpem faciendam, vt iã respondi in propria materia : diuinus vero operam suam turpem adhibuit, & ideo pretium non tenetur reddere.

5 QVAEST. *Adest iustissima causa quærendi remedium ad tollendum maleficium, nulla subest, nisi per aliud maleficium, licebitne vno maleficio tollere aliud, hoc est, consulere diuinum, jus dæmonem per diuinum de remedio adhibendo ad tollendum maleficium;* RESP. Nequaquam: quia illa consultatio est intrinsece mala, & ideo ex nullo bono fine cohonestari potest: non enim sunt facienda mala, vt eueniant bona. Ita Cou. *c. Quamuis pactum. 1. p.* §. 1. *n.* 9.

AD LIT. E.

CAPVT VII.

Episcoporum peccata. §. 1.

1 *De episcopatus desiderio.*
2 *An liceat episcopo renunciare episcopatui, cum detrimento boni communis.*
3 *Ad quid tenetur religiosus factus episcopus circa religionis obseruantiam.*
4 *De bonis religiosi facti episcopi.*
5 *An episcopi consecrati fruantur beneficiis.*
6 *Quid potest episcopus circa peccata reseruata Papæ.*
7 *Quando peccant episcopi in conferendis beneficijs.*
8 *Ad quid tenetur episcopus ratione officij pastoralis.*

9 *Quid est dicendum de residentia episcoporum.*
10 *An episcopus, qui vouit post episcopatum religionem, teneatur ingredi religionem, relicto episcopatu.*
11 *An qui habet votum religionis, possit accepto episcopatum non ingrediendo religionem.*
12 *An teneatur Episcopus infamiam sibi impositam ostendere esse falsam.*
13 *An possit Episcopus prohibere, ne prædicetur in parochiis suæ vrbis, cum prædicatur in cathedrali.*

1 QVAESTIO. *De episcopatus desiderio quid censes, num ne, an virtuti tribuendum?* RESP. Dico primum. Qui Episcopatum desiderat ob solos reditus ecclesiasticos, tanquam ob finem principalem, peccat mortaliter. Ita Sylu. *Episcop.* §. 4. Ratio est, quia huiusmodi deprauata diuitiarum cupiditas grauiter repugnat bono communi, vt notat Tolet. *l.* 5. *cap.* 3. Idemque dicendum est de desiderio episcopi circa pinguiorem episcopum, vt docet Nau. *in apolog. de redd. ecclesiast. quæst.* 1. *mon.* 11. *num.* 2. si talis sit transitus propter solos pinguiores reditus: quia est inordinata notabiliter auaritia. Dico secundum. Qui episcopatum desiderat ob solam propriam excellentiam, & honorem, tanquam propter finem principalem, peccat mortaliter, quia est inordinata notabiliter ambitio. Ita Med. *lib.* 1. *sum. ca.* 16. §. 1. & Nauar. cit. Dico *tertium*, qui episcopatum desiderat ob solam consanguineorum vtilitatem, tanquam ob finem principalem, peccat mortaliter, quia est quædã notabilis amor proprii affectio. Ita Med. *citatus*. Dico 4. Desiderare episcopatũ, qui altior est perfectionis status, peccatũ est mortale iuxta D. Thom. 2. 2. *qa.* 185. *ar.* 1. *quia*, inquit, *præsumptio grauis circa altitudinem status periculosi*. Veniale vero putant iuxta Tolet. *loc. cit.* Desiderare igitur episcopatum propter bonum finem, id est, propter bonum commu-

ne Do-

ne Ecclesiæ, vt scilicet ab idoneo pastore gubernetur, bonum est opus iuxta D. Paulum ad Timoth. 3. *qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Ita D. Thom. 2. 2. *qu.* 185. *art.* 3. & *ibid.* Caiet.

2 QVAEST. *Gubernat optimis moribus Alexius suas oues inuadit animum accensa cupiditas propriæ quietis, & consolationis: sed occurrit menti spirituale detrimentum euenturum ouibus peccatne mortaliter in successu?* RESP. Peccat. Ita aperte colligitur *ex capit.* 1. & *c. Nisi de renun.* Ratio est, quia naturali iure tenemur anteferre bonum commune particulari *cap. Si indulgentiam. de foro comp.* probatque Nau. *tom.* 1. *cons. tit. de renunc. conj.* 4. Ostenditque ipsum naturæ lumen.

3 QVAEST. *Religiosus factus episcopus ad quid tenetur, circa religionis obseruantiam?* RESP. Ad tria vota essentialia, nimirum ad obedientiam peculiarem Papæ (translata enim est à superioribus religionis ad Papam) Ad castitatem (non tamen maiori vinculo voti, vt placuit Tolet. *lib.* 5. *capi.* 4. quanquam ratione scandali, grauius peccaret, quam monachus) Ad paupertatem, quoad dominium rerum, quo vero ad vsus, seruanda est consuetudo tolerata reliquorum episcoporum. Ita communiter Doctores cum D. Thom. 2. 2. *quæst.* 185. *artic.* 8. Dico secundum. Tenetur gestare habitum religionis suæ. Ita communis schola docet Tol. *libr.* 5. *capit.* 4. Saa. *verb. episc. numer.* 11. Circa hoc non seruandus est vestium vsus, iuxta nouum rituale episcopis iussum. Dico tertium. Tenetur insuper seruare religionis suæ statuta, & obseruantias, quæ statui episcopali non repugnant. Oppositum docuit Saa. *verb. episcopus. in* 11. Caiet. *opusc.* 27. *cap.* 22. Sot. 10 *iust. quæst.* 5, *artic.* 7. Couar. *cap.* 1. *de test. num.* 18. Sed conclusio est D. Thom. 2, 2. *quæst.* 185. *artic.* 8. & ratio sancti Doctoris est efficax, quoniam transitus monachi ad episcopatum, est transitus perfecti ad perfectius, ergo secum ducit, quæ perfectionem maiorem iuuare possunt. Illas igitur obseruantias religionis, quæ ipsum episcopum iuuant in maiori perfectione, tenetur episcopus non deserere. Quæ vero religionis obseruantiæ ipsũ non iuuant, declarat D. Thom. esse solitudinem, silentiũ, vigilias immodicas, abstinentias graues, & similes, quæ

sane impedient diligentem curam pastoralem. Vbi nequaquam audiendus Cardin. Tolet. *libr. 5. capit. 4.* cum obligat monachum Carthusianum factum episcopum tota vita vesci piscibus, nisi cum eo dispensetur. Si tamen monachus erat Diu. Francisci, non videtur excusandus abstinere carnibus die Natalis Domini, cum accidit feria sexta, quia ad id obligat illius religionis regula, vt volunt Caietan. Sot. Couar. *citat.* neque tale abstinentia impedit officium pastorale. Et intra hanc propositionem intelligenda sunt, quæ dixi 1. *p. cap. 6. nu. 2. ad*

4 QVÆST. *Cuius sunt bona episcopi antea monachi, quæ acquisiuit post episcopatum susceptum?* RESP. Ecclesiæ episcopatus. Ita *ca. Stat. 11. qu. 1.* & ita Doctores *ca. Testamenti.* cum Couar. *nu. 19.*

5 QVÆST. *Fruunturne episcopi iam consecrati beneficijs simplicibus, quæ ante consecrationem habebant, vel possunt ea noua possidere absque dispensatione?* RESP. Minime. In Panorm. *in ca. Ecclesia vestra nu. 2. de elect.* Nau. *in add. ad lib. 3. cons. de concess. prab. cons. 1.*

6 QVÆST. *Quid potest Episcopus circa peccata occulta reseruata Papæ?* RESP. Potest illa absoluere per se, vel per suos vicarios, præterquam ab hæresi, quia de hæresi ipsi possunt absoluere, quo ad forum conscientiæ. Ita decernitur in Trident. *sess. 24. cap. 6.* Quæ potestas non est ordinaria, vt voluit Saa. *verb. episcop. nu. 37.* citans pro se Cordubam, Bannes, & Viualdum, sed delegata: potestas vero delegata, non potest subdelegari.

7 QVÆST. *Quando peccant mortaliter in conferendis beneficijs?* RESP. Cum in primis ea conferunt indignis: quo tenentur ad restitutionem secundum omnes, faciendam autem est restitutio Ecclesiæ, cuius est beneficium. In Sylueſt. *rest. 3. §. 5.* Scot. 4. *Iust. qu. 6. art. 3.* Tolet. *li. 3. cap. 4.* Valent. *tom. 3. disp. 5. qu 7. art. 2.* Ang. *rest. 2. nu. 1.* Pedraza *præcept. 7. d. 36.* Mercat. *L. 6. cap. 17.* quos citat, & sequitur Saa. *verb. elect. num. 7.* sed hac de re iam respondi *tit. de beneficiario.*

8 QVÆST. *Ad quid tenetur Episcopus ratione officij pastoralis?* RESP. Ad concionandum per se, vel per alios viros doctos, & pios. Ita Trid. *sess. 5. cap. 1.* Deinde tenetur singulis annis Synodum cogere diœcesanam de prouidendo

Ecclesiæ

Ecclesiæ statu. Ita Trident. *sessione.24. capit.* 2. Tenetur præterea singulis annis per se, vel per alios visitare Episcopatus parœcias. Ita Concil. Trident. *sessi.24. capit.3.* Sed hac de re standum est consuetudini locorum per contrarios actus abrogatæ, aut saltem toleratæ. Tenentur denique conferre sacramentum Confirmationis. Qua in re dolenda vehementer Prælatorum incuria, propter quam gratia fortitudinis erga perfidiæ phalanges priuantur Christi milites, cum non leui detrimento animorum, neque à lethali culpa parum soliciti pastores excusari possunt. Ita Viuald. *de confirmat. titul. de ministro. num.* 7. Peccat etiam mortaliter confirmando non subditos. Ita Viuald. *proxime citato loco.* cum Sylu. & Arm. quos refert.

9 QVÆST. *Quid dicendum habes de eorum residentia?* RESP. Obnixe rogo, vt hanc rogationem serues ad quæstiones de parocho, ne iterum cogar de eadem re respondere.

10 QVAEST. *Voluit Episcopus religionem, teneturne religionem intrare, relicto episcopatu?* RESP. Affirmat Tolet. *libr. quinto, capit.* 6. habita prius à Papa licentia: eam vero petere tenetur iuxta Sylu *votum* 2. §. 1. & Palud. quem citat. Oppositum tamen dicendum arbitror, iuxta Diu. Thom. 2.2. *quæst.* 185. *artic.* 3. & veram rationem. Nam non datur obligatio transitus à perfectiori ad imperfectiorem statum, veluti à virginitate ad nuptias, ac proinde licet quis vouisset nuptias indeterminate cum paupere virgine ad seruandam illius castitatem, aut cum prostituta meretrice ad illam à turpitudine liberandam, indeterminate, inquam, hoc est, non iurando alicui certæ virgini pauperi, aut meretrici, adhuc posset permanere in cœlibatu: sed episcopatus est perfectior status, quam religio, iuxta D. Thom. 2.2. *quæst.* 184. & Sylu. *Episcopus. qu.* 2. Ergo, &c.

11 QVAEST. *Qui vouit religionem, & fit Episcopus, teneturne prius ingredi religionem, quam acceptet episcopatum?* RESP. Teneri videtur innui *capit.* 10. *de Voto.* casus tamen illius capitis fuit particularis, & ideo non extendendus ad omnes, ac proinde non tenetur. Ita Saa. *Ver. episcop. num.* 1.

12 QVAEST.

12 QVAEST. *Fuit episcopo irrogata grauis infamia, peccat mortaliter, si non studeat eam à se repellere?* RESP. Peccat. Saa. *verb. episc. nu.* 13. nec adducit rationem. Fruitur enim tè ex scandalo, quod inde oues accipiunt, nisi se ostendat innocentem.

13 QVAEST. *Licetne episcopo prohibere, ne prædicatur in parochia, dum prædicatur in cathedrali vrbis, aut oppidi, in commoratur?* RESP. Minime. Ita declarauit Cong. Cen. teste Saa. *verb. Episcopus. nu.* 45.

Electorum, seu suffragatorum peccata. §. 2.

1 *Quæ est valida electio.*
2 *Quæ electio dicitur minus libera.*
3 *De electione coacta.*
4 *An in aliquo euentu possit eligi indignus.*
5 *An præses teneatur acceptare iustam electionem.*
6 *An præses possit non acceptare electionem indigni sibi noti.*
7 *Qui sunt incapaces ad eligendum.*
8 *Qui non possunt eligi.*
6 *Quis infamis non potest eligi.*
10 *An rex teneatur eligere adoptiores magistratus.*
11 *De electoribus minus digni in oppositione beneficij.*

1 QVÆSTIO. *Scisciter prius ad fundamentum aliarum rogationum, quæ electio est inualida?* RESP. Quæ minus liberè fuit facta, ipso facto inualida est. Ita decreuit sanctissimus Pius V. *in bulla Pastoralis.*

2 QVAEST. *Quæ electio dicetur minus libera?* R. g. 31. Quæ in primis facta fuit per metum. Ita definitur ipso iure. *cap. Vbi periculum §. cæterum. de elect.* Omnis autem metus, etiam iustus, reddit quoad Deum actum nullum, iuxta Nauar. *capit.* 17. *numer.* 29. §. *in 2. m. & cap.* 22. *numer.* 51. Item, quæ facta fuit per limitationem personarum, & hæc appellatur electio coarctata, vt cum dicit præses congre-

congregationis Nomino Petrum, Ioannem, & Iacobum, ex his tribus eligite vnum in abbatem.

3 QVAEST. *Diceturne coarctata electio, cum præses proponit tres, aut quatuor sibi visos digniores, & dicit, ex his, vel alijs eligite, quem volueritis in abbatem?* RESP. Minime, quia in hoc præses nil aliud facit, quam aperit suam mentem circa sibi visos digniores.

4. QVÆST. *Est statutum religionis, vt non eligantur ad tale munus, nisi ex tali, vel tali natione: sunt omnes illius nationis indigni, tenebunturne electores indignos ex illa natione eligere?* RESP. Minime. Imo grauiter Deum offendent: mens enim institutionis fuit dignitates digno deferre, & non indigno in quocunque euentu. Colligitur hæc veritas ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. Sot. 3. *Iust. art.* 2, *col.* 3. à simili. Nam si quis statutum habeat, vt capella deueniat ad vnum ex familia, & in familia non inueniatur sacerdos dignus, eligi potest extraneus.

5 QVÆST. *Peccatne præses mortaliter, non acceptando iustam electionem?* RESP. Peccat, & secunda electio est nulla, tenetúrque ad restitutionem primo electo, quia iniuste illum priuat re, in qua iam habet ius in re per canonicam electionem.

6 QVAEST. *Nouit bene præses congregationis electum esse indignum, licebit ne electionem non acceptare, & ita iubere, vt alius eligatur, ob certas sibi notas rationes?* RESP. Si certus sit indignitatis electi, licebit coram Deo (quidquid sit erga homines) semoto tamen scandalo procedendi cum odio personæ, & non indignitatis.

7 QVÆST. *Qui sunt incapaces ad eligendum, licet sint de electoribus?* RESP. Suspensi ab officio, interdicti, & excommunicati maiori excommunicatione. Ita Sylues. *elect.* 1. *num.* 17. Couar. *capit. Alma. §.* 7. *num.* 9. probantq; id latè ex iure. Excommunicatus vero intelligendus est non toleratus, quia tolerans, per excommunicationem occultam, eligens vt persona publica, quia ad illum, vt talem pertinet electio, validè elegit.

8 QVÆST. *Qui reijciuntur à iure, vt eligantur in dignitates?* RESP. Interdicti, & qui interdictum fregerunt, suspensi, illegitimi, infames, excommunicati maiori excommunicatione. Et ideo grauiter peccant electores, qui

qui hos, & præter hos, eos, qui reijciunt statuta communitatis, eligunt: & ob id peccatum puniuntur ipso facto beneficiorum suspensione per triennium *capit. Cum cunctis. de elect.* notantque Innocent. Card. Panor. & communiter Doctores. *capit. Cum illa de elect.* Electio vel excommunicati maiori excommunicatione, non ipso facto nulla, sed potest annullari. *cap. fin. de elect.*

9 QVAEST. *Censebiturne infamis ad huiusmodi effectum accusatus de crimine adhuc pendente lite, & à suis inimicis, cum sit alioqui boni nominis vir?* RESP. Minime. Ita Hostiens. Andreas, & Felyn. *cap. Minimum de accusat.* Tali igitur solus est conuictus crimiuis infamis, vt notat Roder. *in sum. cap. 105. nu. 2.*

10 QVÆST. *Tenenturne reges, & senatores, qui hoc potestatem acceperunt eligendi magistratus ad Rempublicam gubernandam, eligere aptiores, aut saltem aptos, & idoneos?* RESP. Tenentur. Ita Peres *in libr. 7. Ordin. regal. titul.* licet oppositum asserat Caiet. *in sum. verb. elect.* Ratio est quia Reges habent iurisdictionem eligendi ab ipsa Republica. non est autem credibile intentionem Reipublicæ fuisse, committere illi gubernandi potestatem quosuis magistratus aptos, vel ineptos, sed per aptiores. Ideo peccant aliter prouidendo, quam ex contractu cum Republica promiserunt: tenenturque ad restitutionem damnorum, quæ ex mala electione successerunt, satis tamen est eligere dignum, & aptum ministrum, delicto aptiori, & digniori, quia per dignum, & aptum ius Reipublicæ prouisum est.

11 QVÆST. *Quid censes de electoribus minus digni, relicto digniore, ad beneficium concursui oppositorum expositum?* RESP. Peccant grauissime, tenenturque ad restitutionem ipsi digniori faciendam. Ita Caiet. 2. 2. *quæst. 62. ad dub. 3.* Roder. *in sum. 1. p. cap. 108. nu. 6.* cum Aragon. quem refert. Habet enim candidatus dignior ex oppositionis libertate ius ad rem, & ideo per repulsam patitur iacturam iustitiæ, vt communiter docent Theologi.

(:.:)

Excu-

Excommunicatorum peccata. §. 3.

1 *An excommunicatio liget ignorantes monitorium, nisi post sex dies transactos.*
2 *De perplexitate duorum excommunicatorum se inuicem absoluendi potestate pollentium.*
3 *An excommunicatus sit prius absoluendus ab excommunicatione, quam à peccatis.*
4 *An valeat absolutio à peccatis data ante absolutionem ab excommunicatione.*

1 QVAEST 1O. *Inciditne in excommunicationem, qui post sex dies transactos monitorij, cognoscit monitorium fuisse promulgatum erga eos, qui rem certam non reddebant, & eam habens non reddit:* RESP. Minime. Ratio est, quia excommunicatio vltra terminum assignatum, non habet vigorem, nec ligat contumaces extra illud tempus, si intra illud nihil de ea sciuerunt, neque intentio iudicis est ligare contumaces extra illud tempus, sed solum contumaces intra illud. Ita Tabien. *excommunicat.* 4. §. 4. Armil. *ibidem* §. 34. Nauar. *capit* 27. *numer.* 15. Beia. *casu* 47. 1. *p.*

2 QVAEST. *Sunt duo tantum presbyteri approbati in vno oppido notorij clerici percussores, adest necessitas confitendi, quisque habet facultatem absoluendi ab excommunicatione in foro pœnitentiali: Rogo, an se inuicem possint absoluere ab excommunicatione? Ratio dubitandi est, quia excommunicatus maiori excommunicatione priuatur actiua administratione omnium sacramentorum, vt iam dixisti in suo loco?* RESP. Credo quidem posse, quia necessitas non habet legem: nam in necessitate licet excommunicato baptizare *capit. Prater* 32. *dist.* Deinde in eadem necessitate potest absoluere à peccatis, vt docet Tabien. *absolutio.* 2. §. 6. Roderi. *de Reg. quæst.* 20. *artic.* 12. Ergo in eadem necessitate poterit absoluere ab excommunicatione. Nec aliud credendum est, de pia Ecclesiæ voluntate erga filios.

3 QVÆST. *Estne prius absoluendus excommunicatus ab excom-*

excommunicatione, quam à peccatis? RESP. Maximè communiter Doctores. Palud. *in 4. d. 17. quæst. 6. art.* Sot. *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1.* D. Anton. *3. p. tit. 14. cap.* §. 4. Sylu. *confess. 3. p. quæst. 1.* Nauar. *cap. 9. num. 4. in cap. Fratres. de pœnit. dist. 5. num. 38.* Ratio est, quia excommunicatus tam maiori, quam minori excommunicatione est à passiua sacramentorum participatione perfectam priuatus. *capit. Si celebr. de cler. excomm. ministr. in Si celebr. cap. Engeltrudam 3. 4 quæst.* Ire vero contra præceptum ex sententia eorundem Auctorum est mortale, illud verò appellat D. Thom. *2. 2. qu. 99. art. 3. sacrilegium.*

4 QVÆST. *Valetne absolutio à peccatis, data ante absolutionem excommunicationis?* RESP. Si excommunicatus sciat impedimentum, minime, quia est impœnitens peccando. Dico secundum: Si excommunicatus impedimentum ignoret: vel si per eum non stat, vt absolutus ab excommunicatione, imo est vere pœnitens. Negant adhuc Auctores *proximè* citati: insuper Adrian. *in 4. quæst. de matrimon. quæst. 2.* Sylvest. *confess. 1. num. 5.* Tabien. *num. §. 26. Armil. absolutio.* communiorem, & tutiorem appellat sententiam. Ratio eorum est, quia excommunicatus est incapax passiuæ sacramentorum participationis *si celebrat, de cleric. excommun. minist.* Oppositum tamen dicendum, cum adest bona fides in suscipiente absolutionem sacramentalem. Ita Richard. *in 4. d. 18. art. 10. qu. 4.* & clarius *art. 7. quæst. 1.* Angel. *confessio. 5. §. 10. & tripl. 1. §. 20.* Caietan. *verb absolutionis impedimentum, & verb. confess. iteratio, & in opusc. de qualitat. confess. quæst. 1.* Naua. *9.* Couar. *cap. Alma. p. 1. §. 6.* Pet. Sot. *in instruct. sacer. fol. 1. de excommun.* Comitol. *lib. 6. quæst. 26.* Ratio sumitur ex æqualitate, & clementia Matris Ecclesiæ insuper quia vt notat Caietanus, nullibi ita fieri prohibitum est in Ecclesia. Ita etiam asseruerunt Supplementum *confess. §. 4.* Medin. *in sum. lib. 1. capi. 11. §. 3.* Ratio eorum est. Quia si excommunicatus alia sacramenta recipiat, vera sacramenta recipit. Si confirmetur, & ordinetur. *cap. 1. De his qui furtiue ordines susceperit:* si consecret. *cap. De homine de celebr. miss. & cap. Intra Catholicam 1. quæst. 1.* si vagans iuxta Doctores *in 4. dist. 24.* negantes esse iterandam vnctionem,

ctionem, quam iam in eadem infirmitate excommunicatus susceperit. Si nubat. *cap. Significasti de eo, qui dux. in mat. quam pol. per adul.* Probatque Felynus *in rubric. de sponsalib. colum.* 5. & Petrus *in cap.* 1. *concl.* 3. *de except. libr.* 6. Ergo idem dicendum videtur de susceptione sacramenti pœnitentiæ; ac proinde ex eo tantum dicitur incapax sacramentorum receptionis, quia si illa contumax contra Ecclesiæ præceptum, & inobediens recipiat, obicem habet, hoc est, graue peccatum mortale.

AD LIT. F.

CAPVT VIII.

Fiscalium peccata. §. 1.

1 *De custode vrbis non comprehendente inuentos nocte.*

2 *De restitutione pœnarum, quas erant adiudicandæ.*

3 *De restitutione pretij, quod accepit pro libera dimissione.*

4 *De restitutione damni illati ab inuentis nocte.*

5 *De custodibus publicis viarum.*

1 QVAESTIO. *Iurat præfectus custodiæ vrbis (Nostrates appellant Meirinho, Alcaide, & similes) se accusaturum, quos post signum campanæ datum nocte, inuenerit quomodo peccat non accusando?* RESP. Mortaliter, qui iuramentum non implet. *ca. si vero de iureiur.*

2 QVÆST. *Quæro vlterius. Teneturne ad restitutionem pœnarum, quas soluturus erat inuentus?* RESP. Minime. Ita Sylu. *rest.* 3. *quæst.* 5. cum Bernardo, quem citat Nauar. *capit.* 25. *numer.* 34. Ratio sumitur ex communi doctrina, quia pœnæ non debentur ante iudicis sententiam.

3 QVÆST. *Teneturne restituere, quod accepit pro liberam dimissionem?* RESP. Minime. Ita Nau. *cap. 17. num. 32. & cap. 25. num* 34. Ratio etiam sumitur ex communi doctrina, iuxta quam non est restituendum, quod accipitur ob turpem causam.

4 QVÆST. *Inuenit aliquem damnum tertio inferentem.* RESP. Peccat mortaliter non accusando, quia iuramentum frangit. Et præterea tenetur ad restitutionem damni. Ita Sylu. quem citat, & sequitur. *capit. 25. numer.* Ratio est, quia ex officio tenebatur tale damnum impedire, & non impediuit, ideo peccauit contra iustitiam.

5 QVÆST. *Quid censes de custodibus publicis viarum, Hispani appellant aduaneros?* RESP. Quod dixi de custodibus vrbium, & ideo non tenentur, si taceant, restituere pœnas imponendas, inter quas est maxima amissio mercium exportatarum. Tenentur tamen restituere vectigalia regia, si iusta sint, quia hæc non illæ, debentur ante latam sententiam. Ita Nau. *cap. 25. numero vltimo quæsitum.*

Filiorum peccata. §. 2.

1 *An filius teneatur obedire parentibus in eligendo vxore.*

2 *An pater possit cogere filium ad honestum coniugium.*

3 *Quæ tenentur filij exhibere parentibus.*

4 *An odisse patrem, aut matrem, sit circumstantia valde aggrauans.*

5 *De filio irreuerente erga patrem.*

6 *An filius teneatur succurrere parentibus in necessitate constitutis.*

7 *Cui teneatur filius in extrema necessitate parentum, filio suo.*

8 *De obedientia filij erga patrem in ijs, quæ pertinent ad gubernationem.*

9 *De filio percutiente parentes.*
10 *De filio detignante parentes propter paupertatem.*

1 QVÆSTIO. *Teneturne filiusfamilias obedire parentibus circa electionem vxoris?* RESP. Si ex electione certæ vxoris timerentur ferme certo maximæ inimicitiæ, odia mortifera, graue honoris, aut rerum detrimentum; teneretur. Ita Doctores communiter. His amotis libere, cui vult, nubere potest Ratio est, quia in seruitute perpetua, & obligatione indissolubili, non tenetur obedire, vt probat Argentin. *in 4. sente. distinct. 29. quæst. 1.* Matrimonium vero est, quædam seruitus perpetua, & indissolubilis obligatio, præcipue causa interueniente: hæc autem esset efficax promissio futurarum nuptiarum fœminæ æqualis conditionis, aut non multum dissimilis. Æqualis, dixi, aut non multum dissimilis conditionis; quia ducere indignam repugnante patre, aut respuere æque dignam ex cuius matrimonio parentes sperant honoris, pacis, & facultatum augmentum, est mortale peccatum. Ita Cardin. Tolet *lib. 5. ca. 1.* Sot. *in 4. d. 1. quæst. 18. art. 1.* Nauar. *cap. 14. num. 5.* Guter. *de quæst. can. cap. 20. nu. 3.*

2 QVÆST. *Possuntne parentes cogere filios ad honestum coniugium?* RESP. Possunt. Ita Roder. *in sum. cap. 14. nu. 2.* Neque Conc. Trident. *sessi. 24. ca. 9.* id prohibet fieri a parentibus, sed tantum dominis temporalibus, qui ex imperio matrimonia imperare, aut prohibere solebant. Ideoque in regno Castellæ possunt sic inobedientes filij legitima hæreditate priuari à parentibus *L. 49. Taur.* habetur *lib. 5. nouæ copil. L. 1. titul. 1.* docet Guter. *lib. 2. pract. qu. 1. & 3.* & Rod. *citato loco.*

3 QVÆST. *Quæ tenentur filij exhibere parentibus?* RESP. Tria. Amorem, obedientiam, & reuerentiam.

4 QVÆST. *Odisse patrem, aut matrem, esine circumstantia adeo aggrauans, vt sit de necessitate confessionis dicere odisse patrem, aut matrem iuxta opinionem de necessitate taliũ circumstantiarum?* RESP. Maxime quidem. Ita Nauar. *cap. 14. num. 11.* sicuti, qui patrem occidisset, teneretur dicere, occidi patrem: sequitur Tol. *lib. 5. cap. 1.*

5 QVAEST. *Est filius sæpe irreuerens erga patrem, dure, & aspere verbis illum tractat (verumtamen absque interno odio) peccatne mortaliter ita se gerendo, foris ostendendo ne odisse, & despicere per acrem intuitum, & per asperam allocutionem?* RESP. Peccat. Ita Alens. 3. *p. qu.* 33. Syl. *filius.* 5. Ang. *ibid. num.* 30.

6 QVÆST. *Teneturne filius succurrere parentibus in necessitate constitutis?* RESP. Tenetur: adeo vt eis in magna penuria constitutis, quam ipse potest subleuare, ingrediendo religionem, peccet mortaliter. Ita D. Thom. 2. 2. *qu.* 101. *art.* 4. *ad* 4. & Tolet. *lib.* 5. *ca.* 1. *num.* 6. Si vero iam professus sit religiosus, tenetur sub mortali eis succurrere extreme indigentibus egrediendo monasterium, vt eos alat foris. Ita Caiet. 2. 2. *qu.* 101. *ar.* 4. Nau. *cap.* 14. *num.* 14. Egredi etiam tenetur, si grauiter indigentibus ingressus est monasterium, & adhuc in eadem graui necessitate parentes sint constituti. Quod si iuxta aliquos in hac graui necessitate non obligetur, potest tamen iuxta omnes egredi, petita, licet non obtenta, à superioribus licentia, sic Tolet. *loco supr. cit.*

7 QVAEST. *Est in extrema necessitate filius Titij, & pater; cui tenetur sub mortali succurrere, cum ambobus simul non potest?* RESP. patri. Ita Sylu. *filius.* 2. §. 26. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 6. *ar.* 9 *ad* 3. Tolet. *lib.* 5. quod si alibi aliud dixi, nunc probabilius hoc sentio.

8 QVÆST. *Obstinate non vult filius obedire parentibus in ijs, quæ pertinent ad gubernationem domus. Item experientia non vult obedire se amouendo à prauis consuetudinibus, familiaritatibus, peccatne mortaliter inobediendo, crimine inobedientiæ?* RESP. Peccat. Ita Card. Tolet. cum commun. *lib.* 5. *cap.* 1. Dixi pertinaciter, quia si id faciat ex fragilitate, aut vehementi passione, arbitror solum peccare venialiter. Sot. 1. *Iust. quæst.* 6. *artic.* 2. Victor. *de potest. ciuili ad finem.*

9 QVAEST. *Quod peccatum est patrem, aut matrem leuiter percutere, minari iniuriose, iactare in eos verba execrabilia, maledicere eos ex deliberato animo, absentes, siue præsentes?* RESP. Mortale. Colligitur apertè ex pœna, qua Deus Opt. Max. tales filios capite plecti iubeat. *Exod.* 2.

10 QVAEST. *Peccatne mortaliter filius, qui patrem, aut matrem*

matrem ob paupertatem dedignatur, & ignotum sibi coram alij ostendit? Peccat nisi ex tacita voluntate patris, & iusta ratione id proueniat, cum oporteat ex grauibus causis in parentum, filijque aut Reipublicæ vtilitatem cedentibus, sic Tolet. *loco citato.* Nauar. *ca* 14. *nu.* 3.

Fœminarum peccata. §. 3.

1 *An peccet fœmina se ostendendo amasio cum æque bene potest fugere illius conspectum.*
2 *An peccet fœmina permittendo amorem Tityi, illam in coniugem concupiscentis.*
3 *De fœminis ostendentibus membra pulchriora.*
4 *De pigmentis fœminarum.*
5 *Quid dicendum de ornatu muliebri.*

1 QVÆSTIO. *Scit Bertha se carnaliter adamari à Titio, & quoties eam videt in carnalem prodire concupiscentiam, peccatne mortaliter vltro se illi ostendendo, absque alio animo peccandi, cum possit eius conspectum fugere, absque vllo proprio detrimento?* RESP. Peccat, & toties, quoties se absque necessitate videndam exhibet. Ita D. Anto. 2 *p. ti.* 5. *capit.* 1. §. 7. Nauar. *cap.* 16. *num.* 13. Ratio est manifesta, quia ex charitate tenemur impedire aliorum peccata.

2 QVÆST. *Ornat se Bertha, vt carnaliter ametur à Titio in coniugem, non in concubinam, quod coniugium ipsa nullo modo cupit, sed vult à Titio ob certas vtilitatum causas adamari in coniugem, peccatne mortaliter illum amorem permittendo vt ita loquar?* RESP. Minime, Ita Nauar. *capi.* 16. *numero* 14. appellat enim illum amorem honestum, quia ad bonos, & honestos fines tendit. Idem docet. *cap.* 23. *num.* 22.

3 QVAEST. *Sunt fœminæ suaptè natura procaces, & ex leuitate mentis membra speciosiora, & grossiora gestant nuda, vt placeant, qualia sunt brachia, pectus, crura, & cat. incomptos capillos, neque tamen proponunt honestam se habituras compositionem, rogo, an sint in habituali peccato scandali?* RESP. Mihi valde probatur opinio affirmans, quam religiose satis defendit Saa. *verb. ornatus,* contra multos.

Ratio est, quia illæ humanorum membrorum partes suapte naturæ prouocant ad libidinem, & ideo perpetuo sunt puritati scandalo actiuo, quod sub mortali tenemur euitare cum possumus.

4 QVAEST. *Fuco se, & pigmentis, capillisque alienis ornari vult formosam Bertha, non tamen illum finem primo intendit, quantum peccat?* RESP. Venialiter tantum, quia mendacium. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 169. *ar.* 2. *ad* 3. Nauar. *capit.* 3. *numer.* 20. *& capit. Furati. de constitut. distinct.* Saa. *verb. ornat.* tale vero mendacium est graue, inquit Nau.

5 QVÆST. *Quid sentis de ornatu muliebri, absque alio fine, quam pro ostendenda pulchritudine?* RESP. In hac materia solum peccatum veniale agnoscit Nau. *capit.* 23. *num.* 18. cum Caiet. 2. 2. *quæst.* 169 *art.* 1. quamuis peccatum accidens inquit, ex splendido ornatu, aliena concupiscentia alliciatur ad libidinem. *argum. cap. Quisquis.* 41. *dist. cap. Quæ contra mores.* 8. *distinct.* licet ornatus se sit religiosa, vel religiosus, etiamsi, inquit, iterum, ob id alius ad peccandum mortaliter moueatur, nisi quis se ornet ornamentis a lege grauiter prohibitis aut ita indecenter, vt vendat intra luceant. sic Nau. & Caietanus. Oppositum docet Sylu. *ornatus* cum plurimis, quem sequor iuxta *d. cap. huius §.* cum scilicet sine detrimento potest quis vitare hoc proximi scandalum passiuum.

AD LIT. H.

CAPVT IX.

Hæreticorum peccata. §. 1.

1 *An ex licentia Episcopi possit aliquis sacerdos absoluere hæreticos occultos.*

2 *Quis dicendus sit fautor hæreticorum.*

1 QVÆSTIO. *Possuntne hæretici occulti absolui a sacerdote, cui episcopus committit, vt eos absoluat?* RESP. Affir-

Affirmat Cord. *qua. 8. quæst. libel.* Ratio eius est, quia licet Conc. Trident. *sessi. 24. cap 6.* hanc potestatem commiserit solis episcopis: dedit illis hanc potestatem ordinariam, & non delegatam, ita tamen, vt non transferatur ad episcoporum vicarios per communem, & absolutam deuolutionem suæ iurisdictionis, quam expressis verbis noluit deuolui, & deuoluta irritat idem Concilium: hoc tamen non tollit, quin in particulari possit alicui committi. Fundamentum huius conclusionis est, quia commissarius iure potest alteri committere vices suas, quia accipit potestatem ordinariam, vt docet cum communi Sylvest. *absolutio. 4. qua. 6. dub. 2. & ver. commissarius.* Sed cum episcopi deliguntur à Concilio ad absoluendos hæreticos occultos, eliguntur, vt commissarij à iure, igitur possunt hanc potestatem alicui sacerdoti committere.

2 QVAEST. *Censeturne hæreticorum fautor, qui cum notorijs hæreticis agit in suam propriam vtilitatem, & commodum, non vt hæretici sunt, sed vt politici ciues, mercatores, opifices sapientes, meretrices, & similes?* RESP. Minime. Ratio sumitur ex constanti Theologorum, Iuristarumque proloquio, vsu receptissimo, minimè nos teneri cuitare excommunicatos, nisi sint notorij clerici percussores, & nominatim denunciati, vt iam ostendi in propria materia de excommunicatione. Licetque videre longam & satis doctam probationem apud Beiam *2. p. cas. 7.*

Hæredum peccata. §. 2.

1 *De legato relicto filijs spurijs.*
2 *Ad quid teneatur filius spurius circa legatum sibi à patre relictum.*
3 *De extraneo constituto hærede sub confidentia de tradenda hæreditate filio spurio.*
4 *An parentes succedant filijs spurijs morientibus ab intestato.*

1 QVAESTIO. *Instituit Socrates extraneum hæredem sub fide data expressa de tradendis bonis filio spurio ex*

damnato concubitu ipsius Socratis. Rogo vtrum extraneus possit illa bona retinere. Deinde vtrum illa possit tradere spurio, an teneatur illa reddere hæredibus ab intestato succedentibus? RESP. Talis non est verus hæres, & ideo peccat mortaliter retinendo, aut spurio tradendo, siue à laico, siue à clerico institutus sit, reddendaque hæredibus ab intestato talis hæreditas. Ita Barthol. *cons.* 194. Bald. *L. quod pauper. Cod. de episcop. & cler.* Ratio est, quia tale testamentum est fraudulentum, quia contra id, quod leges decernunt, cum ex fide data teneatur hæres institutus illa bona reddere spurio: & ideo per tale fraudulentum testamentum non acquiritur dominium rerum relictarum. Imo talis hæres, vt prædo censetur. *L. In tacitis. ff. de legatis, & fideicommissi.* Priuaturque hæreditate, & bona applicantur fisco.

2 QVÆST. *Tenenturne in conscientia filij spurij cedere legatis relictis in testamento parentum: nisi sint legata pro alimentis, statim ante iudicis sententiam?* RESP. Tenentur. Ita Beia 2. *p. cas.* 12. Ratio est, quia leges prohibentes filium spurium succedere iure hæreditario non sunt pœnales, sed præceptiuæ, annullantes talia legata in conscientia, vtpotè decernentes inhabilem hæreditatis talem spurium, Probat. *L. Extraneum. C. de hær. instit.* Probat Alex. *cons.* 174. *in* 3. *nu.* 4. Dixi nisi sint de alimentis, quia alimenta debentur iure naturali, cui non possunt contradicere leges humanæ.

3 QVÆST. *Si talis extraneus hæres relinquatur sub confidentia animo tantum concepta, & minime declarata exterius de tradendis bonis spurio filio, quid censes?* RESP. Censeo testamentum non esse fraudulentum, & ideo extraneum esse verum hæredem, quia ex illa mera confidentia non manet obligatus ad reddenda bona: posseque illa reddere spurio ex gratitudine, quæ à nobilibus expectatur. Leges vero prohibentes, ne veniant bona ad spurios, relicta sub confidentia, loquuntur de confidentia necessitate, & cogente institutum hæredem, hoc est, quæ fide data & exhibita pollicitatione declaratur, constat id textu expresso *L. Prædonis ff. de petit. hæred. l. ita fidei. ff. de iure fisci.* Quæ leges cum sint odiosæ, non sunt extendendæ ad ea quæ ibi non exprimuntur.

4 QVÆST.

4 QVÆST. *Succeduntne parentes filijs spurijs ex damnato concubitu ortis, morientib, ab intestato?* RESP. Minime, *Authen. Quibus modis. § illud. col. 6.* Panorm. *ca. Tanta. num. 13. qui filij sunt legitimi.* Ideo cum filij non succedunt parentibus ab intestato, neque itidem parentes filijs. Notat Gloss. communiter recepta, *in Auth. Si qua illustris. Cod. ad Orficianum. & in § Nouissime. Instit. eodem.* Paleotus *de nothis. cap. 43.* Nau. *lib. 3. consil. titul. de succes. ab intest. consil. 1.*

AD LIT I.

CAPVT X.

Iudicum peccata. §. 1.

1 *De vsurpatione iurisdictionis.*
2 *Quot modis datur via ad cognoscenda crimina.*
3 *Quo modo iuridice procedendum.*
4 *Quid dicendum de criminibus atrocioribus circa punitionem.*
5 *An sit de essentia iudicij ordo processus à iure prascriptus.*
6 *An iudex possit damnare reum iuxta allegata, & probata, quem scit priuata scientia innocentem esse.*
7 *De iudice sæculari prohibente emere à clericis, vel eis aliquid vendi.*
8 *De iudice sæculari reum ab ecclesia extrahente ad illam confugientem.*
9 *Qui dicatur locus sacer.*
10 *Qui gaudent ecclesiæ immunitate.*
11 *Qui non gaudent hoc priuilegio.*

12 *An teneatur iudex carcerem inuisere, & de necessarijs prouidere.*

13 *An teneatur restituere pretium acceptum pro iustè, vel iniustè iudicando.*

14 *Cui facienda est supradicta restitutio.*

15 *De iudicibus falso suppositis.*

16 *An teneant acta per eos.*

17 *An pœna arbitrio iudicis relicta, possit esse captis.*

1 QVAESTIO. *Quod peccatum est vsurpare iurisdictionem non sibi debitam?* RESP. Ex genere suo mortale. Ita D. Tho. 2.2.q.60.ar. 6. Nau. *cons.* 1. *de hæ. nu.* 4. notatur *L. vlt. ff. de iurisdiction. iudic.* Cunha. *tract. de confess. q.* 5. *nu.* 5.

2 QVAEST. *Quotuplex est iudicibus procedendũ vel cognoscendum crimina?* RESP. Triplex, accusatio, denunciatio, & inquisitio. Ita Rubric. *de accusat. in decretalib. & in omnes. ca. Accusatus, de hæret.* Afflict. *lib.* 1. *constit. rubr.* Carrer. *in pract. tit. de hæret. nu.* 102. Reper. Inquisit. *vel denunciatio.* ex text. *L.* 2. *Cod. de Apostat.*

3 QVAEST. *Qui ordo requiritur, vt iuridice procedat in unaquaque harum viarum?* RESP. In accusatione, vt adsit legitimus accusator, & libellus in scripto. In delatione, vt præcesserit correctio fraterna, id est, monitio. Inquisitione, vt præcedat inquisiti infamia, est tex. *in cap. Quæsiter* 2. *c. Inquisitionis.* §. *tertiæ. de accusat.* Duennas *reg.* 1. Clarus *n. vlt. quæst.* 6. Abb. Felyn. Maran. *num.* 16 *in cap. Licet. de accusat.* Hæresim tamen excipio, in qua via inquisitionis non est necesse, vt præcedat infamia, vt notat Duen. *num.* 9. *citati loc.* Simanch. *de Instit. cap.* 44. *num.* Auendanh. *res.* 31. Sed sufficit suspicio, vel iudicium, iuxta eosdem Auctores. & Nau. *cap. Inter. ver. concl.* 6. *nu.* 2. via vero delationis non requiritur præuia monitio, vt aduertit Simanch. *de Instit. cath. c.* 19. *num.* 6. & 10. Et alibi iam respondi, & probaui in propria materia.

4 QVAEST. *Licetne iudicibus in criminibus atrocioribus pa-*

pire conatus, etiam non obtento effectu? RESP. Licet. L. Si quis non dicam. Cod. de episcop. & cler. L. Quisquis. Cod. ad L. Iuliam. tradit Menoch. de arbitr. cas. 360. num. 1. & 27. Decian. tract. crimin. lib. 5. cap. 83. nu. 4. & libr. 7. cap. 35. hi autem conatus debent exterius signis declarari.

5 QVÆST. *Estne adeo de essentia iudicij ordo processus à iure prescriptus, vt nulla sit sententia data super litem, in qua talis ordo processus non fuit seruatus, licet ex inordinato processu apertissime veritas colligatur?* RESP. Maxime secundum ius commune. Ita legislator Lusitanus *lib. 3. Ordin. tit. 63.* Veruntamen secundum ius Portugalliæ eodem citato titulo, aliter decretum est, his verbis: *Mandamos, que os iulgadores, iulguem, & determinem os feitos, segundo à verdade, que pelos feitos for prouada, & sabida, ou per confissam da parte, posto que o processo seia mal ordenado, ou errado, ou falte nelle alguna solemnidade substantial ao iuizo aqual faltando, ou sendo errada no processo, todo o iuizo, & sentença, que delle procedesse seria nenhua, segundo direito, Por que sem embargo iisto que remos, que nano seia o processo annullado, nem se possa dizer à sentença nenhuna, se à verdade for sabida pello processo, & o iulgador iulgou o que lhe pareceo iustiça polias prouas no processo feitas sobre à verdade, & substantia da causa.*

6 QVÆST. *Fecit, quod potuit iudex, vt non ferret sententiã de reo publice probato nocente, quem scit priuata sententia innocentem esse. Potestne illum damnare secundum scientiam publicam ex allegatu, & probatu?* RESP. Potest. Ita D. Tho. 2. 2. *qu.* 67. *artic.* 2. *ib.* Caiet. facit *L. illicitas. §. Veritas. ff. de offic. præsid. Pastor. §. quia vero de offic. del.* & ita communiter Doctores Arag. 2. 2. *quæst.* 67. *art* 2. Halens. 3 *p quæst.* 40. *num.* 7. *art.* 2. Sot. 5. *Iust. quæst.* 4. *ar.* 2. Rich. *in* 4. *d.* 15. *ar.* 3 *q.* 2. *ad* 1. Valent. 3. *tom. disp.* 5. *q.* 11. *p.* 2. Repugnat Saa. *verb. iudex num.* 3.

7 QVAEST. *Quomodo peccat iudex secularis, qui prohibet subditis, ne emant à personis ecclesiasticis, neque illis vendant?* RESP. Grauiter, & ipso facto est excommunicatus, *c. Eos. de immunit. Ecclesiæ.*

8 QVAEST. *Extraxit, vel iussit extrahere, aut attentauit extrahere, per vim à loco sacro eos, qui ad illũ confugiunt, quomodo peccat?* RESP. Grauissime lethaliter. Prohibetur

id

id vtroque iure, canonico quidem *ca. Definim. c. Si quis tumax. c. Reum 17. qu. 4.* & ciuili, quod late prosequitur Pampilo *de immunit. Ecclesiastica.*

9 QVÆST. *Quoniam oportunitas loci exigit, regulas dari aliquibus huc attinentibus. Quis dicitur locus sacratus immunitate?* RESP. Quælibet capella, Basilica, ecclesia, & quodlibet aliud sacellum erectum pro dicenda missa cum episcopi facultate. Item cœmeterium ab eodem episcopo pro humandis corporibus sacratum, siue sit contiguum cum Ecclesia, siue contiguum, siue longe sit ratum. *c. Quisquis 13. qu. 4.* Item dormitorium communis clericorum, siue Religiosorum. *c. Cum pro causis de sent. excom.* Item ianua, & porticus Ecclesiæ, aut cœmeterio annexa. *c. Si quis contumax,* & Panorm. *in cap. penult. de immun. Eccles.* Item religiosarum domorum clausum, & pauimentum, quantumuis longum sit. Ita Nau. *cap. 21.* Domus Episcopalis, licet ab Ecclesia diiuncta. *c. Statuimus. 17. qu. 4.* Innoc. & communiter omnes ratione *alia. de immun. Ecclesiæ.* Item spacium quadraginta passuum in circuitu Ecclesiæ maioris, & triginta Ecclesiarum minorum. *c. Sicut antiquius c. Quisquis. 17. qu. 4.* vt affirmat Oldrad. *cons. 35.* Felyn. *c. Cum pro causa citat.* Verumtamen hoc ius per desuetudinem, & non vsum est antiquatum & abrogata opinio. Seruaturque tantummodo quo ad fines vltimos ipsius loci sacri, vt vult Nauar. *cap. 21. n. 18.* ideo seruandus est mos cuiusque regionis. Habetur etiam pro loco sacro sacerdos deferens Eucharistiam, vt notant Hostiens. & communiter Doctores. *c. Sanctorum de celebr.* Item Cardinalium personæ per vsum, & consuetudinem. Notat Andr. Sicul. *de præst. Cardin. q. 9. p. 1.* Idem confirmat Nauar. de Regum, Reginarumque personis, quam non statuis. Item in vrbe domus Cardinalium atque legatorum Regum, & Rerumpublicarum, intra certum ambitum.

10 QVÆST. *Qui gaudent Ecclesiæ immunitate?* RESP. Omnes, & soli Christiani, qui ad locum sacrum confugiunt, siue ob delicta, siue ob debita *cap. Inter alia de immun. Eccl.* Vbi Panorm. *n. 4.* Excommunicati, suspensi, interdicti. Ita Imola, & Bonifac. & communis. *in Clem. 1. de pœn. & remiss.* Item serui cum confugiunt ad locum sacri

ob deli-

ob delicta, quę à iure grauissime puniuntur, vel ob sæuitiam dominorum *c.25.n.19.* Itē egressis è carcere, siue de licentia, siue per vim. Ita Nau. *c.25.n.19.* cum communi: Item comprehensus, qui per locum sacrum ducitur. Ita Nicol. Boer. *decis.100.* & communis contra Archid. *in ca. Sicut. 1.17.q.4.* etiamsi iam damnatus ad supplicium ducatur. Ita Nau. *c.25.n.9.* Item percussor, vel occisor clericorum extra locum sacrum. Ita Nauar. *ca.25.n.9.* contra multos, quos contra rationem, siue textum loqui affirmat. Item exules, & banniti damnati capitis per quemuis occisorem voluntarium. Mercator, qui pecunias dissipauit, & creditores illusit: transfuga ad hostes: modo nō deliquerint in Ecclesia, vel peccata excepta committant. Ita Nau. *c.25.n.9.* Item blasphemi; iuxta Nau. *c.25.nu.20.* Vbi id late probat.

11 QVÆST. *Qui non gaudent hoc priuilegio?* RESP. Grassator viarum, nocturnus segetum, & aliorum fructuum vastator. *c. Inter alia diminuit. Eccles. 2.* Qui in Ecclesia graue crimen committit *cap. finali. de immunit. Eccles.* iuxta communem, & Ordin. Lusitan. *lib.2.tit.4.* In noua vero impressione, *libr.2.tit.5.§.2.3.* occisor per insidias, per cōmunem *cap.2. de homic.* Item qui in nostra Portugallia aliquem occidit, aut percutit, de proposito, vel in duello prouocato *lib.2. Ordin. tit.5.§.3.4.* Qui ex Ecclesia alium foris, vel ex aforis percutit in Ecclesia. 5. Qui insuper profugum ad Ecclesiam ab ea extraxit siue per se, siue per alium, saltem per vestes trahendo. Ita Nau. *c.25. num.21.* 6. Qui sponte ab Ecclesia egreditur. Ita Hostiensis cum communi *cap. finali. de immu. Eccl.7.* Personæ Ecclesiasticæ iuxta vsum receptum; & Panor. *cap. finali. de imm. Eccl.* Excipe constitutum in minoribus erga iudices sæculares: nam ij habent super illum iurisdictionem concessam à Conc. Trid. *sess.23. cap.6.8.* Qui iuxta Ecclesiam delinquit, animo ad eam confugiendi. Ita Hostiensis *in sum. tr. de immunitate. §. in quantum. num.8.* sed huiusmodi opinio est antiquata. 9. Qui comburit Ecclesiam, vel eam deturbat solo *c. fin. de imm. Eccl.* Sed de hac Ecclesiæ immunitate seruandus est mos cuiusque prouinciæ, & regni, de qua luculenter & pie satis Ordinationes Lusitanæ, *lib.2.tit.5.n.2. nouæ impressionis.*

12 QVÆST.

12 QVAEST. *Teneturne iudex carceres inuisere, & pro-dere detentis necessaria ad vitam?* RESP. Tenetur, & si ex curia grauiter detenti laborent fame, siti, nuditate, ... tudine peccat lethaliter, argumento *L. Iudices. Cod. ... piscop. aud. & cap. Pasce. 89. dist.*

13 QVAEST. *Teneturne ad restitutionem pretij pro iuste ... iniuste iudicando accepti?* RESP. Tenetur. Ita decernitur 1. 4. q. 5. *cap. Non sane.*

14 QVAEST. *Cui facienda est talis restitutio?* RESP. ... Primum acceptum pro iniusta sententia proferenda ... stituendum est ei, in cuius damnum sententia lata est ... decernitur 1. q. 2. c. *iubemus.* Dico secundum. Accepta pro iuste & recte iudicando: aut pro, iudicando ... ex officio tenebatur iudicare: aut pro non iniuste iudicando, restituendum est ei, qui dedit. Ita colligitur ... *Non licet* 2 q. 3. Multi tamen, & graues Auctores restituendum aiunt pauperibus. Ita Archid. *cap. Quæ recte* ... 3. Innoc. *cap. Plerique. Extrauag. de ing. Eccl.* & Hostiensis *sum.*

15 QVAEST. *Sunt in nostra Lusitania aliqua ... nostrates appellant (Coutos, & Consilia) in quibus ... les ad creandos iudices deponunt suffragia apud scribam ... ipsi literarum ignari sint. Scribæ tum amore, tum ... largitionibus corrupti de hoc, aut illo suffragia assignant ... minus cogitantibus suffragatoribus. Quæro an iudices ... suppositi, & furtiui sint veri iudices?* RESP. Minime quidem, quia non creati per vera suffragia: ideo si ... tum sciant, tenentur cedere officio: peccantque ... ter inducendo scribam ad talem iniustitiam contra ... iurandum sui muneris, & in damnum vsurpatæ iurisdictionis.

16 QVÆST. *Tenentne acta per eos, facta, & iudicata ... essent veri iudices?* RESP. Tenēt. Est enim hoc principium iure receptum, vt qui communi existimatione, & ... publici officij magistratum gerit in Republica, licet ... ipsa titulus verus non sit, & ideo neque magistratus, ... bilominus valeant per eum gesta. Ita communiter Doctores.

ctores. L. *Barbarius. ff. de officio prætoris.* Quod ius ciuile in canonicum quoad vsum, & praxim translatum etiam est; & ideo, qui parochus communiter reputatur cum titulo præsumpto, vere tamen parochus non est, ex defectu intrinseco, dummodo verus sacerdos sit, nihilominus vere absoluit parochianos; per veram iurisdictionem ab Ecclesia in eo casu ei concessam. Sic vero in præsenti, quia tales homines publica existimatione, & titulo licet falso, habentur vt veri iudices, quamuis coram Deo, re vera non sint, tenent acta per eos, vt satis liquet.

17 QVAEST. *Peccatne mortaliter iudex damnando capitis pœna reum, cuius punitionem reliquit Legislator iudicis arbitrio* RESP. Negat Gloss. *Institutio. de iniurijs §. in summa.* Bald. *L. 1. ff. de ijs, qui latron. occult.* Abb. *capit. Venit. col. 5. de dol. & contum. &c. Cum te col. 3. de re iudicata.* Salzed. *Complut. in Addition. ad Bernard. capitu. 149.* cum alijs, quos citat; appellatque hanc partem negantem communem. Affirmant veruntamen Gabal. *in millelogu.* 512. Simanch. *in Instit. titul.* 46. *numer.* 81. Castr. *de leg. pœn. lib. 1. capitul.* 6. Sot. *libr. 5. Iust. quæst. 1. articul.* 3. Cum igitur in iudicando attendenda sit lenitas Christiana, & mansuetudo, nisi crimen atrocissimum sit, hæc affirmans opinio videtur probabilior, atque praxi aptior, & commodior pro decernenda pœna.

Inquisitorum hæreticos peccata. §. 2.

1 *Ad solos Inquisitores pertinent crimina fidem attingentia.*

2 *De affectu, quo debent Inquisitores procedere.*

3 *Quid possunt Inquisitores circa episcopos.*

4 Qua

4 *Qua pœna plectendus est laicus, qui se fingens sacerdotem audit fœminarum confessiones.*

1 QVAESTIO. *Ad quem pertinet inquisitio, & pœnitio hæreticorum, aut suspectorum fidei, & similium ad religionem attinentium?* RESP. Ad [illegible] iudices hæreticæ prauitatis, Inquisitores vocant, [illegible] per se, vel per alios episcopi loci iunguntur in [illegible] neque possunt soli de hæresi procedere: imo denunciationem illis factam, tenentur secretissime mittere ad [illegible] quisitorum tribunal. Ita Simanch. *de catholic. Instit.* [illegible] *nu.* 5. Molin. *de Iust. lib.* 5. *disp.* 28. *nu.* 13. & 14.

2 QVAEST. *Quo affectu tenentur huiusmodi inquisitiones facere?* RESP. Zelo iustitiæ, amore fidei. Si autem [illegible] vel amore, vel largitionibus corrupti, suam inquisitionem, criminis punitionem exerceant, aut non [illegible] ant, grauiter peccant, & excommunicationem pontificiam incurrunt latam *in Clem. multorum de hæretic.*

3 QVÆST. *Quid possunt inquisitores aduersus episcopos hæresis suspectos, aut simulatos?* RESP. Dico primum. De hæresi contra episcopos inquirere, aut prætextu hæresis contra episcopos procedere nequeunt tex. express. *cap. inquisitores. de hæret. lib.* 6. Ita *ibidem* Repert. *ver. episcopus.* [illegible] diego. *de hæretic. qu.* 7. *num.* 15. Carrer. *n.* 74. Calder. *de hæret. c.* 8. *n.* 9. Simanch. *c.* 25. *nu.* 7. *Iust.* Penha 3. *p. Direct.* [illegible] 76. Locat. *in oper. iudic. ver. episcopus. nu.* 2. Roias. *de hæret. singul.* 55. *num.* 2. Nomine episcoporum, etiam veniunt [illegible] li, qui titulares appellantur. Ita cum alijs Simanch. [illegible] *nu.* 12. *Instit.* Dico secundum. Fas est inquisitoribus hæreticæ prauitatis dicta testium deponentium contra episcopos excipere, & ad Sum. Pontificem denunciantia transmittere. Ita decernitur *d. ca. Inquisitores de hæret.* [illegible] citati Doctores, & Cunha super diploma Pontificum aduersus solicitatores muliercularum in confessione sacramentali. *q.* 12. *num.* 9. late id probat. Dico tertium. [illegible] causa subest detinendi episcopos, ne fugiant, dum ad [illegible] dem Apostolicam cum crimine denunciando legatus mittitur, fas est Inquisitoribus episcopos detinere. Ita [illegible] dem Auctores citati: parcissime tamen vti debent huiusmodi rigore, ne quod in fidei vtilitatem concessum est, cedat

cedat in detrimentum propter scandalum. Nomine vero episcoporum, non veniunt electi tantum in episcopos, nondum sacrati. quia non sunt re vera episcopi, sed futuri sunt. Ita Glos. *l. c. 1. de relig. dom.* Felyn. *cap. Eam de rescrip. num* 1. Selua *de benef. p. 1. quæst. 1 num.* 31. Simanch. *de instit. tit. 26. nu.* 11. Dico quartum. Cardinales, Inquisitores generales facti, in episcopos, & quosuis alios prælatos inquirere possunt, sed processus referendus ad Summ. Pontificem, vt ferat sententiam. Ita decreuit Pius IV. *Extrauag. Romanus Pontifex*, affert Penha *inter Pontificias literas fol.* 129.

4 QVAEST. *Quo malo puniendus est laicus, qui se sacerdotem simulans, fœminarum audit confessiones, & eas ibi ad venerea sollicitat?* RESP. Vti de hæresi suspecti Inquisitorum examini subiiciuntur. Ita habetur *cap. 2. de cler.* non ordinato ministrante. tradit Salzed. *in pract. crim. c.* 12. & Greg. P. XIII. motu proprio Inquisitoribus commisit teste Roder. *tom. 2. de regu. q.* 28. *ar.* 2. & Paul. IV. teste Locato *in oper. iudic.* Maiolo *lib. 4. irreg. c.* 13. *n.* 1. *&* 3. Paul. *eodem tit. par.* 6. *tit. de cleric. non ord. min.* Et hanc ob rem Conimbricæ abiurauit de leni an. M. DC. X. quidem diaconus, qui presbyteratum exercebat. Et Romæ redactus est in cineres frater certi ordinis iussu Ale. VI. ob eandem rem. Intelligenda tamen est conclusio de ficto laico confessore, qui simul audit, & absoluit pœnitentem fœminam. Sic enim verba Bullæ Grego. XIII. confessione audire, ac absolutionem impartiri. Ita Cunha *citato loco.*

Inimicorum peccata. §. 3.

1 *Quo pacto nos gerere debemus erga inimicos.*

1 QVAESTIO. *Quo pacto nos gerere debemus erga eos, quos habemus inimicos, aduersus quos etiam inimici appellamur?* RESP. Præmitto inimicum dupliciter sumi posse, formaliter nimirum, vt ita loquar cum logicis, & materialiter. Inimicus formaliter est, qui adhuc inimicitiæ tædis aduersum nos, flagrat. Inimicus vero materialiter est, qui inimicus dicitur, quoniam olim inimicitiæ signa ostendit, sed modo è contra amoris. Dico

igitur primum. Erga inimicos formaliter tenemur [illegible] mortali ea exterius amoris signa ostendere, quæ [illegible] munia sunt, & quæ omni personæ exhibemus, [illegible] vero odium deponere, & male nolle. Ita D. Thom. [illegible] 26. & qu. 34. ar. 3. Alens. qu. 68. nu. 3. Syl. ver. carit. [illegible] Glos. c. Si quis contristatus. dist. 9. Nauar. ca. 14. nu. [illegible] Quando. de Constit. dist. 13. Probatur ex illo Christi Domini Matth. 17. Nisi remiseritis ex cordibus vestris. Ideo [illegible] tenemur eis condonare pœnam à legibus pro iniuria [illegible] atam, sed eam in iudicio possumus exigere, zelo [illegible] endæ iustitiæ ad salutem populi spiritualem, ad [illegible] tem Reipublicæ, vt frænum audacibus inijciatur. [illegible] fit, vt nisi detur scandalum, non teneamur alloqui [illegible] micos formaliter alloquio particulari, aut quasi [illegible] quela quam non exhibemus omnibus omnino [illegible] mis, & multo minus ad ludum, & similia illum [illegible] re. Dico secundum. Erga inimicos materialiter, [illegible] mus particularia amoris signa ostendere. Ita [illegible] Thom. in 3. d. 3. quæst. 1. art. 2. ad 2. & 2. 2. q. 8. art. [illegible] tan. ibid Alens. 3. p. q. 67. num. 3. D. Anton. 2. p. tit. [illegible] Bonauen. 3. sent. d. 30 Gabr. ibi. qu. 1. ar. 3. dub. 2. [illegible] tas. quæst. 3. Tabien. ib. 14. Armilla. ibid num. 1. [illegible] virt. car. cap. 12. §. 1. quæst. 6. Rich. in 3. d. 3. quæst. [illegible] norm c. 1. de malefic. Barthol. in L. Si tibi decem. [illegible] ctis. Nauar. cap. 14. num. 9. quos citat, & sequitur [illegible] 10. Ratio est, quia præceptum charitatis obligat [illegible] sitate: sed ostensio signorum amoris, & postulatio [illegible] necessitatem afferunt ostendendi similiter amoris [illegible] ergo, &c. vt egregie ostendit Caiet. 2. 2. quæst. 3. ar. [illegible] qui sequitur scandalum videntium, & existimant [illegible] adhuc odio ardere in talem inimicum materialiter [illegible] co tertium. Si inimicus materialiter promittit [illegible] bus satisfactionem iniuriæ reddendam, & veniam [illegible] & condonationem satisfactionis; ad quam illius [illegible] non attingunt, tenemur acceptare liberam satisfactionem possibilem, & partem reliquam condonare, & [illegible] procedere in iudicio de iniuria nobis inusta. Ita [illegible] 10. Probatur ex præcepto Christi Domini Luc. 16. [illegible] uersus fuerit ad te dicens, Pœnitet me, Dimitte illi. [illegible] bum, dimitte non accipiendum est pro dimissione [illegible]

teriore, nam ad illam tenemur erga inimicum non reuersum, & pœnitentem: sed de dimissione exteriore aduersus inimicum reuersum, & pœnitentem. Longiore probatione supersedeo, eam videre licet apud Doctorem Beia *casu cit.*

AD LIT. L.

CAPVT XI.

Locantium domos peccata. § 1.

1 *An liceat domos locare publicis peccatoribus?*
2 *Præcipue vsurarijs.*

1 QVÆSTIO. *Licetne locare domos meretricibus, aut alijs publicis peccatoribus?* RESP. Negantem partem tenaciter defendit Nauar. *c.* 17 *n.* 195. contra praxim. Affirmat tamen Maior. *in* 4. *d.* 15. *q.* 35. & Beia *cas.* 27. Ratio est, quia locare domum indifferens est ad bonum, & ad malum finem: finis vero intentus à locatore est vti suis rebus, & lucrum accipere, fructusque suarum facultatum, locatque eas meretrici, vt mulieri ad se protegendum contra temporis iniurias: si vero ipsa ex malitia turpes fines sibi proponat, locatione abutitur, & ideo locatio est remotissima causa turpitudinis exercendæ, atque eodem modo confectio vestium lasciuarum, calceamentorum, pigmentorum, & similium, quæ vsui humano ex sua natura sunt ordinata ad vsus bonos, & indifferentes, & ita obtinuit praxis absque scrupulo confessorum, & episcoporum.

2 QVÆST. *De locatione domus vsurarijs peculiariter, quid dicis?* RESP. Locare domos alienigenis vsurarijs lethale est, quia prohibitum *cap.* 1 *de vsuris lib.* 6. Nullum verò peccatum locare indigenis. Ita Rosel. *ver. restitutio. n.* 34. Tabien. *vsur.* 1. *n* 5. contra Nauar. *c.* 17, *n.* 195. sed text. tantum loquitur de locatione vsurarijs alienigenis.

Locantium pecunias peccata. §. 2.

1 *An liceat locare pecunias.*

1 QVÆSTIO. *Estne peccatum locare pecunias?* Respondeo pecunia, quatenus est metallum, vt est aurum, vel argentum, inseruitque ad pompam, & apparatus: item ad pignus, locari potest. Ita D. Thom. 2. 2. q. 78. *art.* 1. *ad* 6. Quoniam vero in contractu locationis dominium rei penes locatorem remanet, & si res fortuito pereat, Domino perit, si pecunia locetur, eius dominium manet penes locatorem, & ideo si fortuito pereat, domino peribit.

Librariorum peccata. §. 3.

1 *De diuenditione librorum prohibitorum.*
2 *De impressione librorum prohibitorum.*
3 *An teneantur librarij imprimentes, vel diuidentes libros prohibitos ad pœnam ante sententiam.*
4 *De prohibitione librorum vendendorum in Hispania.*
5 *De assportatione librorum in Hispaniam.*
6 *De prohibitione imprimendorum librorum in Hispania.*
7 *De prohibitione imprimendorum librorum ex iure canonico.*

1 QVÆSTIO. *Quod peccatum committunt librarij in diuendendis, vel imprimendis libris, quos diuendi, aut imprimi sub pœna capitis, verberum, confiscationum bonorum, excommunicationis, & similium grauium, legibus Ecclesiasticis, vel ciuiles in certis regnis, aut regionibus prohibitis?* Respondeo Mortale ex natura sua, nisi aliqua circumstantiarum ratio excuset. Quæ quidem leges, quia iustissimæ obseruandæ sunt, vt vsu recipiuntur, iuxta consuetudinem cuiusque regionis.

2 QVÆST.

2 QVAEST. *Quomodo peccant diuidendo, aut imprimendo libros, aut habẽdo eos in officinis animo eos vendendi, circa quorum diuenditionẽ, aut impressionem cautũ est à Rege sub grauibus pœnis ab alio id fieri, quam à certa persona, vel de eius licentia?* RESP. Peccant mortaliter: nam priuilegium est lex priuata. *L. 1. ff. de const. Princ. & L. 1. titul. 11. p. 1. ca priuilegia 3. dist.* Cum igitur sit lex iusta, neque pure pœnalis (de qua dubitant auctores, an obliget in conscientia) sed mixta, & in re graui, obligat ad mortale. Tenentur insuper ad restitutionem Auctori, quia per priuilegium acquisiuit ius cautionis, & punitionis erga alios *capit. final: lege. §. priuileg. 25. quæst. 1.* & priuilegio fretus magnas fecit expensas, in cuius damnum diuenditi, impressi fuere similes libri. Ita Doctores communiter *capit. fin. de iniurijs, & damn dat.* Estque constans Doctorum Salmanticensium consensus, teste Rod. *in sum. c. 165. num. 5.*

3 QVAEST. *Tenenturne huiusmodi librarij præter damnum soluere etiam pœnam appositam in priuilegio ipsi auctori, antequam iudicetur* RESP. Minime. Ita Glossa *c. Fraternitatis. 12. quæst. 2. ver. cum augmento* communiter recepta, Couar. *Reg peccatum. 2. p. §. 8. n. 6.* Guterrius, *in q. c. 1. n. 23.* Ratio sumitur ex communi doctrina legum, vt iam respondi in propria materia, qua pœnæ non debentur in conscientia antequam iudicentur.

4 QVAEST. *Circa librorum venditionem, quid cautum est in Hispania, vt librarij sciant, quomodo procedere debeant?* RESP. Ne quis à foris inuehat in regna Castellæ, vulgari sermone, compositos, & alibi impressos absque expressa facultate regia seu pœna c. & confiscationis bonorum. Ita habetur. *libr. 1 nouæ compil. tit. 7. L. 24.*

5 QVAEST. *Quod peccatum est similes prohibitos libros in Hispaniam asportare?* RESP. Mortale. colligitur inprimis ex grauitate materiæ, super quam lata est Lex, nimirum fidei puritas quæ per similes libros vulgares apud hæreticos, & in vulgi manibus versatos facile corrumpitur. Colligitur secundo, ex graui apposita pœna capitis, & confiscationis bonorum: nam cum intentio legislatoris possit obligare ad mortale, & hæc satis bene colligatur ex re graui supra quam legem condit, & ex grauissima

pœna, quam apponit (nam pęna proportionanda est culpæ, alioqui iniusta est, & risu magis digna, quam obseruatu, veluti si quis legislator apponat pœnam capitis mentienti officiose) ergo. &c. & hæc est communis sententia, contra quam non est audiendus Nauar. cap. 11. n. 57. oppositum sentiens. Quod si sapientissimus Doctor obijciat hanc legem esse præsumptiuam, neque obligare, nisi reuera adsint fundamenta præsumptionis, notorum hæreses in libris contra fidem, aut turpia contra honestatem morum, hanc autem præsumptionem satis tollit per approbationem Inquisitionis, & Ordinarij eorum regnorum, in quibus sunt prælo dati, & ideo frangentes has leges peccare venialiter, vt sentit Rod. *in sum. c. 196. numer. 2.* Nego pace obijcientis, suppositionem, absque esse legem præceptiuam ad tollendas errorum ansas & occasiones.

6 QVÆST. *Quid item in eisdem Hispaniæ regnis cauetur est circa librorum impressionem?* RESP. Ne quis librum, seu latino, seu vulgari idiomate compositum absque facultate regia, & præuio diligenti operis examine imprimat, aut imprimere faciat sub pœna capitis, confiscationis bonorum, & eorundem publicæ conflagrationis librorum. Ita cauetur *lib. 1. nouæ compilationis tit. 7. L. 24.* Ita cauetur *in Ord. Lusit. lib. 5. tit. 102.* Nouissime vero idem sanxit Philippus fel. recor. II. circa libros sacros choro, officioque diuino seruientes. Habetur *lib. 1. nouæ compil. tit. 7. leg. 27. add. ad nouam compilationem.* Ideo euntes contra huiusmodi leges, peccant grauiter.

7 QVÆST. *In iure canonico estne aliquid decretum circa librorum impressionem?* RESP. In Conc. Trident. *sess. 4. Dec. de edit. & vsu sacr. libr. §. sed & impressoribus* cautum est, ne quis imprimat, aut faciat imprimi librum de rebus sacris, sine Ordinarij examine, neq; sine nomine Auctoris, neque impressos vendat, aut apud se seruet. Quam approbationem iubet sacrosanctum Concilium scripta dari, atque in vestibulo ipsius libri imprimi. Contra quam legem, qui audacter iret, grauissime peccaret mortaliter.

Lega-

Legatariorum peccata. §. 4.

1 *De hæreditate relicto sub pacto.*
2 *De legato relicto Berthæ sub conditione, si nupserit.*
3 *De legato relicto sub conditione, si mea filia nubat.*
4 *De legato relicto vxori, si non nubat.*
5 *De legato relicto Socrati, si nubat vni è filiabus Annæ.*

1 QVÆSTIO. *Solent legatores legare sua sub certo pacto de deuolutione eorum ad alium hæredem, nisi illud pactum impleatur, quid igitur censes, teneturne legatarius, qui pactum non impleuit, hæreditatem tradere, antequam ab eo petatur, vel per iudicis sententiam extrahatur?* RESP. Tenetur: nam siue illud pactum deuolutionis ad alium hæredem appelletur pœna imposita à testatore tenetur, iuxta Gloss. *cap. Raynald. de testam.* & Panorm. quem citat Beia *cas.* 41. siue sit pura conditio, vt reuera est, tenetur, iuxta Sot. 1. *Iust. quæst.* 1. 2. *artic.* 6. quasi dicat legislator: Do, vt facias: quod si non feceris, non do. Ita Caiet. *ver. Pœna.* Panorm. *cap. Raynald. cit.* Sylu. *legatum.* 1. *quæst.* 5. Nau. *cap.* 25. *num.* 67. *versu.* potius est legatum conditionale, quam pœna. Hinc colligo teneri parochum, qui certo scit suos antecessores non celebrasse certas missas pro hæreditate relicta sub ea conditione, teneri eam deuoluere ad personam, cui per deuolutionem relicta sunt. Item vxor, quæ hæres instituta fuit, si casta viueret, aliter deuoluenda bona ad hæredes teneri, si castitatem non seruauit, talia bona relinquere. Caietan. *ver. pœn.* Nauar. *capit.* 25. *numer.* 65. Hæc opinio præcipue amplectenda, cum testator dicit, eo ipso deuolut, a maneat ad talem personam: nam talis conditio fuit causa finalis, non impulsiua, & ideo non est expectanda petitio, vt notat Barth. *L.* 2. *§. fin. de don.* Bald. *L.* 1. *ff. de his, qu. & pœn. caus. & L. Cum aliena Cod. de legat.* Canonistæ *in cap. Verum. de condit. appos.*

2 QVAEST. *Teneturne Bertha dimittere legatum* [illegible] *hac conditione, si non nupserit, cum ipsa nupserit?* RESP. [illegible] nime. Ratio est, quia illa conditio reijcitur à iure [illegible] re nuptiarum, cum exprimitur à testatore. *L. Sed* [illegible] *vlt. L. quoties Cum ita legatum. ff. de conditionibus* [illegible] *monst. L. Titiæ. ff. eodem.* cuius hæc verba referuntur [illegible] dectis Florent. teste Anto. Augustino *lib. 1. Emend.* [illegible] *Titiæ, si non nupserit ducenta, si nupserit, centum legauit* [illegible] *psit mulier ducenta, nam etiam centum residua petit.* [illegible] *quoties cit.* sic habetur. *Si aliquid relinquitur mulieri* [illegible] *onere restituendi, si nupserit, non tenebitur restituere,* [illegible] *rit.*

3 QVAEST. *Legauit pater filiæ tria millia aureorum* [illegible] *bat viro nobili. Item vsum fructum villæ, quosque ex* [illegible] *culus ortus quindecim attingat annos, tali vsu fruitur* [illegible] *legauit alimenta pro se, & vna famula, si non ingrediatur* [illegible] *nasterium. Rogo an monialis facta, legato fruatur* [illegible] *non appositæ sint conditiones?* RESP. Negant iuris ciuilis [illegible] ctores, aiuntque hæredes solum teneri ad dotem [illegible] riam monasterio. Ita Bald. *L. Deo nobu Cod. de* [illegible] aitque communi vsu, & consuetudine id esse [illegible] tum. Ratio eorum est, quia à manifesta testatoris [illegible] tate non est recedendum. *L. Ex facto. ff. de hæred.* [illegible] *de nuptijs. §. disponat.* Et ideo *cap. vlt. 4. q. 2.* decernitur [illegible] ctum vltimæ volũtatis esse, vt ei omnino sterur [illegible] que suæ rei moderator est, & arbiter. *Cod. Mandat.* [illegible] *Sed, & si hoc §. cõsuluit, de petit. hær.* De alimentis pro [illegible] vna famula speciatim negarũt Nau. *c. Non dicatur* [illegible] 70. Marian. *2. p. Cons. 10. q. 6. Beia. cas. 44.* Ratio [illegible] quia per ingressum religionis amisit ius ad habendã [illegible] mulã. Opposita tamen sententia est D. Ant. *3. p.* [illegible] Rosel *legare. §. 21.* Sylu. *legatũ q. 9. & hæred. 4. §. vltim.* [illegible] biena. *hæres §. 16.* Angel. *ibid. §. 21.* Panorm. *c. in præsenti* [illegible] *probat.* Rich. & Barth. *in Authen. Nisi rogati.* Textus [illegible] pressus *§. Sed, & hoc præsenti in Authent. de sanctis* [illegible] 9. Vbi hæ omnes conditiones: Si nupserit, si liberos [illegible] ceperit, & aliæ similes pro inualidis, & non adiectis [illegible] bentur erga fœminam monasteriũ ingressam, & religio- nis habitũ professam. Ratio est, quia religionis fauor [illegible] ferendus est fauori nuptiarũ, & textus ille it expresse [illegible]

tra voluntatem testatoris, quam in eo euentu restringit, vt potest. Sicuti si roger, ostendam Deo propitio *in titul. de testatore*, & sic illa voluntas restricta non valet, ac si non apponeretur, *L. Quæ sub conditione. 1 & 2. ff. de condit. instit.* De alimentis vero standum potius videtur consuetudini, quæ iam permittit famulas monialibus.

4 QVAEST. *Reliquit maritus vxori legatum, quoad nubat, illa non nubit, neque castitatem seruat, peccatne retinendo bona?* RESP. Minime. Ita Nauar. *capit. 25 nu. 65.* Ratio est, quia pœna non est extendenda vltra voluntatem imponentis: pœna autem illa imposita est nubenti, non meretricanti.

5 QVÆST. *Reliquit Titius hæreditatem Socrati sub hac conditione in testamento apposita, si nupserit vni filiarum Ioannæ: petijt ille minorem. Verbi gratia, noluit Ioanna tradere, sed tradebat maiorem iuxta consuetudinem loci: Socrates aliam duxit extraneam, quid censes possidetne tuta conscientia hæreditatem?* RESP. Cerno equidem multa facere contra Socratem: nam legatum conditionatum abdicatur in conscientia non impleta conditione, antequam petatur, & iudicetur, vt iam respondi *L. Qui hæ. ff. de condition. & demonstrat. L. Qui sub condit. ff. eodem capit. Super eo, & capit. Per tuas de cond. app.* Deinde, quia tale legatum videtur factum in fauorem cuiusque filiæ Ioannæ, & ideo si non constet de alia testatoris voluntate, ita videtur iudicandum. Denique, quia testator in legato relinquendo, non videtur ire contra consuetudinem nuptiarum: sed Ioanna in tradendo nuptui maiorem natu filiam seruat ordinem, & consuetudinem loci, iam à multis retro annis vsitatam, iuxta illud Labani Genes. 29. *Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores ante tradamus ad nuptias:* igitur apparet ex mente testatoris electionem filiarum deuolui ad matrem, & ideo si tradita Petro non placet, non placeat hæreditas in legato relicta. Contrarium tamen suadent iura, & spectata essentia matrimonij. Nam matrimonium ex iure, & ex essentia debet esse maxime liberum. Enim vero in iure habetur pro iniusta, & non adiecta conditione legati, qua quis ex mente testatoris obligatur nubere iuxta voluntatem, & arbitrium Sempronij. *L filiæ suæ. ff de*

cond. & demonst. Si quæ verò leges de conditionibus loquuntur; loquũtur de conditionibus non reiectis à iure. Et ita tenent Angel. *L. numer.* 54. Sylu. *ibid. quæst.* 3. *in fine.* De libertate vero requisita ad matrimonium, iam respondi in propria materia. Et hæc est vera sententia omnino probanda.

AD LIT. M.

CAPVT XII.

Mercatorum peccata. §. 1.

1 *An iustus sit contractus venditionis de retro vendenda re empta.*

2 *Quod peccatum potest interuenire in superiori contractu.*

3 *An peccet mercator in soluendo gabellam.*

4 *Quod vitium mercium occultum tenentur venditores detegere emptori.*

5 *De venditione mercium rigoroso pretio, ad eorum emendum infimo.*

6 *De monopolio.*

7 *An liceat fucos, & pigmenta fœminarum vendere.*

1 QVÆSTIO. *Estne iustus contractus venditionis, cum conditione de retro vendendo?* RESP. Maxime, adhibitis circumstantijs necessarijs. Ita Beia. *casu* præcipue cum apponitur obligatio emptori de locanda re empta venditori. Ita idem doctor: & tunc res vendita sub ea conditione minoris est valoris, vt claret.

2 QVAEST. *Quod peccatum interuenire potest in hac emptione de retrouendenda, & locanda re empta?* RESP. Vsura palliata. Nam accidit aliquando, vt res vendita non sit in rerum natura. Nunquam enim extitit tale oliuetum, vel

quercu-

quercetum, vel ager, vel equus, & tamen emitur, & locatur. Deinde accidit, vt interim ab ipso retro venditore, & locatario vendatur, & dum non reddit pretium retro emptionis, stipendium soluat. Accidit deinde, vt hæc omnia, & alia sciat retro emptor, & sciens conniueat, & taceat, & stipendium locationis exigat, hæc est vsura palliata, cum re vera sit mutuum pecuniarum sub certa quantitate lucri, saluo semper capitali. Ita Beia *casu.* 7.

3 QVAEST. *Peccatne mercator asportando, vel exportando merces absque solutione gabellæ sub pœna capitis triremium, vel amissione bonorum soluendæ?* RESP. Dico *primo.* Si leges pure pœnales sint, minime quidem. Ratio desumitur ex communi doctrina in materia de legibus; nam leges sæculares pure pœnales secundum grauissimos Doctores non obligant ad culpam, sed solum ad pœnam temporalem: ac proinde cum princeps solam exprimit pœnam, licet dubitetur, an velit obligare ad culpam, pro pœna sola interpretanda est illius mens, iuxta *cap. In pœnis. de reg. iuris libr. 6 L. Si præses L. Interpretatione ff. de pœnit.* Nam Princeps potest expresse obligare ad pœnam, & non ad culpam, vt docet vterque D. Tho. 2.2 *quæst.* 186. *artic.* 9. cum ergo non exprimit culpam, solum obligat ad pœnam. *arg. L. Cum prætor. ff. de iudic. & capit. Nonne. de præsumpt.* Dico *secundo.* Non peccat talis mercator mortaliter ex eo quod se periculo exponat mittendi ad triremes. Ratio est, quia est dominus suæ famæ, & suorum bonorum, vt notat Sot. *5. Iust. quæst.* 10. *art.* 2. Nau *ca.* 23. *nu.* 52. Dico *tertio,* Si periculum sit amittendi vitam, peccat mortaliter se exponendo illi periculo. Ita Beia *casu.* 13 Ratio est, quia non sumus domini vitæ. Dico *quarto.* Si ita prudenter se agat, vt moraliter nulli se exponat periculo, nec venialiter quidem peccabit. Hæc constat ex terminis, & per se est nota.

4 QVAEST. *Quod vitium mercis occultum tenentur mercatores detegere emptoribus?* RESP. Tenentur sub mortali illud, ex cuius occultatione proueniet graue damnũ emptori, vt si quis indigeret forti vino ad medelam, venderetur ei aqua dilutum: vel si indigeret forti equo ad longa itinera vrgentibus causis rei, venderetur equus occulte

occulte mancus, qui post duos dies progredi nequeat. Insuper teneretur ad restitutionem damnorum emergentium, & lucrorum cessantium, quoniam sciens, & volens causa iniusta fuit illorum. Ita Diu. Thom. 2. 2. quæst. 77. artic. 2. Maior. in 4. dist. 15. quæst. 40. Gabr. ibi quæst. artic. 3. dub. 1. & alij plures. Dico secundo, Tenetur insuper venditor detegere emptori illud vitium mercis, quod certa scit emptorem ab emptione remoturum. Ita S. Th. quæ. 54 Angel. emptio. num. 8. Sylu. ibid. num. 20. Nau. capit. 23. numer. 89. cum alijs, quos citat. Ratio est, quia emptor tunc emit inuitus, & coactus, illususque ex apparente bonitate, quam mercator falso exponit, talem vt apparet, approbando, emptorem decipiendo in pretio. In qua deceptione non leuis ei aliunde prouenit iniuria derisionis, cum prædicat rem bonam, quæ defectum ab alijs inuenitur. Dico tertio, Non est satis declarare pretio, quo æstimaretur res, si bona esset, vt apparet, pro vt talis venditur: hæc enim pretij diminutione non excusat à peccato. Ita Doctores citati: quia adhuc dolus interuenit illusio. Nouum euentum ex dictis dixit Caietan. 2. 2. quæstion. 37. artic. 3. aitque teneri talem mercatorem, qui sic emptorem illusit, ad detegendum vitium nouo emptori, qui à priori vult eam emere, vt bonam, atque vt talem venditam à tali mercatore digno. Ratio est, quia ex iniusto dolo causa est deceptionis.

5 Qvæst. *Petit Plato nobilis vir à Socrate mercatore mutuas pecunias: negat ille, offert tamen merces, quas ille poterit reuendere, & succurrere suæ indigentiæ. Venit Socrates rigoroso pretio, quia expectatur pecunia: emit tamen. Plato à Socrate infimo pretio, quia offertur præsens pecunia iuxta rationem contractus emptionis, & venditionis, vt iam te rogaui, & recte respondisti in propria materia de septimum præceptum Decalogi. Rogo modo an hic intercedat vlla vsuræ palliatæ ratio, cum idem mercator vendat, & emat?* Resp. Affirmat Sot. 6. Iust. qu. 1. art. 2. aitque fraudem excogitatum modum ad lucrum capiendū ex mutua pecunia. Veruntamē nisi adsit malitia interna, & intentio vsuraria, ex natura contractuū interuenientiū nulla cōmittitur vsura. Ita Syl. vsura. 2. q. 4. Ang. ib. §. 6. Nau. cap. num. 240

n. 24. *& ca.* 21. *n.* 78. Ratio est manifesta, quia Socrates non tenebatur ex charitate succurrere Platoni mutuo dando, sed sat est succurrere vendendo. Probat id latissime Nauar. *capit.* 17. *numer.* 61. Et *in Apolog. de red. eccles. quæst.* 2. *mon.* 4. Deinde, quia emere præsenti pecunia infimo pretio, vendere vero rigoroso expectata, certum est, & indubitatum. Quod vero celebretur emptio, & venditio inter eosdem, vt posset celebrari inter alios, non tollit naturam contractus, neque polluit bonitatem eorum, semota praua intentione, & non interueniente scandalo. Atque sic erit actus charitatis.

6 QVÆST. *Quid censes de pacto, quod inter se promittunt (monopolium appellant) de non emendis certis mercibus maiori pretio, vel vendendis minori, vt ita vilius emant, & carius vendant, quam merces æstimantur?* RESP. Graue est peccatum, & tenentur ad restitutionem omnes, & singuli. Ita communiter Doctores.

7 QVÆST. *Licetne pigmenta vendere, & fucos ad pingendam faciem fœminarum?* RESP. Negat Angel. *verb. ars.* aitque esse mortale vendere meretricibus, & alijs mulierculis ad libidinem sese pingentibus: nam peccat mortaliter, qui vendit arma ei, quem scit emere ad nocendum iniuste. *cap. Notum. 2. quæst.* 1. D. Anton. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 24. §. 11. Oppositum tamen dicendum est cum Sylu. *ars, & ornatus. quæst.* 4 Tabien. *ver. ars. quæst.* 3. *& ornatus. quæst.* 4. Caiet. 2. 2. *quæst.* 169. *artic.* 1. Nau. *cap.* 23. *num.* 90. Ratio est, quia huiusmodi ornatus ex se non est malus mortaliter, imo per eum intendi possunt multi boni fines, veluti placere marito, nubere digno, tegere naturæ defectus. Si autem malus est, malitia prouenit ex abutentium intentione, ad quem abusum non tendit voluntas vendentium, quæ tota tendit in lucrum ex iusta negotiatione. Argumentum vero non euincit, quia similiter armorum venditio ex se mala non est.

Medicorum peccata. §. 2.

1 *Ad quid tenentur medici ægrotos visitantes.*

2 *Ad quid tenentur medici circa pauperes ægrotos.*

3 An

3 *An medici teneantur ægrotos monere de morte [illegible]cina.*

4 *De medicinis adhibendis mulieri prægnanti.*

5 *An liceat mulierem aperire ad extrahendum [illegible]lem viuam.*

6 *De pœnis voluntarie abortientium.*

7 *An pater incurrat irregularitatem non [illegible]endo occisionem fœtus animati.*

1 QVAESTIO. *Ad quid tenentur medici primo, [illegible]cundo ægrotos visitantes?* RESP. Tenentur eos [illegible]nere, vt peccata apud sacerdotem deponant, [illegible] sacram Eucharistiam suscipiant. Ita iubetur *cap. Con[illegible]firmitas de pœnit. & remissi. dist.* 83. Quoniam vero [illegible] ferme consuetudine abrogata erat, ideo Pius V. [illegible] *proprio super gregem*, edito anno 1566. illam renouat[illegible] didit vero ne post tertium diem ægrotum inuisa[illegible] eis constiterit per confessoris fidem scripto data[illegible]tum iam esse confessum. Insuper, vt in doctorat[illegible] iurent, se hanc legem seruaturos. Vt tamen lex [illegible] requiritur morbus grauis, & periculosus. Ita Na[illegible] *num.* 61. cum Angel. & Rosel. contra Sylu. *medicus* [illegible] cum Archid. aut saltem ille, qui à principio [illegible] posse fieri grauis, & periculosus. Ita Caiet. *verb. [illegible]* Suar. qui doctissime addit posse talem medicum, [illegible] etiam nunc infirmum visitare in periculoso tali [illegible] quanquam nolit admonitus confiteri: nam tunc [illegible] lex charitatis, quam nequit lex humana abrogare. [illegible]nitio vero fieri potest, vel per se, vel per alios fide [illegible] Neq; est in vsu, vt fides confessarij scripto detur, [illegible]stet, sed est satis, si constet testimonio, & dicto [illegible] qui ægroti curam gerunt.

2 QVAEST. *Ad quid tenentur Medici circa [illegible]* RESP. Tenentur eos gratis inuisere. Ita iubet[illegible] *Noli. de pœnit. & remissi d.* 1. & ideo contra facien[illegible]cant grauiter.

3 QVÆST. *Teneturne medicus monere infirmum de [illegible]nitate mortis, quam præuidet?* RESP. Negat Galen[illegible] medico præcipit, quantumcumque desperet de [illegible]

infirmi, ipsum confortare, & promittere illi sanitatem. Affirmat tamen D. Ambr. vt refertur *de consecrat. dist. 5. capit. Contraria.* dicens præcepta medicinæ contraria esse diuinæ conditioni. Dico igitur. Peccat mortaliter medicus, qui præuidens mortem infirmi, & certo cognoscit illum non esse in bono statu, neque res eius recte statutas, vel saltem probabiliter dubitat, & tamen tacet. Ita Diu. Anton. *3. p. titu. 7, capit. 2 §. 4.* Sylu. *medic. quæst 2.* Tab. *nu. 14.* Nau. *capit. 25. num. 63.* Ratio est, quia cuique Deus mandauit de proximo suo, & ideo tenemur subuenire necessitati aliorum, maxima autem necessitas est periculum salutis æternæ, & optima dispositio rerum nostrarum. Hoc vero intelligendum est etiamsi medicus intelligat, quod ea necessaria monitione ægritudo ingraueſcet, quia æterna salus anteferenda temporaneæ saluti. Si vero talis infirmus esset confessus, & dispositus ad moriendum, sed ex monitione melius disponeretur, tacere mortis vicinitatem non erit peccatum interueniēte causa, & ad summum veniale tantum. Ita Beia. *cas. 11. p. 1.* Ang. *ver. medic. §. 6.* Rosel. *ibi. nume. 3.* Ita illi admonentur *cap. Cum infirmitas. de pœn. & remiſſi.* obligatque sub mortali, iuxta modum a nobis explicatum, vt probat Sylu. *medic. quæst. 3.* Hæc autem monitio satis est si fiat per alios pios viros, vt notat Caiet. *in sum. verb medicus.* & Nau. *loco citato.* sicque recepta est illa constitutio.

4 QVÆST. *Quid habes de medicinis adhibendis mulieri prægnanti?* RESP. Medicamenta, ab ipsa natura in sanitatem agnita, matri de vita periclitanti adhiberi possunt, etiam cum periculo prolis per accidens perituræ. Ita Cord. *lib 1. quæst. 38. dub. 3. & in addit. quæst 173.* Ratio est, quia in periculo vitæ matris extremo, etiam imminet extremū periculum vitę prolis, ideo nisi subueniatur vitæ matris, necessario sequetur mors prolis, ideo licet per accidens sequatur ex intenta per se sanitate matris non illi fit iniuria. Dico secundo. In extremo vitæ periculo fœminæ prægnantis licet vti medicina probabili ad vitam, & mortem, & experiri, vtrum prosit ad vitam. Ita Roder. cum Almaino. *verb medicus.* Ratio est, quia in hoc experimento nulla perituræ proli fit iniuria.

5 QVÆST. *Est prægnans mulier in extrema vitæ periodo, licetne*

do, licetne illam ante animæ exhalationem ad extrahendam prolem viuam aperire? RESP. Minime quidem Ita Rodericus cum Sot. *verb. aduocatus. cap 5. numer 3.* Dixi ante animæ exhalationem, quia post, cum probabilis sit opinio Medicorum prolem viuere in vtero post matris mortem, secanda est, vt saltem baptismali aqua lustretur proles.

6 QVAEST. *Quæ pœnæ modo latæ sunt in abortum procurantes?* RESP. Quæ iam pridem latæ erant in iure communi: nam eas ad ius commune reduxit Gregor. XIII. reuocans censuras adiectas à Sixto V. In iure vero communi aborsus peccatum est reseruatum episcopo, si fœtus erat animatus, & gignit irregularitatem, quasi homicidium voluntarium. Dixi, si iam fœtus erat animatus: nam aborsus fœti inanimati, neque est peccatum reseruatum, neque affert secum irregularitatem. Ita *verb. aduocatus. ca. 6. nu 3.*

7 QVAEST. *Scit pater matrem velle occidere prolem animatam, & cum impedire possit, non impedit, incurrit ne irregularitatem?* RESP. Incurrit. Ita Rodericus cum aliquos citat *verb. aduocatus. cap. 6. num. 3.* Ratio est, quia tenetur ex iustitia tueri vitam filij. cum potest.

Monialium peccata. §. 3.

1 *De confessione menstrua monialium.*
2 *An teneatur monialis esse in monasterio.*
3 *Decretum Concilij Tridentini circa moniales.*
4 *De nouitiatu monialium.*
5 *De velo virginum.*
6 *De velo non virginum.*
7 *An fœmina non virgo per actum occultum, teneatur non acceptare velum virginitatis.*
8 *An virgo possit consecrari.*
9 *Quis potest dispensare cum moniali ad exeundum monasterio.*
10 *Quæ causa requiritur ad dispensandum cum moniali, vt exeat monasterio.*

11 An

11 *An possit episcopus dispensare cum moniali ad exeundum monasterio.*

12 *De extensione decreti Pij V. circa moniales.*

13 *An Ordinarius monialium possit eas ab vna in aliã domum transmittere.*

14 *An Ordinarij monialium possint earum monasterium ingredi.*

1 QVÆSTIO. *Statuit Concil. Trident. sessi. 24. de Regul. cap. 10 quod Moniales apud confessarium singulis mensibus crimina confiteantur, quæro, an hoc præceptum illas obliget ad mortale?* RESP. Minime. Ita Suarius *de pœnit. disp. 36. num. 9.* Ratio est sumpta est ex verbis illius decreti, quia verbum, *Admonemus,* quo Concilium vtitur, non est præceptum.

2 QVÆST. *Teneturne professa monialis sub mortali intra monasterij clausuram contineri?* RESP. Tenetur. Ita illi præcipitur *capit. Periculo de stat. Regul. libr. 6.* Concil. Trident. *sessi. 25. cap 14. de regul.* & sic Pius V. proprio motu declarauit.

3 QVÆST. *Quæ decreuit Concil. Trident. circa moniales speciatim?* RESP. Non valere earum professionem factam ante decimum sextum annum expletum. *sessi. 25. capit. 16.* Non valere renunciationem bonorum factam à nouitia moniali, nisi fiat ante duos menses à professione, tandemq; renunciationẽ esse ipso iure irritam. *sess. 25. c. 16.* Ne bona mobilia, vel immobilia apud se absq; licẽtia retineant. *sess. 25. ca. 5.* Ne quidquum Nouitiæ præter victum, & vestitum recipiant, excommunicanturque tam dantes quam recipientes, quouis prætextu id fiat *sessi. 25. ca. 16.*

4 QVAEST. *Circa earundem professionem occurrit dubium graue ex eodem Concil. Trident. enim vero in eadem sessi. 21. & capit. 16. præcipit sancta synodus, quod finito tempore nouitiatus, quos superiores inuenerint habiles ad professionem admittant, inhabiles eijciant à monasterio. Estne hoc præceptum intelligendum circa moniales?* RESP. Minime: ac proinde ex iustis causis potest monialibus professio deferri ad soluendam, verbi gratia, dotem, ad recuperandam salutem, & similia. Ratio est, quia sacrosan-

ctum Concil. Tridentin. solum in hoc puncto dixit no-
uitios, non nouitias, quas si vellet comprehendere, di-
xisset nouitios & nouitias, *vt in eodem capit.* dicit. Ita
quia per decretum circa nouitiatus tempora nihil vo-
luit innouare in clericorum religione Societatis, vt
ipsum Concilium loquitur, ideo in ea sanctissime nou-
tiatus tempus aliquando prorogatur quousque de nou-
tio plenum experimentum capiatur.

6 QVAEST. *Quæ monialis potest velari, seu consecrari?* RESP. Sola virgo, mente, & corpore per integrum
claustri virginalis. *capit. Vidua. capit. Virgines.* 20 *quæst.* 1.
capit. Vidua autem. 27. *quæst.* 1. Neque in hoc potest ep-
scopus dispensare. *cap. De votis. cap. Vidua autem.* 27. *quæst.*
1. docet Diu. Thom. *in* 4. *dist.* 58. & *ibid.* communiter Doc-
tores.

7 QVAEST. *Quod velum concedunt iura puellæ corru-
ptæ, & viduis?* RESP. Continentiæ, seu castitatis, Ita Sy-
ver. cons. virg.

8 QVAEST. *Teneturne puella, quæ occultissime ab
virginitatem amisit per maris complexum, aut volentem
pollutionem venereis tactibus emunctam velum virgi-
nan acceptare?* RESP. Quantumuis occultissima sit
ius virginis violatio, & virginitatis amissio, obligatur
talis fœmina sub mortali consecrationis velum non po-
tere, & multo magis non acceptare, episcopo de ipso
occultum crimen, vt in velo concedendo mutet nomen
virginitatis, in nomen castitatis. Ita communis opinio
cum Diu. Thom. *in* 4. *distinct.* 38. Angel. Sylu. Tabien. Ad-
mil. *virg. consecratio.* Albertin. Hostiens. Gofret. quo con-
fert, & sequitur Maiolus *libr.* 1. *capit.* 29 *num.* 32. Rem
tamen me confessarios monialium plures hac de re in-
terrogasse, vt praxis vsum certo cognoscerem, atque
hi respondisse oppositum versari in vsu, atque neque
neque eas aliquantulo circa hoc scrupo pungi, neque
Prælatos circa id quamlibet adhibere perscrutandi di-
gentiam, sed pro virgine velari, consecratique eam quæ
vt virgo communiter habetur.

9 QVAEST. *Estne peccatum graue consecrare viduam
virginem, quæ relicta est ante consummationem matrimonii
per obitum viri?* RESP. Si notorium est inter eos ante

hisse amplexus, oscula, & alios tactus coniugibus licitos, maxime: si vero talia interfuere occulte, hoc est, non notorie, & publice, minime, & sic potest consecrari. Tex. expressus *cap. Ne putet. 27. qu. 1. ca. Nec solo 32. quæst. 5.* D. Thom. 2. 2. *qu* 152.

9 QVÆST. *Quis potest dispensare cum moniali ad exeundum monasterio?* RESP. Summus Pontifex, & solus ex iure. Ita probat Nau. *capit. Statuimus. 19. qua. 3. numer. 49.* & ita dispensatum à Greg. XIII. teste Roder. *in sum. 1. cap. p. ca. 43. num. 3.*

10 QVÆST. *Quæ causa requiritur ad huiusmodi dispensationem?* RESP. Grauis infirmitas, vel diuturnus morbus, qui non nisi in patria, & apud parentelæ benignitatem in pristinam redibit sanitatem. Ita citati Doctores.

11 *Possuntne etiam episcopi, aut alij Ordinarij aliquando dispensare?* RESP. Si monialis sit infecta morbo contagioso, veluti pesti, lepra, imo gallica lue, vt vocant, nostrates appellant *Boubas*. Item si monasterio vicinum sit incendium, & periculum conflagrationis, possunt quidem. Ita decreuit Pius V. motu proprio.

12 QVÆST. *Extendine licet hoc decretum Pij V. ad alios euentus?* RESP. Ad euentum belli, cum iam hostes obsident locum, quem probabile sit eos ingressuros, & inuentos partim occisuros, partim turpiter, & inhoneste tractaturos. Ita communiter Doctores, Nau. tamen *citato ca. Statuimus 19. quæst. 3.* illud extendi ad quemlibet, quo monialis vita in mortis est discrimine, nisi exeat, & apud suos diuersetur, iuxta piorum, & sapientium medicorum iudicium. Sed immerito, vt notat Guterrius, est enim cõtra expressam Pontificis mentem; ille enim non particulari vnius monialis, sed communi saluti, & incolumitati voluit consulere, quod si non egressa monasterio moriatur celerius, quid mirum, quoniam homo natus morti soluere tenetur debitum in eo vitæ modo, quem suscepit.

13 QVÆST. *Potestne episcopus, & Ordinarius Monialium, vrgente causa monialem ab vna domo, in aliam transmittere?* RESP. Potest. Ita Nauar *proxime nu. 48.* & Guterrez *citatus*. Ratio est, quia id cedit in bonum commune, & ideo non prohibetur in motu Pij V.

24 QVÆST. *Possuntne Episcopi, & Ordinarij monialium ingredi monasterium earum pro vt libuerit, absque causa?* RESP. Minime. Ita Nau. *lib. 3. cons. de stat. mon. cons. 12.* proinde peccat grauiter monialis, quæ ficta causa ad ingressum allicit.

Monasteria ingredientium peccata. §. 2.

1 *De pœnis ingredientium monasteria fœminarum.*
2 *Qui innodantur talibus pœnis.*
3 *Quis potest concedere licentiam ad ingrediendum monasteria fœminarum.*
4 *An peccet Ordinarius monialium ingrediendo absque causa monasterium.*
5 *De pœnis fœminarum sæcularium ingredientium monasteria.*

QVÆSTIO. *Qua pœna puniuntur ingredientes monialium monasteria?* RESP. Excommunicantur cuiusque sint ætatis malitiæ capacis, & conditionis, si absque Ordinarij licentia in scriptis data ingrediantur. Ita decreuit Concil. Trid. *sess. 25. cap. 11.* Reseruatur soli Papæ per idem Conc. Trid. *cap. 5.* & Pium V. & Greg. XIII.

2 QVAEST. *Innodanturne hac excommunicationi reseruata omnes, qui quauis de causa illicita ingrediuntur monasteria monialium?* RESP. Non leue est dubium ex bullas Pij V. & Greg. XIII. nam videntur solum loqui de ingredientibus prætextu licentiarum ante eas constitutiones habitarum. Oppositum tamen declarauit viua vox oraculo Greg. XIII. teste Nau. *capit. Statuimus 19. quæstionum. 62.* & ita obtinuit vsus Curiæ, & sacræ pœnitentiariæ praxis.

3 QVAEST. *Licetne Ordinario pro licito cuiuscumque licentiam ingrediendi monasteria monialium?* RESP. Minime, sed requiritur causa necessaria, & aliter facientes peccat grauiter: similiter ij, qui cum tali licentia ingrediuntur. Ita Doctores communiter.

4 QVÆST. *Ipsine Episcopi, & Ordinarij peccant ingrediendo absque causa; pro vt illis placuerit?* RESP. Peccant grau-

grauiter. Ita Nau. *consil. libr. 3. de stat. monach. cons. 6. cum aliis pluribus.*

5 QVÆST. *Qua pœna multantur fœminæ ingredientes monasteria monialium?* RESP. Excommunicationis. Ita Concil. Trid. *sessi. 25. cap. 5.* & Gregor. XIII. *in sua constitutione*, ideoq; peccant mortaliter ingrediendo. Huiusmodi vero excommunicatio ligat moniales, quæ mulieres insanas, aut vitos mente captos in monasterium intromittunt. Ita Nauar. *capit. Statuimus, 19. quæst. 3. num. 59. & in manu, cap. 25. numer. 143.* colligitque rationem ex ipsa mente Concilij, quæ fuit monasteria sacrosancta, & intacta à laica gente conseruare, quæ non leuiter laicorum vestigijs fœdatur.

Maritorum peccata circa dotis solutionem exigendam. §. 5.

1 *De non solutæ dotis fructibus.*
2 *De pignoris fructibus pro dote nondum solutæ.*
3 *De fructibus dotis expectatæ.*

1 QVÆSTIO. *Non soluitur dos promissa, quid licet marito accipere, quatenus dos soluatur?* RESP. Tantum, quantum singulis annis aliquis mediocriter industrius ex ipsa dote salua ipsa, comparare sibi posset. Ita conceditur *cap. Salubriter de vsur.* Eamque summam determinat summus Pontifex illi debere ex iustitia, inuito etiam socero, & renuente ad sustentanda onera matrimonij, quo ad vsque dos tota reddatur. Ita Panorm. & cæteri iuris Doctores *ca. Salubriter citato.* Caiet. 2. 2. *quæ.* 78. *ar.* 3. Gabr. *in* 4. *d.* 15. *qu.* 11. Sot. 6. *Iust. qu.* 1. *ar.* 2.

2 QVÆST. *Accepit maritus in pignus solucndæ dotis rem fructiferam, quæro an fructus pignoris teneatur computare in summa dotis?* RESP. Minime: sed fructus pignoris sunt mariti, & dos integra reddenda est. Ita statuitur *cap Causam quæ de rescript. cap. Cum M. de constit. L. fin. Cod. de fid. inst.* tradit Felyn. & alij *d. ca. Causam quæ.*

3 QVÆST. *Consensit maritus verbis communibus, & solitus proferri à quouis ingenuo viro in dilatione soluendæ dotis, rogo, an in conscientia possit capere fructus pignoris accepti pro*

soluenda dote? RESP. Potest. Ita Beia 3. p. cas. 13. Ratio est, quia hæc expectatio, facta generalibus verbis, intelligitur facta secundum consuetudinem iuris. Neq; per verba generalia colligitur quemuis velle cedere suo iure, quælibet vero dispositio in dubio intelligitur facta secundum ius, & consuetudinem. *ca. Cum dilect. de consuetud.*

Matrum peccata circa nutritionem filiorum. §. 6.

1 *De nutritione filiorum.*

1 QVÆSTIO. *Quod peccatum committunt matres circa nutritionem filiorum?* RESP. Peccant mortaliter cum de nutrice eligenda non adhibent diligentem curam ad bonam filiorum educationem: enim sunt nutricis vitia, cum ipso ebibi nutricis lacte satis, superius ostendit longa rerum experientia, qua edocta Cambaginensium Regina generis ignominiam Troiano dedecit. *Æn. 4. Nec tibi Diua parens, generis nec Dardanus auctor, Perfide, sed &c Hircanæq; admorunt vbera Tygres* [illegible] imbibitæ cum lacte feritatis insimulans. Ita Nau. [illegible] 17. Deinde peccant mortaliter, cum filijs per triennium denegant sustentationem, seu alimenta, cum illa possint suppeditare. Ita idem Nauar. Ratio sumitur ab ipsa natura, qua docemur filiorum curam agere, dum per se [illegible] re nequeunt, vt habent brutæ ipsæ animantes, & [illegible] des. Deniq; peccat mortaliter, quę cum intelligit [illegible] notabiliter, impedire prolis creationem siue intra, siue extra ventrem sit, attamen ieiunat, siue ieiunet ex deuotione, siue etiam ex Ecclesiæ præcepto, quia ex iure naturali obligamur ad alendam, nutriendamq; prolem, [illegible] neq; deuotio, neq; Ecclesiæ præceptum derogare potest. Euentus occurrit memorię, à nemine hactenus agitatus, dignus tamen notatu, & explicatu. Patitur mater [illegible] concupiscentiæ tentationes ad incontinentiam [illegible] cantes, seu potius cogentes: experimento didicit, [illegible] vi eas se superaturam, nisi ieiuniorum macie, & debilitatione: veruntamen apertè videt prolem, aut periturum, aut notabile salutis detrimentum passuram propter lactis, seu matris virium defectum. Quid igitur, debetne propriam salutem spiritualem, & continentiam [illegible]

re pro[illegible]

te prolis saluti corporali? Arbitror posse, & debere, iuxta charitatis ordinem, qua docemur spiritualia corporalibus anteponere, tum nostra, tum aliena, atque subsecuta mors, vel debilitas prolis per accidens subsequetur.

AD LIT. N.

CAPVT XIII.

Nouitiorum peccata §. 1.

1 *De nouitijs cum ære alieno monasterium ingredientibus.*
2 *An data cautione creditoribus, possit debitor religionem ingredi, & profiteri.*
3 *De nouitio negante se esse coniugatum cum propter vxoris adulterium ad religionem migrat.*
4 *An peccet nouitius negando, quæ illi ab examinatoribus religionis proponuntur.*
5 *De nouitijs relinquentibus parentes pauperes.*
6 *De nouitijs credentibus parentes suos ad paupertatem deuenturos.*
7 *An qui vouit religionem, teneatur potius parentum inopiæ succurrere.*
8 *An valeat professio omissa in necessitate parentum.*
9 *Quando tenetur religiosus professus exire monasterio ad subueniendum patri, aut matri.*
10 *Quis potest dispensare cum religiosis ad relinquendum habitum.*
11 *An, qui vouit religionem, possit acceptare episcopatum.*
12 *De transitu ab vno ordine in alium.*
13 *De tempore nouitiatus.*
14 *De electione ad professionem.*

1 QVÆSTIO. *Peccatne mortaliter ille, qui ante solutionem debitorum religionem ingreditur?* RESP. Peccatum manebatque olim obligatus ad satisfactionem, quo modo posset, religiosus tamen emissa votorum promissione manebat. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 180. *art.* 4. Sot. 8. *Iust. quæ.* 1. *art.* 4. Angel. *ver. religiosus.* Nau. *in Sindicatis. comm.* 2. *de reg. num.* 42. Modo vero post Sixtum V. talis professio est ipso iure irrita, vt notat Rod. in *2. p. capit.* 4. cum Aragon. 2. 2. quem citat, peccat ingrediendo mortaliter ingrediendo religionem, & tenetur ad expensas cum eo factas, quia fefellit in re graui, si enim dixisset se multa debere, nequaquam admitteretur, vt iubet summus Pontifex Sixtus V.

2 QVÆST. *Habet Titius multa contracta debita, sed habet facile vnde soluantur: ipse tamen correptus subito diuini amoris flãmis, statim vult migrare ad religionẽ, cautione creditoribus data, qua facili negotio suum recuperent. Peccatne talis ingrediendo religionem, antequam soluat?* RESP. Nequaquam. Imo Sixtus V. id satis declarauit illis verbis ingenti ære alieno supra vires suarum facultatum grauatos. Ita Rod. *cit. loc.* Nam si facultates debitum superent, nequaquam reijciuntur à Sixto V.

3 QVAEST. *Titius quoad torum separatus à coniuge ad ultera, vult ingredi religionem, rogatur ab examinatore religionis, an sit coniugatus, peccatne dicendo se non esse coniugatum, vt facilius admittatur ad religionem?* RESP. Minime. Ita Roderic. 2. *p. summ. capit.* 6. Ratio est, quia ad illum effectum non est coniugatus, nam, vt sic, ingredi potest in religionem, teste Nau. cum communi *cons.* 8. *fol.* 228.

4 QVÆST. *Rogatus Titius, qui religionem ingredi vult de ijs, quæ in chirographo rogationum continentur, panam negando interrogata?* RESP. De interrogatis alia sunt essentialia ad ingressum, & professionem religionis, sine queis tam ipse ingressus, quam professio sunt irrita & nulla. Alia necessaria ad vtilitatem religionis: hæc autem vtilitas, vel est magna, vel mediocris, possumus vocare cum Logicis alia necessaria ad esse, alia ad bene esse religionis. Dico igitur primo. Peccat mortaliter, qui negat necessaria ad essentiam, & validitatem, seu ingressus, seu profes-

professionis: insuper tenetur ad restitutionem expensarum, quas monasterium in eo sustentando consumpsit. Dico secundo. Peccat mortaliter, qui negat interrogata pertinentia ad magnam vtilitatem religionis. Ratio est manifesta, quia fallit in re graui, de quibus interrogatur iuridice, & quæ detegere ex iustitia obligatur, vt sic taceat morbum gallicum, phthisim, &c, vel alium similem. Dico tertio. Peccat tantum venialiter, qui tacet interrogata attinentia ad mediocrem vtilitatem domus. Hæc est manifesta. Hæc doctrina est Nauar. *lib.* 3. *cons. titul. de regul. cons.* 25.

5 QVAEST. *Peccatne mortaliter, qui relinquit parentes pauperes, quos potest subuenire, & ingreditur religionem?* RESP. Si paupertas grauis est, & actualis, hoc est præsens, peccat mortaliter: non vero si leuis, & modica. Ita D. Tho. 2.2. *quæst.* 101. *art.* 4. *& quæst.* 189. *art.* 6. Alens. 3. *p. quæst.* 33. *mem.* 4. Angel. *religio* 15. Ratio est, quia ex iure naturæ tenentur filij subuenire parentibus indigentibus filiorum ope. Et ideo nullum est votum de ingredienda religione: si fuerit in actuali parentum necessitate emissum. Nam votum est obligatio voluntaria: subueniendi vero obligatio parentibus est de iure naturali, contra verò ius naturale non datur obligatio voluntaria.

6 QVAEST. *Credit probabiliter filius parentes deuenturos decursu temporis ad magnam paupertatem, & quidem illius ope fore, vt indigeant, potest licite ingredi religionem?* RESP. Potest. Ita D. Tho. 2.2. *qu.* 101. *ar.* 2. *ad* 2. Ratio est, quia filius non tenetur subuenire parentum necessitati futuræ, sed præsenti.

7 QVAEST. *Erant parentes Titij diuites, & in ea parentum abundantia vouit Titius ingredi religionem, ante tamen ingressum deuenerunt parentes ad magnam inopiam, ad quid igitur tenetur?* RESP. Ad subueniendum parentibus. Ratio est, quia obligatio voti simplicis, nõ tollit obligationem naturalem, qua tenemur subleuare parentum indigentiam.

8 QVAEST. *Professionem emisit Titius, existentibus parentibus in graui neeessitate, vel extrema, estne valida professio?* RESP. Valida. Ita Nau. *lib.* 3. *cons. de Regul. cons.* 20.

9 QVAEST. *Quando obligatur religiosus exire monasterio*

ad subueniendum parentibus? RESP. Cum necessitas est extrema, & grauis, quæ talis erat antequam ille ingrederetur. Ita D. Thom. 2.2. *quæst.* 70. *art.* 4. *qu.* 1. Nauar. *cap.* 17. n. 14. Dixi, cum grauis erat, antequam ingrederetur, quia post ingressum euenit, non tenetur: attamen potest eo di petita, licet non obtenta, à superioribus licentia, vt notat Tolet. *lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 6.

10 QVÆST. *Quis potest dispensare cum religioso ad relinquendum habitum ex causa?* RESP. Solus Papa, & non alius ab eo. Ita Nau. *c. Nullum.* 18. *q.* 1. *n.* 48. *& lib.* 3. *cons.* 2. *de Reg. cons* 54.

11. QVAEST. *Titius vouit se ingressurum religionem: ei votum offertur ei episcopatus, quid dicendum, teneturne implere votum, & episcopatum non acceptare?* RESP. Minime. Ita responsum est à Salmanticensibus Doctoribus, teste Roder. *in sum.* 2 *p. cap.* 6. *num.* 6. iuxta D. Thom. 2. *q.* 89. *art.* 3. *ad* 1. & Caiet. *ibid.* Panorm. *c. Per tuas.* Henriq. *lib.* 10. *de sacr. ord. ca.* 32. *n* 4. Ratio est, quia status episcop. perfectior est statu religionis.

12 QVAEST. *Estne tutus in conscientia, qui de licentia superiorum, ab vna religione migrat in aliam laxiorem?* RESP. Si talis dispensatio iustam habuit causam, tutus est: nam dispensare sine iusta causa, nec ipse Papa est potens, & ideo qui sine causa dispensatus est ad transitum, in mortali peccato est. Ita Nau. *cap. Statuimus.* 19. *q.* 3. *num.* 4. & proinde sic intelligendum est Concil. Trid. *sess.* 25. *c.* 19. *de Regul.* cum oppositum videatur statuere: loquitur enim de transitu absque superiorum licentia, vt explicat Nau. & Rod. *in sum.* 2. *p. cap.* 6. *num.* 8.

13 QVAEST. *Licetne modo post Conc. Trid. detinere nouitium in religione, non emissa professione, cum dicat sancta synodus sess.* 25. *cap.* 16. *finitio tempore nouitiatus, superiores nouitios quos habiles inuenerint, ad professionem admittant, aut è monasterio eijciant?* RESP. Interueniente iusta causa licebit. Ita responsum fuit & declaratum à Congregatione Cardin. teste Roderico *in sum.* 2. *p. cap. num.* 3. Et quamuis dicta Congregatio ob duas causas, quas memorat, dicat fieri posse huiusmodi temporis dilationem, quia tamen in aliis eadem est ratio, sic de eisdem dicendum, atque de illis duabus, vt recte explicat citatus auctor. Hæc autem

apud

apud moniales satis est dos non soluta, sed quæ expectatur soluenda.

14 QVAEST. *Estne tutus in conscientia nouitius, qui bene scit se admissum fuisse ad professionem ex solo placito prælati refragantibus votis maioris partis conuentus, apud quos nouitiatum egit?* RESP. Tutissimus. Nam licet prælatus teneatur subditorum vota consulere, adeo vt peccet mortaliter non consulendo quia absque tali consultatione professio est irrita, illa tamen vota sequi non obligatur, cum iudicat oppositum esse iustius. Ita Sylu. *relig.* 3. *num.* 13. Panorm. *cap. Ad Apostolicam. de Regular.* Nauar. *citato loco.* & alii plures.

Notariorum, seu scribarum peccata. §. 2.

1 *Quando peccant notarij in pretio.*
2 *De distributione causarum.*

1 QVAESTIO. *Dicito de peccatis notariorum, seu scribarum in pretio scripturarum?* RESP. Peccant secundum quantitatem acceptam exigendo, vel oblatum acceptando plus, quam à lege, & Rege illis est taxatum. Ita *Instruct. confess. 2. pag. cap. 29.* & *Instruct. negot. lib. 1. cap.* 18. Dixi, vel oblatum acceptando, quoniam talis acceptatio grauibus pœnis à Rege, & lege prohibetur eis, quas recensere non est huius instituti. Non tamen obligantur ad restitutionem acceptorum, quia leges illæ non sunt annullantes, sed tantum prohibentes, & ideo eos non reddunt incapaces dominij acceptarum pecuniarum. Ita Medin. *in sum. lib. 1. cap. 19. §. 6.* Nau. *cap. 25. num.* 52. & Petr. Nauar *libr. 2. de restit. cap. 2. nu. 15.* Si tamen extraordinarium laborem adhibent rogatu partis, pro illo, quem iure non debebant, pretium petere, & acceptare posse nullus est, qui neget.

2 QVAEST. *Quid censes de notarijs distribuentibus alijs scribis causas, cum rogatu partium hu, vel illis distribuunt?* RESP. Credo equidem id tribuendum industriæ partium, cum expectant tempus, in quo vacua (sic enim loquuntur) manear domus illius scribæ, vt ita possit causa ei demandari, ac proinde nullum interuenire peccatum ex parte distribuentis, licet ex intentione partiū, graues

queanę

quant interuenire iniustitię, si nempe intendat corrumpere largitionibus scribam pro aliqua iniusta committenda.

AD LIT. O.

CAPVT XIV.

Oppositorum in concursu beneficij peccata. §. 1.

1 *An sit simonia offerre digniori oppositori pecuniam procedendo oppositoribus dignis.*

2 *Ad quid manet obligatus talis simoniacus.*

3 *An sit simonia cogere suffragatorem ad ferendum suffragium.*

1 QVAESTIO. *Expositum est concursui beneficium, et nunt se duo, dignus & dignior: committitur simonia dignus, qui digniori pecuniam dat, vt desistat ab oppositione?* RESP. Committit. Ita Sot. 9. *Iust. quæst.* 6. *art.* 2. Sylu. *simon. quæst.* 3. *reg.* 4. Nauar. *capit.* 23. *num.* 61. Ratio est, quia dignior candidatus habet ius ad rem illo beneficio concursui exposito, ius vero illud est quid annexum ad spirituale, scilicet ad beneficium: date vero pecunias pro annexo spiritualibus, vt spiritualia sunt, est quædam emptio, & venditio rei annexæ spiritualibus atqui vendere, aut emere annexum spiritualibus, prout spiritualia sunt, est simonia, vt docet D. Tho. *qu.* 100. *a.* 4. Sylu. *simonia. quæst.* 1. Nauar. *cap.* 23. *nu.* 99. Ergo cum hac datione, & acceptione interueniat emptio, & venditio rei annexæ spiritualibus, vt spiritualia sunt, intercenit etiam simonia.

2 QVAEST. *Ad quid manet obligatus talis simoniacus?* RESP. Ad cedendum beneficio, & restituendos fructus perceptos. Ita Beia. 2. *p. cas.* 5. Ratio est, quia ista simonia fuit realis (dicitur enim realis illa, qua conuenitur re-

presse, vel tacite, & ex vtraque parte completur, saltem quoad aliquam partem promissorum vtriusque partis) ideo commissum fuit lethale crimen, & contracta excommunicatio maior, supra quam cadens præsentatio, electio, confirmatio, prouisio, & quælibet alia dispositio, est ipso iure nulla, & irrita, vt decernitur *Extrau. 2. de sim.*

3 QVÆST. *Committitne simoniam lethalem, qui metu graui cogit suffragatorem, vt ei suffragetur in concursu?* RESP. Affirmarunt aliqui teste Altisiodor. 3. *p. tract.* 21. Ratio eorum erat, quia metus est res pretio æstimabilis: nam ab illo metu se potest quisque pecunia redimere, atqui eo interueniente, & cogente, interuenit quædam species emptionis, & venditionis, ergo, &c. Dico tamen: Quantumuis talis metus illatio iniusta sit, & secundum metus grauitatem grauior culpa, eo tamen interueniente, & cogente, suffragatio non est simoniaca. Ita Vict. *relict. de sim.* Sot. 9. *Iust. quæst.* 4. *a.* 3. *ad* 3. Ratio est, quia metus vt sic, non habet rationem pretij. Vt sic dixi, quia interueniente etiam cum eo vexatione iniusta, pretio tunc redimi potest. Aduertendum tamen est, posse cum metu interuenire lucrum cessans, aut damnum emergens, verbi gratia, Nisi suffrageris mihi, faciam, vt amicitia Regis cadas: faciam, vt officium tibi tali adimatur. Et tunc metus hic ratione lucri cessantis, vel damni emergentis multo pretio est æstimabilis, hoc supposito. Dico secundum. Suffragatio, & collatio beneficij tali metu data, est simoniaca, ac proinde candidatus peccat grauiter beneficium acceptando, teneturque eo cedere. Ita colligitur ex Caietan. 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. & *in sum. verb. simon.* Innoc. *ca. Tuam. de etate, & qualit.* Nauar. *cap.* 23. *num.* 102. §. 10. Ratio est, quia in hoc iniusto metu extrinsece illato, sub illis expressis, vel tacitis minis lucri cessantis, vel damni emergentis interuenit quædam emptio, & venditio rei proximæ spiritualibus, pro vt spiritualia sunt.

Occasionum peccata. §. 2.

1 *Quas occasiones teneamur euitare.*

1 QVÆSTIO. *Quas occasiones teneamur sub mortali euitare?* RESP. Non nimis remotas, quia sic omnis creatu-

creatura est occasio peccandi. Sapien. 14 *Creaturæ in tentationem factæ sunt, & in muscipulam pedibus insipientis. Alioqui*, ait Paulus. 1. *Corinth. 5. debuissemus de hoc mundo exire.* Item non eas, de quibus creditur tam à confessione, quam à pœnitente, quod aliquando cum ijs peccatur mortaliter. Ita Innocent. *capitu. Omnis. de pœn. & remiss.* Cordub. *in quæst. variis quæst. 4.* Nam *cap. consultationi de frig. & malef.* permittuntur Bertha, & Titius cohabitare simul vt fratres, inter quos non constitit matrimonium propter frigiditatem viri: & tamen licet non haberent potentia cocundi, ex cuius defectu inualidum fuit coniugium, credibile est interuenienda oscula, & amplexus quæ peccata mortalia sunt. Præterea non eas in quibus creditur difficile posse peccatum mortale vitari. Ita Greg. Pap. *c. Negotium. de pœn. dist. 5. & c. Qualitas. cap. Contrar. eadem dist.* Docet Nauar. *in Add. cap. 3. sum.* Dico igitur eam, & solam tenemur sub mortali vitare occasionem quæ proxima peccati est. Occasio autem proxima peccati illa, & sola est, qua quis credit se nunquam illa vsitans aut raro, quin peccet mortaliter, attentis circumstantijs loci, temporis, & personæ.

Occidentium, seu interficientium peccata. §. 3.

1 *An possim occidere inimicum, qui non vult desistere à me quærendo, vt me occidat.*

2 *An teneatur ad restitutionem, qui occidit hominem, iam ad mortem damnatum.*

3 *An peccet quis occidendo, quem Princeps permittit, vt damnatus à quouis occidatur*

4 *De restitutione facienda hæredibus occisi.*

5 *An grauius peccet, qui nobilem, quam qui ignobilem occidit.*

6 *An peccet maritus occidendo adulteram vxorem, deprehensam in adulterio.*

1 QVÆSTIO. *Rem proponam satis arduam, & difficilem, sed spero, vt digne responso satisfacias, casus est.*

Habet

Habet Titius inimicum Sempronium, qui vult Titium occidere: sæpissime à Titio, & amicis Titij rogatus non vult redire in amicum : cogitur Titius propter Sempronij odium animi propositum , & minas contumacis hominis libere exequentis animi cupiditates exulare , propriam domum, patriam, amicos relinquere: quæro, an ad redimendam tam acerbam, & iniustam vexationem possit occidere Sempronium? Resp. Potest. Ita Bannes. 2. 2. *quæst.* 64. *artic.* 7. *dub.* 4. Totum fundamentum desumitur ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 64. *artic.* 7. Et ex iuris peritis. *cap. Significasti. 1. Extrauag. de homic. cap. Si vero. 1. Extrauag. de excomm.* quia ista contumacia actualis, est violenta actualis aggressio; sed actuali aggressioni iniquæ possum occurrere occidendo, igitur. Deinde, quia potius meæ, quam alienæ vitæ teneor consulere, quando ex alterius malitia periculo est exposita mea, teste D. Thom. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. mea autem vita in præsenti euentu semper est actuali periculo exposita; ergo, &c. Tertio, quia licet iure naturali cuique actualē vim vi repellere *cap. Olim. 1. de restitut. spoliat. L. scientia. §. Quicunque aliter. ff ad L. Aquiliam, & sæpe alibi*: sed in nostro casu datur perpes actualis vis per perpetem actualem contumaciam inimici volentis me occidere; ergo, &c. Quarto, quia cum bona est electio finis, bona quoque est electio mediorum necessariorum ad talem finem, sed in nostro euentu bona est intentio meam vitam conseruandi, meaque omnia salua, & incolumia; medium autem vnicum, & necessarium, est occisio inimici, ergo bona est electio huius occisionis. Quinto. Recludor domi, adest inimicus pro foribus, vt me exeuntem occidat, perseuerat dies, nocteſque, mensem, & annum, nec abest puncto, possum, vt nemo negat explosō globo, vel emissa sagitta intus illum occidere, cum non supereſt alia ratio euadendi; ergo similiter in nostro casu. Quod si quis dicat: Potest Titius euitare huiusmodi aggressionem separando se, & fugiendo. Respondeo Titium non obligari propter superbiam , & contumaciam alienam domo sua, opibus, & amicis cedere. Denique quia occupatorem rerum mearum iniustum possum occidere ad eas recuperandas, si aliter recuperare non possum : sed euentu proposito talis Sempro-

nius,

nius inimicus iniuste occupat res Titij, per contumax propositum priuandi illum patria, domo, opibus, liberis, amicis, & alijs pretio æstimabilibus; ergo licite ille potest occidere. Hæc est mea sententia, quam ingenue cuiusuis melius iudicantis correctioni submitto.

2 QVAEST. *Erat Reynaldus per iustam iudicis sententiam damnatus capite; quod quidem passurus erat supplicium, si comprehenderetur: inuenit eum Socrates, & ex malevolentia occidit Reynaldum, rogo, an teneatur Socrates ad alimenta filiorum Reynaldi à se occisi, ac si Reynaldus pater capitis non esset damnatus?* RESP. Tenetur. Ratio est, quia illa occisio à particulari persona facta, fuit iniusta: vbi vero est damnificatio iniusta, ibi semper debetur restitutio, vt est Theologorum assertum *in 4.d.15.& 2.2. qu.62.* cum D. Thom.

3 QVÆST. *Si Princeps iubeat, vt quisque possit Socratem inuentum occidere, peccatne, qui Socratem interficit?* RESP. Si Socratis scelera iustam commeruere sententiæ pœnam, minime. Nam Princeps id potest præcipere, cum aliter malefactor è vita, vt crimina exigunt, tolli nequeat. Ita Panormitan. *cap. fin. 2. de consuetud.* & *ibi* Glos. Bald. *L. Omnes populi. ff. de iust. & iur. & L. Amissione. §. de capite dem.* Ioan. Andr. *in Add. ad Spec. tit. de const.* Tab. & Armil. *verbannitus* Exemplo Moysis præcipientis, vt vnusquisque fratrem suum, & amicum pro peccato vituli conflatilis occidat. Recte tamen adnotarunt prædicti Doctores discrimen inter bannitorum occisores per permissionem legis, seu statui, & per iussionem Principis: aiuntque occisorem permissiue peccare mortaliter, quamuis à Principe non puniatur, quemadmodum non punitur maritus occisor adulteri: occisorem vero iussiue non peccare. Et ita omnino dicendum censeo.

4 QVAEST. *Quantum tenetur restituere occisor hæreditas occisi?* RESP. Hac in re certam regulam assignare, nequaquam hactenus potuerunt Auctores, ideo prudentis arbitrio relinquendum est, considerantis damnum ortum ex tali occisione, æquando plus, minusve illud cum restitutione, vt sic fiat æqualitas inter damnum, & restitutionem, quæ quidem in diuisibili non consistit.

5 QVAEST. *Quod est grauius homicidium hominis nobilis,*

an

an ignobilis? RESP. Nobilis, Habetur id in vtroque iure. In ciuili. *L. Aut facta. ff. de pœnis.* canonico vero *c. Aut facta. de pœn. dist. 1.*

6 QVÆST. *Peccatne mortaliter maritus occidendo vxorem comprehensam in fragranti adulterio?* RESP. Peccat. Ita communiter Theologi, D. Thom. *in 4. d. 37. quæst. 7. artic.* id Palud. Sylu. *hom 1. quæst. 2.* Sot. *libro 5. Iust. quæstio. 3. articul 3. dubio 2.* Ita communiter iuris periti. Textus expressus *cap. Inter in.* Gloss. singularis *capit. Interfectoribus. capit. Admonere. 33. quæstio 2.* Abb. Annania. Felin. *in capit. Interfeciſti de homicid.* Præpositus. *capit. Veniens & cap. 2. de sponsalib.* Nauar. *capit. 15. numer. 4.* Couar. *libr. 2. de sponsalib. capit. 7. §. 7. numer. 8.* Ita communiter iuris Cæsarei Doctores. Iaſ. *L. vbi pactum. numer 16.* Cod. *de transact.* Faber *in L. Gracchus. Cod. de adulteriis.* Tiraquel. *lib. de iure mariti libro 8.* qui plures refert, & multo plures Barbosa *tom. 2. ff. soluto matrimon. L. si ab hostibus 11. §. fin. numer. 43. pag. 120.* Quamquam ipse oppositum sentiat. Sed immerito. Nititur enim fundamento, quod non probat, vt statim dicam Ratio est, quia sumere vindictam est solius Dei opt max. Eam enim sibi soli arrogauit. *Mihi vindictam, & ego retribuam. Ezech. 9. & Deut. 32. Rom 12.* Certum tamen est leges ciuiles in hoc crimine conniuere, atque huiusmodi vxoricidium permittere, & impunitum relinquere. Ita Text. in *L. Gracchus Cod. Ad L. Iuliam de adult. L. Maritum. ff. de adult.* Non ex eo quod constituant maritum executorem pœnæ à legibus impositæ adulteræ, vt sine textu, & ratione arbitretur Barbosa: sed vt cuitentur adulteria. Quod si Barbosæ consentiamur in legibus interpretandis. Adhuc conclusio non ita affirmanda, quoniam rarus inuenietur vxoricida, qui omni vindictæ passione liber, Zelo tantum iustitiæ procedat in nece inferenda.

AD LIT. P.

CAPVT XV.

Prædicatorum peccata. §. 1.

1 *An doctor, vel licentiatus in Theologia indigeat licentia Ordinarij ad prædicandum.*
2 *An de parochi licentia sola, possit doctus, & pius vir prædicare.*
3 *An peccet mortaliter, qui prædicat habens peccatum mortale.*
4 *An peccet, qui reprehendit publice peccata, quæ ipse occulte habet.*
5 *An reprehendenda sint peccata publica.*
6 *De reprehendentibus peccata Ecclesiasticorum.*
7 *Quomodo reprehendenda sint Ecclesiastica personæ.*
8 *De prædicantibus falsa miracula.*
9 *De prædicatoribus vaniloquis.*
10 *De prædicantibus absque licentia Ordinarij.*
11 *Quam censuram incurrit qui prædicat absque licentia Ordinarij.*

1 QVAESTIO. *Potestne Doctor, aut Licentiatus in Theologia prædicare absque Ordinarij facultate?* RESP. Modo post Concil. Trid. non potest, cautum est sess. 23. *cap.* 15. Adnotauit Cord. *in miscel. casu* 16.

2 QVÆST. *Potestne Prædicator de licentia cuiusque Parochi prædicare in sua parochia absque licētia Ordinarij?* Resp. Quisque parochus potest concedere licentiam homini docto, aut monacho, & prudenti, vt bis, aut ter prædicet in sua parochia absque alia licentia Ordinarij. Ita Henrq.

Henriq. *lib. 7. de indulg.* Mancius, & alij, quos citat, & sequitur Rod. *in sum. 2. p. cap. 22.* Ratio est, quia Conc. Trid. solum in regularibus requirit licentiam Ordinarij Ita etiam Saa. *verb prædicare. n. 3.* An vero parochus possit hãc licentiam dare laico docto, omnes negant, requiritur igitur, vt sit clericus saltem in minoribus. Ex sententia vero Saa. requiritur, vt sit diaconus.

3 QVAEST. *Est ne peccatum mortale prædicare in mortali?* RESP. Minime. Ita Saa. *verb. præd. n. 2.* Ratio est, quia prædicare non est actus ordinis sacri, sed officij publici. Amouendum tamen est scandalum.

4 QVAEST. *Peccat ne mortaliter prædicator, qui publice peccata reprehendit, quæ ipse occulte committit?* RESP. Affirmat Sylu *correctio. n. 15.* Nau. *cap. 25. num. 42.* Negandum tamen est cum Caiet. *3. p. q. 64. art. 4.* Sot. *in 4. d. 1. q. 5. art. 6.* Rod. *in sum. 2. p. c. 22. nu. 4.* Dico igitur. Si peccata sunt occulta, peccare solum venialiter. Ita Caiet. *prox.* Ratio est, quia rem sanctam non sancte peragit, & reuerenter. Si vero peccata sunt publica, peccat mortaliter. Ratio sumitur ex scandalo coram scientibus, qui dicunt: *hypocrita ejice prius trabem de oculo tuo, & tunc incipies ejicere festucam de oculo fratris tui.* Ita Cord. *lib. 1. q. 50. puncto 2.* Instruct. Confess. *2. p. c. 10. col. 99.*

5 QVAEST. *Sunt peccata publica, de quibus non speratur delinquentium emenda, speratur tamen timor communis, & virtutu maiestas ab omnib. veneranda, tenetur prædicator reprehendere talia peccata?* RESP. Tenetur, quoniam etsi non datur spes emendæ singulorum publice sic peccantium, speratur tamen boni communis augmentum. Ideo D. Ioan. Baptista reprehendebat Pharisæos minime quidem corrigendos: Si vero ex prædicatione neque bonum particulare, neque publicum speretur, ea supersedendum est ex sententia D. Hieronymi *cap. 5. Amos*, & Turrecr. *c. Non est. 2. quæst.*

6 QVAEST. *Sunt aliqui regulares prædicatores, qui vt sæcularibus laicis placeant detestatis verbis, aut æquipollentibus signis acriter reprehendunt Ecclesiæ prælatos, & sacerdotes, eorum vitia propalando, dic igitur peccantne mortaliter?* RESP. Peccant. Ita grauiter cauetur *Clem. 1. §. quibus de priuileg.* & Gloss. *verb. detrahendo.* imo in Conc. La-

teran. à Leone X. confirmato, anathematizantur huiusmodi prædicatores. Ratio est manifesta, quia huiusmodi reprehensio est detractio grauis, & non prædicatio in loco sacerrimo, aperiendæ veritati deputato. Quod præceptum est etiam extendendum ad prædicatores sæculares, quo ad culpam, non quo ad pœnam, vt notat Robert. *citat. loc.*

7 QVÆST. *Quid igitur: silentio sunt prætereunda Prælatorum, ecclesiasticarumque personarum vitia?* RESP. Minime: sed in communi debita reuerentia, & ita prudenter, vt magis videamur dolere, quam reprehendere. Ita Nau. *c. 25. num. 142.*

8 QVAEST. *Quod peccatum est falsa miracula praedicare scienter?* RESP. Mortale, Ratio est, quia tale mendacium grauissimam irrogat iniuriam auctoritati talis officij imo auctoritati fidei, quæ mendacijs nequaquam aititur. Ita Saa. *verb. præd. n. 4.* Et talis prædicator incurrit excommunicationem Papæ reseruatam, teste Caieta. *2. q. 100. & in sum. verb. excommunicatio. cap. 18.*

9 QVAEST. *Quid censes de prædicatoribus vaniloquis, auricolos dixerim, qui nil aliud intendunt, quam lingua leui & auribus titillare, multa noua, vana, & ficta comptu calamistratisque verbis proferendo?* RESP. Peccant graviter. Istet multorum sententia docet Saa. *verb. præd. nu. 4.* cum sint valde inutilia. Ratio esse potest, quia verba prædicantis Christum esse debent sagittæ potentis acutæ ad penetrandum corda: carbones desolatorij ad delenda vitia: gladij ancipites in manibus ad præscindendas occasiones. Non ita tamen prædicatio debet esse ieiuna, & sine sale, vt lepore careat.

10 QVAEST. *Quantum peccat, qui absque licentia Ordinarij prædicat?* RESP. Mortaliter. Ita Saa. *verb. præd. n. 4.* ex sententia multorum, quorum loca non refert.

11 QVAEST. *Suspensus ab officio prædicandi manetne irregularis?* RESP. Affirmat Nau. *cap. 27. n. 13.* Ratio est, quia munus prædicandi est annexum diaconatui: incurrit vero irregularitatem, qui exercet suspensus ab officio munus solemniter annexum alicui ordini; ergo, &c. Oppositum tamen est dicendum cum Rod. *in sum. 2. p. c. 12. n. 8.* ex opposito fundamento.

Præ-

Prælatorum regularium peccata. §. 2.

1 *Quid possunt Prælati religiosi erga suos religiosos.*
2 *Præcipue de Guardianis.*
3 *De statutis annullantibus professionem certarum personarum.*
4 *An prælati Religionum possint absoluere suos subditos ab hæresi.*

1 QVÆSTIO. *Longum esset te sigillatim interrogare de prælatu regularium, ideo profer in medium, quid ipsi iuxta canones possint, quidve non possint, vt ita clarum maneat, in quo peccent, aut non peccent?* RESP. Tria sunt inter regulares superiorum genera. Generales, qui sub se habent totius ordinis regimen. Prouinciales, penes quos est totius prouinciæ gubernatio. Guardiani, quibus incumbit cuiusque domus, seu monasterij administratio. Scio varia esse nomina secundum hanc, vel illam religionem, idem tamen est munus in omnib. Dico *primum.* Omnes hi sunt vere prælati, & veri animarum parochi, habentque dignitatem Ecclesiasticam. *cap. Ad aures. de temp. ordin. c. Sicut literis de Simonia.* vbi Gloss. *ver. anathema.* confirmauit Conc. Trident. *sess. 24. num. 5.* Dico *secundum.* Omnes illi possunt esse legati à Papa. Ostendunt Sot *in 4. d. 22. quæst. 2. artic. 1.* Nauar *capit. 23. num. 5.* Dico *tertium.* Generales, & Prouinciales habent in suos iurisdictionem quasi episcopalem, & ideo quidquid episcopi possunt in suo episcopatu, possunt Generales, & Prouinciales in tota regione, & prouincia. Notat Panorm. *cap. At si clerici, § de adulteriis, num. 13.* Aduerterim tamen attendendas esse coarctationes, vel extensiones priuilegiorum circa hoc, quas viderint ipsi prælati. Dico *quartum.* Neutri possunt hæresis crimen in suis subditis punire, saltem in Regnis Hispaniarũ, & Lusitaniæ. Ratio est, quia talis punitio per consuetudinem, imo per priuilegium Pij IV. ad solos fidei Censores spectat, per quod derogatæ sunt literæ Apostolicæ, quas hac de re habe-

bant religiosi, vt constat ex compendio priuilegiorum, *verb. hæresis* Dico *quintum*. Nequeunt Generales, & Prouinciales eximere aliquem subditum ob obedientia immediati domus superioris : neque item generalis aliquem superiorem, seu Guardianum particularis domus ab obedientia Prouincialis. *capit. Fratres 16. quæst. 1.* Refert Sylueſt. *casus. quæst. 3.* Dico *sextum*. Nequeunt hi superiores recipere in religionem expulsos ab ea propter delicta incorrigibilia. Ita decreuit Sixtus V. motu proprio. Dico *septimum*. Cum dubitationes subortuntur in breuib. Apostolicis, præcipue circa bonum commune religionis, possunt huiusmodi prælati breuia declarare, & cogere subditos ad standum pro ea declaratione, donec sedes Apostolica consulatur. Ita Rodetic. *in sum. 2. p. capit. 29. numer. 8.* Dico *octauum*. Cum subditi religionis D. Francisci abutuntur breuibus Apostolicis, possunt generales, & prouinciales illa suspendere, donec sedis Apostolicæ oraculum consulatur. Ita concessit Sixtus V. habetur *in compendio. verb priuilegia. §. 9. & 13.* Dico *nonum* Possunt huiusmodi prælati in dubijs declarare priuilegia adiunctis iurisperitis, & persona in dignitate ecclesiastica constituta. Concessit Innoc. VIII. habetur *in compendio*. Dico *Decimum*. Ex consensu capituli, vel maioris partis illius, possunt huiusmodi prælati decernere, an vtile, inutileue sit religioni vti aliqua confessione viuæ vocis oraculo concesse. Ita concessit Leo X. habetur in compendio *verb. oraculum. §. 3.* Priuilegia vero omnino tollerepertinet ad solum capitulum. Dico *Vndecimum*. Nequeunt prouinciales religionum mendicantium relinquere domos iam acceptas: si vero relinquant, excommunicantur. *capit. vnico. de relig. domib.* notat Sylu. *casus. quæst. 8.* & *excommunicatio. 8. §. 8.* Possunt tamen facere ex consensu generalis, concessit Sixtus IV. Habetur *in compendio. ver. ædificatio. §. 8.* Dico *duodecimum*. Spectato iure communi non possunt hi prælati ædificare noua monasteria, vbi nunquam antea extiterunt absque Sum. Pontificis licentia. Prohibetur *capit. vnico de exist. prælat. capit. vnico. de religios. dom. libro. 6.* Insuper, neque absque licentia episcopi diœcesis, ex nouo iure Concil. Tridentin. *sessio. vigesimaquinta de regularib. capit.*

capit. tertium. in fine, abrogante quæuis alia priuilegia in oppositum. Dixi (spectato iure communi) quia ex priuilegiis aliter dicendum, habetur in compendio *verb. adificare.* §. 10. & 11. Dico *decimumtertium* Obtinuit consuetudo, & interpretata est Concilium, & Canones, vt non solum noua erigere, sed neque vetera ab vno in alium locum mutare possint absque licentia Ordinarij. Ita Roder. *in sum.* 2 *p. cap.* 29. *num.* 11. Dico *decimumquartum*, Non possunt hi prælati nouas erigere prouincias, neque veteres diuidere, neque vnam alteri subijcere absque licentia Papæ. Ita decreuit Nicolaus IV. habetur *in compendio ver. prouincia.* §. 1. Nam quemadmodum absque licentia Papæ neque nouus institui episcopatus, neq; vetus diuidi, neque vnus alij subijci potest, vt cautum est *cap. Felix* 16. *qu.* 2. notat Sylu. *casu. qu.* 9. & 10. ita neque prouinciæ. Dico *decimumquintum* Possunt hi prælati in capitulo dispensare cum illegitimis religiosis ad prælatiam habendam. Ita concessit denuo Greg. XIV. notat Roderic. *in sum.* 1. *p. capit.* 29. *num.* 12.

2 QVAEST. *Dic modo de guardianis?* RESP. Sunt in religionibus, vt parochi sæculares in suis parochijs; & ideo quemadmodum parochi habent iurisdictionem finitã, & in multis subiectam Ordinario, sic guardiani subijciantur prouincialibus, & generalibus: limitationes vero ipsi viderint, sunt enim pro religionum diuersitate diuersæ.

3 QVAEST. *Estne validum statutum à generali alicuius religionis factum, vel à tota etiam religione ingressum, vel professionem inualidans certarum personarum, verbi gratia, quia progeniti à talibus parentibus, vel nati in tali patria vel similibus?* RESP. Dico *primum.* Si adsint causæ, validum erit, & iustum tale statutum. Validum, quia ad validitatem professionis, vel ingressus in religione requiritur consensus, & approbatio ipsius superioris, & cõuentus libera, vti requiritur ex parte profitentis *c. 1. Correctũ. de Regul.* Geminian. *c. Constitutionẽ.* §. 1. *de Regul. l.* 6. Iustum, quia non procedit ex odio personarum, sed ex zelo tranquillitatis suę religionis, vtendo ad eam acquirendam, & conseruãdam suo iure, & auctoritate, quia nemini debetur ex iustitia admissio, sed ex gratia, & liberalitate. Dico *secundũ.*

Per hoc statutum non decernuntur tales personæ inhabiles, & incapaces status regularis, si reuera a iure canonico non decernuntur tales. Ratio est, quia condere leges, & canones inducentes erga certas personas inhabilitatem, & incapacitatem ad statum regulatem, vel ad omnes, vel ad certam religionem spectat ad solum Summum Pontificem, qui est superior omnium religionum & personarum admittendarum in eas. Dico *tertium*. Per hoc statutum particularis superioris, & religionis nil aliud significatur, quam denegari consensum, placitum, & approbationem superioris, & religionis, sine quo, tam professio, quam ingressio est inualida. Ita docte adnotauit Beia Lusitanus *p. 4. casu 34.*

4 QVAEST. *Possuntne religiosi prælati absoluere suos subditos ab hæresi per accidens occulta?* RESP. Attendenda sunt cuiusque ordinis priuilegia. Spectato tamen iure communi, non possunt. Ratio est, quia licet erga proprios subditos possint, quod possunt episcopi in potestate regiminis, & episcopi possint absoluere suos subditos stando in iure communi ab hæresi per accidens occulta, possunt non vt episcopi, sed vt inquisitores facti a iure communi, & modo a Concil. Tridentino.

Prælatorum monialium peccata. §. 3.

1 *Quæ ætas requiritur in Abbatissa, & Priorissa.*
2 *An deficiente quadragenaria in monasterio, eligenda sit ex alio monasterio.*
3 *Quid faciendum, si ex electione alterius monasterij oriantur rixæ.*
4 *Quod est peccatum mentiri circa ætatem.*
5 *Quæ forma requiritur ad electionem.*
6 *An requiratur confirmatio Prælati ad validitatem electionis.*
7 *Quid si confirmaturus longe abest.*
8 *An possit eligi bigama in prælatam.*
9 *Quæ fœmina censenda est bigama ad electionem.*
10 *An possit illegitima eligi in prælatam.*

11 An

11 *An possit eligi filia subdiaconi, diaconi, & presbyteri in prælatam.*

12 *An possit eligi filia histrionis.*

13 *Quomodo ferenda sunt suffragia.*

1 QVAESTIO. *Quæ ætas requiritur, vt monialis eligatur ad abbatissam, præfectam, præpositam?* RESP. Quadraginta annorum spacium, insuper quod sint octo anni transacti à professione laudabilis vitæ. Ita decreuit Conc. Trid. *sessi. 25. ca. 7. de Regul.*

2 QVAEST. *Non est in monasterio quadragenaria, quæ igitur eligenda?* RESP. Quadragenaria alterius monasterij eiusdem regulæ.

3 QVAEST. *Si de foris veniat, dabitur occasio simultatibus, & odijs, quæ eligenda?* RESP. Tunc vna triginta annorum, & post quinque annos professionis. Ita Roder. *in sum. 1. p. ca. 105. nu. 4.*

4 QVAEST. *Quod est peccatum mentiri circa ætatem ad obtinendam prælationem?* RESP. Mortale, quia deceptio in re grauissima.

5 QVÆST. *Quæ forma seruanda in abbatissæ, vel priorissæ electione?* RESP. Vt suffragia, & vota eligentium, secreto suscipiantur. Ita decreuit Conc. Trid. *sessi. 25. de Regu cap. 6.* Et aliter acta electio est per ipsum Concilium irrita. Redditur insuper monialis electa, si electioni cõsentiat, ad religionis officia habenda deinceps inhabilis.

6 QVAEST. *Præter electionem legitimam, requirituine insuper confirmatio ipsius electionis per Prælatum, ita vt peccet talis electa suum munus exequendo, & irrita sint omnia ante confirmationem facta?* RESP. Maxime. Ita decernitur *cap. Qualiter, ca. Nostri c. Bonæ memoriæ. de elect, ca. Iam dudum. de præbend.* & *ibi* Doctores omnes.

7 QVAEST. *Abest longissime confirmans, licebitne tunc sola electione vti, & munus exequi?* RESP. Licebit, & gesta robur habebunt. Textus cum Gloss *ca. Nihil. §. fin. de electione* Probat Maiolus *li. 1 ca. 29. nu. 24.*

8 QVAEST. *Potestne eligi in abbatissam, vel priorissam bigama?* RESP. Minime. Textus expressus *in Auth. de sanct. episcopis. §. diaconissam,* & *in Auth. Diaconissam, Cod. de episc. & cleric.* & *ca. Nemo. 88. dist.*

9 QVÆST. *Dicendane est bigama in ordine ad prælaturam, quæ post castitatis votum stuprum commisit?* RESP. Dicenda. Textus expressus. *ca. Quotquot. 27. qu. 1.* aitq; *ibi* Gloss. episcopum cum tali non dispensare. Potest vero cum alia, vt claret ex *superioribus capitibus.*

10 QVÆST. *Potestne eligi illegitima?* RESP. Minime. Textus expressus *ca. In quibusdam. de pœnis.* vbi Glos. Ab. Insuper Gloss. *cap. Indemnitatibus. §. . ver canonica de elect. li. 6. ibi* Gemin. quos refert, & sequitur Maiolus *li. 1. ca. 29. nu. 10.* & Sum. confessor *lib. 3. tit 24. qu 1.*

11 QVÆST. *Potestne eligi in prælatam filia in sacris constituti?* RESP. Minime. Qua itidem infamis est in iure. Ita Maiolus *li. 1. ca. 29. nu. 12.* cum alijs.

12 QVÆST. *Requiriturne ad legitimam electionem, vt suffragia ferantur scripto secreto?* RESP. Ex vi verborum Concilij, minime: Verba enim Conc. sunt. *Eas audiat, & recipiat*, hoc est, moniales suffragantes. Ita Roder. *in sum. 1. ca. 105. nu. 4.*

Parentum peccata erga filios. §. 4.

1 *De patre minuente legitimam filiorum.*
2 *Quantum obligati sunt patres erga salutem spiritualem filiorum.*
3 *Quo supplicio licet parentibus afficere filios.*
4 *De parentibus filios exponentibus.*
5 *An peccent parentes cogendo filios ad religionem, vel matrimonium.*
6 *Qui censentur in iure filij spurij.*
7 *An sit spurius filius, natus ex vxorato, & soluta per occasionem compressa.*
8 *An filius natus ex vxorato, & soluta per occasionem compressa, possit institui parentum hæres.*
9 *An parentes possint legare filijs spurijs.*
10 *An parentes laici possint ditare filios spurios.*
11 *An clerici possint ditare filios spurios.*

12 An

12 *An parentes teneantur alere filios spurios.*
13 *De educatione filiorum spuriorum.*
14 *De hæreditate relicta sub pacto alicui extraneo, vt tradatur filio spurio.*
15 *De hæreditate relicta sub mera confidentia extraneo, vt tradatur filio spurio.*

1 QVÆSTIO *Quod peccatum committit pater minuendo notabiliter legitimam filiorum per liberales donationes?* RESP. Mortale. Ita Iason *in L. hoc iure. ff. de Iust. & iur.* Rod *in sum. 1 p. capit. 13. nu. 2.* Dixi per liberales donationes, quia per remuneratorias non ita dicendum: has enim, & potest pater facere, & debet, nam in eis filiorum consulit vtilitati.

2 QVÆST. *Tenenturne patres sub mortali auxiliari spirituali filiorum saluti prouidendo illis necessaria ad talem vitam?* RESP. Tenentur; & ideo peccant non edocendo illos doctrinam Christianam, quæ necessaria est ad salutem. Item non eos remouendo ab occasionibus peccati: ideo peccant conniuendo in eorum vitijs, veluti in amatorijs illecebris filiarum, amoribus impuris filiorum, cũ possunt eos, licet per cibi, vestitusque subtractionem à tali culpa deducere. Denique idem peccatum committunt patres, atque filij, cum illos, si possunt non corrigunt. Hinc colligit D. Thom. 2. 2 *quæ. 154. art. 4.* & Caie. *ibid* peccare mortaliter parentes, cum sinunt filias sponsas vacare tactibus impudicis cum sponsis, quia hi tactus sunt peccata mortalia.

3 QVÆST. *Licetne parentibus filios ad correctionem verberare, domi retinere, illaqueare, vel quid simile eis facere?* RESP, Licet Sylu. *percussio & verberatio. ibid.* Caiet. præterea D. Thom. 2. 2 *quæ. 65 ar. 2.* Sot. 5 *Iust. qu. 2. artic. 2.* Quod quidem asserendum est de verberatione, percussione, & retentione moderata absque damno notabili, zelo solius emendæ in posterum, vel supplicij in præteritum, quatenus inseruit correctioni in futurum: supplicia enim simpliciter, quæ pœna peccati sunt, quatenus grauia, non ad œconomicam, sed ad publicam gubernationem spectant.

4 QVAEST.

4 QVAEST. *Quantum peccant, qui exponunt filium absq. necessitate?* RESP. Mortaliter. Ratio est, quia ipsum Naturæ ius obligat parentes ad filiorum procreationem.

5 QVÆST. *Cogere filios ad matrimonium, vel ad statum religiosum, quod est peccatum?* RESP. Si non adsit causa grauis, graue est lethale. De matrimonio constat ex multis canonibus asserentibus debere esse maxime liberum, Ita *cap. De neptis, ca. Si verum. 31. quæst. 2* & ex Concil. Trident. *sessi. 24. capit. 9. de reform. matrim.* Vbi sancta synodus omnibus cuiusque gradus, dignitatis, & conditionis existant, præcipit sub anathematis pœna ipso facto, ne quouis modo directe, vel indirecte subditos suos, vel quoscunque alios cogant, quo minus libere matrimonia cogant. Quæ excommunicatio licet in patres non cadat, vt explicauit Congregatio Cardinalium, & declarauit Greg. XIII. præceptum ad eos est extendendum. De ingressu vero religionis coacto, prohibet idem Concilium, *sessi. 5. cap. 17 & 18 de regular.*

6 QVAEST. *Quoniam te interrogaturus sum de pœnis patrum erga filios spurios, dic prius, qui censentur in num. filij spurij?* RESP. Spuriorum nomine intelliguntur omnes, & soli ex damnato concubitu orti. Dicitur vero damnatus concubitus inter vtrumque vxoratum, & ex eo concubitu orti filij appellantur nothi. Inter vxoratum, & solutum, filius ortus appellatur ex adulterio. Inter vxoratum & virginem, appellatur vero filius ex stupro, & adulterio. Aliter tamen opinatur Cou. *in Epitom. capit. 8.* arbitratur enim filium dici spurium, qui nascitur ex parentibus ad contrahendum inhabilibus tempore conceptionis & natiuitatis.

7 QVÆST. *Non dicetur igitur filius spurius in iure ex vxorato & soluta, cum soluta non erat vxorato concubina ex consuetudine?* RESP. verum quidem est. Ita Bein. *in casu. 12.* (Quanquam repugnet Couar. quia talis filius conceptus, & natus est ex parentibus ad contrahendum inhabilibus, vt proxime ostendi) Ratio est, quia damnatus concubitus per leges, est, qui punitur ab ipsis legibus, non punitur vero vxorati cum soluta. imo publice dicitur impunitus. *L. Qui adulterium. Cod. de adult. L. si vxor de adulteris.* Barthol. *L. Verum. de furtis.* & ideo in iure ciuili talis

talis concubitus non apellatur adulterium *L.1. Cod. de adulter.* Neque vxor contra maritum habet actionem *cap. Apud 32 quæ. 1. §. publico.* Hæc secundum ius commune: secundum vero ius particulare idem dicendum: etenim secundum ius Lusitanum *lib. 5. Ord. titul. 28. § 1.* Solum punitur concubitus vxorati, & concubinæ, nostrates appellant *Barregaam*: concubina vero est sola illa, qua per consuetudinem quis vtitur, non vero illa, qua quis vtitur casu, & fortuna, vt ita dicam.

8 QVÆST. *Possuntne parentes instituere hæredes filios natos ex vxorato, & soluta, non concubina?* RESP. Possunt, imo ipsis parentibus succedunt in hæreditatem. Tradit Barthol. *L. 3. de concubinis. in initio.* Tiraquel. *L. si vnquam. Cod. de reuocat. donation. verb. susceperit liberos. numer. 51.* Paleotus *libr. de nothis. capit. 14.* Ratio eorum est, quia non repelluntur in iure a successione parentum tam paterna, quam materna, nisi spurij orti ex damnato concubitu: spurij vero orti ex vxorato, & soluta non concubina, non dicuntur ex damnato concubitu: vt patet ex proxima responsione. Ergo non solum instituí possunt hæredes, sed succedunt vtrique lineæ, seu paternæ, seu maternæ hæreditario iure.

9 QVÆST. *Estne parentibus cautum à iure, & prohibitum legare filijs spurijs?* RESP. Maxime. Ita cautum est *in Authen. Quibus modis natural. effic. L. vnica. §. finali. Authen. Licet. Cod. de natural. liber. L. Cum acutissimi ff. de fideicommissis.* Circa clericos specialiter sanxit Pius V *Extrauag. Qui ordini Ecclesiasti: noxia esse.* Ideo tale legatum testamento relictum, est nullum, quippe quod contra leges, & canones.

10 QVÆST. *Possuntne parentes laici ditare filios spurios, dum viuunt, siquidem eos instituere hæredes nequeunt?* RESP. Qui carent legitimis filijs, possunt absque peccato filios spurios ditare proprijs bonis, dum viuunt, atque illis sub eorum nomine emere redditus annuos, & filij possunt talia bona tuta conscientia retinere. Ita Sot *4 Iust. quæ. 5. art. 1. ad 4. Beia 2. p. cas. 12.* Ratio est, quia leges omnes latę circa filios spurios laicorũ solum prohibent successionem eorum parentibus iure hæreditario, aut testamento post parentum mortẽ, atq; ita vsu sunt receptæ absq; vllo scrupulo.

11 QVÆST.

11 QVÆST. *Possuntne ijdem clerici circa filios spurios?* RESP. Minime. Ita cauetur bulla Pij V. *Quæ ordini ecclesiastico noxia esse.* Vbi apertis verbis id præcipit Sum Pontifex; & ideo non solum prohibet, ne hæredes instituantur, verum etiam reddit eos inhabiles, & incapaces ad obtinenda, quocunque titulo, etiam gratuito, bona quæcunque paterna. Quod fecit ad obuiandum damnis Ecclesiæ, cuius substantia in periculo est propter ditationem filiorum clerici, vt ait Pelagius Papa *capit. De Siracusanæ vrbis. dist.* 28 Gloss. *in cap. Peruenit.* & Concil. Trid. *sessi.* 25. *ca.* 1. *de reform.*

12 QVÆST. *Tenenturne parentes filijs spurijs alimenta suppeditare?* RESP. Tenentur iure naturali, nam qui dedit esse, tenetur illud conseruare, esse vero, quod dedit filio pater, conseruatur per alimentum: Præterea, vt naturalis est appetitus generandi, & relinquendi sibi simile, ita naturale est conseruare hoc sibi simile: hoc vero simile conseruatur per alimenta; ergo, &c. Tenetur insuper ex iure diuino Eccles. 30. *Lacta filium, & parentem te faciet.* Tenentur iure positiuo Canonico. *cap Cum haberet de eo, qui duxit in matrim.* Tenetur iure ciuili, quia in hoc casu statur iure canonico, teste Panorm. *in Auth. Ex complex. Cod de incestis nup.*

13 QVAEST. *Tenentur æqualiter pater, & mater alere filios spurios?* RESP. Tenentur. Ita Beia. *cap.* 14. Ratio est, quia hæc alimenta debentur iure naturæ: ius vero naturæ ęqualiter conuenit vtrique in defectu alterius. Quo iure etiam tenentur clerici, & religiosi, cogenturq; ad ea reddenda in vtroq; foro. Ita Panor. cum communi *capit. Cum haberet. de eo, qui duxit in matr.* Barth. *in Auth. ex complexu Cod. de nupt.* Decius citans multos alios. *ca. Clericus de iudic. nu.* 2. Lupus *in relect. capit. Per vestras. de donat. inter vir. & vxor.* §. 23. *m.* 12. Nau. *in com. de spol. cleric.* §. 14. Ratio est, quia educatio liberorum est debita iure naturali. *ca. Ius naturale* 1 *dist. & L.* 1. §. *ius naturale. ff. de iust. & iure.* Leges vero humanæ non possunt derogare iure naturali, vt claret, & notatur *ca. Sunt quidam* 25. *qu.* 1. *L. Id, quod nostrũ. ff. de reg. iur. ca Inferior.* 12. *dist. c Ex insinuatione de appellat.* Ideo *Auth. Ex cõplexu. Cod de incestis nupt.* nulli gentiũ est in vsu, quatenus negat alimenta spurijs. Neq;

Cœlo-

Cœlestinus Papa III. *in cap. Per venerab. Qui filij sint legit.* Loquitur assertiue, sed recitatiue, cum inquit, *iure ciuili negari nequeant spurijs alimenta*, vt notat Paleot. *tract. de nothis. ca.* 46. & Vega 2. *p. casu.* Ideo oppositum asserere, est iuri naturali repugnare. Hinc manifesto colligitur posse clericos, imo debere filias suas spurias dotare. Nam dos succedit loco alimentorum, vt notant Doctores *in L. vxorem. §. Pater naturalis ff. de leg.* 3. Ergo si tenetur ad alimẽta, tenetur ad dotem, vt coniugata honeste viuat. Alimẽtorum autem nomine veniunt, non solum, quæ præcise requiruntur ad alendam vitam vtcunque, sed cum decentia status. Ita latè probat Beia 2. *p. cas.* 12. *arg. L. Vxore. §. pater naturalis. de legib.*

14 QVÆST. *Peccatne lethaliter pater, qui extraneum reliquit hæredem pacto inito sub confidentia, vt spurio filio ea bona relicta tradat?* RESP. Peccat. Quia tali testamento fraudem facit iustæ legi, & eam transgreditur in re graui. *L. Non intelligitur. de iure fisc.* Barth. *L. fin. de his, quibus.* Neque quod pater facere iuste per se nequit, potest facere per alium. *L.* 1. §. *Siue itaque. Cod. de natur. li.* Deinde, quia testamentum fraudulentum æquiualet iniusto, nam fraus semper est alicui iniusta, & iniuriosa: iniustitia vero in re graui est mortale: Bald. *L.* 1. *de nat. liber.* Barth. *cons.* 194. Decius *cons.* 311.

15 QVÆST. *Peccatne talis pater, cum nullo expresso pacto, sed mera animi confidentia hæredem instituit extraneum?* RESP. Minime. Ita Bal. *L. Si ij. de iud.* Ratio est, quia illa mera confidentia est sola spes gratitudinis: gratitudinem vero sperare de homine nobili, & honesto viro, laudabile est, & naturale. *L. Ita fidei §. fin. de iure fisci.*

Parochorum peccata. § 5.

1 *De laico accipiente beneficium curatum.*
2 *Quoties tenetur parochus celebrare pro parochianis.*
3 *Quoties tenetur parochus audire confessiones parochianorum.*
4 *De obligatione parochi tempore pestis.*
5 *De administratione confessionis, Eucharistiæ, & baptismi tempore pestis.*

6 An

6 *An tempore pestis satis sit parocho succurrere omnibus per alium coadiutorem.*

7 *De obligatione parochi circa edocendam doctrinam Christianam.*

8 *An publicus peccator possit retinere beneficium.*

9 *De residentia parochorum.*

10 *Quæ causa excusat à non residendo.*

11 *De electione patrinorum contra parentum voluntatem.*

1 QVÆSTIO. *Qui laicus adhuc susceipit beneficium curatum ad quid tenetur?* RESP. Peccat mortaliter, si non habet animum susciepiendi presbyteratus ordinem, & curam agendi susceptarum ouium. Tenetur insuper ad restitutionem perceptorum fructuum toto tempore, quo non mutauit animum. Dico secundo. Si beneficium susscepit animo clericandi, sed mutat animum, & statuit nubere, peccat retinendo beneficium, & tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum à die mutati animi. Ita Nau. *ca* 25 *nu.* 124. Sot. 10. *Iust. qu.* 5. *artic.* 6. Gab. *in* 3. *d* 15. *qu.* 8. Tol. *li.* 5. *ca.* 5. *ex ca. Commissa de elect.*

2 QVÆST. *Quoties tenetur celebrare pro parochianis?* RESP. Ad singulos dies illum obligat Sot. 9. *Iust. quæst.* 3. *art.* 1. Si redditus sunt pingues. Toletus vero *li.* 5. *cap.* 5. saltem ad dominicos, & festos dies, & ad nonnullos alios intra hebdomadam. Standum tamen consuetudini regionum tolerata, & obseruanda absque scrupulo. Hæc autem apud nostrates solum ad dominicos, & festos dies obligat, etiam si fructus pinguissimi sint.

3 QVÆST. *Quoties tenentur parochianorum confessiones audire?* RESP. Dico primum. Quoties ipsi parochiani confiteri tenentur ex præcepto. Ita omnes. Richar. *in* 4. *d.* 18. *artic.* 2 *quæst.* 3. Maior. *in* 3. *d.* 17. *quæst. vltim.* Sylu. *confessor.* 1. §. 18. Armi. *absolutio. num.* 27. Dico secundum. Non solum cum parochiani ex præcepto obligantur, tenentur parochi illos confitentes audire: sed etiam alijs temporibus, cum subditi opportuno tempore, & iusta de causa velint confiteri, nullaq; subsit ratio negãdi. Et ideo si necessitas paro-

parochianorum grauis sit, peccabit parochus negando: erit autem grauis, cum oporteat ad superādas graues tētationes, vel ad lucrandas magnas indulgentias, & similes: alioqui non peccat plusquam venialiter, vel non peccabit, si subditus nimius sit. Ita Adrian. *qu. 5. de conf. dub. 8.* Sot. *d. 18 qu. 4. ar. 2.* Nau. *ca. Consideret de pœn. d. 6. nu. 158.* Suar. *de pœn. disp. 32. nu. 3.* qui grauiter reprehendunt superiores autores, quos in proxima conclusione citauimus, oppositum asserentes. Ratio eorum est, quia parochi tenentur subuenire non solum extremæ necessitati ouium: sed magnæ earum vtilitati prouidere. Ita Card. Tol. *libr. ca. 5. nu. 7.*

4 QVÆST. *Tenenturne parochi cum periculo propriæ vitæ, ministrare sacramenta necessitatis suis ouibus cum non adest alius, qui ministret?* RESP. Cum datur periculum damnationis æternæ subditi, & non est, qui tali periculo subueniat, nisi parochus, tenetur ipse cum vitæ corporalis periculo (si non adsit periculum propriæ salutis æternæ) subditis ministrare sacramenta. Imo, & quiuis alius sacerdos in eodem periculo. Hæc est certissima ex principijs charitatis, qua obligamur anteferre bona proximi spiritualia nostris corporalibus, vt iam respondi ad primum decalogi præceptum. Concors est Theologorum sententia *in 2. 2, qu. 26 art. 5.* Alens. *3. p. qu. 189. mem. 3.*

5 QVAEST: *Suppono non esse sacramenta absolutæ necessitatis confessionem, Eucharistiam, imo baptismum: nam adhuc superest remedium contritionis qua adultus habens votum recipiendi illa tria sacramenta, saluabitur, si ea non possit recipere re ipsa. Quæro igitur, vtrum ratione officij teneantur parochi ministrare hæc tria sacramenta subditis peste infectis cum probabili periculo infectionis, & ex consequenti subeundæ mortis?* RESP. Negat Auctor Speculi episcop. *libr. 1. disputat. 1. quæstion. 1. capit. 5.* Armil. *verb. episcopus numer. 6.* Tabien. *ibid. numer. 1.* Insinuat Maiolus *libr. 2. de irregul. capit. 20.* Abulens. *quæst. 306 in cap 22. Matth. resp. 3.* qui omnes solum obligant parochum tempore extremæ necessitatis. Ratio eorum est. Non maiori obligatione tenetur parochus succurrere necessitati ouium, quam ipsæ oues teneantur propriæ necessitati subuenire: sed oues non tenentur cum probabili vitæ periculo

sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ suscipere, sed solum nisi ad habendam contritionem; ergo, &cæt. De sacramento pœnitentiæ affirmat Maior. *in 34. distinct. 17. quæst. vltim.* Ratio eius est, quia hoc sacramentum in eo euentu est medium necessarium ad salutem, teneturque subditus illud sumere; ergo, & parochus illud ministrare, cum ex negatione oriatur mortale periculum salutis, vt latè probat idem Doctor. De sacramento pœnitentiæ, & Eucharistiæ affirmat itidem Nauar. *in summ. capit. 24. numer 10 & capit. 25 numer. 133.* Ratio eius est, quia ad vtrumque obligatur subditus ex præcepto. Nam tenetur ex præcepto charitatis ad confessionem, ne se exponat periculo salutis æternæ. Ad Eucharistiam vero per modum viatici ex præcepto diuino, ergo, & parochus illa tenetur ministrare. De sacramento pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremæ insuper vnctionis affirmant Gabr. *in sen. Domi. 4 post Pentecost. qu. de fuga pestis. concl. 4.* Cordub. 1 & 2. Echius *hom. vlt. Dom. 2. post Pascha.* Claudius Spenseus *in 1. ad Timoth. lib. 3. cap. 19.* Ratio eorum est, quia hæc tria sacramenta sunt maxime necessaria subditis, ergo ad illa ministranda obligatur parochus. Dico *primum.* Maior obligatio est in nostro euentu in parochis, quam in alijs sacerdotibus. Ratio est manifesta, quia ratione fructuum tenetur non solum ex charitate, sed etiam ex iustitia: vt miles tenetur ex iustitia ratione stipendij pugnare pro patria, & subditi possunt ab eis ex iustitia petere talem sacramentorum administrationem. Dico *secundo.* Tenentur in eo euentu non fugere. Ita citati Doctores, & qui tractant de residentia, Rebuff. *in pract. benef. cap. de dispensat. non residentium.* Imola. *cap vltim. de clericis non resident.* D. Thom. 2. 2. *quæst. 185. artic. 5. & quodlib. 11. quæst. 18. articul. 3* D. August. *epistol. 180 & serm. 10. de ver. Domini, & sermon. 50. eodem titu & sermon. 141. de tempore.* Tolet. *lib. 4. capit. 10. numer. 6.* Ratio est, quia in eo euentu tenetur parochus ministrare sacramenta. Item residere: nam ita nos docuit Christus Dominus Ioann. 10. *bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis.* Saa. *verb. parochus numer. 1.* Obijcies. Iuxta consilium Christi Domini, *Matth. 10.* licet relinquere gregem ad euitandam mortem imminentem ob persecutionem tyranni. *Si vos persecuti fuerint in*

rint in vna ciuitate, fugite in aliam: ergo licet eundem gregem deserere ad euitandam mortem imminentem ob pestem, &c. RESP. negando antecedens, si grex maneat in periculo amittendi fidem. Ita D. August. *lib. 1. contra epistol. Gaudentij.* Caiet. [illegible] *quæst. 185. artic. 5.* Et ideo eadem est in vtroque periculo ratio. Decreuit apertis verbis Nicolaus Papa *capit. Scisciteris. 7. quæstion. 1.* Vbi habetur celebris illa sententia. *Si perniciosum est nautam in tranquillitate nauium deserere, quanto magis in fluctibus?*

6 QVAEST. *Satisne erit per se, vel per alium huic necessitati subuenire?* RESP. Est satis per alium idoneum. Ita Suar. *tom. de pœn. disp. 44. sect. 3. nu. 10. & 11.*

7 QVAEST. *Quantum peccat, cum nimium est negligens in edocenda doctrina Christiana, & edocendis ijs, quæ sunt necessaria ad salutem?* RESP. Mortaliter. Ita Sa. *ver. parochus. num. 5.* ideo peccant non explicando symbolum Apostolicum: mysteria enim Trinitatis, & Incarnationis tantopere ad salutem necessaria, & decalogum, & orationem Pater noster. Ita Bela. *2. p. casu 26.* habeturque in Conc. Trid. *sessi. 23. ca 1.*

8 QVAEST. *Peccatne mortaliter, qui cum sit publicus peccator, neque de emenda curat, beneficium retinet?* RESP. Peccat, tum suscipiendo, tum retinendo beneficium. Ita Tol. *lib. 5. c. n. 6.*

9 QVAEST. *Peccantne parochi non residendo?* RESP. Siue residentia sit de iure diuino, siue humano, peccat mortaliter parochus non residendo absque iusta causa.

10 QVÆST. *Quæ causa excusabit parochum à non residendo?* RESP. Ad absentiam breuem duorum, triumve mensium, iuxta Conc. Trid. *sessi. 23.* quæuis sufficit rationabilis causa, arbitrio Ordinarij talis iudicata, si per alium ouibus æque prouisum sit. Tale erit negotium quoduis graue, necessitas adeundi magnarem: ægritudo alibi curanda. Ad absentiam vero longam, vnius, duorum, vel plurium annorum oportet, vt ad illam vrgeat charitas christiana, hoc est, proximorum vtilitas: aut necessitas propriæ Salutis, vt periculum vitæ. Quod intelligo, nisi inde subsequatur ouibus spirituale detrimentum: tunc enim *bonus pastor debet animam suam ponere pro ouibus suis* Ita Card. Tol. *lib. 5. ca. 4.*

11 QVAERIT. *Circa officium parochi dubium occurrit, an peccet eligendo patrinos præter, aut contra voluntatem parentum infantis?* RESP. Apponam prius verba Concil. Trident. *sessi. 24. de ref. cap. 2.* circa ordinem patrinorum ita statuentis. *Parochus antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab ijs, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, vt baptizatum de sacro fonte suscipiant, & eum, vel eos tantum admittat. Quod si alij, vltra designatum baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus. Si parochi culpa vel negligentia secus factum fuerit, arbitrio Ordinarij puniatur.* Dico igitur primum. Amoto contemptu, si parochus non seruet hanc constitutionem minime peccat lethaliter. Probatur efficaciter, quia obligatio legis pendet ex intentione legislatoris: hæc vero intentio exprimitur verbis, teste D. Th. 2. 2. *qu* 186. *art.* 9. Pan. cum cõmuni *in ca Nam de constit.* Syl. *ver. lex. qu.* 8. & 17. Hic vero canon non perfertur verbis præceptiuis, sed ordinatiuis: & ideo est ordinatio, non præceptũ: atq; ideo est dubium, an obliget ad mortale, in dubio vero culpa, pro veniali iudicandum est. text. *L. Interpretationem L. Si præses. ff de pœnis. ca. In pœnis. de reg. iuris. li.* 9. Deinde quia hic canon est pœnalis, imponens pœnam arbitrariam iudicio Ordinarij: canon vero imponens pœnam arbitrariam, aut graui minorem, non obligat ad culpam grauẽ, vt ait Syl. *Inobedientia.* Gandau. *quodl.* 3. *qu.* 22. Angel. *verb. Lex. ver. ieiunium.* hic vero canon non imponit pœnã grauem excom. maioris, vel aliam, sed arbitrariam, nec præcipit sub virtute obedientiæ.

Pensionarij peccata. §. 6.

1 *Quis potest concedere pensionem.*
2 *An Papa possit sine causa concedere pensionem.*
3 *Quæ erit causa iusta ad pensionem.*
4 *An sit simonia vendere pensionem.*
5 *De simonia in permutatione beneficiorum.*
6 *Quando peccant pensionarij.*

1 QVAEST.

1 QVÆSTIO. *Quis potest concedere pensionem?* RESP. Solus Papa. Non habetur in iure, sed ex consuetudine. Ita Tol. *lib. 5. ca. 83.*

2 QVÆST. *Requiriturne causa iusta, vt Papa licite concedat pensionem?* Requiritur. sic Tolet. *li. 5. ca. 83. nu. 2.* Ratio est, quia concessio pensionis est quædam dispensatio; dispensatio autem sine causa non habet locum in foro interiori, & coram Deo: quia Papa non est dominus bonorum, & reddituum Ecclesiæ, sed tantum dispensator vniuersalis. Vnde sicut cum dispensat in voto sine causa, non facit hominem securum in conscientia, ita in pensionum, & beneficiorum distributione.

3 QVAEST. *Quæ erit causa iusta ad concedendam pensionē?* RESP. Omnis illa, quæ cedit in vtilitatem Ecclesiæ. Ideo concedi potest pro dirimenda lite exorta inter duos circa idem beneficium, ne tempore litis Ecclesia careat legitimo pastore. Ita habetur *capit. Nisi essent. de præbend.* Deinde concedi potest alicui pro seruitio Ecclesiæ facto, vel faciendo siue corporali, siue spirituali. Præterea concedi potest clericis pauperibus: quia illorum cōgrua sustētatio seruit ad decus, & honestatem Ecclesiæ. Quarto, concedi potest laicis egenis: quia pietas Ecclesiam ornat. Quinto concedi potest in permutatione pinguioris beneficij cum beneficio minus pingui, vt permutāti integri maneant fructus ad decentiam sui status.

4 QVÆST. *Estne simoniacum vendere pensionem?* RESP. Tripliciter concedi potest pensio, hoc est ius ad exigendos fructus ex alieno beneficio. Primo propter seruitium pure temporale, facto in vtilitatem Ecclesiæ. Sic dantur pensiones militibus, & regibus defendentibus Ecclesiam. Et hæc pensio vendi potest absque simonia. Ita Caiet. *opusc. 13. quæst. 10.* Vict *relect. de simon.* Sot. *9. Iust. quæst. 7. artic. 2.* Deinde concedi potest ob aliquod seruitium annexum spirituali. Tertio ex causa dirimendi litem, &c. Et his duabus pensionibus annexum est officiū B. Virginis ex Pio V. Extrau. ex primo Lateranensi Concilio. Et ideo has duas pensiones vendere simoniacum est. Ita Card. Tol. *li 5. ca. 82.*

5 QVÆST. *Estne simoniacum exigere pensionem à beneficio permutato, quia licet fructus eius sint fructibus alterius*

permutati beneficij æquales, aut minores, dignitas est maior, & titulus exceaentior? RESP. Simoniacum quidem. Ita Card. Tolet. *lib 5 ca. 83. nu. 5.*

6 QVÆST. *Quando igitur peccant pensionarij?* RESP. Cum sine causa pensionem a Sum. Pōtifice obtinuerint. Neque excusantur, quia Papa concessit, & ipsius est considerare, quomodo concesserit. Si enim quis accipiat pecunias ab œconomo, quem scit male illas dispensare, & contra iustitiam, tenetur illas restituere. Deinde cum pensionem exigunt, non ex fructibus, qui non sunt, sed propter honorem maioris tituli, & dignitatis in alium transmissæ.

AD LIT. R.

CAPVT XVI.

Regum peccata. §. 1.

1 *De prodigis largitionibus Regum.*
2 *De coaceruandis pecunijs Regum.*
3 *De incuria Regum in non coaceruandis diuitijs.*
4 *De incuria Regum in exterminandis grassatoribus.*
5 *Quando peccat Rex in condendis legibus pœnalibus.*
6 *An Rex possit bona populi sibi acquirere.*
7 *Quando peccat Rex imponendo noua tributa.*
8 *An possit obligare subditos ad nouos labores.*
9 *An peccet Rex cogendo subditos ad matrimonium.*
10 *An peccet Rex damnando reum inauditum, & indefensum.*
11 *Vnde possit soluere debita propria.*

QVÆSTIO. *Quando peccabit mortaliter Rex profuse, prodige-*

prodigeque largiendo? RESP. Quando propter prodigas largitiones exponitur probabili periculo vsurpandi aliena, vel exigendi maiora tributa, quam par est, vel non soluendi debita, nisi sub onere cambiorum, quo se, suumq; regnum in maximam pauperratem inducat. Ita Nau. *in sum. ca. 25. nu. 3.* cum D. Thoma, deducitq; ex Aristo. *epist. ad Alexan. & L. partit. Castellæ. tit. 14. par. 2.*

2 QVÆST. *Quando peccat Rex mortaliter in coaceruandis pecunijs?* RESP. Quando nullo iusto proposito fine eas congerit grauandi causa notabiliter subditos ob auaritiam. Ita D. Antonin. *2. par. titul. 1. capit. 2.* Ratio est iuxta Nauar *in sum. cap. 23. nume. 37.* quia it contra præceptum de dando superflua pauperibus. Veruntamen aliæ possunt interuenire causæ, scilicet immodicum grauamen subditorum, vlla absque necessitate.

3 QVAEST. *Quando peccat mortaliter nullas diuitias coaceruando?* RESP. Quando propter eam incuriam, se, suumque regnum exponit periculo pereundi fame, vel intereundi bello, alijsque malis, quæ ex defectu pecuniæ suboriri solent, vt petere sub vsuris, aut cum grauamine subditorum immodica tributa exigere. Ita D. Thom. *lib. de regim. princip. cap. 5.*

4 QVAEST. *Negligit Rex per incuriam tutam viarum custodiam à latronibus, vel refectionem itinerum, propter quæ incuriam, & negligentiam viatores patiuntur damna notabilia, quod peccatum committit?* RESP. Mortale. Ita Diu. Thom. *lib. 2. de reg. Princ. cap. 12.* Ratio est, quia ob id alitur à subditis, vt tuti seruentur a Rege.

5 QVÆST. *Quando peccat Rex in condendis legibus pœnalibus?* RESP. Quando eas peculiariter condit propter solam vtilitatem, vt nimirum earum transgressores puniendo, multas diuitias acquirat. Ita communiter Doctores *in capit. 1. de constitut.* Et habetur *cap. Erit autem Lex. dist. 4.*

6 QVÆST. *Potestne Rex bona populi vsurpare sibi?* RESP. Minime. Imo peccat mortaliter sic faciendo, & tenetur ad restitutionem. Ita Nauar. *in sum. ca. 25. n. 5. argument. c. Reges. & cap. Principes. 23. quæst. 5. & L. 1. Cod. Si quacunque prad. pot. & cap. Si res. 14. qu. 1.*

7 QVÆST. *Quando peccat Rex imponendo noua tributa?*

RESP. Quando ea imponit absque necessitate publica, quantumuis in bonum finem ea exigat, tenetur que ad eorum restitutionem. *capit. Militare. ad finem* 23 *quæst.* 1. Ideo peccat grauiter, & tenetur ad restitutionem, cum ea petit ad superfluum vsum, vestitum, pompam, conuiuia, prodigalitates. Ita Sum. Confess. *libr.* 2 *tit.* 5 *quæst.* 35. *nu.* 31.

8 QVÆST. *Obligat Rex denuo subditos antea minime obligatos ad nouos labores, veluti ad ædificandas domos, ad vastandos agros, ad vineas excauandas, & similes, absque mercede, peccat ne?* RESP. Peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem. Ita D. Ant. 3. *p tit* 3, *ca.* 4. §. 4.

9 QVÆST. *Quod peccatum committunt Principes cogendo subditos ad matrimonium certum contrahendum, vel non contrahendum?* RESP. Mortale, & insuper incurrunt excommunicationem. Ita Concil. Trident. *sessi.* 24. *ca.* 5. *de reform.*

10 QVÆST. *Peccatne Princeps, qui indicta causa, & audita persona reum criminis, reuera commissi, clam per occasionem, vel aliud mortis genus occidit inauditum, & indefensum?* RESP. Peccat grauissime. Ita Nauar. *capit* 25. *num.* 9. It enim contra ius naturale. *Clem. Pastoralis. §. Cæterum. de reg. iur.* & Gloss. memorabilis, *in Extrauag. 1. de dolo, & contum.* Nisi magna, & vrgentissima causa suadeat. Ita Nau. *in sum. cit. loco.* Decius *cap. Ex parte. 2. de offic. deleg. col. 2. & capit. Quæ in Ecclesia. de Constit. col.* 9. Et ideo ex tuta causa damnantur capitis multi scelerati, qui non comparent.

11 QVÆST. *Non est princeps soluendo, rogo an ad soluenda debita possit creditoribus ex vectigalibus regijs assignare summam quotannis reddendam, nostrates appellant,* tensam, *seu priuilegium concedere, ne soluant vectigalia?* RESP. Affirmat D. Anton. *1. p. tit. 2. capit. 3.* cum Raymundo, quem cit. Negat tamen Nau. *capit.* 25. *numer.* 11. Ratio eius est, quia nequit iuste iura regni imminuere, neq; onera augere. *ca. Intellecto. de iur. iuran.* Dixerim tamen cum distinctione D. Antonini sententiam esse veram, cum debita contraxit in solum commodum regni: Nauarri vero, cum in propriam vtilitatem: & tunc non peccabit, si non soluat, quia impotentia cum excusat, sicut & alios.

Raptorum

Raptorum fœminarum peccata. §. 2.

1 *An raptus sit noua luxuriæ species.*
2 *De pœnis contra raptores decretis.*
3 *Quod peccatum committant raptores.*

1 QVAESTIO. *Estne raptus species noua luxuriæ super malitiam fornicationis, seu adulterij, vel stupri, vel sacrilegij, vel incestus?* RESP. Minime, sed addit malitiam iniustitiæ in confessione aperiendam, ratione personæ cui ius, & violentia infertur.

2 QVAEST. *Quæ pœnæ decretæ sunt contra raptores fœminarum?* RESP. Plures. Nam in Concil. Trident. *sess.* 24. *c.* 6. decernuntur infames ipso iure ex communicati: omnium dignitatum incapaces, neque solum ipsi, sed omnes ad raptum, consilium, auxilium, aut fauorem præstantes. Item *Can. Statutum.* 27. *quæst.* 2. tale peccatum est impedimentum impediens tantum matrimonium. Item *c. Si quis rapuerit.* 27. *qu.* 1. apponitur pœna capitis corruptoribus, sollicitatoribus, & raptoribus monialium.

3 QVAEST. *Quod peccatum igitur committunt raptores?* RESP. Grauissimum mortale, tum contra legem naturæ, tum contra legem humanam, vt manifesto apparet ex dictis.

Reorum peccata. §. 3.

1 *An reus iuridice interrogatus, teneatur respondere cum periculo vitæ.*
2 *Quando interrogatur iuridice.*
3 *An absolui possit reus, qui interrogatus iuridice, non aperuit veritatem.*
4 *Quando peccat reus appellando.*

1 QVAESTIO. *Teneturne iuridice interrogatus veritatem fateri in iudicio circa crimen, ex cuius confessione plectendus est capite?* RESP. Tenetur. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 69. *articul.* 1. communiter receptus Gabr. *in* 4. *d.* 15. *quæst.* 6. *art.* 2. Nau. *c. Inter verba. concluf.* 6. *& in sum. c.* 25. *n.* 35.

2 QVAEST. *Quando interrogatur iuridice?* RESP. Cum de crimine habetur semiplena probatio. Hæc autem habetur per vnum testem occultum, omni exceptione maiorem, vel per vnum indicium magnum: aut plura indicia licet minora, vt sentit Barthol. *in L. fin. num. 7. ff. de quæstionib.* Debet tamen hæc probatio, vt obliget, iam posita esse in processu, & reo nota, seu notificata. Ita D. Thom. 2.2. *quæst.* 69. & *ibidem.* Caietan.

3 QVAEST. *Estne reus absoluendus à confessario, si non fateatur tale crimen?* RESP. Minime. Notat Sot. *de teg. secr. m.* 2. *quæst.* 7. Ratio est, quia est impœnitens, & in mortali peccato, si adhuc potest crimen detegere.

4 QVAEST. *Scit reus se iuste damnatum, tamen ad differendam sententiæ executionem appellat, peccatne mortaliter appellando?* RESP. Peccat. arg. *L. 1. ff. de appel. c. Ad nostram. de appel.* Tenetur insuper restituere damna partis, & interesse. Ita D. Thom. 2.2. *qu.* 69. *art.* 4.

Religiosorum peccata. §. 4.

1 *De religioso habitante extra monasterium sine licentia prælati.*
2 *De religioso adeunte Prouincialem absque licentia Guardiani.*
3 *De religioso egrediente monasterium absq; licentia prælati.*
4 *De religioso adeunte Prouincialem absque licentia Guardiani, quia illi negatur, vel certo constat, quod negabitur.*
5 *Quando peccat religiosus contra votum castitatis.*
6 *Quando peccat religiosus contra votum obedientiæ.*
7 *De inobedientia ex contemptu.*
8 *De inobedientia in publico.*
9 *An teneatur religiosus obedire cum periculo vitæ.*
10 *An obedientia Prælati, possit obligare religiosum ad accipiendum episcopatum.*

11 *Sub qua pœna teneantur religiosi sancti Benedicti singulis mensibus confiteri.*

1 QVÆSTIO. *Peccatne mortaliter religiosus, qui absque licentia sui superioris extra monasterium habitat, nulla ad id iusta cogente causa?* RESP. Peccat. Ita Nau. *cap. Non dicatis. 12. qu. 1. nu. 4.* & Concil. Trid. *sess. 24. ca. 11. de reform.* Causa autem iusta est, quę arbitrio boni viri talis iudicatur. *c. Monach. 1. & 2. & 16. qu. 1.*

2 QVAEST. *Peccatne mortaliter religiosus exeundo monasterio cum proposito adeundi Prouincialem, seu Generalem ministrum, non petita facultate à suo immediato superiore domus, è qua egreditur?* RESP. Peccat. Quia it contra nouum statutum in re graui latum à Concil. Tridentin. *sess. 24. capitul. 11. de reformat.*

3 QVÆST. *Exiuit religiosus extra claustrum monasterij per paucos passus, & spacium temporis, v. g. vt comitaretur alium religiosum per plateas vrbis, vel vsque ad villam monasterij, recreandi animi causa: peccatne tunc mortaliter?* RESP Minime. Ita omnes, qui dicunt cum D. Thom. 2. 2. q. 10. *art.* 1. & Nau. *l. 5 Consil. tit. de apostatis cons. 1. fol. 505. col 2.* quod paruitas materiæ excusat à mortali: illi vero passus, & temporis spacium, cum proposito statim redeundi, est paruitas materiæ in hac lege.

4 QVAEST. *Grauatur religiosus à suo immediato superiore supra vires ipsius religiosi. petit ab eo licentiam adeundi Prouincialem: negat ille, vel ipse religiosus probabiliter credit illum sibi facultatem negaturum, si ab eo talis licentia petatur. Imo ob id credit probabiliter se detrudendum in vincula vel atrociter puniendum, peccatne exeundo sine licentia superioris, vt eat ad prouincialem?* RESP. Minime: neque hoc vnquam prohibuit Concil. Trident. *sess. 24. c. 11. de reform.* Ita Nau. *cap. Non dicatis. num. 61.* Roder. *in sum. cap. 43. num. 1. p. 1* cum Bald. *cap. Ad nostram de appel.* Ratio est, quia est ius naturale sibi prouidere de remedio: iurivero naturali non derogatur à iure positiuo. Oppositum docuit Bannes, sed immerito, nisi ex tali fuga oriatur scandalum eorum, qui causas exeundi ignorant.

5 QVÆST. *Quis religiosus peccat contra votum paupertatis?*

RESP. Qui habens facultatem superioris ad consumendum peculium seruatum apud depositarium, illud consumit in re turpi, illicita, aut saluti minime necessaria. Ita Nau. *li. 2. restit. c. 1. n. 182.* Iustruct. confess. *2. p. ca. 6.* Ratio est, quia nunquam ad turpes vsus superior dedit licentiam: imo nec dare poterat, non enim habet potestatem in destructionem, sed in ædificationem. Deinde peccat mortaliter, qui absque superioris licentia quicquam accipit ab aliquo notabilis quantitatis, quod prælato non manifestat, imo occulit, & occultum seruat ad proprios vsus. Ita Nau. *lib. 1. de restitut. c. 1. nu. 171.* Tertio, qui absque licentia superioris quicquam notabilis quantitatis dono accipit, & donat. Ratio est, quia accipit, & donat alienum. Atque ideo vterque dãs, & accipiens tenetur ad restitutionem rei ablatæ. Ita Idem Nauar. *l. 3. de restit. c. 1. n. 201.* Quarto. Qui contra sui Ordinis statutum accipit eleemosynam pro missis, concionibus, aliisue pijs operibus. Ratio est, quia committit scandalum, deinde, quia it contra paupertatis votum, quo profitetur se solo victu, & vestitu, iuxta D. Pauli consilium fore contentum. Quinto. Qui ex profusa Prælati licentia plus insumit, quam indigeat, adeo vt alij egeant, & ipse abundet, alij fame opprimantur, & ipse epuletur, vel si dicamus cũ Paulo, alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Ratio est, quia Prælatus peccat in tali licentia, & teneturad restitutionem superfluorum. Nam distributor est talium bonorum, & non dominus; & ideo qui tale insumit, aptum insumit.

6 QVAEST. *Quæramus modo de voto obedientiæ: Ergo, an omne, quod iubetur sub præcepto obedientiæ, teneatur religiosus exequi sub mortali?* RESP. Si quod præcipitur sub tali pœna, est leuis ponderis, & momenti. v. g. præcipio tibi sub virtute obedientiæ tollere festucam è solo, vel quid simile, non est peccatum mortale id omittere, amoto contemptu, & scandalo, ex passione, vel fragilitate. Ita Caiet *in sum. verb. inobedientia.*

7 QVAEST. *Inobedire ex contemptu formali, id est, non facio ex tantum, quod præcipitur, estne mortale, quando res præcepta est leuissimi momenti?* RESP. Est quidem Ratio est, quia contemptus formalis in quauis leuissima materia

rena est mortale. Ita Caiet. *verb. inobedientia.* Nau. *cap. 23. num. 35.*

8 QVAEST. *Iubet Prælatus rem iniustam coram multis: surgit subditus, & contempta voce dicit tale mandatum esse iniquum: præcipit superior sub virtute obedientiæ, vt taceat, tenetur ne subditus in eo euentu tacere sub mortali?* RESP. Tenetur. Nam huiusmodi obedientia pertinet ad obseruantiam regularem, quæ iubet pacifice, & religiose negotia tractare in publico. Non item in secreto: nam tunc licet superior præcipiat, vt subditus taceat, licet illum monere iniusti mandati. Ita Rod. *in sum. 2. p. c. 9. n. 1.*

9 QVÆST. *Tenenturne subditi religiosi obedire prælato cum periculo propriæ vitæ?* RESP. Si adsit necessitas communis, tenentur: quia bonum commune anteferendum particulari. Item cum habent publicum officium. Ideo si necesse sit tempore pestis Guardianum manere in monasterio pestis tabe infecto, tenetur obedire Prouinciali præcipienti, ne domo exeat, vt Episcopo parochus, præcipienti ne relinquat suas oues. Ita Sot. 4. *Iust. quæst. 2. ar. 3.* Roder. *in sum. 2. p. cap. 9. num. 1.* cum Caietan. Tabien. & Nauar. quos citat.

10 QVAEST. *Teneturne subditus obedire sub mortali superiori præcipienti sub obedientia, vt accipiat Episcopatū?* RESP. Minime. Ratio est, quia obligatio voti non extendi potest ad maiorem perfectionem, quam vouens vouit, sed sed perfectio Episcopi est maior perfectione religiosi ex natura status, & officii: ergo, &c. Summus tamen Pontifex cuius est prouidere bono communi, si id expedire intelligat, Titium esse episcopum, illū sub mortali obedientia cogere potest.

11 QVAEST. *Sub quo reatu tenentur religiosi sancti Benedicti singulis mensibus confiteri, vt illis præcipitur. Clem. 1. de statu monach?* RESP. Sot. *in 4. d. 18. qu. 1. ar. 3.* Maior. *in 4. d. 17. q. 2.* videntur asserere teneri sub mortali. Caiet. tamen *tom. 1. opusc. tract. 5. q. 1. can. Relect. de pœn. p. 5. fol. 113.* aiunt teneri solum venialiter. Veruntamen, nec pro vna, nec pro alia opinione: nec item pro incerta sententia Nau. *c. 2. nu. 9.* affirmantis solum teneri ex honestate: datur sufficiens fundamentum, cum nec ex verbis legis, nec ex pœna apposita sufficienter colligatur. Ideo Doctor Suar. *de pœn. disp.*

disp. 36. sect. 5. n. 9. standum esse admonet consuetudini talis religionis illam legem approbantis, & interpretantis.

Resignantium beneficium peccata. §. 5.

1 *De simonia in resignatione beneficij, cum pacto percipiendi fructus resignati beneficij.*

2 *De simonia in resignatione beneficij, cum confidentia de percipiendis fructibus.*

1 QVÆSTIO. *Resignauit Titius beneficium absolute in Socratem, cum pacto tamen inter ipsum, & Socratem de fruendis fructibus eius in totum, vel in partem, rogo an teneatur Socrates reddere tales fructus: & insuper, an Titius possit tuta conscientia ijs frui?* RESP. Nequaquam. Ratio est, quia tale pactum in iure est approbatum, late ostendunt Sot. 2. *Iust. q. 6. art. 2.* & *lib. 4. q. 7. art 2.* Honcal. *tract. de simon.* Cordub. *q. 32.* habeturque super hoc motus proprius Pij. V.

2 QVÆST. *Non interfuit pactis sed mera confidentia?* RESP. Neque tunc tenetur Socrates reddere tales fructus beneficij in totum, vel in partem. Ita Cordub. *loc. cit.* Ratio est, quia licet pactum illud valeret secundum ius, non valeret tamen non expressum in foro contentioso. *L. Si repetere Cod. de condict. ob causam.* Tradit Medin. *lib. de rest. q. 33. & 34.* & Cordub. *cas. 32.* In foro autem conscientiæ non tenet. Quia fructus beneficij dantur propter officium: resignatarius vero non exercet officium, ergo neque illi debentur fructus.

CAPVT XVII.
AD LIT. S.

Sacerdotum peccata. §. 1.

1 *Quando peccat in eleemosyna promissa.*

2 *Quando peccat in Trintario.*

3 *Quoties teneatur simplex sacerdos celebrare in anno.*

1 QVEAST.

1 QVAESTIO. *Peccatne sacerdos accipiendo duplicem eleemosynam pro vna missa?* RESP. Quando neutra pitantia, seu eleemosyna est sufficiens ad commode illo die sustentandum sacerdotem, non est peccatum vnam missam pro duplici eleemosyna offerre. Ita Beia, *casu* 12. & Lamas *in method. curator. cap.* 13. §. 17. Ratio est, *quia qui altari seruit, de altari viuat* necesse est, *Corinth* 9. Neque eleemosyna datur pro sacrificio, cum illud minime sit appretiabile; sed datur in alimentum sacerdotis sacrificantis: ac proinde iniusta esset postulatio eius, qui pro tenui eleemosyna totum postularet sacerdotis obsequium, estque tacita offerentis consensio: Minime tamen assentio eiusdem Doctoris opinioni, de æquo valore sacrificij erga omnes pro quib. offertur. Ex eo enim capite siue eleemosyna sufficiens esset ad alimentū diei, siue insufficiens, liberum esset sacerdoti pro pluribus sacrificium offerre. Est enim opinio contra communem sensum hominum, atq; occasio esset abstinendi, à danda eleemosyna pro missarum celebratione. Credo igitur certam portionem satisfactionis à Deo determinari pro quolibet sacrificio erga eum, pro quo offertur, quæ si in plures distribuitur, minor peruenit ad singulos.

2 QVÆST. *Quid censes de trintario, Nostrates appellant triginta missas, quas D. Gregorius celebrandas pro defunctis instituit?* RESP. Satis fit defuncto triginta missis alijs ab ijs, quas D. Gregorius nominauit; & iis non continuis oblatis pro defuncto. Ita Beia 1. *p. casu.* 13. Dico *secundo*. Minime conueniens est, illas triginta missas continuo celebrare, quas manuale apponit. Ratio est, quia non licet peruertere ordinem missalis reformati per Conc. Trid. propter particularem deuotionem, & ideo in diebus festis, & feriis notabilibus, quæ habent peculiares missas, quales sunt feriæ quadragesimæ, quatuor tēporū, litaniarum, eas omittere peccatum est veniale. Ita Ang. *verb. missa* §. 33. *& ver. feria* §. 42. Sot. 4. *sent. d.* 13. *q.* 2. *ar.* 1. §. *quod autem*. grauiter reprehendens sacerdotes facile ex deuotione particulares missas omittētes, & alias assumētes. Dico *tertio*. Satisfacit sacerdos, licet interrumpat hos triginta dies ex causa: & ideo obligatio celebrādi continuo has missas, intelligēda est, quo ad fieri potest, iuxta c.

signi-

significatum, de præbendis. Dico *quarto*. Iniusta esset alia obligatio. Ratio est, quia obligaret ad illicitã. Enim vero aliquando non est aptus sacerdos ad celebrandum debita reuerentia, vt notat Panorm. *cap. Consuluisti. de celeb. miss.* Tabien. *ver. missa. n.* 44. D. Ant. 1. *p. tit.* 10 *c.* 2. §. 3.

3 QVAEST. *Quoties tenetur simplex sacerdos celebrare anno?* RESP. Ad minus ter, nimirum, in die Natalis Domini, Resurrectionis, & Pentecostes. Ita D. Thom. 3. p. 82. *art.* 10. Rich. *in* 4. *d.* 13. *art.* 2. Ang. *verb. Missa. n.* 43. cum Bonau. & Palud. Sylu. *missa.* 1. *q.* 7. *vers.* 4. Arm. *ver. communio. n.* 14. Nau. *c.* 25. *n.* 88. Sot. *in* 4. *d.* 13. *qu.* 1. *art.* 10. tales quos sacerdotem obligant sub mortali, teste Viu. *tract. de Eucharistia. de sacerdote n.* 1. per text. *ca. Dolentes. de celeb. miss.* & per *can.* & *Sanctorum Apostolorum*, vbi hoc crimen, non excusante impedimento, vehementer reprehenditur.

Sponsorum peccata. §. 2.

1 *An sponsus possit accipere pecunias pro relaxanda obligatione sponsæ.*
2 *De osculis, & amplexibus inter sponsos.*
3 *An sponsalitia promissio obliget sub mortali.*
4 *De promissione sponsalitia iurata.*
5 *De stupratore sub ficta promissione nubendi.*
6 *Per quid impletur sponsalitia promissio.*
7 *De stupratore nobili ficte promissore nuptiarum fœminæ ignobili.*

1 QVÆSTIO. *Accepit Titius pecunias à Bertha, qua cum sponsalia contraxerat, pro relaxanda obligatione contrahendi cum ea ad nubendum alteri, peccatne Titius pecunias retinendo?* RESP. Minime. Ita Bela. 1. *p. casu.* 1. Ratio est, quia illa donatio est voluntaria, vt in simile concludit Sot. 4. *li. iust. q.* 7. *art.* 1. Deinde. Quia Titius habet ius ad illam in conscientia, & in iudicio obligandam contrahere: sed hoc ius pretio est æstimabile, ergo, &c. Iam vero si ex fracta fide datur lucrum cessans, vel damnum emergens, res est clarior, & negari nequaquam potest, posse illud pecunia resarciri, vt manifestum est.

2 QVÆST.

2 QVAEST. *Licetne sponsis vti amplexibus, & osculis causa delectationis carnalis, remoto periculo vlterius progrediendi?* RESP. Licet amplexus, oscula impudica non sint, peccatum tamen est mortale ijs vti inter sponsos de futuro propter solam delectationē sensibilem, & libidinosam, etiam amoto periculo vlterius progrediendi. Hæc est contra Caiet. *in sum. ver. sponsalia, & 22. q. 154. art. 4.* & Nau. *cap. 16. n. 34.* qui solum peccatum venialem ibi agnoscunt. Veruntamen est communis Doctorum cum D. Thom. 2. 2. *q. 154. ar. 4.* & probatur ratione, quia talis delectatio sensibilis, & libidinosa sequitur rationem coitus, à quo oritur: sed coitus inter spōsos est illicitus mortaliter; ergo & amplexus, atq; oscula; siquidē amplexus, & oscula est inchoatus concubitus, vt asserunt Caietan. & Nau. *locis citatis.*

3 QVAEST. *Promisit Titius Berthæ se illi nupturum, teneturne sub mortali promissionem implere?* RESP. Negaret Caiet. 2. 2. *qu. 113. 3. ad 4.* cum absolute asserat, ex simplici promissione non oriri obligationem seruandæ fidei sub mortali, nisi ex alio capite damnum suboriatur. Affirmandum tamen omnino est. Ita Panor. *c. 1 de pactis.* Sylu. *pactum. n. 4* Sot. *lib. 7. Iust. q. 2 art. 1. ad 2.* exprimit aperte D. Thom. *in 4. d. 21. qu. 2. art. 1. ad 2.* D. Anton. *3. p. tit. 1. cap. 18. §. 2* Sylu. *ver. sponsal. q. 4.* Colligitur ex *c. Ex literis sancti Syluani c. Sicut c. Requisiuit. de sponsalib.* expressius. *c. De illis. 1. de sponsalib. & c. Iuramenti 22. qu. 5.* & aliorum omnium, qui asserunt simplicem promissionem obligare sub mortali promissorem, cum fit de re graui.

4 QVAEST. *Qui promisit, & iurauit promissionem, quot peccata committit, cum non impleuit?* RESP. Duo, vnum fracti iuramenti, alterum non impletæ promissionis. Ita Doctores, & textus citati.

5 QVAEST. *Ficte promisit Titius se Berthæ nupturum, & illusam hac promissione defloravit, teneturne sub mortali illam ducere?* RESP. Tenetur. Ita D. Tho. *in 4. d. 28. art. 2. ad 4.* Sot. *in 4 d. 27. q. 1. art. 3. §. alia præcipua.* D. Ant. *2. p. tit. 2. §. 3.* Sylu. *lex. q. 5* Angel. *stuprum n. 1.* Nau. *c. 16. n. 16.* Secūdo dicendum. & *n. 18.* Ita deciditur expresse *ca. 1. de adult.* Quod quidem intelligendum est, nisi ex tali matrimonio magna incommoda oriantur, aut oriri prudentis arbitrio

arbitrio timeantur: tunc enim satis est puellam dotare, vt honeste nubat.

6 QVAEST. *Promisit vere Titius Berth. se nuptarum, potestne implere hanc promissionem per dotem redditam: supposito virginem non defloratam?* RESP. Ea promissio etiam non ratificata, talis est conditionis, vt ei nec pecunia, nec alia actione satisfiat tam in interiori, quam in exteriori foro, nisi per ipsam contractionem matrimonij, & ideo peccat mortaliter, qui non stat promissis nubendo. Intelligitur *toto titulo, de* sponsalibus. Tenetur insuper restituere damna orta ex fracta fide, daturque actio aduersus fidei fractorem, de qua agunt totus codex. *de transactio.* Angel. Sylu. Tabien. *verb. transactio*, sed de foro contentioso alij viderint.

7 QVAEST. *Socrates nobilis promisit Ioannæ ignobili filiæ animo se illi nupturum, & hac spe illusam stuprauit, tenetur illi nubere?* RESP. Minime. Ratio est, quia in eo casu censetur ipsa, se ipsam decipere voluisse, & idem dicendum, quando illa intellexit fictum animum promittentis.

CAPVT XVIII.
AD LIT. T.
Testis peccata. §. 1.

1 *An testis teneatur fisco restituere, quod illi adiudicatum non fuit propter falsum iuramentum.*

1 QVAESTIO. *Præstitit iuramentum Socrates circa rem comprehensam à fiscalibus, propter quod res fuit adiudicata domino, & non fisco, teneturne Socrates restituere fisco, quod illi propter falsum testimonium fuit negatum?* RESP. Affirmat Ioan. Platin. *L. Quoties. de exact. libro 10. in fine.* Barthol. *Cod. de assess. L. si post.* Panorm. *cap. canon. de constit. & cap. Dilecti. de arbit.* Ratio eorum est, quia fiscus habet ius ad rem circa pœnam indicandam: hoc vero ius iniuste violatum fuit à teste falso. Negandum tamen cum Syl. *verb. 3. qu. 5. vers. 7.* Sot. *lib. 1. Iust. qu. 6. art. 6.* Nauar. *in sum. c. 25. n.*

c.2c. num.51.§.ad quæsitum. Probatur ratione, enim vero natura ipsa abhorret, vt idem sit agens, & patiens: esset autem idem agens & patiens, qui teneretur reddere pœnam, quæ ab eo non exigitur: ac proinde intolerabilis esset, & iniqua lex, quæ id faciendum iuberet. Hinc colligunt Doctores pœnam non deberi ante condemnationem, teste D. Thom. 2.2. *qu.62. ar.3.* Nam leges non obligãt, nisi quatenus sunt receptę, vt decernitur *ca.1. de const.* 16. receptio vero probatur consuetudine, quæ leges ipsas mutat, vt docet D. Tho. 1.2. *q 97. art.3.* sed leges ciuiles damnantes ipso iure, & facto trangressores amissione suorum bonorum, non sunt receptæ, nisi post iudicatam litem, & latam sententiam: ideo nec reus, nec testis falsus tenetur ante illam ad restitutionem. Hinc fit, vt fiscus ante pœnæ adiudicationem nullum habeat ius ad rem, vel in re, quod erat falsum fundamentum partis affirmãtis, solumque habet ius ad actionem.

Testamentariorum peccata § 2.

1 *De dilatione in exequenda voluntate testatoris.*

2 *An possit episcopus commutare vltimam testatoris voluntatem in legato pio.*

1 QVAESTIO. *Esne peccatum mortale absque iusta & graui causa, pia opera testatorum implenda differre, ne dicam non implere* RESP. Morta quidem ita Card. Tolet. *lib 5. c.1. n.* Ratio est manifesta, quia forsitan ex defectu legati impleti detinetur anima vita functi in pœnis.

2 QVAEST. *Licetne ex Episcopi facultate mutare pium testatoris legatum in aliud æquale aut melius?* RESP 1ro parte negante videtur textus expressus *Clem. de religios. domib. cap. Quia contingit.* & Glos. *ib. verb. Sedis Apostolicæ:* vbi asseritur vltimam testatoris voluntatem semper esse implendam. Oppositum tamen asserendum cum Sylu. *legatum. 4 qu.12.* D. Ant. 3. *p. tit. 11 ca 2. §. 7.* Ang *verb. leg. n 12.* Tabien. *legatum 2. n 11.* Armil. *ibid nu 55* Barth *L. Liberto. §. Lucius & L. legatum ciuitati ff. de vsufruct.* Ioann. And. *c. Quia contingit de relig. domib.* Hugo, Imola. & multis alijs. *L.1. de const.* Probatur efficaciter, quia Episcopus est exe-

curor piarum dispositionum, per Conc. Trid. sess 22. ca. 8. & iam antea erat per *cap Tuanos. de testam.* in tali vero commutatione disponit in vtilitatem testantis animæ, & ideo idem facit, quod testator iussit: nam qui melius facit, non aliud, quam idem facit, per *ca. Perueniit 2. de iurar. cap Scripturæ de voto. cap. Regula. de reg iur. in 6.* Dicta igitur apertius Vltima voluntas testatoris, potest ab Episcopo commutari in melius aut æquale, vt probatum manet. A Summo vero Pontifice in minus, imo in vsus profanos, si ei in Domino videbitur. *c. Quia contingit. cit.*

CAPVT XIX.

AD LIT. V.

Viduarum peccata. §. 1.

1 De actu cogitato præteriti coniugij.

1 QVÆSTIO. *Peccatne mortaliter vidua, quæ ex cogitato præterito actu coniugij delectatione fruitur sensuum, & carnali, amoto periculo sese polluendi.* RESP. Cecco. in Caiet. *qu. 74. artic. 8. ad 4.* Sylu. *Delectatio qu. 3.* Armil. *ibid. n. 5.* Tabien *ibid qu. 7.* Nau. *in sum. c. 16. n. 19.* Cordub. *lib. 4. q. 25. dub. 12. & 13.* Cum vero aliqui doctores oppositum asserere videntur, loquuntur de voluptate mentis minime ad sensum peruenientе, venereasque partes tirillante. Ira adnotauit Comitolus *libr. 1. qu 134.* Ac proinde sic exponendus Pet. Sot. *tract. de distinct. peccat. lect 4.* Palud. *in 4 dist. qu. 3. art. 2.* & Gerson *Alphab 38. lit.* D. quorum verba refert, & exponit ipse Comitolus. Idem dicendum de cogitato actu matrimonij absente coniuge. Probatur efficaci ratione. Quia idolum mentis, idem est atque idolum, & imago alia: sed ex cogitata imagine marmorea, vel eburnea ad similitudinem coniugis fabrefacta, pro eatū est lethale capere sensibilem, & libidinosam delectationem; ergo idem erit ex ipsius coniugis imagine, seu idolo fabrefacto in mente, & imaginatione.

CAP.

CAPVT XX.

De operibus misericordiæ.

1 *Quot sunt opera misericordiæ.*
2 *Sub quo nomine comprehenduntur quatuordecim opera misericordiæ.*

1 QVÆSTIO. *Quot sunt opera misericordiæ?* RESP. Quatuordecim, septem corporalia, septem spiritualia: corporalia continentur illo versu.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Ea cum D. Thom. 1.2. q. 32. ar. 2. & Archidiacon. ca. Tria. sic explico. *Esurientem pasco, sitientem poto, captiuum redimo, nudum operio, peregrinum hospitor, ægrotum visito, mortuum sepelio.* Spiritualia vero continentur illo versu.

Consule, castiga, remitte, solare fer, ora.

Id est, *ignorantem doce, errantem corrige, offensam remitte, tristem solare, onerosum porta, ora pro viuis, & defunctis.*

2 QVÆST. *Sub quo vno nomine comprehenduntur hæc opera quatuordecim?* RESP. Sub eleemosyna, quæ duplex est, corporalis vna, quę subuenit necessitatibus corporalibus, spiritualis altera, quæ succurrit necessitatibus spiritualibus. Potest autem eleemosyna erogari tam viuis, quam defunctis.

De eleemosynæ præcepto. §. 2.

1 *Definitur eleemosyna.*
2 *Qui possunt facere eleemosynam.*
3 *Quas eleemosynas possunt facere religiosi, fœmina vxorata, filij familias, famuli, mancipia.*
4 *Cui facienda est eleemosyna.*
5 *An sit præceptum de facienda eleemosyna.*
6 *Quos obligat præceptum faciendi eleemosynam.*
7 *Quas conditiones in persona requirit hoc præceptum vt obliget.*

8 *Quotuplex est necessitas.*

9 *Quotuplex est superfluitas.*

10 *Ex quibus superfluis tenemur subuenire necessitati extremæ.*

11 *Ex quibus superfluis tenemur succurrere necessitati graui.*

12 *Ex quibus superfluis tenemur succurrere communibus necessitatibus.*

13 *De episcoporum obligatione faciendi eleemosynam.*

14 *De obligatione Beneficiatorum circa faciendam eleemosynam.*

15 *An sit satis vendere, cambiare, vel mutuo dare extreme indigenti.*

16 *An teneamur donare extreme indigenti, cum ipse non vult emere, vel accipere mutuum, vel cambiatum, sed donatum.*

17 *An teneamur succurrere extreme indigenti ex bonis alienis, quæ apud nos habemus.*

18 *An quisque extreme indigens possit sibi succurrere ex raptis alienis bonis.*

19 *An qui extreme indigens alienum rapuit, teneatur illud restituere in pingui fortuna.*

20 *An distributor eleemosynarum possit sibi, vt pauper est, atque alijs distribuere.*

21 *An iusti belli obsidione oppressis, & fame perentibus liceat cibos offerre.*

1 QVÆSTIO. *Quid est eleemosyna?* RESP. Est opus æternum, quo indigentiæ alterius subuenitur, procedens ex misericordia. Misericordia vero est actus displicentiæ circa malum alterius ad ei subueniendum inclinans. Ita Card Tolet. *tract. de septem pec mort ca.* 18 D. Tho. 2. 2. *q.* 30. *articul.* 1. 2. 3. D. Aug *q. de ciu.* quos sequitur Nauar. *cap.* 24. *nu.* 2.

2 QVÆRIT

1 QVAEST. *Qui possunt facere eleemosynam?* RESP. Qui habent rem propriam, vel quo ad dominium & vsum fructum, simul vel quo ad vsum fructum solum. Ideo subditi, quia nihil proprium habent, nil pauperibus erogare possunt, absque licentia expressa, vel tacita superiorum, Quod intelligo, nisi vrgeat extrema proximi necessitas, tunc enim possunt, etiam repugnantibus superioribus Ita Gloss. *can. Non dicatis 12. q. 1.* & *ibidem* Doctores communiter. Imo nisi vrgeat grauis necessitas, obtenta, si fieri possit, superiorum licentia. Ita Panorm *cap. Si quis de furtis.* Tolet. *tract. de sep. pec. mort. cap.* 28. Comitol. *in resp. mor. lib. 7. c. 27.*

3 QVAEST. *Cum inter subditos numerentur religiosi, fœmine vxorate, filij familias, famuli mancipia, de singulis seorsim dicit, quid sentias?* RESP. Dico primum. Religiosi cũ peregrinantur, possunt de sibi datis à monasterio in sustentationem, mediocres facere eleemosynas, idemque dicendum, cum extra monasterium studiorum, aliorumue negotiorum causa commorantur. Ita Armil. *eleemosyna. §. 5.* Tolet *loco citato.* De peregrinantibus nullus Doctor dubitauit, teste Comitolo *libr. 4. Resp. quæst. 7. nume. 1.* De studentibus tenuit D. Thom *in 4. d. 15. qu. 2. art. 5. q. 4. ibi* Durand. *q. 8. nu. 6.* Neque quisquam huic veritati contradicit, teste eodem Comitolo *citato.* Qui tamen curam habet gubernandi domum, non solum potest, sed tenetur ex superfluis pauperum subuenire inopiæ Ita Alens. *4. p. q. 32. m. 4. artic. 1* Dico secundum. Vxor potest ex cõmuni bono modicas facere erogationes, præcipue cũ maritus durus est, & asper in pauperes, ipso etiã repugnante. Sic fecit Abigail. *1. Reg. 15.* Mediocres dixi, quia magnas solum facere potest ex bonis supra dotem sibi reseruatis in proprios vsus. Itẽ ex summa, quæ à marito illi datur in liberam distributionem, & ex pecunia, aliaue re sibi, & nõ marito donata. Ita Card Tolet. *tract. de pec. mort. c. 29.* Dubium est, Vtrum adultera sit domina rei, quã per adulterium lucrata est, affirmat Sot. *4. Iust. q. 7. art. 1.* & Tolet. *citato loco.* Dico igitur, etiam tunc posse quasuis erogare pauperibus eleemosynas. Dico tertio. Filij familias possunt ex bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, facere eleemosynas. Sunt autem illa bona, quę

acquisiuerunt, vt notarij, aduocati, medici, & beneficiati, & tunc, quas voluerint. Ex bonis vero paternis, vel cum peregrinantur: vel cum in studijs versantur: vel cu domi ab inopibus rogantur, modicas tantummodo eleemosynas facere possunt. Ita cõmuniter Doctores. Dico quarto. Serui, & mancipia ex abundantia fructuum in vilissimis modicas possunt facere eleemosynas, nescientes domino. Ita Tolet. Ratio est manifesta, quia oppositum contradicit fraternæ charitati.

4 QVAEST. *Cui facienda est eleemosyna?* RESP. Cuilibet indigenti fideli, vel infideli. Ratio est, quia eleemosyna est actus impetratus à charitate: charitas vero neminem excludit, iuxta Pauli sensum: *Omnibus debitor sum, fideli, & infideli, Romano, & Græco.*

5 QVAEST. *Tenemurne ex præcepto facere eleemosynam?* RESP. Tenemur. Ita habetur Ioan. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Habetur 1. Iacobi. 2. *Iudicium sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam.* Habetur Matth. 25. *In maledicti quia esurui, & non dedistis mihi manducare, &c.* Apertius habetur Luc. 11. *quod superest, date eleemosynam.* Esa. 1 *subueniente oppresso.*

6 QVÆST. *Quod personarum genus obligat hoc præceptum?* RESP. Omnes fideles, & infideles. Ita D. Cyrian. *serm. de eleemos.* Ratio est, quia hoc præceptum non solum positiuum à Christo Domino, sed naturale est.

7 QVAEST. *Quæ requiruntur, vt hoc præceptum obliget ad mortale?* RESP. Scilicet superfluitas ex parte erogantis, indigentia ex parte accipientis.

8 QVÆST. *Quotuplex est indigentia?* RESP. Triplex: extrema: grauis: communis. Extrema est, cum quis est in certo, aut probabili mortis periculo ex defectu necessario. Grauis est, cum quis est in periculo grauis perditi honorem, aut decentiam sui status, vel per peccatũ, vel per seruitium. Communis est, qua communiter laborant inopes.

9 QVÆST. *Quotuplex est superfluitas bonorum?* RESP. Triplex. Vel enim superfluunt bona ad ipsammet vitam alendam; vel ad status decentiam sustentandam; vel

ad

ad decentissimam decentiam ipsius status condecorandam.

10 QVÆST. *Ex quibus superfluis tenemur sub præcepto succurrere extreme indigenti?* RESP. Ex superfluis ad vitam, & ex necessarijs ad decentiam status. Ita communiter Doctores. Dixi (ex superfluis ad vitam) quia ex necessarijs ad illam non tenemur: imo tenemur nobis in æquali necessitate constitutis succurrere, quia charitas bene ordinata incipit à se ipsa: Nisi extreme indigens sit persona publica, a qua bonum pendet commune: tunc enim potius illi, quam nobis tenemur subuenire, cum teneamur commune bonum particulari anteferre, etiam in eo cuētu iuxta D. Tho. 2.2. *qu.* 32. *arti.* 6, Sot. 5. *Iust. qu.* 1. *artic.* 7. Tolet. *tract. de pec. mort. c.* 34. Licet Sylu. *eleemos.* §. 2. & Armil. *ibi. qu.* 4. afferant id esse tantum consilium. Dixi (ex necessarijs ad decentiam status) quia tenemur vitam proximi pluris æstimare, quam decentiam nostri status, secundum charitatis ordinem.

11 QVÆST. *Ex quibus superfluis tenemur sub præcepto succurrere grauiter indigenti?* RESP Ex superfluis ad decentiam status. Ita D. Thom. *in* 4. *d.* 15. *qu.* 2. *ar.* 1 *q.* 3. D. Anto. 2. *p tit.* 1. *capit.* 14. §. 4. Richard. *in* 4. *dist.* 15. Sylueſt. Tabie. Armil. *ver. eleemosyn.* Medin. *eod. de pœn. tract.* 5. *de eleemosy.* Toler. *loco citato, expressius.* D. Thom. 2.2. *qu.* 32. *arti.* 5. Caieta. ibidem, & *tom. de præcep eleemos.* Maior. *in* 4. *d.* 15. *q.* 3. & *ibi.* Palud. Nauar. *in man. capit.* 24. *nu.* 5. & *de redd eccles. q.* 2. *mon.* 7. Syl. *eleem. qu.* 1. Quanquam Alent. 4. *p. qu.* 13. & Gab. *in* 4. *d.* 16. *qu.* 4. *conc.* 5. oppositum teneat cum Panor. *ca. Si vero de iur. iuran.* & D. Anto. 2. *p. cap.* 14. Ros. *ver eleemosy.* Notandum tamen cum Sylu. Caiet. Armil. & alijs Doctorib. *ver. eleemos.* Toleto *tract de pec. mort. cap.* 33. decentiam status non esse attendendam ex præsenti tempore, sed etiam ex futuro: vt si quis nunc habeat superfluas pecunias, quia solutus est ab vxore, aut recenter nuptus absque filijs, paucis post annis habebit necessarias propter vxorem, & filios natos.

12 QVÆST. *Ex quibus superfluis tenemur succurrere communibus necessitatibus?* RESP. Dico *primum.* Tenetur dives ex superfluis ad decentiā status eleemosynā succurrere cōmunibus pauperū necessitatibus, seu vt clarius lo-

quar, tenetur sub mortali in pauperes distribuere superflua ad decentiam status. Hæc conclusio est probabilis, traditur è Cardin. Tolet. *tractat. de sep. pec. mort capitalib. num.* 2. Probatur efficaciter ex sanctorum Patrum dictis & oraculis. Ratio est, quia tantorum sanctorum dicta probabilem faciunt opinionem. Ita D Hieronym. vt habetur *in Decret. distinct. 42. capit.* 1. aliena rapere conuincitur, qui vltra sibi necessaria retinere probatur. D. Ambr. vt habetur *distinct.* 47. *can. Sicut. Non minus est crimen habenti tollere, quam cum possis, & abundans sis, indigentibus denegare. Esurientium est panis, quem tu detines: nudorum est indumentum quod tu recludis: miserorum redemptio est pecunia, quam in terra defodis, tot ergo scias te inuadere bona, quot possis præstare.* D. Augustin. *in Psalm.* 147. superflua diuitis necessaria sunt pauperi, aliena rapit, qui ista detinet. Dico *secundum*. Probabilius est neminem teneri sub mortali distribuere superflua ad decentiam status, nisi in extrema, vel graui necessitate. Ita tenet communis opinio, sic Alex. Alens. 4 *p. quæst.* 13. *mem.* 1. Gab. *in* 4. *dist* 16. *quæst.* 4. *concluf.* 5. D. Thom. *in* 4. *d.* 15. *qua.* 2. *artic.* 1. *quæst.* 3. D. Anton. 2. *p. tit.* 1. *capit.* 24. §. 4. Richard. *in* 4. *d.* 15. Sylu. Tabien. Armil. *eleemosyna.* Medin. *cod. de pœnitent. tract.* 5. *de eleemos.* quos refert, & sequitur Tolet. *tract. de pec. mort. capit.* 5. *numer.* 2. *&* 3. Dico *tertium*. Superfluitas bonorum ad decentissimam decentiam status obligat diuitem sub mortali communibus succurrere pauperum necessitatibus ex præcepto faciendi eleemosynas. Ita Beia. 2. *p. casu* 25. cum pluribus, quos citat iux. illud Ioann. 1. cap. 3 *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua, quomodo charitas Dei erit in illo?* Item illud Pauli ad Hebr. *alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Quod quidem contra humanam pietatem, & naturalem fraternum amorem esse, nemo sani consilij negabit.

13 QVÆST. *Estne idem dicendum de episcopis?* RESP. Circa bona patrimonialia idem de illis, atque de quibusque diuitibus dicendum. Circa vero bona Ecclesiastica, hoc est comparata ex ecclesiasticis redditibus, subtractis his, quæ ad decentem victum, & vestitum, & domus ornatum pertinent, insuper subtractis his, quæ gratia pietatis, & charitatis potest in consanguineos indigentes,

aut

aut famulos distribuere, tenetur residuum dare pauperibus sub mortali. Ita communiter Doctores teste Card. Tolet. *lib. . ca. 4. nu. 16.* Qualis autem debeat esse status decentia Antistitis, docuit Conc Carthag III *can. 15.* his verbis. Episcopus vilem suppellectilem, mensam, & victum pauperem habeat, & dignitatis suæ authoritatem in fide, & vitæ meritis quærat. Docuit Conc. Trid *sess. 25. ca. 1.* parum mutatis verbis. exemplo patrum nostrorum in Conc. Carthagin. non solum iubet, vt episcopi modesta suppellectili, & mensa, ac fragili victu contenti sint, verum etiã in reliquo vitæ genere, ac tota eorum domo caueant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum, quodq; non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum prę se ferat.

14 QAEST. *Estne idem dicendum de beneficiatis & curatis circa ea, quæ ex ecclesiasticis redditibus compararunt, atque dictum est de episcopis?* RESP. Idem. Ita Card. Tolet. loco proxime citato, cum communi, & maiori, cum ratione de Cardinalibus,

15 QVÆST. *Obligamurne in extrema necessitate alterius ei donare, an satis est mutuo dare, vel cambiare, vel vendere?* RESP. Quantacunq; sit extrema necessitas, satisfacimus præcepto mutuando, vendendo, vel cambiendo. Ita Adria. *de restit.* & Nau *in sum. ca. 17. num. 60* Ita legimus Iosephum succurrisse Ægyptijs *Gen. 47.* & Tobiam Gabello sub chirographo. *Tob. 1.*

16 QVÆST. *Non vult extremè indigens accipere mutuum, nec cambiatum, nec venditum, sed liberum, & donatum, teneorne donare?* RESP. Teneor succurrere donando. Ita Card. Tolet. *tract. de pec. ca. 37.*

17 QVÆST. *Habet quis alienas pecunias in manu sub tutela, teneturne succurrere cum ijs extremè indigenti cum non habeat proprias?* RESP. Tenetur: neq; si succurrat, tenetur ea restituere. Ratio est, quia illæ pecuniæ non suæ, sed alienæ erant, & ideo secum deferrebant dominium veri domini. Toleti tamen exemplũ de eo, qui habet mutuas pecunias non est ad rem: quia in mutuo translatum est dominium, & ideo si illas pecunias quis dedit, suas dedit, atque tenetur soluere debitum.

18 QVAEST. *Licetne in extrema necessitate sibi quis succurrere ex*

vere ex alieno rapto? RESP. Pars affirmans ita certa est, vt nullus sit, qui dubitet: est enim huiusmodi subuentio ex iure naturali.

19 QVÆST. *Deuenit postea ad pinguiorem fortunam, teneturne raptum huiusmodi restituere?* RESP. Negat Scotus 4. d. 1. q. 2. & Mr. Gabr. Sot. li 4. Iust q. 7. ar. 1 affirmant tamen Nau. c. 17. n. 60. Adria. de rest. Dico tamen. Si indigens extremè, est extremè indigens respectu cuiuslibet, ita vt sicut hic non habet, nec alibi habeat, vnde sibi succurrere posset, non tenetur ad restitutionē acceptus: verò alibi habeat, licet hic extremè indigeat, tenetur. Est opinio communior. Ratio est, quia illa omnimoda extrema necessitas, omnia illa fecit communia: non verò illa extrema necessitas pro loco, & tempore.

20 QVÆST. *Est quis distributor eleemosynarum: ipse etiã pauper est, potestne sibi sumere partem, vt illius pauperis?* RESP. Potest sibi, ac suis, si ita indigent atq; alijs, semoto scandalo. Ita Caiet. 2. 2. q. 32. ar. 9. vbi *eleemos. §. 1. &* D. Tho. 2. 2. q. 32. ar. 9. ad 3. Tabien. *ver. eleemos. §.* 13. Ratio est manifesta, quia nemini officere debet suum munus, imo ex veteri paremia proficere cui quam par est.

21 QVÆST. *Est ciuitas obsidione oppressa iusto bello, & ibi inclusi fame tabescant, peccatne qui illis suppeditat cibum?* RESP. Absolutè affirmat Tol. *tract. de pec. mort. c.* 31. peccare mortaliter. Mihi tamen distinguendū videtur. Vel succurro rebellibus intus clausis, per quos stat belli iniquitas: vel succurro innocentibus, qui æquè ac rebelles, & iniusti repugnatores opprimuntur intus. Dico igitur. Qui rebellibus iniustis succurrit, peccat mortaliter, qui innocentibus, minime. Opponitur. Illi sunt partes ciuitatis iniustæ, sed obsidentes habent ius ad totam Ciuitatem iniustam opprimendam; ergo iustè opprimuntur. Distinguo maiorē propositionem. Sunt partes ciuitatis iniusta formaliter, nego maiorē: obsidentes vero habent ius tantum ad opprimendā fame ciuitatem iustam formaliter, non materialiter, hoc est, ciues formaliter iniustos.

De ecclesiastica sepultura §. 3.

§ *Qui prohibētur iniure sepeliri ecclesiastica sepultura.*

QVÆSTIO. *Qui prohibentur in iure sepeliri ecclesiasti-*

ca se-

ta sepultura? RESP. In primis hæreticus. *capit. Sicut. de hæret* Notant summistæ *verb. sepultura.* Maiol. *de canonic. imped. libr. 3. cap. 13 nume. 132.* Deinde Iudæus, Paganus & alius quiuis infidelis mortuus in suo errore *ca. Ecclesiam de consecr. dist* 1. Maiol. & summistæ sup. citati, *Tertio.* Blasphemus in Deum, aut in Sanctos, qui non vult acceptare pœnas sibi pro tali crimine impositas iuridicè. *capit. Statuimus. de maledicis Quarto.* Mortuus, qui post mortem conuincitur fuisse hæreticus, & in hæresi obiisse inconfessus, & impœnitens: talis enim iterum exhumatus, longè ab Ecclesia sepeliendus est. *capit. Sanè 24. quæstion. 2. Quintò* Infans filius Christiani ante baptismum decedens è vita. Notat Vuald. *titul. de interdict. §. 1 num. 27.* cum Hostiensi, Syluest. & alijs *Sextò* Omnis ille, qui viuus prohibebatur ab ingressu Ecclesiæ. *cap. Is qui de sentent. excomm.* tradunt Sylu. & Armil. *ver sepult. Septimò.* Omnis, qui in notorio, & publico peccato moritur. Ita Maiol. Sylu. & Armil. citatis locis. Gloss. *in capit. Monachi. de stat. monach. cap. Prouenientibus 1. qu. 2 ca. Non existimemus. ca Quibus. c Quæsitum. 15. qu. 2. c Placuit. 2. q. 5. c. Quicunque clericus. 23. qu 7.* quos rext. supra dicti Auctores afferunt, adducitq; Vuald. *cit. loco.* tenet Nau. *ca 25. n. 132. Octauò.* Sui ipsius occisor *c Placuit. 23. qu 5.* etiam si occiderit ob causam honestam. *c. Ex parte. de sepul.* si tunc sui cõpos erat, neq; à Spiritu sancto fuit motus, vt Samson *Iudi. 16. Nonò.* Publicus vsurarius, in vsurarum peccato mortuus. *c. Quia in omnibus c Quanquam de vsuris Clẽ. Eos qui propria de sepult.* Notat Cardin Tolet. *li. 5. c 36. nu. 6.* Eitque ipso iure excommunicatus talem sepelieus vsurarium. *c. Quanquam. de vsuris.* tradit Nor. *l. 6. Iust qu 1. ar. 1. Decimò.* Qui supra dictum vsurarium in Ecclesia sepeliuit. *c Quia in omnibus. de sepult.* tradit Maiolus *li 3. c. 23. n. 18. Vndecimò,* Excõmunicatus maiori excõmunicatione. *c. Sane 24. q. 2. c In nostra. de sepult. Clem. 1 de sepult.* Si verò iam sepultus est, exhumandus est, *c. sacr de sepult* Hic aũt excõmunicatus intelligendus est iuxta *Extrauag* Martini Papæ. Ad euitanda scandala nominatim denũciatus, vel notorius clerici percussor. Notat Card. Tolet. *lib 1 ca 13. numer. 9.* Ratio eius est optima, quia sicut cum alijs excommunicatis viuis communicare possumus, ita etiam

cum

cum mortuis 24. *qu. 2. can. sane 1.* & *cap. Sacram. de sepult.* Hinc manifesto infertur, quam sine ratione negarunt sepulturam excommunicato minori excommunicatione. Summa confess. *lib. 3. tit 17. qu. 3.* Sylu. *sepultura nu 9. §. 10.* Quam quidem iure optimo illi concedunt Innocent. *ca. sacris. de sepult.* & Armil *ver. sepult. num 16.* cum reliquis. *Duodecimo.* Interdictus publicè denunciatus. *ca. In nostra de sepult. Extrauag Ad vitand scand.* Qui ex malitia semel in anno non est confessus, vel Eucharistiam non sumpsit in Paschate *cap. Omnis de pœn & remissi. Decimotertio* Publicus Ecclesiæ spoliator, vel incendiarius. Ratio est, quia in eo, quo quis deliquit, in eo puniatur, necesse est. *capit. Quod à viro. 12. quæst. 2.* Notat Gloss. *cap. Neque apud 88. di. Decimoquartò.* Religiosus, qui post mortem probatur proprietarius ex inuento proprio peculio *cap. super quodā de statu Monach.* Conc. Trid. *sessi. 25. cap. 2. de reform. regul. Decimoquintò.* Laicus negans, & retinens iniustè decimas Ecclesiæ. *ca. Prohibemus. de decim Decimosextò.* Qui in torneamentis mortuus est, vel in ijs mortale vulnus accepit, ob quod mortuus est *ca. 1. de torneamentis.* Ita summa cōfes. & Maiolus citati cum Hostiens. in Rubric. *De torneamen.* Quod adeo verum est, vt illi negetur sepultura, licet confessus fuerit, & Eucharistiam sumpserit ante mortem. Notat *ex cit. cap.* & Doctoribus. Viuald. *titul. de interdicto §. 2. nume. 23.* Quæ determinatio Ecclesiæ facta est ad terrorem aliorum.

FINIS.

Laus Deo, & Beatissimæ Dei Genitrici.

Autor ad librum.

PRodis in lucem sub luce nascentis auroræ primus mei ingenij fœtus, diuino fato, æternis auspicijs, non consultò, non cogitato. Nasceris mundo, nascente orbi. Muliere amicta sole, lunam sub pedibus habente, stellis pro corona duodecim micante, Virgine, inquam, Dei genitrice, cuius hodiernus natali dicatus est dies. iô. triumphe, iô triumphe: spero fore, vt quasi lux splendescere procedas, & crescas: vsq; ad perfectum diem.

INDEX

INDEX RERVM PRAECIPVARVM HVIVS OPERIS.

ACedia quid, & quale peccatum 858
Acceptio personarum quid 860
Acetum non est materia cõsecrationis sanguinis 469
Accusando qui peccent 267
Accusatoris peccata 858
Accusare quis teneatur 267
Accusatio quotuplex 859
Actus diuini amoris an debeat esse perpetuus 4
Aduocatus scienter defendẽs causam iniustam peccat mortaliter. 291. ad quam restitutionem teneatur 861 quam causam tuta conscientia possit defendere ibi.
Adulterium an dissoluat matrimonij vinculum 811
Adulter an possit sine peccato occidi 93
Aduocatorum iustum pretiũ 862
Adultera quomodo teneatur adulterium reuelare 134
Adultus qua dispositione ad baptismum accedere debeat 452
Ætas celebrandi matrimonij quæ 805
Affinitas quid 752. eius effectus superuenientes matrimonio. 753. an impediat matrimonium iure naturali 754
Aggressorem qui fugere teneantur 129
Altare quotuplex. 496, eius lintea quales esse debeant 497. qualis ara 496
Altari quæ reuerentia exhibenda 496
Ambitio quid sit 846
A multis excommunicationibus an quis simul absolui possit 650
Amphibologia an vti liceat in iuramento 43
Angelus an baptizare possit 449
Animalia ignoti domini inuenta cuius sint 179
Anima separata a corpore potest seipsam mouere localiter. 628. an sciat viam ad cœlum vel infernum. 629. an possit ad nos remeare. 630
Appetitus propriæ excellentiæ circa quæ versetur. 841 quando peccatum mortale 84
Appellantium peccata 863

Aposta-

Apostasia quid 35
Approbatio quæ requiratur in confessario 641
Aqua an miscenda vino consecrando. 470. qualis, & cur adhibenda. 471. quæ quantitas adhiberi debeat ibid. eam omittens sciēter, vel crassa ignorantia peccat mortaliter 470
Artha in matrimonio an, & quatenus dari possit 789
Articulus mortis quid sit. 647. quid differat a periculo mortis ibid. & 648
Attritio quid sit 21
Auaritia quid sit 847
Auricularis confessio licita & sancta 550
Auroræ nomine quid intelligendum 503

B

Balsamum an de necessitate sacramenti Confirmationis 461
Baptismus quid sit. 432. 445. quotuplex. 443. cur institutus in ablutione exteriori. 449. eius materia. 445 forma. 447. minister. 448. subiectum capax. 450. ceremoniæ quid sibi velint. 45 . effectus. 459. eo quot patrini assumendi 4 5
Baptizare seipsum an quis possit. 449. plures an quis possit simul 450
eficium qui 8 64
Beneficium Ecclesiasticū cui conferendum. 696. illud indigno cōferens quomodo peccet. 865. eo quis dignus, aut indignus 865
Beneficiatus quoties celebrare teneatur 866
Beneficiorum permutatio in quibus consistat 7
Bigamia quid 392. quotuplex ibid. in ea quis dispensare possit 394
Bigamia ex defectu qualis. 394
Bigamus quis. 393. & seq.
Blasphemia quid 37
Bona pro derelictis habita quæ sint. 178. cuius sint ibi, casu inuenta cuius sint. 179 & seq.
Bona naufragantium an pro derelictis habenda 178
Boni & mali sacerdotis consecratio an idem valeat 484
Bulla cruciata quæ. 632. eius Commissarius in quo gradu dispensare possit 66 . varia priuilegia. 65 . effectus ibid. eam qui lucrari possint 63

C.

Calix qualis esse debeat. 499. quid designet. ibid.
Calumniatorē audiens quando, & quomodo peccet 153
Cambium per literas quod, & quomodo fiat 175

Cambium

Cambium quid 174. eius diuersæ species ibid.
Candela an requiratur ad celebrandum sacrum 500. cuius materiæ esse debeat ibid. & seq. quot necessariæ ibid.
Captiui Christiani remigantes apud Turcas an peccent remigando 660
Cardinales vacante sede quas leges ferre possint 302. eorum munus quale 681
Cauponum peccata 867
Causa quid 212
Celebrare an liceat singulis diebus. 489. vbi 494. an absque altari 496
Census quid sit. 171. quotuplex. ibid. olim vsitatus 186
Cessatio quid sit. 420. quot modis fiat. ibid. an idem quod interdictum. ibid. an sit censura. 421. cur fiat 422
Character quid sit 441. an possit amitti ib.
Charitas quid sit, & quę contra eam peccata 36
Chirurgorum peccata 882
Chrisma quid 461. an debeat esse consecratum 462. an debeat esse nouum ibid.
Christianorum captiuorum peccata 879
Christiano an fugere liceat 29. an donis fugam comparare. 30. an se fingere idololatram aut hæreticũ, vt tales conuertat 32
Clericus deprehensus in flagranti delicto à Magistratu detinendus, & suo prælato præsentandus 330
Clerici an possint accusare malefactores suos, etiamsi illi occidendi sint 406
Clerici quæ tributa soluere teneantur. 188. quando à principibus sæcularibus coerceri possint 320. eorum tria bona. 236. eos quis possit percutere absque excommunicatione 378. filios spurios ditare nõ possunt 968. & seq.
Clericus seipsum percutiens an peccet 374
Codicillus quid sit. 740. quæ eius solemnitas ib.
Cognatio legalis in quibus gradibus impedit matrimonium 739
Cognatio spiritualis quid sit. 457. inter quas personas contrahatur. ibid. & seq.
Cognatio inducens impedimentum matrimonij quotuplex 734
Cõcionatores an possint publice reprehendere prælatum 16
Concubinarius notorius ipso iure suspensus 411
Concubinatus etiam contritus & confessus tenetur amouere concubinam sub mortali 889. eius status miserandus ibid.

Collatio beneficiorum ipso iure nulla quæ 707
Columbas an & quomodo capere liceat 252
Conductorum peccata 868
Confessarius tenetur sigillũ confessionis illæsum seruare, neque ex eo producere. 13. quomodo se cum vsurario gerere debeat publico vel occulto. 168. 169. quid agere debeat circa pœnitentis conscientiam 588. quæ vota possit aut nõ possit commutare virtute bullæ Cruciatæ 662. & seq.
Confessio quid sit 531. quando sit nulla. 538. & seq. an aliquando anticipanda. 345. quando differri possit. 346. eius quę integritas necessaria 531. circumstantiæ. 534. quæ & quot 538
Confessionis sacramentalis sedecim conditiones 550
Confiteri qui teneantur. 343. quoties. ibid. quo ætatis anno 344. quando ibid. per scriptum an liceat. 552. an per interpretem 553
Conditio dirimens matrimonium quæ 726
Confirmatio an Sacramentum. 460. quid sit ibid. an suscipienda ex præcepto 465. quibus conferenda 466. qua hominis ætate, ibid. quæ eius materia 461 forma. 462. minister. 463. effectus 465
Coniuges consummato matrimonio an possint ingredi religionem 731. an peccent contrahendo cum hæreticis 671
Coniux an possit debitum reddere coniugi petenti, qui habet votum castitatis 59
Contentio quid 845
Contemptus quis etiam minimi peccati est mortalis 21.
Contractus societatis quotuplex 163
Contractus cum excommunicato validus est 365
Contritio quid sit. 518. quid significat 514. eius dolor qualis esse debeat. 520. quando necessaria 1
Contritus & attritus quomodo differunt 518
Contritus an indigeat Sacramento pœnitentiæ 521
Contumelia quid 98
Conuitium quid 98
Correctio iudicialis quę virtus 353
Correctio fraterna præceptũ naturale 10. quot actibus constet. 18. in ea quis ordo seruandus 17. quot & qui testes adhibendi 18
Curiositas quid 846
Custodum peccata 882
Clericorum peccata 884
Canonicorum peccata 819

D.

Damnatus ad mortem an seipsum occidere possit 281. an cibos oblatos respuere ibid.
Debitum negando peccant coniuges 819. negare ob causas possunt ibid.
Decimæ quo iure soluantur 125. 352. earum soluendarum præceptum vbi contineatur 125. earum magna retributio 351
Defectus in Missa varij quomodo cauendi 504
Delectatio morosa quæ 852
Degradatio quid sit 424. quæ eius conditiones & effectus 425. quis eam possit infligere 426. quis pati ib. cur infligatur 427
Delatoris peccata 79
Delator falsi criminis, ad quid teneatur ibid. quid in denunciatione intendere teneatur 895
Despositarij peccata 895
Diuinorum peccata 895
Diuinus an pro augurando pretium acceptum restituere teneatur 896
Denũciare quis teneatur 264
Denunciatione Matrimonij quæ & quando faciendæ 796. an omitti possunt 797
Desperatio quid 36. vnde oriatur ib.
Detractio quid sit 292. quot modis fiat. ibid. quale peccatum ib.
Detractorem audiens quando peccet 294
Deus quomodo diligendus 4
Diligentia quæ adhibenda in confessione 546
Discordia quid 845
Discrimen inter excommunicationem à iure & ab homine 418. inter peccatũ mortale & veniale 830
Dispensare quis possit in iuramento 53. in impedimẽtis matrimonij 764. 766
Dispensare in voto quid sit 84. quis possit ibid. an sine causa 78
Dispensationis quæ causę 79
Dispositio ad suscipienda sacramenta 439
Diuini officij nomine quid intelligatur 414
Diuortium ob quas causas fieri possit 814. 816. & seq.
Donatio quæ irrita absque insinuatione. 204. quibus ex causis reuocari possit 206. quot eius genera. 211. modalis quæ ibid. causalis quæ 212
Donatio inter viuos, & facta causa mortis quæ 226
Duplex causa incarcerationis 280

E

EBrius alium occidens aut mutilans quomodo peccet 133
Ebrietas quid, & quale, item quando peccatum 856
Ecclesiastici qui censendi 331
Ecclesiastici in quibus liberi à legibus Principum secularium & in quibus non. 528. quando coerceri possint à Principibus secularibus 529 quando vtuntur priuilegio fori 330
Ecclesiastica sepultura qui prohibentur 998
Ecclesiasticum beneficium quid. 6 7. 694. quis conferre possit 91
Ecclesiæ nomine quid intelligatur 1964
Ecclesia an possit instituere sacramenta 430
Ecclesiæ qua intentione visitandæ 639
Emptio malæ fidei quæ 248
Eleemosyna quid. 992. qui eam possint facere 993
Electorum peccata 902
Electio coacta quæ dicatur. 903.
Episcopus an possit dispensare in voto castitatis. 77. ordinans ante legitimam ætatem suspenditur 386
Episcoporum peccata 897
Episcopus quid possit circa beneficia reseruata Papæ 900
Error quis dirimat matrimonium. 755. quotuplex ibid.
Error personæ quo iure dirimat matrimonium 768
Eucharistiæ sumendæ præceptum quid sit 432. quando instituta. 465. vbi contineatur. 450. quando implendum. ibid. quoties obliget. 351. eius materia quæ. 468. minister. 474. quomodo suscipienda. 475 Christus in ea remanet 479
Excommunicatio quid sit 351. quotuplex. 352. in qua re differt ab anathemate. ibid. eam tollere qui possint. & qui non. 353. & seq. an obliget ignorantem. 356. eius forma quæ. 351. causa 360
Excommunicationis maioris effectus 361. ab quando incurratur ob participationem cum excommunicato 365
Excommunicatus ad quid redditur inhabilis 365. a quo absolui possit, & an iniustus 365
Excommunicatus an possit ab excommunicatione absoluendus quam à peccatis 905
Excõmunicatus quibus bonis priuetur 362

Er-

Excommunicati qui vitandi 34. & cur ibid.
Excommunicari qui possint 365
Exequiarum moderata pompa quæ 634

F.

FAma quomodo lædatur. 143. ad eius qui requirátur. ib. eius denigratio quomodo fiat. ibid. quot modis restituitur. 156. quis teneatur restituere. ibid. an possit fieri pecunia 160
Famulus tenetur defendere dominum, qui non permittit audire sacrum, quando præest 335
Fautor Hæreticorum quis dicatur 913
Festis diebus quæ opera prohibentur. 82. quæ seruilia possint fieri. ibid. molere licet. & cur. 83. quæ obseruanda 84
Fœminarum peccata 911
Fides quid sit. 4. duplex est 32. eius confessio quando facienda. 29. quæ actiones fiat contra eam 30
Fidei commissum quod 240
Filiorum peccata 908
Filius quando peccet contra præceptum de diligendo proximo 27
Filius quid possit donare 223
Filiorum vota quis possit irritare. 70. quando parentibus obedire tenentur. 86
eorum insperata natiuitas donationem irritam facit 209. non tamen si sit facta Ecclesiæ ibid.
Filius in extrema necessitate Patri an matri succurret? 909. an filio 910
Filij quando contra parentes teneantur testari. 285. non cogendi ad vitam monasticam vel etiam ad coniugium 966
Fiscalium peccata 907
Forma sacramenti pœnitentiæ quæ 567
Fuga quæ reo licita 280
Fugere an liceat Christiano 19
Furiosi an baptizandi 451
Furtum quid sit 99. 244
Furti & rapinæ differentia 244
Fructus beneficiorũ ad quod tempus vendi possint 713

G.

GEomantia quid 59
Gestus impudici quæ. & qualia peccata 53
Gradus matrimonij secundũ quod ius computandi 737
Gradus vniuscuiusque lineæ quot 736
Gratia effectus sacramenti Eucharistiæ 478
Guardianorum potestas limitata 961
Gula quid 856. quale, & quãdo peccatum. 856. & seq.

H.

HÆresis in causa non requiruntur testes concordes quomodo 289
Hæreticus occultus quomodo tractandus 21
Hęreticus quis in bulla cęnæ Domini intelligatur 655
Hæreticorum error circa diuisionem peccati 830
Hæreticorum peccata 912
Hermaphroditi irregulares & non ordinandi 389
Hæreticos absoluere quis possit 656
Hæredum peccata 913
Homicidium quid sit. 89. 398 quot modis fiat. 402. varie circa hoc quomodo peccetur. 90. eius circumstantię in confessione aperiendæ 97
Homicidio indirecto quis peccet 96
Horæ Canonicæ septem. 686 quid significent. ibid. quis eas recitare teneatur. 688 quando. 689. vbi. 690 quomodo. 690. ab ijs quæ cābia excusentur 692
Hypocrisis quid 844

I.

IDololatria quæ 38
Ieiunium Ecclesiasticum 856. quid sit. 337. quæ sint de eius essentia ibidem. quinam cibi in illo prohibeantur. ibid. eius hora an anteuerti possit ob causam iustam 338
Ieiunium quando incipiat & quando desinat. 341. ab eo quæ causæ excusent. 339 quando obliget & quo anno ætatis. 341. in eo quis dispensare possit 342
Ignorantia quotuplex 357 qua excuser ab excommunicatione ibi.
Infantes testimonium perhibere non possunt 284
Infantes in vtero constituti an baptizari possint. 41. infidelium inuitis parentibus an baptizari possint. ibid.
Infamare seipsum an quis possit 293
Infamatus bonam famā consecutus non est infamandus denuo 292
Infamia quid. 386. eius varia genera 143. & seq.
Infamia iuris & facti quæ 149
Infamatoris hæredes quæ maneat obligatio 160
Impotentia impedimentum matrimonij quid. 760. eius conditiones. 756. quotuplex ibi.
Impietas quid 37
Infidelis quid 35
Infidelium matrimonia an soluantur per conuersionem ad fidem 804

Impe-

Impedimenta matrimonium dirimentia quot sint. 725. eorum circa cultus disparitatem 742
Impedimenta matrimonij quæ 819. an statuere possit Ecclesia ibid.
Impedimenta impedientia & dirimentia matrimonium quot 759
Indignus an ad beneficium eligendus. 903. Qui sint ibid.
Indulgentia quid sit. 605. quid per eam remittatur. 606. quis eius capax. 607. an prosit excommunicatis. ibidem. an etiam animabus in purgatorio existentibus. 608. quis eas possit concedere. 609. ob quas causas possint concedi. ibid. quando conferri inceperint 611
Indulgentia plenaria quid sit 618
Infernus vbi sit 625
Interdictum quid sit & quotuplex. 413. quę eius forma 414
Interdicti tempore qui vetatur. 414. quo anni tempore eius effectus suspendatur. 416. ab eo quis possit absoluere. 418. eo tempore celebrans quomodo puniatur 414
Interdicere & interdici quis possit, & cur 413. & seq.
Inimici quomodo diligendi 264
Inimicorum peccata 928
Inobedientia quid 846
Inquisitio quid sit 269. quotuplex. ibid. quæ in generali peccata detegenda. ibi. particularis quando fieri possit 270
Inquisitores an possint aliquem ab hæresi absoluere 656
Inuidia quid. 857. quale peccatum ibi.
Insinuatio requisita ad donationis validitatem quid 201
Inuasorem an occidere liceat 93
Irregularitas quid. 381. quotuplex. ibid. & seq.
Irregulares ex defectu natalium qui. 383. ætatis 385. famæ. 386. corporis. 387. animæ 389
Irregulares ex delicto hæresis qui 394. ex delicto circa baptismi sacramentum 395
Irregulares circa ordinũ susceptionem qui 396
Irregularitas cõtracta in ministerio ordinis 397
Irregularitas ex delicto orta censura est 651
Ira quid & quod peccatum 853
Iudicum peccata 915
Iudex an possit damnare nocentem de iure, quem scit innocentem. 260. quem ordinem teneatur seruare in condemnatione rei. 261

an possit pœnam legum relaxare. 262. an vti ei liceat simulationibus. 278. an incarceratos inuisere teneatur 920
Iudices in quo frequentius peccent. 257. qui excommunicantur bulla cœnæ Domini 661
Iuramentum quid. 41. an exigendum ab eo, qui iurat per falsos Deos. ibid. quotuplex 42
Iuramentum an sit actus virtutis 42
Iuramentum quas, & quales habet proprietates 43
Iuramentum promissorium an implendum. 46. non obligat hæredes eius qui iurauit, & cur 49
Iuramentum comminatorium quando peccatum. 52. execratorium quale, & quando peccatum 53
Iuramentum annullare quid sit, & quis possit. 53. quis circa illud dispensare ibi.
Iurans ex consuetudine quãdo peccet 44
Iurans sine intentione implẽdi vtrum peccet 46
Iurans rem malam duo committit peccata 47
Iurans rem futilem quomodo peccet 47
Iustitia publicæ honestatis impedimentum matrimonij vnde oriatur 751

L.

Laicus suscipiens beneficium curatum ad quid teneatur 978
Læsio quotuplex 576
Legitimus in iure quis censeatur 84
Leges ciuiles qua vi obligẽt Ecclesiasticas personas 329
Legatariorum peccata. 919. de legato relicto vxori si nubat 931
Legatum quid 859
Legislator an possit cogere subditos inuitos ad legem seruandam. 303. an debeat seruare suas leges 312
Lex vnde dicta. 206. quomodo definiatur ibid. quis possit ferre leges. 297 quæ dura vocanda 208
Lex quomodo obliget ad mortale peccatum, quomodo ad veniale 308
Leges promulgatæ quando obligent 305
Leges irritatoriæ & reuocatoriæ quæ. 306. priuilegiatoriæ ibid.
Leges humanæ non subijciũt actus interni 163
Leges Ecclesiæ an obligent in conscientia. 311. ciuiles an obligent 311
Librariorum peccata 926
Librarij libros prohibitos diuidentes quomodo peccẽt 926

Libelli famosi qui. 154. quinã peccent circa illos ibid.
Lintea altarium qualia esse debent 500
Linea trãsuersa æqualis quid sit 736
Longum tempus quod censendum 391
Literæ Apostolicæ quæ 658
Ligamen impedimentũ matrimonij quod 749
Locus celebrandi matrimonij quis 805
Locus sacer qui dicatur 918
Luerum quid 163
Ludus quid sit 182
Ludis prohibitis acquisita quomodo soluenda 183
Luxuria quid. 848. quot eius species 849

M.

MAgia quid 38
Maledictionis quomodo & qualia peccata 855
Mancipiorum vota Domini an irritari possint, & quæ 72
Manus an præscindi possit à reo, vt alteram seruet 282
Maria virgo an semper fuerit in actu diuini amoris 4
Manus iniectio quid sit 373
Maritorum in vxores peccata 871
Maritus vxori quam reuerẽtiam debeat 88
Mariti quas donationes facere possint 215
Martyrium an baptismus 443
Matrimoniũ naturale quod 720. an sit sacramentum. 799 à quo institutum, & quæ eius materia. ibidem. quis eius minister. 800. effectus 801
Matrimonium quando institutum ibid. quomodo suscipiendum 802
Matrimonium an celebrari possit inter absentes per internuntium. 806. an dissolubile. 811. eius vsus an meritorius 819
Matrimonium clandestinum quod vocetur 807
Matrimonium serui cum ancilla, & è contra quomodo, & quando validũ. 728 & seq. fidelis & hæretici an validum 871
Matrimonium post votum castitatis quo iure dirimatur 731
Medicorum peccata 935
Medicus an pauperes visitare teneatur. 936. an eundem de vicina morte monere teneatur ibid.
Mercatorum peccata 932
Mercator gabellam non soluendo an peccet 933
Merces mobiles an clam vẽdere liceat ob tributi solutionem vitandam 190
Metus cadens in constantem virum quis dirimat matrimonium 743

Metus reuerentialis 745
Mille anni indulgentiarum quid sit 617
Missa tempore interdicti quoties dici possit, & quomodo. 415. quid sit. 480. quis instituit. 481. fructus & effectus eius quis, & quotuplex. 482. cur sic vocata 507. quis eius valor ibid. quibus communicatur ibi. pro quibus offerenda. 485 an prosit animabus in Purgatorio ibidem. eius minister quis. 486. quis primus eam celebrauerit Pontificali apparatu ibidem. qua parte diei celebranda. 502 eius varij defectus quomodo cauendi 504
Molere licet diebus festis & cur 83
Monialium peccata 938
Monachus quis censendus. 375
Monachum mortuum percutiens an excommunicatus ibid.
Monopolium an sit peccatum 935
Monstra an & quæ baptizanda 450
Mortis periculo se obijcere an & quomodo liceat. 90. ei qui se teneatur offerre causa fidei aut religionis 96
Mortem alicuius desiderare quando & quomodo liceat 94
Mortuum infamantes quomodo peccent 145
Mortuus quomodo puniri possit 321
Motiua supernaturalia attritionis quæ 522. & seq.
Moniales an possint celebrati ministrare 488
Mutilare an seipsum liceat 90
Mutilatio quid sit 481

N.

NEcromantia quid 34
Necessitas extrema & grauis quæ 8
Nouitatum inuentio quod peccatum, & quando committitur 844
Notariorum peccata 949
Notarius in pretio quando peccet 949
Nouitij an possint absolui virtute bullæ a casibus reseruatis 645
Nuptiarum solennitas quibus diebus prohibita 797
Nuptiæ secundæ an benedicendæ 809

O.

OBedientiæ votum quotum obligat 61
Obliuiosus quando confiteri teneatur 346. an teneatur scribere peccata 556
Occidens inuasorem castitatis an peccet 130

Oc-

Occidere seipsum est peccatum mortale 89
Occidere quãdo sit sine peccato & meritorium 90
Officium diuinum quid. 686 vide horas Canonicas.
Opera seruilia diebus festis prohibita. 82. quę admissa, & ob quas causas ibi.
Ordinati ante legitimam ætatem qua pœna puniendi 386
Ordo an sacramentum 675
Ordo quid sit. ibid. quibus gradibus constet ibid.
Ordinum officia. 676. materia 682.
Oscula quæ peccata 851

P.

PAlla altaris ex qua materia esse debeat 500
Panis Eucharistiæ qualis esse debeat. 496. quantitas 472. forma eius consecrãdi 437
Papa in quibus votis dispensare possit. 75. quo iure. 76 secum dispẽsare potest. 78 & cum Episcopis ibid. an possit alteri dare potestatem super se 256
Patris & matris nomine quid intelligendum 85
Parentes quomodo diligere debeant filios suos, & in quibus. 25. quæ eis exhibenda à filijs. 85. quæ ipsi teneantur filijs prestare. 87 an succedant filijs spurijs morientibus ab intestato. 915
Paupertatis votum quantum obliget 61
Parochus quomodo præsens esse debeat solẽnitati matrimonij 804
Participans cum excommunicato, quomodo & quando peccet. 363. quæ eius pœna ibid.
Patrini in baptismo qui & quot assumendi. 456. qui prohibeantur ibid.
Peccata quomodo remittantur 835
Peccator an possit reprehendere peccatorem 17
Peccatum quid sit. 829. quot nominibus appellatur. 830 quod mortale, & quod veniale ibid.
Peccata mortalia quot. 831. cur ita dicta ibi. coniugum circa actum coniugalem 829. & seq.
Peccatores magni an conuerti possint 833
Peccatum publicum & notorium quod sit. 20. commissionis & omissionis quod 839
Peccatum veniale per quid remittatur 837
Peccata fidei contraria quæ 33. Charitati cõtraria quæ 36. religioni. 37. mortalia per quæ media remittantur 834.

Peccata quæ confitenda non sint 514. quæ reseruari soleant 548. mortalia an in hac vita remittantur 831
Pecunia an fieri possit famæ restitutio 154
Pecuniam locare an licitum 926
Pensionarij peccata 974
Pœnitentiæ sacramentum quomodo definiatur 508. à quo institutum 509. an ad salutem necessarium ib. eius materia quæ & quotuplex 511. eius minister quis 572. quis & quotuplex effectus 603
Pœnitentiam an possit imponere sacerdos 560. qualis imponenda ibid. an etiam publica imponi possit 561 an suscipienda à pœnitente 563
Pœna neglectæ confessionis quæ 548 quinam ei subiaceant 549
Pœnæ leniores quæ dicantur 321
Pœnæ priuatæ quando obligent 324
Pœnæ communitatis aut Academiarum 326
Potestas politica quæ 256
Potestas Ecclesiastica 255. in quo residet ibid. an quis ab ea exemptus 256
Polygamia quid sit 808. an licita ib.
Pollutio quale peccatum 850
Præcepta Patrum in filios, vi ri ad vxorem quomodo obligent 31
Præcepta Decalogi, quæ & quot 1. vtrum sint naturalia vel positiua . . . eorum transgressio mortalis, aliqua excusent, & quæ ibid.
Præceptum non occides qui transgrediantur 94
Præcepta diligendi Deum & proximum quando obligent sub mortali 5
Præceptum fraternæ correctionis naturale 10. eius transgressio quale peccatum ibid. materia 13. quando obliget 16. quos obliget. ib.
Prælatus potest & tenetur inquirere in vitam subditorum 13. quibus medijs possit cognoscere vitam subditorum ibid. quomodo se gerere debeat cum fraterne denunciatis 13. & seq. an possit irritare vota nouitiorum 69
Princeps aut Respub. an possit statuere impedimenta matrimonij 735
Priuilegia alijs concessa beatæ Virg. non sunt deneganda 4
Promissio quid sit 192. an & quæ obliget 193. & seqq. quæ obliget sub mortali 196 quæ non 195
Promulgatio an requiratur ad legum obseruantiam 504. quomodo sit valida ibid.

an

an fieri debeat in singulis vrbibus ibid.
Proximi nomine quis intelligendus 6. circa quatuor diligendus ibid.
Purgatorium esse credendũ est 624. vbi sit 625. eius ignis qualis ibid. quæ pœna 626
Pyrata quis, & eius pœna 372

Q.

Quadragena quid sit 518
Quatuor effectus Baptismi. 419
Quantum liceat comedere die ieiunij 339
Quæ leges ciuiles Ecclesiasticæ libertati sint contrariæ 329
Quibus casibus non incurratur excommunicatio ob manuum violentam iniectionem 370
Quinque animarum receptacula 622

R.

Raptus quid 102
Rapina quid 244
Regularis approbatus in vno Episcopatu, an in alijs approbatus censeri debeat 642
Regulares quam possint bullam accipere 645. eorum varia peccata 980
Religiosi ad quid tenentur tempore interdicti 418
Religiosi quæ festa seruare teneantur 84. fugere teneantur inuasorem iure charitatis 129. an possint esse testes ad testamentum 232
Religionis virtus quę 37 quę ei peccata contraria ibid.
Religionis votum quomodo protrahi possit 62. eam an ingredi possit qui non est soluendo 13
Reorum peccata 979
Reseruatio peccatorũ an fieri possit & quorum 517. & seq.
Remissio coacta quæ 109. quæ extorta ibid.
Repudiũ an olim licitum 818
Res quæ nunquam Dominũ habuerunt cuius sint 76 inuentæ inter sordes cuius sint 179
Restitutio quid 101. eius circunstantiæ 102
Restitutio eius qui alterũ à religione retraxit 116. qui beneficium contulit indigno 119. qui non recitauit horas Canonicas 122. falsi testis 127. homicidæ 128. adulteri 134 vsurarij 167
Reuelare complicem in confessione an liceat 555
Reus an teneatur fateri suum crimen 273. an ad euitãda tormenta possit fateri crimen quod nõ cõmisit 277. quando peccet appellãdo 278. quando fugere liceat 280. quando teneatur ad

pœnam

pœnam legis 281. non debet falsas exceptiones apponere veris testibus 290
Rex vnde habeat potestatem condendi leges 298
Regũ varia peccata 976. & se.

S.

SAbbati nomine quis dies intelligendus 81
Sacramentum quid sit 432
Sacramenta quæ ministrare licet tempore interdicti 416. & seq.
Sacramẽta quis instituit 430 in quẽ finem instituta ib. quot sunt 431. Cur septem ibid. quę, ibid. eorum materia 434. forma ib. Ceremoniæ 434. effectus 439
Sacrum audire quid sit 334. præceptum de eo audiendo obligat sub mortali ib. ab eo audiendo, quis excusetur 336
Sacerdos quoties teneatur celebrare in anno 490. an sæpius vno die ibid. an pro stipendio 492
Sacerdos degradatus an possit absoluere pœnitentem in articulo mortis 428. an teneatur legere horas ibid. an possit intereſſe diuinis officijs ibid.
Sacerdotum varia peccata 984
Sacerdos quilibet an possit absoluere 584. quis idoneus ad absoluendum 646
Sal an materia baptismi 447
Satisfactio quid sit 558. an imponi possit 559. & quomodo 560. quis eius effectus 565
Schismaticus quis 756
Secreta admonitio an citra publica peccata adhibẽ debeat 19
Secretum confessionis quam arctè seruandum 588
Seipsum infamans quomodo peccet 146
Serui quid possint donare 26
Simonia quæ 707. quo iure prohibita ibid. quot eius species 708 quando committatur in beneficijs 711. varii eius casus 714
Simonia in pensionib. quę ib.
Simoniacorum pœna 718
Spes quid sit 29. quæ peccata sint contra eam ibid.
Sponsaliorum nomen vnde 782. quid sint 783. effectus 785. genera 786. an per metum facta valeant 787. duę circa illa regulæ 795
Stuprator qui teneatur restituere 137. quis non 138
Spurij qui sint 566
Stuprator importunus quis 138. an ad restitutionem teneatur ib.
Stipendium sacerdotis celebrantis quale 492
Subditus an possit prælatum corrigere & quando 16

Superbia quid 841
Superstitio quid 38. quæ eius ib.
species
Suspensio quid sit 409. eius forma quæ 410. effectus ibid. ab eâ quis possit absoluere 411
Suspensus quis 409
Suspendere quis possiit ibid.

T.

TEstamentum quid 229. ex quo iure vim habeat ib. quæ solemnitas requiritur ad eius valorem 230.
Testamenta clericorum quæ valida 236. quę & quomodo reuocari possint ibid.
Testamentum ad pias causas quas requirat solennitates 234
Testamentariorum peccata 989
Testes qui esse possint in cõtractu matrimonij 803
Testes qui & quot adhibendi in fraterna correctione 18
Testes testamenti qui esse possint 232. & seq.
Testes quinam esse vel non esse possint 283. an possint accipere precium testimonij 287. eorum peccata 988
Thesaurus quid sit 177
Testamentum quando quis facere possit 286. quando non 285. quando retractari debeat 290
Tonsura Ecclesiastica quam antiqua 676
Tormentis veritatem an liceat exquirere 277
Torqueri reus quando possit 277. de quo crimine ibid.
Tributa soluere nemo tenetur nisi à Publicano exigantur 190
Tributorũ quot genera 186 eorum quæ materia ibid. quæ a Principe tanquam iniusta restituenda 187. eorum imponendorum quæ causa ibid. quinam ab eis exempti 188

V.

VAna gloria quod peccatum 842. quot eius species 843
Vana verborum iactantia quæ 86
Venari an licitum 251
Venari locis vetitis quod peccatum eiusq; pœna ibi.
Viduarum peccata 990
Vinum materia in consecratione sanguinis 467. quale esse debet 468 eius consecrandi forma 473
Vesperæ in quadragesima ante prandium legendæ etiã priuatim 689
Vestes infidelium an gestare liceat Christiano 30
Vnctio extrema quę 669. quę eius materia 670. eius forma

ma quæ ibidem eius minister. 672. quis eius capax 67[illegible]. an necessario suscipienda 674
Vnctio an de necessitate sacramenti Confirmationis. 4[illegible]4cur figatur in frõte ib.
Votum quid sit 54
Votum quando obligat. 63 quando differri possit ibi.
Votum quotuplex sit. 65. quæ eius materia 66
Votum quod dirimit matrimonium 720
Votum de non contrahendo matrimonium quãdo obligat 8
Votũ simplex castitatis qnando obligat ibid.
Votum paupertatis quãtum obligat 61
Votum personale ad quid obligat 64
Votum reale quantum obligat [illegible]
Votum irritare quid sit [illegible]
Votum subditorum an possit superior irritare [illegible]
Votum peregrinorum quod 77
Votum commutare quid [illegible]
Vsura quid 162. quale peccatum. 163. Quotuplex ibid. quot modis possit palliari 164
Vsura quæ restituere teneatur 167
Vsuram an sumere liceat 169
Vsurarius ad quarum rerum restitutionẽ teneatur 16[illegible]
Vxor quid dare possit 215
Vxoris quæ vota maritus irritare possit. 71. peccata in maritum 872

FINIS INDICIS.

BREVIS INSTRVCTIO PRO CONFESSIONIBVS EXCIPIENDIS.

QVAE Confessario præcipuè cognoscenda sunt, ea videntur commodè reuocari posse quinque CAPITA *Primò*, ad Potestatem requisitam. *Secundò*, ad Scientiam. *Tertiò*, ad Prudentiam. *Quartò*, ad Bonitatem. *Quintò*, ad Curam in seruando Sigillo Confessionis.

CAPVT I.

De Potestate necessaria ad Confessiones.

PRIMO ergo quoad potestatem, tria sunt necessaria, ordo sacerdotalis, iurisdictio, & vsus eius non impeditus. *Primùm* igitur ordo sacerdotalis necessarius est, qui quidem in re est character, quatenus ex Diuina ordinatione per illum quispiam deputatur, vt possit esse Iudex in foro pœnitentiæ.

Duplicem enim potestatem recipit Sacerdos in sua ordinatione, *vnam* in ordine ad consecrandum corpus Christi verum, *aliam* in ordine ad consecrandum corpus Christi mysticum, id est, ad absoluendum fideles.

Hæc autem dicitur potestas clauium; quæ duæ sunt. *Vna* est clauis scientiæ, per quam habet Sacerdos facultatem interrogandi pœnitentem, & cognoscendi causam eius. *Altera* est clauis potestatis, iudicandi scilicet causa

 cognita

cognita, absoluendo, vel ligando. Per hunc ordinem Sacerdos fit proximè capax ad recipiendam iurisdictionem sine qua est de fide absolutionem nullam esse. Vnde nulla in ordinatione ex vi ordinationis confertur iurisdictio & omni hac priuari potest Sacerdos.

Habet tamen de facto quiuis sacerdos etiam antè probationem ab Episcopo & iurisdictionem ab eo acceptam, potestatem plenam, id est, cum iurisdictione illa delegata ab Ecclesia (quæ etiam nunc ex tacito consensu summorum Pontificum perdurat, idque ostendit consuetudo & traditio) absoluendi quoscunque in tribus casibus. *Primò* in articulo mortis, vel morali periculo quæ nunquam aufertur, nec etiam excommunicato, aut degradato. *Secundò* à venialibus, quæ aufertur ab denuntiato, vel notorio percussore clerici. *Tertiò* à mortalibus alias confessis, quæ eodem modo aufertur à prædictis.

Secundum, quod est necessarium; est Iurisdictio, id est, auctoritas, qua vnus est alteri superior in foro pœnitentiali, quæ habetur per concessionem extrinsecam Ecclesiæ. Hæc autem duplex est. *Prima* ordinaria, & residentia ipsa qui ex vi alicuius muneris, & officij ad quod assumuntur sunt superiores alijs. *Secunda* delegata, quæ habetur per concessionem ab ordinarijs. Ordinaria autem est *primò* in Papa à Christo immediatè, independens ab humana, vniuersalis quoad loca omnia, personas, culpas & modum vtendi per se, vel per alium: ad quam reducitur potestas, quam habet summus Pœnitentiarius & Legatus à latere. *Secundò* in Episcopo, Archiepiscopo, Primate, & Patriarcha, quæ dependet à Papa, & est cum restrictione ad suam diœcesim, ad quam reducitur potestas, quam habent Generales, & Prouinciales in Religionibus. *Tertiò* in Paracho, qui dicitur proprius Sacerdos, ad quem reducitur Vicarius eius perpetuus, Archipresbyter, & Superior immediatus in Religione, vt Rector, Prior, Guardianus &c,

Delegata vero Potestas tribus modis esse potest. *Primò* à iure, respectu pœnitentium; qui possunt sibi eligere confessarium, & hæc, si sermo sit de iure diuino, est in solo Papa; si de humano, est in Episcopis, & eorum Superioribus, nec non etiam in inferioribus Prælatis exemptis qui

qui scilicet non subduntur Episcopis, vt sunt Prouinciales Religionum, & Abbates, & similes iuxta diuersum vsum Religionum. Eadem etiã videtur esse in Parochis, & simplicibus Sacerdotibus; saltè consuetudo in multis locis arguit facultatem esse concessam, vt pluribus deducit Suar. *sect.* 3. *disp.* 27. *tom.* 4, *in* 3. *part.* *Secundo* à consuetudine, qualem habent omnes Sacerdotes in tribus casibus supradictis. *Tertio* ab homine per concessionem vel priuatæ personæ, vel communitati, qualem habent mendicantes & regulares.

Porrò ante iurisdictionem, iure nouo, Trid. sess. 23. cap. 15. requirur approbatio ordinarij, quæ est vniuersalis respectu etiam Graduati & Doctoris: non comprehẽdit regulares in ordine ad confessiones audiendas aliorum regularium: hi enim possunt, sine vlla approbatione Episcopi, exponi ad confessiones aliorum regularium sola concessione suorum Superiorum regularium.

Debet autem hæc approbatio fieri ab Episcopo ipsius confessoris, nec est necessaria approbatio Episcopi ipsius pœnitentis. Et quidẽ inter seculares approbatus simpliciter à suo ordinario, non eget alia approbatione ad hoc, vt possit eligi ab habente bullam per quam illi conceditur facultas eligẽdi aliquem ex approbatis, etiamsi talis Sacerdos approbatus sit extra suam diœcesim, modò tamen non mutarit domicilium, tunc enim exigitur etiam approbatio Ordinarij loci, in quo domicilium de nouo habent. At inter regulares, quia hi mutant Ordinarium mutatione loci, ideo requiritur semper noua approbatio Ordinarij illius loci ad quem accedunt. Nostri porrò Patres habent priuilegium in itinere absoluendi quoscunque, modò non sint in loco, vbi est ordinarius; tunc enim eius licentia requiretur. Denique approbarus in vno loco, etiamsi post longum tempus redeat, non eget noua approbatione, modò non sit reuocata prior facultas.

Tertium, quod est necessarium, est vsus non impeditus. Potest autem esse impeditus in vniuersum triplici de causa. *Primo* ob reseruationem peccati, quæ quando adesset (secluſa necessitate implendi præceptum confessionis, & communicandi in Paschate, vel alia simili, quæ

prætermitti non posset sine scandalo, vel infamia pœnitentis) non debet absolui: si tamen absolueretur, & pœnitens esset in bona fide, teneret, modò confessus fuerit talia non reseruata; maneret autem obligatus ad se præsentandum quamprimùm superiori, vt absoluatur directè; nam indirectè tantum erat ab ijs absolutus. Ad hanc causam referri potest alia persimilis ob excommunicationem reseruatam; ea enim impedit vsum, nisi in casu necessitatis vitandi scandalum, vel infamiam propriam.

Secundò, potest esse impeditus, ob excommunicationem, vel suspensionem sacerdotis denunciatam, per eam enim tollitur vsus validus iurisdictionis: quod si non sit denunciatus Sacerdos, quia adhuc toleratur, valet absolutio, nec etiam peccat absoluendo, quando requiritur ab alijs in fauorem ipsorum.

Tertiò ob peccatum mortale: quamuis enim absolutio à Sacerdote existente in peccato mortali valeret, tamen peccaret mortaliter, si non habeat contritionem saltem existimatam. Hæc de primo.

CAPVT II.

De scientia necessaria ad confessionem.

QVOAD scientiam, ea triplex esse debet, Iudicis, Medici, Doctoris.

§. I.

De Scientia quatenus est iudex.

PRIMÒ ergò, vt iudex, quædam Scientia est ei necessaria ad valorem Sacramenti, quædam ad licitum vsum, ad valorem requiritur, vt sciat formam absolutionis, & distinctionem peccati mortalis à veniali saltem in genere, vt verbi gratia, quòd hoc vel illud sit mortale priuans gratia Dei, & faciens reum pœnæ æternæ: non sic veniale, nam si in particulari nesciret in singulis speciebus, vel præce-

præceptis, modò pœnitens illi bona fide confiteretur, neſciens videlicet confeſſarium eſſe adeo ignarum, vt neſciat diſtinctionem peccati mortalis à veniali ſaltem communi modò, & ordinario, tunc valida eſſet abſolutio ſecundum probabiliorem ſententiam.

Ad licitum autem vſum ſcienda ſunt in particulari quinque. *Primum*, differentia peccati mortalis à veniali non modò in genere, verùm etiam in particulari in ſingulis ſaltem communi modo, & ordinario. *Secundum*, ſpecies peccatorum, numerus & circumſtantiæ. *Tertium*, quæ diſpoſitio ſit neceſſaria in pœnitente? *Quartum*, quod peccatum habeat annexam obligationem reſtitutionis? *Quintum* quod peccatum habeat annexam reſeruationem, vel cenſuram. In cæteris ſatis eſt dubitare, & recurrere ad peritiores.

Vnde *ſequitur primò*, ſcientiam regulandam eſſe iuxta pœnitentes; nam pro rudibus in pagis, & villis minori ſcientia opus eſt; pro doctis in ciuitatibus maiori; pro Militibus, Mercatoribus, Eccleſiaſticis, Iudicibus, Principibus multò maiori.

Sequitur ſecundò, ſcientiam pœnitentis aliquando poſſe ſupplere ignorantiam Confeſſarij: hic enim poteſt & debet fidem adhibere pœnitenti ſe acuſanti, & excuſanti: quare ſi eſt homo doctus, poterit iudicio eius inſtrui.

Sequitur tertiò, peccare mortaliter Confeſſarium, qui caret prædicta ſcientia. Item Epiſcopum, qui eum approbat; & Superiorem, qui tribuit ei facultatem confeſsiones audiendi: denique etiam pœnitentem, qui ſcienter eligit confeſſorem ignorantem reſpectu ipſius.

Verum circa hæc quinque ſunt non nulla in particulari circa quodlibet adnotanda.

ARTICVLVS I.

De Differentia peccati mortalis à veniali.

QVOAD primum de differentia peccati mortalis à veniali notanda ſunt quatuor. *Primò*, quod ſit peccatum mortale ex genere, quod peccatum veniale ex genere. Nam *illud* eſt, quod eſt tale ex obiecto; ab hoc enim

peccatum vtpote actus quidam suam speciem & genus desumit. Tale autem obiectum vniuersaliter est, quod fit contra charitatem Dei, vel proximi: in specie, quod fit contra præcepta Dei, Ecclesiæ, Maiorum, vouum, conscientiam dictantem mortale, contra virtutes Theologicas, morales nonnullas, vt religionem, iustitiam, temperantiam in delectationibus venereis, & similibus. *Venale* autem illud est, quod cum sit quid inordinatum, est extra præcepta, cuius obiectum non est contrarium dilectioni Dei, & proximi, vt verbum otiosum, mendacium officiosum, risus superfluus, aliæ operationes inutiles quinque sensuum.

Notandum secundo, quænam sint peccata mortalia in particulari in singulis præceptis. Nam in *primo præcepto* peccatum mortale ex genere est, quod versatur circa fidem, spem, charitatem, religionem; siue quoad excessum dando cultum indebitum, vt Iudæi, auferendo debitum, & tribuendo creaturæ per idololatriam, magiam, diuinationem, obseruantiam, maleficium; siue quoad defectum committendo sacrilegium circa personas, res, loca sacra. *In secundo* blasphemia, si pertineat ad Deum, periurij, voti fractio, est peccatū mortale ex genere. *In tertio*, omissio facti in festo vel partis notabilis, vt tertiæ, ieiunij diebus præcepris, confessionis semel in anno, cómunionis in Paschate, solutionis decimarum, est p.m. ex genere: huc referenda peccata contra censuras. *In quarto*, non succurrere proximo in necessitate corporali per eleemosynam, vel spirituali per correctionem, quando adest cognitio moraliter certa de peccato mor. proximi, & est spes emendationis, & oportunitas personæ & temporis, est peccatū mortale ex suo genere. Item deficere in honore debito parentibus, & superioribus, eos aspere tractando, multa tristitia afficiendo, desiderando ijs malum notabile, non succurrendo in necessitate, esset peccatum mortale. *In quinto*, offendere proximum in vita; vel bonis corporis, est mortale ex genere. *In sexto*, offendere eundem in rebus ad honorem spectantibus, est etiam mortale ex genere. Vnde fornicatio, stuprum, adulterium, incestus, raptus, sacrilegium, vitium contra naturam cum quatuor suis speciebus, mollitie, innaturalitate, sodomia, bestialitate,

litate ; quibus etiam addi potest impudicitia , qua quis vacat tactibus libidinosis absque intentione alterius operis consummati, omnia hæc sunt mortalia ex genere *In septimo*, offendere proximum in bonis externis, furto, contractu illicito, vt vsurario, vel iniusto , est peccatum mortale ex genere. *In octauo*, offendere eum verbis, vt mendacio pernicioso , contumacia , detractione , maledictione , susurratione , irrisione est peccatum mortale ex genere, *Nonum* autem & *decimum* præceptum reuocatur ad sextum ; & septimum. Addi possunt quatuor peccata capitalia non comprehensa in præceptis, vt superbia, gula, ira, inuidia.

Notandum est tertio , pro alijs præceptis duo præcipuè esse considerandа: *primo* vim præcepti ex verbis adiunctis: si enim sit præceptum Diuinum, ponderanda sunt verba: nam si significent actionem esse dignam morte, excludere à regno esse execrabilem, & similia; indicant esse peccatū mort. secū, si verba sint mitiora. Si præceptum sit humanum, tunc consideranda sunt verba, an sint præceptiua, an habeant adiunctam pœnam grauem , vt censuram, mortem, amissionem bonorum, exilium Denique si lex scripta non sit, habenda est ratio consuetudinis, traditionis, consensus Doctorum, luminis naturalis.

Secundo est consideranda materia præcepti, an sit necessaria ad charitatem Dei, vel proximi, an lædatur virtus necessaria ad salutem, vt Theologicæ, religio, iustitia, & similes : an noceat sibi grauiter in rebus spiritualibus vel corporalibus.

Notandum quarto, quæ sint ea quæ excusant à mortali; *Primo* enim est leuitas materiæ, vt patet maximè in furto, contumacia, detractione, motibus sensualitatis, & similibus. *Secundo* indeliberatio, defectus rationis, inaduertentia, consensus in parte inferiore, id est, rei malæ , vt habet tantùm rationem delectabilis, commodi, &c. non in superiore, id est rei malæ, vt cognoscitur esse contra legē Dei, prohibitā, &c. *Tertio* excusat ab omni peccato ignorantia probabilis, dispensatio iusta præsertim in præceptis humanis, & in nōnullis diuinis affirmatiuis, vt voto, iuramēto, &c. *Denique*, necessitas , & rationabilis causa , vt in furto, homicidio ex inculpata tutela , obseruantia diei festi, & simili-

similibus; excipe sextum præceptum; in quo nec sanitatis, nec vitæ necessitas excusare potest: excipe etiam cultum Idoli, periurium, & si quæ alia similia sint.

ARTICVLVS II.

De speciebus, numero, & circumstantijs peccatorum.

QVOAD secundum de speciebus, numero, & circumstantijs peccatorum. *Primò* de speciebus tria cognoscenda sunt. *Primum* esse necessario explicandas in Confessione ex Trid. *sess. 14. cap & cant. 7*, propter diuersum iudicium, quod causant, ob diuersam curationem, & sati-factionem proportionatam, quam requirunt. *Secundum*, per species diuersas intelligi tum peccata contra præcepta, tum contra diuersas virtutes in eodem præcepto, tum eas, quæ pendent ex fine circumstantijs mutantibus speciem, vt si quis furetur ob homicidium, si perpetiat Sacerdotem, &c. *Tertium* aliquando circumstantiam facere de veniali mortale, etiamsi non mutet speciē, vt futurum in magna quantitate; ideo si quis obligatus esset manifestare talem circumstantiam, vel aliam mutantem speciem, teneretur illam confiteri, & si quidem ea declarari sufficienter potest absque mentione peccati, cui connexa erat, vt quando finis esset circumstantia, satis erit, sin minus cogetur etiam consequenter repetere peccatum, vt communiter accidit.

Secundò, de numero scienda sunt quinque. *Primùm* est necessariò explicandū in Confessione ex Trident. *loc. cit. ijs verbis*, omnia & singula: omnia enim refertur ad species, singula ad numerum. *Secundum* hunc modum videri expeditissimum, vt *primo*, si numerus facta morali diligentia constet, dicatur certus. *Secundò*, si non constet dicatur probabilis plus minus. *Tertiò*, si nequeat haberi possit, dicatur consuetudo, tempus, & frequentia in die, hebdomada, mense. In confessionibus meretricis præterea quæratur peccatum contra naturam, cum Religiosis, ob distinctam malitiam, & obligationem restituendi, idem cum filijsfam. quoad restituendi obligationem.

Tertiò

Tertium, quod est sciendum de numero, est, quomodo peccata interna multiplicentur numero. Et breuiter dicendum est, multiplicari per interruptionem interposito aliquo tempore regulariter. Et quidem quando sunt circa idem obiectum materiale, vt eandem personam, satis est in ordine ad confessionem, dicere moram temporis, in ea enim confusè explicatur numerus humano modo & possibili: quando autem est circa diuersum, vt circa diuersas personas, etiam hæ numerandæ sunt.

Tripliciter autem interrumpuntur. *Primò*, per contrariam voluntatem. *Secundò*, per voluntariam cessationem ab illo actu, & diuersionem ad alia. *Tertiò*, per cessationem inuoluntariam, sed interposita aliqua mora notabili; vt hora; atque ita per somnum, vel naturalem vagationem interrumpitur prior cogitatio, si deinde post horam denuo ad idem cogitetur.

Quartum quod est sciendum, peccata multiplicari eodem modo: quando enim est vnus actus externus continuatus etiam si multi sint interni repetiti, est vnum peccatum, vt si in itinere ad homicidium sæpius voluntas renouetur. Quando item sunt multi externi, vnus post alium, pendentes ab interno, efficiunt vnum peccatum; siue non habeant malitiam ex se; vt cum quis surgit è lecto, parat ensem, exit domo, &c. vt occidat: omnes enim illi actus habent malitiam homicidij; siue habeant eiusmodi malitiam, vt in præparatorijs ad actum carnis consummatum: sunt enim partesquædam illius. Idem dic de actibus post actum consummatum (nisi fortè referrentur ex intentione ad alium) quia illi habent se sicut complementa quædam actus consummati.

Quintum & vltimum est, in vno actu physico possunt esse multæ morales malitiæ numero distinctæ, vt si vno ictu quis occidat tres, vna blasphemia maledicat duodecim Apostolos, secundum aliquorum opinionem, vna voluntate velit occidere tres. Et quamuis non esset distinctio numerica, tamen est circumstantia notabiliter aggrauans, & explicanda in confessione, vt infra dicetur

Tertiò, de circumstantijs duo notanda sunt. *Primum*, esse quadruplices. *Primæ* dicuntur impertinentes, vt si die,

vel noctu quis peccauit. *Secunda* minuentes; vt si peccauit inductus, si virgo indigens, & huiusmodi. *Tertia*, aggrauantes notabiliter in eadem specie, vt furtum in magna quantitate. *Quarta*, mutantes speciem, vt circumstantia loci sacri, personæ & similes.

Ex his ergo *prima* debent omitti. *Secunda* possunt. *Tertia* probabilius explicãdæ sunt, tum quia Ecclesia sæpè reseruat peccatum habens circumstantiam tantum aggrauantem, vt furta & damna certæ quantitatis, teste Nauarro. Ecclesia autem non reseruat nisi ea quæ sunt de necessitate confessionis, tum quia si confessarius interroget, vt potest ex officio, tenetur pœnitens dicere veritatem: interrogatio autem non addit nouam obligationem, sed eam supponit: ergo etiamsi non interroget, tenetur. *Quarta* autem omnino aperiendæ sunt.

Nota Secundo, has circumstantias esse septem. *Prima* (QVIS) vt si persona sit sacra, coniugata, publica, habens officium. *Prima* enim pertinet ad Religionem, secunda & tertia ad iustitiã. *Secunda* (QVID) id est, conditiones materiæ, vt quantitas, qualitas personæ in quã peccatur, vt si esset clericus, coniugata, superior. *Tertia* (VBI) id est, an locus sacer, & publicus. *Quarta* (QVIBVSAVXILIIS) vt, an habuerit socios in aliquo delicto, complicem, eosque induxerit. *Quinta* (CVR) in quo significatur finis extrinsecus, vt si furatus est ob homicidium. *Sexta* (QVOMODO) significat accidentia, vt si infamauit mentiendo, an dicendo verum occultum. Huc etiam referenda est intentio, ignorantia, malitia, contemptus, consuetudo. *Septima* (QVANDO) id est, duratio extraordinaria: dies festus non est explicandus, nec concursus duorum præceptorum in eandem diem, vt vigiliæ & quatuor temporum, Missæ ob festum, & Dominicam. Quod si essent præcepta diuersarum rationum, vt ieiunij ex præcepto Ecclesiæ, & voto, tunc explicanda essent. Item ieiunij, & feriæ sextæ, in qua quis carnes comederet: sunt enim præcepta diuersarum rationum.

ARTI-

ARTICVLVS III.

De Dispositione necessaria in pœnitente.

QVOAD tertium. Quæ dispositio necessaria sit in pœnitente, hæc explorari potest ex tribus, ex dolore, ex proposito, ex integritate confessionis.

Primo igitur circa dolorem tria adnotanda sunt. *Primum*, dolorem aliquem esse necessarium, qui saltem sit attritio cognita; quia enim non extat præceptum, quod debeamus accedere ad hoc Sacramentum absque conscientia peccati mortalis, & Sacramentum habet vim faciendi de attrito contritum, sequitur satis esse attritionem etiam cognitam pro dispositione sufficienti ad effectum principalem Sacramenti; qui est remissio peccati mortalis, & infusio gratiæ: debet autem esse vera attritio, non tantum existimata, ita vt excludat voluntatem peccandi, & includat propositum absolutum non peccandi formaliter, vel virtualiter: & præterea supernaturalis, & proueniens ex principijs gratiæ, ex aliquo scilicet motiuo diuino, & supernaturali, vt docet Tridentinum.

Secundum, ipsam accusationem peccatorum seriò factam, præsertim in bene morato, esse sufficiens signum doloris: quod si præterea pœnitens dicat se dolere, potest ei tutò credere confessarius. *Tertium*, quando non appareret signum sufficiens, explorandus esset dolor interrogatione aliqua, & ad illum pœnitens impellendus proposita grauitate peccati ex pœnis inferni, expulsione Angeli è Paradiso cœlesti, Adami ex terrestri, & alijs huiusmodi. In pueris & rusticis id solet frequentiùs euenire.

Secundo, circa propositum notanda sunt quinque. *Primum*, signum sufficiens pro dolore esse etiam pro proposito, nisi requireretur particulare propositũ ex aliqua restitutione facienda, vel occasione proxima vitanda. *Secundum*, vitandas esse comparationes in particulari ad explorandum propositum: satis enim est si Confessarius iudicet probabiliter pœnitentem, quando actu confitetur, habere propositum non peccandi de cętero, vnde non opus est vt sibi persuadeat pœnitentem non amplius peccaturum,

vel

vel saltem per aliquod breue tempus non relapsurũ in eadem peccata: quamuis enim hæc euentura putaret, potest eum absoluere, modò cognoscat habere actu propositum non peccandi. *Tertium* quãdo adest specialis obligatio restituendi, tunc si commodè potest pœnitens, prima vel secunda vice satis est quod promittat, nec est vrgendus ad realem restitutionem, nisi ex circumstantijs probabile dubium oriretur, restitutionem non esse faciendam: si verò ter, vel quater non impleuisset, adigendus erit ad realem restitutionem ante absolutionem secluso scandalo, vel offensione magna pœnitentis: quamuis si certò constaret ex circumstantijs illum restituturum, posset absolui: quod si non possit, tunc satis est, quod proponat se restituturum, cum ad pinguiorem fortunam venerit. *Quartum*, quando adest specialis obligatio, ex occasione videlicet aliqua proxima, non est absoluendus nisi proponat eam se relicturum; si non reliquerit, faciendum, vt dictum est de restitutione.

Ad hoc autem vt censeatur occasio proxima; duo præcipuè necessaria sunt. *Primum*, vt sit voluntaria, vnde quando moraliter vitari nõ posset nõ diceretur voluntaria. *Secundum*, vt vel ex suo genere talis sit, quæ frequenter inducat homines similis conditionis ad peccandum, vel vt constet experimento in tali homine habere talem effectum. In particulari si quis haberet domi concubinam, nec quidem prima vice absoluendus esset, nisi ea prius realiter dimissa, regulariter loquendo. *Quintum*, cum recidiuis, si semper verè doleant, & firmiter proponant, absolui possunt, multò magis si adhibeant remedia, & ex fragilitate reincidant: item si diminuant saltem numerum, si aliquoties resistant, si consuetudinem interrumpant, aliquando differri posset absolutio suauiter ad id inducto pœnitente.

Tertiò, circa integritatẽ, in ea satisfacere sibi debet Cõfessarius: id autem ex his poterit consequi. *Primò* ante confessionem agnoscat statum pœnitentis, vt si mercator est, miles, &c. *Deinde* tempus vltimæ confessionis, & an paratus accedat, Impedimentum autem inimicitiæ, casus reseruati, excommunicationis non est opus petere: satis erit id agnoscere in progressu confessionis. *Secundo*, si

ex circumstantijs personæ, & confessionis probabiliter existimet fuisse integram, non tenetur interrogare, multò magis si pœnitens dicat, se nihil habere post diligentem præparationem, si verò putet non esse integram, tunc tenetur eum interrogare de ijs, quæ probabiliter cadere possunt in pœnitentem: non sit autem nimius in sexto præcepto præsertim cum pueris & fœminis. *Tertiò*, quando aduertit confessionem non esse integram etiam materialiter, tenetur efficere vt integra sit ratione officij: quando autem non est integra formaliter, si quidem via secreta id nouit post prudentem interrogationem, tenetur iudicare secundum acta & probata in illo foro: si autem publica via, potest ea apertè vti: quod si neget, & euidens illum mentiri contra integritatem confessionis, non debet illum absoluere: si non sit euidens, potest absoluere, & credere ab eo negari quia non tenetur illud confiteri, quia scilicet antea id confessus sit.

ARTICVLVS IV.

De peccatis quæ habent adnexam obligationem restituendi.

QVOAD quartum, quæ scilicet peccata habeant adnexam obligationem restituendi. Dico vt plurimum esse illa, quæ fiunt contra iustitiam commutatiuam, inter quæ communiora sunt tria. *Primum*, est iniustitia circa bona externa per furtum. *Secundum*, iniustitia circa bona corporis, vt vitam & membra per homicidium, vel mutilationem. *Tertium*, circa bonũ famæ per detractionem.

Primò ergo circa restitutionem bonorum externorum quatuor præcipuè cognoscenda sunt. Quis debeat restituere? Quid? Cui? & Quando?

Primum (QVIS) id est persona, quæ multiplex est. Prima damnificans, vt fur, homicida, detractor; in quo debet esse culpa ad hoc, vt teneatur ad damnum secutum ex proprio facto: item mortalis, eaque oriri ex dolo, vel culpa lata. Reliquæ personæ sunt nouem, & dicuntur cooperantes comprehensæ ijs versibus:

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Ex

Ex quibus primi sex dicuntur cooperatores directi, & positiuè, reliqui indirecti, & negatiuè. Circa quos.

Nota primo, cooperatores quoscunque satis esse si sint causæ, cum quibus, & per quas fit damnum, etiamsi non sint causæ sine quibus non damnum fuisset illatum. Item omnes teneri insolitum, quando sunt causa efficax totius damni; hoc est ad totum damnum secutum. Principaliter autem si quidem actio sit lucratiua, tenetur ille qui habet rem alienam; si verò tantùm est illatiua damni, vt homicidium, &c. tunc primo loco tenetur mandans, postea executor, deinde cõsultor, & cæteri suo ordine in defectum principalis.

Nota Secundo, cooperatores positiuè teneri, quando sunt causa efficax damni secuti, & mandans quidem siue expresè siue tacitè, tenetur, nisi reuocet mandatũ ante executionẽ, vt innotescat talis reuocatio mandatario; non sic tenetur is, qui ratum habet delictum suo nomine, factum. Consulens etiam tenetur, nisi remoueat voluntatẽ eius qui consilium petijt, vel curet quantùm potest, ne sequatur damnum, admonẽdo tertium de periculo: si consilium datum sit ex ignorantia, debet esse culpabilis mortalirer ad hoc, vt ex illa teneatur. Consentiens debet esse talis, vt ab eo pendeat damnum, siue antequam detur, siue in ipso actu illud inferendi. Deniq; receptator debet esse talis, vt ex eo alius animetur, saltem ad damna inferenda: si id sit, etiamsi sit consanguineus, vel amicus, tenetur.

Not. Tertio, cooperatores negatiuè teneri, quando possunt impedire, & non faciunt, cum tamen ad id teneantur ex officio: vt quia sunt consultores, superiores, custodes & similes. Debet autem negligentia, ex qua id omittunt, esse grauis, ad hoc, vt ex ea teneantur restituere.

Secundum, quod cognoscendum est, est quid restituendum sit. Pro qua re primò sciendę sunt quatuor radices remotæ restitutionis: eæ sunt. *Primo* vel ex cõtractu, vt muto, vendito, locato: vel ex quasi contractu, vt negotijs gestis, tutoria officio publico: hi enim etiam obligãtur, acsi fuisset pactum inter eos. Vel ex delicto, vt furto, homicidio, & vel ex quasi delicto, vt cùm quis lædituir non dolo, sed ex imprudentia, negligentia, ignorantia culpabili.

Secundo, tres aliæ radices magis proximæ. *Prima* ex iniusta

iusta acceptione tantùm, ex qua oritur illa regula: Quicũque est causa iniustæ acceptionis, vt furti, vsuræ, homicidij, infamiæ, &c. tenetur insolidum ad restitutionem. *Secunda*, ex re accepta tãtùm, ex qua oritur hæc regula: Quicunque habet rem alienam, tenetur eã restituere: & si quidem habeat mala fide, tenebitur ex vtroque: illa enim retẽtio dicitur iniusta quædã acceptio: si verò bona fide, tũc si habet illam in se ipsa, tenetur reddere, si non, tenetur ad id, in quo effet factus ex illa ditior, vt in maiori pretio, ꝙ accepisset ex eius alienatione, vel in rebus proprijs: quas non consumpsit: alioqui consumpturus, si rem alienam nõ habuisset. *Tertia radix* est ex vtraque, id est, ex re accepta, & ex iniusta acceptione, ex qua oritur tertia regula: Quicũque est causa iniustæ acceptionis, & retinet rem alienã, tenetur ad reddendam rem, fructus eius tum naturales, tum industriales mixtos, & damna secuta.

Tertio cognoscenda est differentia inter primam, & secundam radicem, quæ triplex est *Prima*, Qui tenetur ex re accepta tantùm, si ea casu perit, vel sine culpa eius, qui retinet, ad nihil tenetur: qui verò ex iniusta acceptione, tenetur. *Secunda*. Qui ex re accepta, tenetur tantùm ad fructus extantes vel in se, vel in alio, quatenus est ditior ex illis: qui verò ex iniusta acceptione, etiam ad fructus perceptos, & qui percipi potuissent. *Tertia*, Qui ex iniusta acceptione, tenetur ad damna secuta, & lucra quæ cessarunt damnificato, non ita qui ex re accepa.

Tertium, est persona, cui facienda est restitutio. De quo Dicendum est primò. Si Dominus est certus & notus, illi facienda est restitutio, vel hæredibus eius. *Secundo*, si certus est, sed ignotus, tunc fiat diligens inquisitio: ea facta si non reperiatur, danda est pauperibus, sub quibus veniunt omnes indigentes, loca pia, consanguinei pauperes: ipsemet etiam debitor si pauper sit. *Tertio*, si dominus sit incertus, siquidem id sit, quia ex tribus vel quatuor ignoratur verus Dominus, tunc res restituenda de consensu ipsorum, vel sorte cui obtigerit: si quia est cõmunitas aliqua, vel aliqui ex ciuitate, vt contingit in ijs, qui fraudant in põdere, vel mensura, vel pretio, tunc tãtum augendũ erit pondus, vel mensura, quantum est diminutum; si denique sit incerta persona particularis, tunc post diligentiam sufficientem si non reperiatur, danda est pauperibus.

Quartò, bona incerta possunt esse tribus modis.

Primo, quia nullum habent dominum, vt gemmæ, lapilli in littore maris, feræ, &c. huiusmodi. Et hæc iure primò occupantis, nec restituenda sunt.

Secundò, quia probabiliter non habent de præsenti, q thesaurus; & tunc si arte magica inuentus sit, debetur fisco, vel Principi, si lex faciat inhabilem inuentorem, si minus, non debetur nisi post sententiam: si verò sit inuentus bonis artibus, tunc si locus in quo repertus est, sit inuentoris, totus est ipsius iure communi; si alterius, dimidium domini loci, & dimidium inuentoris, modò casu inuentus sit: nam si ex industria, & cum licentia domini, totus est inuentoris; si sine licentia, totus domini saltem post sententiam.: nam antea potest in conscientia retinere.

Tertiò, quia sunt amissa, quamuis habeant dominum probabiliter, & tunc si facta diligentia dominus non inueniatur, communior opinio est, quod sint danda pauperibus: probabilis tamen etiam est, posse retineri ab inuentore.

Dicendum est quinto. Turpiter accepta, id est, proficiendo actu turpi, vt meretricio, homicidio, sententia, iniusta, &c. si actus non fiat, reddenda sunt danti in conscientia; si factus sit, retineri possunt. Accepta per ludum etiam aliàs lege humana prohibitũ, modò absint fraus & dolus, quæ sint contra leges ludi, & absque notabilis inæqualitate, & cum persona habili, non sunt restituenda in conscientia; nec etiam quæ pecunia credita, si victus vtatur beneficio legis, tunc essent restituenda: denique accepta per simoniam realem, item per data & promissa pro gratia, vel iustitia obtinenda apud sedem Apostolicam restituenda sunt Ecclesiæ, vel pauperibus.

Quartum est, quando sit facienda restitutio, & Dicendum *Primo*, quoad animi præparationem, statim faciendam esse; quoad realem, quamprimùm commodè fieri potest. *Secundo*, si ter vel quater quis promisit restituere, & non restituit, dic vt supra cùm de proposito *Tertio*, non est restituendum cum damno bonorum altioris ordinis, vt vitæ, famæ, sanitatis; nec etiam cum graui damno bonorum eiusdem ordinis modò ex hoc nõ sequatur æquale

damnum

damnum in creditore, tunc enim præponendus esset creditor. *Quartò*, neque cum iactura status, quando est iustè acquisitus, quamuis benè cum diminutione citra notam paupertatis.

Secundò principaliter circa restitutionẽ bonorum corporis: Hæc triplicia sunt, vita, integritas corporis, & integritas claustri, quæ violantur per homicidium, mutilationem, & stuprum. *Primò* ergo homicida ad duo tantùm tenetur. *Primum*, ad expensas factas in curatione vulneris ante mortem. *Secundum*, ad damnum temporale vitæ, quantũ æstimabitur spes illa vtilitatis & lucri q̃ allaturus erat, detractis ijs, quæ ipse consumpsisset in victu, & vestitu. Æstimatio autem debet fieri arbitrio boni viri, & hæredes, quibus faciẽda est restitutio, debent esse ij, qui censeantur vna persona cum defuncto, vt parentes, filij, & vxor occisi: quare fratribus, creditorib⁹, & alijs nõ tenetur. Ad damnum autem naturale vitæ non tenetur occisor, quando occisus est homo liber, sed tantum ad petitionem veniæ; si autem sit seruus, tenetur domino quantum vita serui æstimabitur. Deinde excusatur à restitutione, quando occisus remittit debitum, quando erat aliàs iustè occidendus, vt per iustitiam, quando prouocasset ad duellum, quando fuisset aggressor, & aggressus non excessit fines inculpatæ tutelæ notabiliter.

Secundò, mutilator, vel alius percutiens iniustè, ad tria tenetur. *Primò*, ad expensas in curatione vulneris. *Secundò*, ad æstimationem spei illius lucri, quod facere poterat, detractis expensis. *Tertiò*, ad æstimationem damni, quod ex hoc secutum fuisset. Pro deformitate autẽ cicatricis relictę non tenetur, si mutilatus fuit liber homo; si seruus, tenebitur vt suprà.

Tertiò, stuprator, si virgo liberè consentit, ad nihil tenetur secundum probabilem sententiam, securius tamen est Confessarium semper aliquid imponere in satisfactionẽ. Si vi, fraude, fallacijs inducta, tenetur, *primò* ad cõiugium; si promisit. *Secundò*, ad reparationẽ damni ex stupro, quãtum æstimabitur arbitrio boni viri. *Tertiò*, ad dotem, si iudex ad id eum condemnarit. Pro sola autem iniuria ipsi virgini illata satis est petere veniam.

Quartò, adulter (hic enim affinis est stupratori) pro

iniuria illata marito ad nihil tenetur, nisi ad petitionē ve-
niæ, si maritus adulterium resciat. Quod si partus etiam
sequatur, & adulter certò putet prolē esse suam, *Primo*, te-
netur ad alimenta à tertio anno, donec sibi prouidere pos-
sit de alimentis. Adulteta autem tenetur à partu vsque ad
tertium annum completum. *Secundò*, ad restitutionē ha-
reditatis, quam illegitimus accipit cū alijs filijs legitimis;
quod si habeat probabiles rationes dubitandi, quod proles
sit sua, ad nihil tenebitur. Simili modo adultera etiam si
non teneatur manifestare delictum marito, aut proli, nisi
moraliter certa esset auferendi damnum ab alijs filijs, &
quod nullum sibi periculum vitæ, vel infamiæ sequeretur;
obligatur tamen ad curandum quantum potest, vt legiti-
mi hæredes non patiantur damnum, dando illis bona pa-
raphernalia, si quæ habeat, relinquendo illis lucra ex suo
labore, & industria inducendo illegitimum ad religionem
si aptus sit. Præter hæc ad nihil tenetur.

Tertiò, principaliter circa restitutionem famæ quatuor
præcipuè scienda sunt. *Primum*, famam duplicitèr lædi,
imponendo alteri crimen falsum, & manifestandum verū
occultum contra ordinem iuris, vel fraternæ correctionis.
Id autem fieri potest primò directè, & ex intētione, quę est
detractio formalis. *Secundo*, in directè, ex negligentia, &
loquacitate, quæ est detractio materialis.

Secundum, ad restitutionem requiri, *Primò*, vt materia sit
grauis regulariter. *Secūdo*, vt defectus sit moralis; naturalis
non inducit obligationem, nisi in casu, quo existimaretur
ob id persona, de qua refertur; contemnenda ab auditori-
bus. *Tertiò*, vt sit talis qui iudicetur notabiliter lædere fa-
mam. *Quarto*, vt sint peccata specialia regulariter. *Quin-
to*, vt fama verè sit ablata, & non restitura alia via. *Sexto*, vt
non sequatur ex restitutione maius malum, detractori, vt
periculum vitæ, vel maius damnum in fama propria aut
aliena.

Tertium, qui refert peccata alterius audita absque asse-
ueratione, vel detrahit materialiter, regulariter non tene-
tur; nisi in casu, quo referrentur ea ratione, vt meritò au-
dientes inducantur ad sentiendum malè de proximo. Qui
verò audit, si teneatur ex officio impedire, vel excitet, aut
animet alium ad detrahendum, obligatur ad restitutionē.

Sectio

Secus, non tenetur, etsi peccare possit complacendo sibi deliberatè de detractione ob prauum affectū erga eum, de quo detrahitur. *Quartum*, qui infamauit dicendo falsū, tenetur dicere se falsum dixisse; qui verò manifestando verum occultum, laudet, & honorificè loquatur de eodē in ijs quibus detraxit.

ARTICVLVS V.

De peccatis, quæ habent adnexam reseruationem vel censuram.

QVOAD quintum, quæ scilicet peccata habeant adnexam reseruationem, vel censuram; *Primo* scienda sunt aliqua circa reseruationē peccatorum. Ea autem sunt *primum* peccata venialia non posse ita reseruari, vt maneat obligatio ea confitendi; possent tamen ita, vt non possint sacramentaliter remitti, nisi a tali, vel tali ministro: sed tūc inutilis esset talis reseruatio, cum sine culpa omitti possint à pœnitente.

Secundum, peccata mortalia merè interna, etiamsi possint reseruari ab Ecclesia, non tamē esse in vsu; externa verò & possunt & sunt in vsu; nō quidē omnia: id enim nō esset expediens; sed aliqua grauiora: quod etiā verum est respectu Religiosorū, vt colligi potest ex decreto Clemētis VIII. præscribentis casus reseruatos pro Religiosis.

Tertium, reseruari posse peccata, etiāsi non habeant excōmunicationem adnexam, quod in reseruatis ab Episcopis vsu cōstat. Item in reseruatis multis à Prælatis Religionum. A summis autem Pontificibus regulariter non reseruantur peccata sine censura. Et quidem Episcopis iure cōmuni, quāuis nonnulli casus videantur reseruati, vt *Primo* peccata, quæ habent adnexam pœnitentiam publicam, vel excommunicationē maiorem, vel irregularitatē. *Secundo*, incendiarius. *Tertio*, publica blasphemia. *Quarto*, homicidę voluntarij, falsarij, violatores Ecclesiasticę immunitatis, & sortilegi. Attamen verius est nullos esse reseruatos secluſa consuetudine, ex qua, quinam sint reseruati, pendet ex locorum peculiarium cognitione.

Quartum, in articulo mortis quemlibet sacerdotē posse absoluere quibuscunque reseruatis per propriam iurisdictionem illi tributam; & si quidem non habeant censuram adnexam, non remanet obligatio in absoluto com-

parendi coram superiori legitimo: si verò habeant aditum & tam censuram, remanet onus ad comparendum coram superiore. Extra articulum talem nullus inferior potest absoluere directè à reseruatis.

Quintum, quoad modum absoluendi, quando superior audit tam reseruata, tenetur absoluere ab omnibus: sine causa graui non potest auditis tantùm reseruatis ab illis absoluere, remittendo pro alijs ad inferiorem, quia non debet dimidiari confessio sine causa, cùm integritas sit de iure Diuino. Quoties autem id licitè fit ex tali confessione, perficitur verum Sacramentum: est enim talis cõfessio semper integra formaliter: alia quæ fit inferiori de non reseruatis, est omnino integra, cùm reseruata iam sint directè absoluta, atque adeo non sint iterum subijcienda clauibus; quamuis alij dicant esse subijcienda, vt vni fiat integrè de omnibus. Quando verò inferior audit pœnitentem habentem reseruata, sine causa necessaria nõ potest, neque à non reseruatis absoluere, vt dictum est suprà, cùm de potestate, cum tali causa potest. Debet autem tunc omnia audire, etiam reseruata, cùm circa omnia debeat pœnitens esse benè dispositus, eamque dispositionem examinare pertineat ad confessionem. Hæc circa reseruationem.

Secundo, scienda sunt aliqua de censuris.

Et quoad censuras in communi. *Primò*, sciendum est, censuram esse pœnam Ecclesiasticam spiritualem fori cõtentiosi, qua spiritualium vsus interdicitur, vt à contumacia discedatur. Eius ferendæ potestas est à Christo, institutio autem ab homine Ecclesiastico, qui si ferat illam per constitutionem modo quodam permanente, dicitur talis censura à iure; si per sententiã & modo quodã transitorio, dicitur ab homine. *Secundo*, non incurritur nisi ob peccatum mortale, adiuncta contumacia, id est inobedientia contra Ecclesiam, suspensioni tamen aliquando etiam potest esse satis culpa venialis, quãdo fertur ab homine generaliter.

Tertiò, excusat ab ea ignorantia probabilis, vel ipsius censuræ, vel quod talis actio, cui adiuncta est censura, sit peccatum, vel quod prohibita sit ab Ecclesia sub tali censura. Sic etiam impotentia faciendi id quod præcipitur per censuram, vt soluendi debitum excusat. Quo-

Quoad excommunicationem maiorem. *Primò*, sciendum est, decem esse ipsius effectus. *Primo* enim priuat excommunicatum suffragijs communibus Ecclesiæ. *Secundò*, communicatione passiua Sacramentorum, quamuis per se, & vi sua non efficiat illa nulla. *Tertiò*, administratione actiua Sacramentorum, quamuis non annullet, nisi illud tantùm, quod requirit iurisdictionem ad suum valorem. *Quartò*, vsu ordinum ex officio, vt prius. *Quintò*, Ecclesiastica sepultura. *Sexto*, reddit personam incapacem, & ineligibilem ad beneficium Ecclesiasticum. *Septimo*, impedit acquisitionem dominij fructuum Ecclesiasticorum, eorumque administrationem. *Octauo*, priuat vsu iurisdictionis, tollendo iurisdictionem actualem tam in foro pœnitentiæ, quàm contentioso; tam Ecclesiastico, quàm ex probabiliore sententia, in seculari. *Nono*, excludit ab omnibus actibus forensibus sola sui defensione excepta, Vnde nec actor, nec testis, nec aduocatus, aut procurator esse potest: tenetur enim se abstinere ab his omnibus muneribus, & repelli potest, & debet, etiam si vitandus sit: quod si non repellatur, acta eius irrita non sunt. *Decimo*, prohibetur illi omnis communicatio ciuilis. Vnde nec contractus celebrare, nec testamenta condere, nec vti publico officio aut ministerio potest, licet non sint inualida omnia, quæ ab eo aguntur, nisi iurisdictionem requirant, & vitandus sit. Ad hunc etiam inducitur priuatio omnis communicationis politicæ, & humanæ, cum alijs fidelibus colloquendi, salutandi, &c.

Possunt autem hi omnes effectus reduci ad tres: ad priuationem communicationis in rebus spiritualibus, vt officijs diuinis, Sacramentis, &c. ad priuationem communicationis in rebus mixtis ex spiritualibus, & temporalibus, vt collationem beneficiorum, receptionem, &c. ad priuationem communicationis in rebus temporalibus, & ciuilibus, vt agere in iudicio, & vti humano conuictu, & consortio.

Secundo, sciendum est, solum excommunicatum non toleratum vitandum esse, qualis est, vel denunciatus nominatim, vel notorius percussor Clerici: occultus autem nō est vitandus à non excommunicatis, quamuis ipse teneatur alios vitare, & non se ingerere in aliorum conuersa-

tionem: quando autem requiritur à non excommunicatis, potest cum illis agere sine vllo peccato.

Tertio, sciendum est, excommunicatum vitandum esse in quinque casibus, contentis eo Versu:

Os, orare, vale, communio mensa negatur.

Ex quinque autem alijs causis posse cum illo agi sine vllo peccato, quæ etiam continentur eo versu:

Vtile, lex, humile, res ignota, necesse.

Quarto, tunc peccare mortaliter excõmunicatum, quãdo facit prohibita per excommunicationem, communicando cum alijs in rebus spiritualibus, vel mixtis, quę sunt illi peculiariter prohibitæ. Quod si communicaret tantum in rebus ciuilibus, non peccaret mortaliter. Ita etiam qui communicant cum ipso inprimis duobus, nisi excusentur aliqua ex dictis causis, peccant mortaliter; qui tantum in tertio, peccant tantum venialiter, semper tamen incurrunt excommunicationem minorem.

QVOAD excommunicationem minorem, tria scienda sunt. *Primum*, eius effectus duos esse. Vnum priuare vsu Sacramentorum passiuo, alterum efficere inhabilem ad electionem passiuam, ita tãtum, vt irritanda sit electio, non sit autem irrita ipso iure. *Secundum*, incurri tantum in vno casu, nempe in participatione cum denunciato, vel notorio percussore Clerici in tribus communicationibus dictis. *Tertium*, ab ea posse absoluere omnem sacerdotem habentem iurisdictionem.

Quoad suspensionem, tria etiam scienda sunt. *Primum*, eam conuenire tantum Clericis, non autem Laicis. *Secũdum*, esse duplicem, ab officio siue ordinis, siue iurisdictionis, siue administrationis, & à beneficio, id est, à iure percipiendi fructus ex beneficio. *Tertium*, suspensum non facere fructus in conscientia, ideoque teneri ad illos restituendos detractis necessarijs ad sustentationem, nisi aliunde possit viuere: sic etiam si per ipsum non stetit, quom nus absolueretur, facit fructus in conscientia.

Quoad interdictum tria etiam cognoscenda sunt. *Primum*, illud priuare vsu diuinorum actiuo & passiuo, id est officijs diuinis, Sacramentis, & Sepultura Ecclesiastica. *Secundum*, esse quadruplex, locale, personale, generale, & specia-

speciale. *Tertium*, quando est generale, conferri possunt tria Sacramẽta, Baptismus, Pœnitẽtia, & Eucharistia, saltẽ in articulo mortis: recipi autem possunt etiam ab interdictis, modò non sint specialiter interdicti, vel causam dederint interdicto. Sic etiam officia diuina celebrari possũt in Ecclesia, ianuis clausis, voce submissa, non pulsatis cãpanis, & excommunicatis, vel interdictis specialiter exclusis.

Quoad irregularitatem, sciendum est *Primò*, eam non impedire receptionem Sacramentorum præterquam Ordinis: si quis hunc reciperet, peccaret mortaliter, sicut etiã si ministraret, in suscepto. *Secundò*, duplex est, quædam ex defectu, quædam ex delicto. Illa sine vllo peccato incurri potest; hæc verò præsupponit peccatum, & quidem mortale. *Tertio*, vtraq; reddit inhabilem ad beneficia de nouo acquirenda, ita vt collatio nulla sit, receptis autem non priuat nisi per sententiam.

Tertio, scienda sunt aliqua circa absolutionem à censuris. *Primum*, absolutionem, quæ conceditur in foro pœnitentiæ per priuilegia mendicantibus concessa, & alia similia, nõ requirere alias ceremonias præter eas, quas sufficiũt ad Sacramentum pœnitentiæ. Forma autem illa, quæ præscribitur in *c. ex tenore, & c. de cætero de sent. excom.* seruanda etiam est in occulta absolutione, quantum ad ea, quæ cõmodè fieri possunt, vt est promissio parendi mandatis Ecclesiæ, & satisfaciendi, si satisfaciendum sit. *Secundum*, quãdo absoluendi facultas cõceditur alicui sub limitatione satisfacta parte, si is, qui absoluẽdus est, potest satisfacere, debet præmitti satisfactio; si verò nõ potest, sufficit cautio præstita, & propositũ satisfaciẽdi: ꝙ si Sacerdos absoluat ante satisfactionẽ, cũ possit pœnitens eã facere, absolutio erit irrita. Quando deniq; excõmunicatio nullã satisfactionem partis ipsius requirat, potest tolli absq; vlla satisfactione. *Tertium*, peccata quæ habent adnexam reseruationem absq; censura, nulla sunt iure communi. Episcopi solent nonnulla reseruare, vt blasphemiã publicam, inuocationem dæmonis, abortum, homicidium, incestũ, sodomiam, bestialitatem, & similia, quæ cognoscenda erunt in singulis diœcesibus, in quibus continget Confessarios morari: ab ijs enim neq; nostri Ordinis Sacerdotes possunt hos

tempore absoluere sine facultate Episcopi in Italia extra vrbem. In Religionibus etiam multi solent esse casus superioribus reseruati absque censura, quos cognoscere oportebit eum, qui ad confessiones eorum Religiosorum excipiendas deputatus erit. *Quartum*, peccata quæ habent adnexam reseruationem cum censura, sunt omnia illa, quę Papę reseruantur siue in bulla, siue extra bullã Cœna: sunt etiã alia nemini reseruata. Religiosi igitur priuilegiati Romæ degentes exceptis casibus contentis in bulla Cœnæ, à cæteris omnibus possent absoluere. Extra vrbem in Italia sunt etiam quinque casus ex declaratione decreti Clementis VIII. *Primus*, percussio Clerici in casu, quo est Papæ reseruata. *Secundò*, duellum in terminis Gregorij XIII. *Tertio*, violatio immunitatis Ecclesiæ iuxta Bullam Gregor. XIV. *Quarto*, ingressus in monasterium ob malum finem. *Quinto*, simonia realis completa, vel confidentialis. His addendi casus reseruati ab Episcopis, à quibus sine ipsorum licentia non possunt absoluere. Denique etiam seruandum vltimum Decretum S.D.N. Pauli Papæ V. circa casus reseruatos.

Quarto, scienda sunt aliqua circa excommunicationes in particulari. Nam confessarius debet saltem confusè scire excommunicationes à quibus potest absoluere, & inde habere intentionem generalem absoluendi ab omnibus à quibus potest. Eas autem, à quibus non potest absoluere, debet scire distinctius. Omnes autem excommunicationes reuocantur ad tres classes. *Prima*, comprehendit eas quæ nemini sunt reseruatæ. *Secunda* eas, quæ Papæ reseruantur extra Cœnæ Bullam, siue in corpore iuris, siue in Bullis Pontificum. *Tertia* eas, quæ reseruantur in Bulla Cœnæ. Et quidem eas quæ nemini sunt reseruatæ, sunt omnes numero ad 72. præcipuę autem; & quæ vsui veniunt, ferè 14.

Prima, contra occupantes bona, &c. Ecclesiarum vacantium *c. generali de Elect. in 6.*

Secunda, compellentes personas Ecclesiasticas, vt submittant bona Ecclesiarum Laicis, *c. 2. de rebus Eccles. non alien. in 6.*

Tertia, sepelientes hæreticos, excommunicatos, interdictos in loco sacro. *c. 2. de hæret. in 6. & Clem. 1. de sepult.*

Quarta,

Quarta, contrahentes in gradibus prohibitis, vel cum monialibus, vel personæ sacræ, aut religiosæ. *Clem. 1. de consang.*

Quinta, impedientes visitatores Monialium, si admoniti non desistant. *Clem. attendentes de stat. Mon.*

Sexta, imprimentes, mandantes imprimi, vendentes libros sine approbatione Superiorum. Leo X. *Bulla* 10.

Septima, raptores mulierum, & præbentes illis auxilium. *Trident. sent. 24. cap 9. de reform. matrimon.*

Octaua, cogentes ingredi mulieres in Monasteria; vel impedientes earum ingressum, vel ne liberè contrahant matrimonia. *Trid. sess. 24. cap. 9. de reform. matr. & 25. cap. 18. de regul.*

Nona, procurantes abortum fœtus animati. Sixt. V. *in bulla. Effrænatum cum moderatione Gregor. XIV. Sedes Apostolica.*

Decima, pro Ecclesiasticis. Alienantes bona Ecclesiastica, vel vltra triennium hypothecantes. *Extrauag. ambitiosæ. de rebus Ecclesiast. non alien.*

Vndecima, pro ijsdem. Audientes medicinam; aut leges, si sint Sacerdotes, vel habentes personatum, &c. *cap. super specula. Ne Cleric. vel Mon.*

Duodecima, pro personis publicis. Facientes statuta contra libertatem Ecclesiasticam. *c. nouerit. de sent. excommu.*

Decimatertia, pro ijsdem. Non adiuuantes Episcopos in clausura Monialium. *Trident. Sen. 25. c. 25. de regul.*

Decimaquarta, pro ijsdem Doctores, & Professores cuiusque facultatis non facientes professionem fidei in manibus Ordinarij. Pius IV. *Bulla* 12.

Quæ verò sunt reservatæ Papæ extra Bullam Cœnæ, sunt ferè 62. Præcipuæ sunt ferè septem.

Prima, Percussores Clericorum, Mandantes, &c. *cap. si quis suadente 17. quæst. 4.*

Secunda, Violantes interdictum sedis Apostolicæ. *Extrau. etsi Dominici. de pœn. & remiss.*

Tertia, Simoniaci in Ordine, vel beneficio. Item Simoniaci confidentiales. *Extrau. cum detestabile. de sim.* Pius V. *Intolerabilis* 87.

Quarta, Committentes duellum, consulentes, fauto-

res, &c. diffidentes, &c. Pius IV. *num.* 25. Gregor. XIII. & Clemens. VIII.

Quinta, Dantes vel accipientes pro gratia, vel iustitia apud sedem Apostolicam. Greg. XIII. *n.* 28.

Sexta, Mulieres ingredientes monasteria Monialium, vel Monachorum. Gregor. XIII. *n.* 75.

Septima, Extrahentes victualia, vt frumentum, blada, legumina, & oleum. Paulus V. *Inter grauissimas.*

Denique reseruatæ Papæ in Bulla Cœnæ omnes sunt *n.* 20. quæ memorię causa reduci possunt ad capita quinq;

Primo, ad fidem. Vnde excommunicantur omnes hæretici, schismatici, legentes, &c, vt in prima excommunicatione.

Secundo, ad caput Ecclesiæ, qui est summus Pontifex, quatenus potest offendi dupliciter. *Prima*, vt Princeps supremus in spiritualibus, & sic excõmunicantur appellantes ab eo ad Concilium in secunda. *Secundo*, vt Princeps in temporalibus certæ partis Orbis, & sic excommunicantur vsurpantes bona, & iurisdictionem ad ipsum pertinentę, vt in vigesima.

Tertio, ad Ecclesiam Christianam, quæ potest offendi, tum in suis personis & membris, vel per latrocinium maritimum, vt in tertia; vel per raptũ bonorum naufragãtiũ, vt in quarta; vel per impositionem onerum contra iustitiam, vt in quinta; vel per offensionem Romipetarum, vt in decima; tum in suo principatu, quomodo excommunicantur deferentes arma, &c. ad inimicos Christiani nominis, vt in septima.

Quarto, ad Sedem Apostolicam, quę offendi potest *Primo*, quoad personas, quæ sunt sub eius protectione, quales sunt deferentes victualia ad Curiam Papæ, vt in octaua veniẽtes ad eã pro negotijs, morantes & recedẽtes, vt in nona; & recurrentes ad illam, vt in duodecima. *Secundo*, quoad suam auctoritatem ver per falsificationem literarum Apostolicarum, vt in sexta; vt per appellationem à grauamine ad Laicam potestatem, vt in decimatertia, vel per vsurpationem bonorum Ecclesiasticorum, vt in decimaseptima.

Quinto, ad Ecclesiasticam Hierarchiam, quæ potest offendi; *Primo*, ratione principalium eius membrorum, quales

les sunt Cardinales, Nuncij, Episcopi, alij Prælati, vt in vndecima. *Secundo*, derogando eius auctoritati, vel per cognitionem causarum spiritualium à Laicis, vt in decimaquarta; vel per immunitatem fori, vt in decimaquinta; vel per recursum à iurisdictione Ecclesiastica ad Laicam, vt in decimasexta.

Tertio, derogando eius libertati, vel per impositionem onerũ personis, & bonis Ecclesiasticis, vt in decimaoctaua; vel per cognitionẽ causarum criminaliũ pertinentium ad Clericos, vt in decimanona. Atque hæc satis circa cẽsuras, & circa scientiam necessariam Sacerdoti tanquam iudici.

§. 2.

De scientia, Quatenus est Medicus.

Secundo, principaliter tanquam Medicus duo præcipuè scire debet. *Primum*, regulas communes, quibus excusari potest quis in præcepto, & à peccatato mortali, vt est ignorantia probabilis, inaduertentia, impotentia, leuitas materiæ: metus etiam grauis, vt infamiæ vel mortis excusat in quibusdam præceptis, præsertim, de iure positiuo humano. *Secundum*, quę remedia cuique peccato adhibẽda sint, quæ cognosci possunt tum ex Polanco *in Direct.* tum ex Costero *l. 2. suarum Christianarum institutionum.* Omnia porrò remedia eò tẽdere debẽt, vt peccatum præteritum curetur, & vt futurum caueatur.

§. 3.

De scientia, quatenus confessarius est Doctor.

Tertio, tanquam Doctor quinque præcipuè scire debet: *Primo*, de Sacramentis quid sint, quæ materia, quæ forma, minister, & effectus? *Secundo*, in particulari de pœnitentia & eius partibus, vt cõtritione, confessione, satisfactione, & absolutione multò plura, quã de reliquis. *Tertio*, de matrimonio impedimenta tum dirimentia, tum non dirimentia. *Quarto*, vsuram, & nonnullos contractus, vt emptionem, & venditionem, censum, cambium, societatem. *Quinto*, simoniam propter Ecclesiasticos. Hæc satis de secunda conditione.

CAPVT

CAPVT III.

De prudentia necessaria ad Confessiones.

QVOAD tertiam conditionem quæ est prudentia. Hæc posita est, tum erga pœnitentem, tum erga ipsum. Erga pœnitentem debet esse prudens, præcipue in sex.

Primò in examine faciendo, vt scilicet roget verisimilia secundum cuiusque statum, ne doceat simpliciores ignota peccata, ne si ex habitu & professione statum agnoscit, roget de circumstantijs, vt si sit Virgo, vel Monialis, ne pudefiat & fortè mentiatur.

Secundò, in monendo incauto pœnitente, si præuideat eum declaraturum complicem sine necessitate.

Tertiò, in relinquēdo illum in sua bona fide, quando ex manifestatione putat nihil se profuturum, vt in impedimento matrimonij.

Quarto, in confirmando se opinioni probabili in praxi ipsius pœnitentis, absoluendo illum, si iuxta eiusmodi opinionem absolui potest; non ita si sponte petat ad consilium.

Quinto, in applicandis medijs acommodatis pœnitenti, quæ ad duo dirigi debent. Primò, ad dolorem maximum peccatorum ex parte Dei offensi, summi boni, Optimi, Creatoris, Redemptoris, Benefactoris, &c. *Secundò*, ad propositum non peccādi de cætero, tollendo casus peccati, vt malam societatem, frequentationem talis loci, proponendo periculum mortis repentinæ, grauitatem ingratitudinis in recidiuo, & similia.

Sexto, in imponenda salutari pœnitentia, quæ debet esse accommodata peccatis, & pœnitenti, sed magis pœnitenti, declarando quanta deberetur eius peccatis, & cohortando ad maiorem.

Erga seipsum prudens esse debet. *Primo* in exquirendis caute circumstantijs sexti præcepti præparatorijs ad actum consummatum, modis minutis non necessarijs, ne se vel pœnitentem excitet ad aliquam tentationem.

Secundo, in vitando mutuo aspectu pœnitentis, præsertim

sertim si puer sit, vel fœmina; & nisi tabula interiecta sit, manus certè cum linteolo intercedat.

Tertio, in agendo rigidius cũ fœminis resocando superfluas narrationes.

In particulari autem quærat quispiam, qua prudentia agendum sit cum recidiuis?

Respondeo, & dico *primo*, confessarios non debere esse admodum difficiles in ijs absoluendis, tum quia vt plurimum in ijs non adest nisi remota occasio; tum quia non minus tenetur quisque vitare omnia mortalia, quam singula: & tamen si quis semper in aliquod mortale incidat, facilè solet absolui; tum quia propter hos pœnitentia est quædam Medicina, & alioqui *Matth* 18. interroganti Petro dictum fuit, *Non septies, sed septuagies septies*, ignoscendum esse fratri peccanti.

Dico secundo, Aliquando potest differri absolutio, quando probabiliter dubitaretur de necessario proposito, quando autem adest verus dolor, & efficax propositum semper absolui potest.

Dico tertio, Remedia duplicia sunt, quædam iuuant, ne quis reincidat; quædam postquam incidit, ne sæpius relabatur. Ante lapsum duo possunt. Primum, oratio aliqua breuis, vt illa: *Deus in adiutorium meum intende*: vel illa, *Cor mundum crea in me Deus*: vel *Fiat Domine cor meũ immaculatum*. Solet enim hæc reincidentia maximè contingere in peccatis carnis, vt mollitie, fortè enim ex tali oratione Deus miserebitur, & auxilium efficax concedet. *Secundum*, applicatio mentis ad aliquid, quod pœnitentem retrahere possit à peccato; vt consideratio mortis, inferni, paradisi, beneficiorum Dei, &c. iuxta propensionem pœnitentis: aliqui enim magis mouentur pœnis, quam beneficijs. Sic etiam aspectus alicuius imaginis, vt Crucifixi, Christi alligati ad columnam, mortis, vel moribundi, vel denique alterius rei efficacis ad id. Demum admotio alicuius rei, quæ dolorem inferat carni, vt digiti ad candelam accensam, acus ad carnem, & huiusmodi.

Post lapsum autem hæc iuuant. *Primo*, recitatio Psalmi, *Miserere*, flexis vel etiam nudis genibus. *Secundo*, deosculatio terræ, quinquies vel plureis. *Tertio*, ieiunium in sequenti die, vel aquæ potus in sequenti mensa. *Quarto*, flagel-

flagellum vel gestatio cilicij sequenti hora, vel vespere. *Quinto*, eleemosyna aliqua cara. Denique vt saltem post tertiam vicem redeat ad confessionem.

Dico quarto, hæc remedia omnia, vel eorum aliqua proponenda esse pœnitenti, vt ipse sponte assumat aliquod tamquam necessarium: verè enim ipse tenetur ad aliquod ex ijs assumendum; non tamen imponenda sunt à confessario ex obligatione, nisi habito prius suauiter consensu pœnitentis; alioqui ferè potius obsunt, quam prosint. Hæc de tertia conditione.

CAPVT IV.

De Bonitate requisita ad Confessiones.

QVOAD quartam conditionem, quæ est bonitas. Hæc nõ est necessaria ad valorem Sacramenti, nisi per bonitatem accipiatur ipsa fidelitas, id est, intentio conferẽdi Sacramentũ, tunc enim esset necessaria etiam ad valorem. Ad rectũ autem modũ illud ministrandi necessaria est aliqua bonitas, id est, dispositio debita, vt nimirum sit in gratia, vel breuia confessione, si agnoscat in se culpã mortalem, vel media contritione saltem existimata. Ad hanc autem pertinet solutio trium difficultatum. *Prima*, an confessarius teneatur admonere pœnitentem de statu, qui est ex se malus, vt si retineat rem alienam, vel habeat impedimentum irritans matrimonium, &c. Pœnitens autem bona fide existimat; vel rem esse suam, vel matrimonium validum esse.

Respondeo primo, Si ignorantia esset vincibilis, teneretur admonere secũdum omnes. *Secundo*, si est inuincibilis, nõ debet vnquam mentiri, nec confirmare pœnitentem in suo errore: si item ab eo interrogetur ex aliqua dubitatione, debet respondere secundum veritatem quantum satis est pro interrogatione. Tertio, tacere veritatem potest, quãdo non adest spes probabilis fructus, aut timetur scandalum vel graue incommodum pœnitentis: correctio enim fraterna non obligat, quando non est spes, vel cum tanto periculo: quando autem speraretur fructus absque scandalo, vel graui incommodo pœnitentis, tunc teneretur tam ratione officij, quam ratione correctionis fraternæ.

Secun-

Secunda difficultas, an quando adest varietas opinionũ; possit ac debeat confessarius sequi opinionem probabilem pœnitentis?

Respondeo primo, Quando confessarius iudicat pœnitentem non esse rectè dispositum ad absolutionem, tenetur sub mortali nõ absoluere. Cõtra verò, quando agnoscit esse dispositũ, non potest illi absolutionẽ denegare, esto non esset proprius pastor: quamuis enim ille, qui non est proprius antequam pœnitentem audiat, possit non ministrare illi pœnitentiam; attamen postquam audiuit, tenetur, si dignum eum inuenit, absoluere: alioquin iniuriam magnã inferret pœnitenti, obligando illum ad repetendam confessionem eorundem peccatorum.

Respondeo secundò Esto sint hac de re opiniones, tamen cõmunior & probabilior est, posse & debere confessariũ sequi opinionem in praxi probabilem ipsiusmet pœnitentis, quia pœnitens eum sequendo non peccat, & est rectè dispositus. & hoc totum constat confessario: ergo tenetur illum absoluere ex prima responsione. Quod verum est tã de Confessario proprio, quam non proprio: hic enim etiam tenetur absoluere pœnitentem debitè dispositum, vt dictum est.

Tertia difficultas, quid teneatur agere confessor, quando malè aliquem absoluit?

Respondeo. Duplici de causa potest malè absoluisse. *Primo*, quia inualidè. *Secundo*, quia cum peccato, sed validè. Potuit autem esse inualida, vel quia non habuit intentionem, vel quia non habebat iurisdictionem, vel quia agnoscens pœnitentem culpabiliter non esse dispositum, ipse tamen ob timorem videlicet, vel verecundiam, ne pœnitens offenderetur, illum absoluit. Mala autem & cum peccato esse potuit, vel quia non quæsiuit de circumstantia necessaria ex negligentia culpabili, vel quia non obligauit ad restitutionem, vel non admonuit cum posset & deberet, vel quia reliquit in occasione proxima peccandi.

Dico igitur primo. Quando nulla fuit absolutio, & pœnitens non propterea incurrit extremam necessitatem, si nõ potest eum reuocare, vel non nisi cum scandalo ipsius aut infamia propria, satis est confessarium dolere de culp. commissa, & commendare pœnitentẽ Deo; quia in sequẽte

con

confessione, quam faciet, absoluetur indirectè, & à peccatis antea confessis, quorum putat bona fide recspisse se absolutionem. Quando autem pœnitens propterea fieret in extrema necessitate, puto confessarium obligatum iri etiam cum proprio aliquo dedecore & incommodo, cui præferenda esset salus animæ pœnitentis; secus si nulla ratione eum posset reuocare.

Dico secundo. Quando fuit tantum cum peccato, regulariter ad nihil aliud tenetur, præterquam ad dolorem de peccato facto: quando autem esset eiusmodi defectus coniunctus cum damno, vel præiudicio tertij, vt quia pœnitens retinebat alienum, tunc teneretur Sacerdos eum reuocare, & admonere, quando positiuè contrarium dixisset, nempe eum non teneri ad restitutionem: quando autem tantum tacuisset, non teneretur. Hæc de quarta conditione.

CAPVT V.

De cura in seruando Sigillo Confessionis.

QVOAD quintam, de cura in seruando sigillo, quatuor præcipuè de eo cognoscenda sunt. *Primum*, ex qua confessione oriatur obligatio sigilli, & Dico oriri ex confessione Sacramentali perfecta vel inchoata, facta sacerdoti vero, vel ita existimato. Dixi, *Sacramentali*; quia ex illa, quæ fieret laico scienter, vel sacerdoti, etiamsi ex deuotione, vel humilitate, vt in periculo mortis, non oriretur hæc obligatio. Item ex ea quæ fieret Sacerdoti quidem, sed non animo se accusandi, sed potius animo decipiendi, vel inducendi peccatum, vt ad coniurationem, &c. non oriretur hæc obligatio. Dixi, *perfecta, vel inchoata*: quia ex hac etiam oriretur obligatio: talis esset ea quæ fieret Sacerdoti, qui deinde dignoscitur non habere iurisdictionem, vel non animo recipiendi absolutionem, sed tantum se accusandi in illo foro, & satisfaciendi præcepto. Item ea quæ fit superiori, à quo per se vel per confessa-

confessarium petit pœnitens absolutionem à casu reseruato, & alijs huiusmodi. Dixi, *Sacerdoti* vero, vel ita existimato: ad includendam eam confessionem, quæ fieret Sacerdoti qui fingeret se sacerdotem, cùm tamen reuera non esset; verum hoc est dictum probabiliter: ex sententia enim aliquorum orietur eadem obligatio; ex aliorum sententia non esset eadem, quia non adest verum Sacramentum in ea confessione.

Secundò cognoscendum est, quænã sit materia sigilli; & *Dico esse* quinque. *Primò* peccata omnia mortalia, & venialia in confessione audita. *Secundò*, omnes circumstantias, & obiecta peccatorum; integrant enim hæc ipsum peccatum. *Tertiò*, alia omnia, quæ dicuntur ad declarandũ peccatum, vel circumstantias ipsius. *Quartò*, ipsa peccata publica, quatenus in confessione audita sunt, dicũtur materia sigilli: semper enim fieret iniuria Sacramento, quod redderetur onerosum, quamuis fortè non fieret pœnitenti. *Quinto*, hæc omnia intelligenda sunt esse materiam sigilli, sed relata ad personam, & peccatorem; ita vt debeant seruari sub sigillo, ne detegatur persona, & peccator: alioquin ipsa peccata per se referri possunt, modò fiat cum prudentia, ne quoquo pacto possit agnosci pœnitens.

Ex his sequitur non pertinere ad sigillum dicere, talem sibi esse confessum, vel habere peccata venialia in genere, non exprimendo aliquod in particulari.

Tertiò, cognoscendum est, quæ personæ obligentur ad hoc sigillum

Respondeo obligari quinque personas. *Primò* est confessarius, ad quem reduco superiorem, quando ab eo petitur licentia casus reseruati. *Secundò*, interpres (vel nuncius, si fieri posset in absentia) de quo licèt sint opiniones, tamen probabilius est teneri, quia participat suo modo actum clauium. *Tertiò*, consiliarius, quem de licentia pœnitentis consulit confessarius, vel præsentem, vel post confessionem. *Quartò*, est is qui furtiuè audit confessionẽ alterius, vel etiam casu, tenetur etiam sub eadem obligatione. *Quintò* est is, cui confessor sacrilegus reuelauit peccatum alterius auditum in confessione: tenetur enim etiam is sub eodem sigillo. Vnde est regula generalis: *Omnis notitia habita ex confessione, siuè mediatè, siuè immediatè, transit ad*

quemcunque sub eodem onere, & manet sub sigillo. Cum pœnitente autem ipso non potest confessarius loqui, nisi de eius licentia.

Quartò, qua ratione seruandum sit huiusmodi sigillum?

Respondeo, esse seruandum *Primò* tam directè quàm indirectè: Vnde non potest confessarius dicere se talem non absoluisse; dicat, Non perfeci officium meum. Item non laudet aliquem ex multis. *Secundo*, est seruandum tam verbis, quàm signis aut factis. Vnde Episcopus, vel Sacerdos non potest publicè negare Eucharistiam, vel matrimonium ex scientia habita solùm in confessione. Item Sacerdos qui nouit aliquem excommunicatum ex confessione, non potest illi negare Eucharistiam, nec etiam priuatim. Potest quidem sub aliquo prætextu: sed si aliter effugere non posset, quàm significando notitiam ex confessione, potius debet illi conferre Sacramentum, quàm non seruare sigillum. *Tertio*, est seruandum in ordine ad quamcunque interrogationem, quæ fieri possit, siue extra iudicium, siue in iudicio, siue cum iuramento dicendi quæ sciuerit, siue non: nulla enim potest esse iniudica, & consequenter semper potest Sacerdos aquiuocare, & respondere iuxta mentem interrogantis. Atque hæc satis de conditionibus in confessione requisitis.

INTERROGATORIVM
Pro confessionibus longioris temporis.

PRIMÒ interroget tria. I. Tempus vltimæ confessionis; & an impleuerit pœnitentiam? II. Statum pœnitentis, an coniugatus vel solutus, mercator, miles, officialis, &c. III. Dispositionem, an paratus veniat? Cætera in progressu confessionis.

DEIN-

DEINDE INTERROGET CIRca Decem Præcepta hoc ordine.

CIRCA PRIMVM Præceptum,

QVINQVE.

I.

Circa Fidem.

An dubitauerit, consenserit, expresserit signo aliquo propter excommunicationem?

De prouidentia Dei præcipuè, animæ immortalitate, futura vita.

An sciat necessaria pro rudibus?

II.

Circa Spem.

An desperauerit, præsumpserit, tentarit Deum, spem totam in creatura reposuerit?

III.

Circa Charitatem.

An odio Deum habuerit ob legem datam, vel pœnam inferni impositam, mortem, &c.

An animauerit ratione debita, tempore debito, in periculo tentationis, vsu Sacramentorum?

IV.

Circa Religionem.

An orauerit aliquando, præcipuè occasione mortis spiritualis vel necessitatis proximi?

An Officium recitauerit, si est Sacerdos, Beneficiarius, &c.

An commiserit Sacrilegium in personis, rebus, locis sacris?

V.

Circa vitia opposita Religioni.

An fidem præstiterit Breuibus, superstitionibus, vanis obseruantijs?

An ijs vsus fuerit ad malum, vel bonum finem, vbi de maleficio, &c.

Circa secundum præceptum.

TRIA.

De Blasphemia.

An blasphemauerit Deum, Beatam Virginem, Sanctos, Creaturas?

Quomodo? an tribuendo Deo quod non habet, vel auferendo quod habet, vel tribuendo creaturæ, quod est Dei proprium, vel imprecando Deo aliquod malum, vel nominando membra turpia?

II.

Iuramento.

De veritate; an mendacium cum iuramento protulerit? De Iustitia; an promiserit facere quod malum est, vel nō facere quod bonum?

De Iudicio; an in discretè, & fine vlla causa ex temeritate iurauerit?

III.

De Voto.

Qua de re? an tardus in eo implendo?

An promiserit quod non est bonum? an fregerit, & quoties.

Videat an possit commutare, dispensare, &c.

Circa Tertium Præceptum.

QVATVOR.

I. De Missa in festis; an totam, vel notabilem partem, vt tertiam omiserit sine causa, vel cum magna distractione confabulatus sit?

II. De opere seruili, vel alio prohibito in festis pertēpus notabile; an ipse id egerit, vel alijs fuit causa, vt ipsi agerent?

III. De Ieiunio in Quadragesima, Vigilijs, &c. confessione annua, Communione in Paschate, & solutione decimarum.

IV. De Communicatione cum excommunicato non tolerato; vel an ipse communicatus participarit in diuinis?

Circa

Circa Quartum Præceptum.

SEX.

I. De dilectione proximi generali, & de signis communibus erga inimicos, remissione iniuriæ, & pace petita.

II. De beneficentia corporali, vt eleemosyna in necessitate extrema, vel graui, & de superfluis ratione status.

III. De beneficentia spirituali, vt correctione fraterna de peccato mortali, quando est spes emendationis, opportunitas personæ & temporis.

IV. De obligatione filiorum erga parentes. 1. in dilectione etiam externa, subuentione in necessitate, impletione, testamenti & legatorum. 2. in reuerentia, an maledixerint, percusserint, optarint mortem? 3. inobedientia in rebus pertinentibus ad gubernationem domus, ad bonos mores, & salutem animæ, & contrà.

V. De obligatione parentum erga filios, tum in cura, vt sciant res necessarias; tum quoad mores, permittendo eos malè viuere, vel præbendo malum exemplum.

VI. De obligatione viri respectu vxoris, in non afficiendo iniuria, non percutiendo, non negando debito, &c. & è contra vxoris respectu viri, in obedientia in spectantibus ad bonos mores, & gubernationem familiæ; in redditione debiti modo dicto, & cura, ne sua morositate & rixis blasphemare, vel maledicere faciat virum.

Circa Quintum Præceptum.

QVINQVE.

I. Si optauit sibi, aut alijs mortem, vulnera, infamiam, graue malũ: vel gauisus est de morte patris, fratris ob hæreditatem, vel ex inuidia, odio, &c. si morosè delectatus sit de vindicta, vel doluit de aliorum prosperitate?

II. Si protulit minas, contumelias ex ira, vel conuicia?

III. Si occidit iniustè, mutilauit, vulnerauit, torsit? Mater, si oppressit infantem in lecto, vel fuit causa abortus.

IV. Si ad aliquod supradictorum cooperatus est quem illis modis, de quibus in versibus:

Iussio, consilium, consensus, &c.

V. Si fuit aliquo scandalo causa mortis spiritualis, inducendo ad peccatum, vel publicè peccando?

Circa Sextum Præceptum.

SEX.

I. Si habuit turpes cogitationes cum consensu, si morosè delectatus; si verba inhonesta, aspectus, tactus libidinosi interceſſerunt, & cum quo, vel cum qua?

II. Si cognouit fœminam, an soluta, virgo, coniugata, consanguinea, sacra: si in vase naturali, an extra vas?

III. Si contra naturam per mollitionem, sodomiam, bestialitatem, impudicitiam, an pollutionem voluntariam passus fuerit in vigilia; & de qua persona cogitarit?

IV. Si insecutus est fœminam diu: an peruenerit ad verba, literas, munera, tactus: si ornatu, musica & aliis ob malum finem placendi, & prouocandi ad carnem vsus est?

V. Si lectione librorum impudicorum se prouocauit, optauit ab alijs concupisci; iactauit se de huiusmodi peccatis, &c.

VI. A coniugato, si petiuit debitum cum impedimento affinitatis, cognationis spiritualis, voti solitatis, periculi abortus, vel effundendi semen extra vas?

Circa Septimum Præceptum.

QVINQVE.

I. De FVRTO in notabili quantitate etiam à proprijs parentibus: de damno illato: an iussus in alia confessione restituit? Hic de bonis naufragantium, & latrocinio maritimo.

II. De FRAVDIBVS in emptione & venditione circa rem, pretium, pondus, mensuram, numerum, si emittens alienam scienter?

III. De VSVRIS in mutuo, in emptione anticipata, vel dilata solutione in cambijs, societatibus, censibus.

IV. De FRAVDIBVS IN LVDO: an cum personis habilibus, inæqualibus quoad artem, inductis importunis precibus, aut minis?

V. De animo furandi aliena, retinendo cum damno domi-

domini, concupiscentia variarum rerum alienarum, de cooperatione modis dictis.

Circa Octauum Præceptum.

I. De ieiunijs extra iudicium.

1. Mendacio pernicioso.
2. Detractione, vel mentiendo vel dicendo verum occultum quod infamet, vel ex loquacitate infamando, vel referendo aliorum mala animo infamandi, vel audiendo, & cooperando infamationi.
3. De secreto reuelato absque iusta causa, apertione literarum alienarum.
4. De susurratione seminando discordias, irrisione animo confundendi.
5. De maledictione animo vt graue malum eueniat, iudicio temerario, & suspicione.

II. De iniurijs in iudicio, ex parte iudicis, accusatoris, rei, testis, aduocati, procuratoris.

Circa Nonum Præceptum.

I. De SVPERBIA: an putauit à se habere bona, vel à Deo ex proprijs meritis, vel tribuit quæ non habet, vel alios contempsit inordinatè?

II. De VANA GLORIA: quando optatur, vel quæritur de re mala, aut malis artibus, aut relata ad malum finem.

III. De INOBEDIENTIA, & ambitione.

IV. De GVLA: an per eam violatum sit præceptum, vel ea quæsita sit cum notabili damno salutis propriæ, vel proximi: vel propter eam debita non soluantur?

V. Reliqua deducta sunt ad præcepta, vt auaritia ad quartum, luxuria ad sextum, ira, & inuidia ad quintum; accedia communiter non est peccatum mortale, nisi quãdo ob eam violatur præceptum sub mortali, vel desperat quis peruenire ad vltimum finem.

Circa Decimum Præceptum.

Quæri potest in fine,

1. An sciat necessaria, & obligationes proprij status?
2. An quid aliud memoriæ se offerat grauans conscientiam.

3. An doleat generaliter de offensis in custodia quinque sensuum, trium potentiarum, operum misericordiæ?

4. De ingratitudine in reddendis gratijs pro beneficijs, reincidendo in peccata. De periculo peccandi, cui sæpè se exposuit; de dubijs, quæ habuit an quid esset peccatum, & tamen operatus est cum illis.

5. Accuset se de omni alia re, in qua Deum offendisset, vel fuisset causa, vt alter offenderet.

TRACTATVS BREVIS

De modo, quo gerere se debet Sacerdos cum agonizante, seu moribundo.

AD moribundum ex præscripto D. Iacobi *in sua cana, sub finem,* inducendus est Sacerdos: de quo immeritò quęri potest, quomodo in casu tanti momenti se gerere debeat? *Primo* igitur curare debet in seipso cordis puritatem & innocentiam, per quam in graui necessitate proximi sit Deo gratus mediator.

Secundò, sinceram habere intentionem, tantumque duci zelo diuini honoris, & compassione proximi de vita periclitantis.

Tertiò, non nectere moras: sed statim ac vocatus est, adire infirmum, ad obuiandum periculo, quod esse potest, malè moriendi: quo nullum est formidabilius, cũ sit summi mali, idéque irreparabiliter.

Quartò, colloquia salutaria cum eo miscere, præsertim de Dei erga nos prouidentia, deque dilectione, qua (ex Ioan. c. 3.) *ipse sic dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Atque, si à Medicis didicerit non esse sperandum de ipsius vita, prudenter & suauiter in nomine Domini ipsum monere debet: sicut Isaias cap. 38. Ezechiam regem, his verbis: *Hæc dicit Dominus: Dispone domui tuæ, quia tu morieris, & non viues.* Moneo igitur, vt testamen-

mentum condas, quum primum potes: vt à mundanis totaliter mentem transferas ad æterna, prout expedit tibi ad animæ salutem: alienum restituēdo, si iniustè detineas: & iniungendo eleemosynas in subsidium pauperum, & Missas, aliaque suffragia ecclesiastica pro remedio animæ tuæ. Neque verò debet Sacerdos contentus esse, id onus committere parentibus, vel amicis, quando non caret probabilitate, quòd in ea re sint officio defuturi, timētes ei displicere, & morbi aggrauationi causā dare: quin potius in spem recuperandæ sanitatis erecturi misericorditer crudeles: cum salutare desiderium consulendi saluti animæ, in eodem infirmo reddāt languidum, quod valdè roboraret apprehensio mortis imminentis.

§. I.

De ratione tranquillandi moribundum turbatum horrore mortis.

SI contigerit infirmum turbari accepto nuntio de morte sibi imminente, tranquillandus est rationum sequentium momentis.

Prima est, quòd Deus sit absolutè Dominus vitæ nostræ: non minus quam aliarum rerum nostrarum: ideoque illam tollens non faciat nobis iniuriam, quia tollit quod suum est. Dicatur ergo cum patiente Iob patienter: *Dominus dedit, Dominus abstulit,* seu auferre vult, *sit nomen Domini benedictum.*

Secunda est, quòd immutabili decreto ab origine mundi constitutum sit omnibus hominibus semel mori (de quo *ad Heb.* 9.) designato etiam die, qui terminet vitam, ne præteriri possit, iuxta illud in libro Iob, *cap.* 14. *Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est: constituisti terminos, qui præteriri non poterunt.* Quia igitur nemo potest voluntati Dei resistere, necesse est conformare se ei, qui nobis vult omne bonum Pater amantissimus: nec potest malum facere infinitè bonus.

Tertia est, quod etsi dies mortis horribilis esse solet: verè tamen melior est die natiuitatis, vt Ecclesiast. c. 7. dicitur & patet, quia natiuitas dat initium innumeris miserijs, prout cōstat experientia, & per illud libri Iob, loco citato: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs*: dies verò mortis finem ijsdem imponit,

iuxta illud Apoc. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Et illud in seq. cap. 21. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; & iam non erit amplius neq; luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt.*

Quarta ratio est, quòd nlle mori, perinde stultum fit ac nolle de numero hominum, quorum nullus eximitur à lege moriendi, quantumcunque potens & sanctus: nulli Monarcharum aut Sanctorum, Deo quantumuis amicissimorum (ne quidem Sanctus Sanctorum Christus, nec beatissima ipsius Mater) exempti sunt. Et verendum est, ne sanitate restitura, quæ nũc adsunt adiumenta bene moriendi, posteà mors subita habere non permittat. Propterea debemus nos totos diuinæ prouidentiæ committere.

Quinta ratio, leniendis doloribus mortis accommodata. ista est: Prudentiæ esse (prout dici solet) de necessitate facere virtutem: sicut faciemus, si dolores prædictos patienter feramus amore Christi, qui passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius, 1. *Pet.* 2. Ad quod iuuabit mentis oculis intueri Christum ipsum cruce onustum, properantem ad mortis supplicium valdè crudele; & ponderare quod ab eo dictum est Matt. 10. *Non est discipulus super magistrum nec seruus super dominum. Sufficit discipulo, si sit sicut magister eius, & seruo sicut dominus eius.*

Sexta ratio est, quòd sacræ paginæ de tribulationibus mentionem faciant, vt de bonis in magno pretio habendis. Act. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.* In posteriori ad Cor. c. 4. *Quod in præsenti seculo momentaneum est tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Ad Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Et ad Hebr. 12. *Quem diligit Deus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplina perseuerate. Tanquam filijs offert se vobis Deus. Quis enim filius quem non corripit pater?* Addi potest pœnas vitæ futuræ esse grauissimas, & sine merito: redimi autem per tribulationes vitę prętentis longè leuiores, & meritorias ex magna Dei erga nos misericordia.

§. II.

§. II.

De virtutibus ad quarum exercitium Sacerdos debet excitare, & iuuare moribundum. Ac primùm de resignatione.

SVnt aliquot virtutes, quarum exercitium ad iustificationem peccatoris conducit, in quo consultum est moribundũ vacare; cùm ex Ecclesiastæ *c.* 9. nesciat homo, vtrum amore, an odio dignus sit: & quia aduersùs illud Dęmon soleat suas tentationes adornare. Illę autem virtutes sunt, Resignatio in Dei voluntate, pœnitentia, fides, spes, charitas & oratio. Exercendæ verò sunt (sicut notauit P. Ludou. Pontanus *de perfect. Relig. tract 5. c. vlt.*) per actus obedientiæ, & patientiæ; per oblationes, & desideria; per petitiones, & gratiarum actiones. Iam tale exercitium Sacerdos exequetur nomine infirmi, verba ipsius, si non possit linguâ, saltem mente sequentis.

Quod attinet ad resignationem in voluntate Dei, ea per modum obedientiæ & patientiæ sic exercetur: Siue viuẽdum sit, siue moriendum, *Paratum cor meum Deus, paratũ cor meum. Non mea, sed tua voluntas fiat.* Per modum desiderij & petitionis, sic, *Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas,* vt à me fiat voluntas tua in terra, sicut à sanctis Angelis fit in cœlo. Pero, Domine Iesu, per tuam sublimem resignationem in voluntate Patris, vt mihi contingat sic pendere à tua voluntate, vt verè dicam cum Apostolo: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Per modum oblationis, sic: Pater æterne, Filij tui sacratissimã passionem tibi offero, vt digneris mihi largiri donum patientiæ in hac mea tribulatione. Per modum actionis gratiarum: Benedico te Deus meus, ac gratias ago pro doloribus, quos sentio, cùm valeant ad promerendam salutem æternam, tolerati patienter amore tui.

§. 3. *De exercitio pœnitentiæ.*

QVod attinet ad pœnitentiam, commendabilis reddẽda est moribundo ex eo, ꝙ ab illius præcepto initium suæ prædicationis Dominus Iesus fecerit, Matt. 4. tribuẽs ei appropinquationem regni cœlorũ. Cuius præcepti obseruandi necessitatem *in seq. c.* 13, inculcauit, dicẽs. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Quare tanquã arreptâ post naufragiũ tabula, debet peccator amplecti exercitium

citium pœnitentiæ. Quod facere potest primo per modũ obligationis, sic: Indignus ego tuo diuino conspectu, Domine Deus, fretus tamen misericordiâ tuâ infinitâ, tibi offero Christi Redẽptoris nostri merita, vt illorum gratiâ dones mihi cor contritum & humiliatum: quòd cum non despicias, donabis pariter optatissimam peccatorum remissionem & vitam æternam. Per modum desiderij, sic: *Quis mihi hoc tribuat* (Iudex constitute viuorum & mortuorũ) *vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus in quo recorderis mei?* Per modum petitionis, sic: *Miserere mei, Domine, & salua me: quia tu solus potes facere mundum de immundo conceptum semine: Hei mihi! quia peccaui nimis in vita mea: quid faciam, miser? vbi fugiam, nisi ad te, Deus meus?* Per modum actionis gratiarum, sic: Gratias tibi ago, Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, quòd de cœlesti pœnitentiæ dono tam liberaliter prouideris, vt quouis temporis momento, illius participes effici valeamus; te dicente, (per Ezechielem cap. 33) *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua. Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi: quoniam confirmata est super nos misericordia eius. Qui Angelis peccantibus non pepercit: sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*, ex D. Petri Epist. 2. cap. 2.

Secundum se verò pœnitentia excetur detestando propriam ingratitudinem commissam erga Deum peccando: Itemque dolendo cum prodigo de misero statu, in quem nos coniecerimus: & præ pudore non audiendo cum publicano in cœlum oculos tollere: ac demum cum Diuis Petro & Magdalena, imbre lacrymarum genas rigare pro tanta bonitate & maiestate offensa. Adde & firmiter proposita emendatione, implorare diuinam misericordiam per multa, quæ habentur in psalmis, præsertim pœnitentialibus: vt, *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias: Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. Non intres in iudicium cum seruo tuo, Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Si iniquitates obseruaueris, Domine: Domine, quis sustinebit? Velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus. Non auertas faciem tuam à me*: & similia.

Cæ-

Cæterum si occurrat infirmus duri cordis, nec affecti ad exercitium pœnitentiæ, Sacerdos modum quemdam emolliendi illum habet *in nostro tractatu de prudentia Confessarij.* Ideoque hic omittitur breuitatis studio.

§. 4. *De exercitio Fidei.*

QVOD attinet ad fidem, *sine qua impossibile est placere Deo* ad Hebr. ca. 11. ea exercetur credendo, quæ symbolo Apostolorum continentur; siue illud ipsemet æger recitet, siue illud Sacerdos ei proponat per partes, præmittendo: Nonne viuere & mori vis in fide, quam ad salutem necessariam proponit sancta Romana Ecclesia: Quòd si contingeret, infirmum ipsum aliquam tentationem pati circa credenda; ei proponi poterit *Primò*, talia testata esse per miracula, quæ non nisi à Deo per suam infinitam potentiam fieri potuerunt: Deum autem mendacij & falsitatis testem esse non posse. *Secundò*, quòd in Christiana fide nihil vnquam, nisi sanctum & commẽdatione dignũ deprehensum fuerit. *Tertiò*, eam prædicatam esse mundo ab hominibus integerrimæ vitæ, cum contemptu commodorum temporalium, & tolerantia tormentorum grauium, consignantibus illam sanguinis sui effusione, propriaque morte. Auditam quoque esse cum magna mutatione morum, & tantâ generositate, vt quodcunque tormentorum & mortis genus pati maluerint, quàm ab ea momento temporis deficere, plenis Spiritu S. reddente illis testimonium, quòd essent filij Dei, hæredes regni cælestis, persistentes in susceptra fide.

§. 5. *De exercitio Spei.*

QVOD attinet ad spem, consultum est illam præroborare atque viuificare circa sua propria obiecta, quę sunt remissio peccatorum, diuinæ gratiæ consecutio, perseuerantia in eadem, & adeptio gloriæ æternæ. Ad quam viuificationem ista, præter alia, conferre possunt: Primũ est, illud ad Rom. c. 8. *Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis accusabit aduersùs electos Dei? Deus qui iustificat? Quis est qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est: imò qui resurrexit, qui est à dextris Dei, qui etiam interpellat pro nobis?* Secundum est, Christi promissio accipiendi

piendi à Deo quidquid petierimus. *Petite* (inquit Mat.7 & Luc.11.) *& accipietis: quarite & inuenietis: pulsate & aperietur vobis.* & Ioan 14. *Quodcunq; petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Qui promittit, fidelis est, possibilique est apud eum omne verbum, vt meritò dicendum sit: *In te Domine speraui, non confundar in æternum. Quoniam, confirmata est super nos misericordia tua, & veritas tua manet in æternum,* Tertiũ est, Dei miseratio, de qua Psal.102. *Quomodo pater miseretur filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum,* seu infirmitatem nostram naturalem. Et Isaiæ cap. 49. *Nunquid mulier potest obliuisci infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? etsi illa obliita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Quartum est, benigna inuitatio diuina. Ieremię c.3. *Tu fornicata es cum amatoribus multis: veruntamen reuertere, & suscipiam te.* Item Matth.11. *Venite ad me* (inquit Christus) *omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos.* Et, *Eum qui venit ad me, non ejiciam foras.* Quintum est, enormitas peccati desperationis, quâ Deo tollitur quod ei maximè propriũ est, pura misereri semper & parcere: vt Ecclesia profitetur, ipsum sic precãdo: *Deus, cui proprium est misereri semper & parcere* &c. Absit vt sectatores simus Caini & Iudæ proditoris, desperantiũ de Dei misericordia, cuius magnitudo quamcunq; magnitudinem & multitudinem quorumcunq; peccatorum infinitè superat: nulli contrito corde petenti, vllo tempore negãda, ne quidem in extremis, vt patet in S. latrone, qui cùm sciret adesse sibi vitæ extremum, misericordiã petẽti à Christo promissus est Paradisus. Cauendum est autẽ sedulò, ne autes prębeamus sophisticis rationibus Dæmonis, quibus desperationẽ suadere nititur; quæ omnes euanescẽt erectis oculis mentis ad Christum crucifixum, qui pugnauit pro nobis, vicit pro nobis: In eo enim est salus, vita & redemptio nostra, multò magis quàm in serpente à Moyse erecto fuerit salus eorum, qui morsibus serpentũ morti exponebantur. Nobis sufficiat infinita esse merita Christi, quibus nobis promeruit remissionẽ peccatorum, diuinam gratiam, & gloriam sempiternam. Ea autem fidelibus ad ipsum conuersis applicantur sufficienter per debitum Sacramentorum vsum, quem maximè in periculo mortis commendatum esse oportet.

Tum

Iam verò spes exerceri potest per modum obedientiæ, & patientiæ, sic ex psal. 42. *Quare tristis es, anima mea, & quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus.* Deinde ex psal. 21. præcedenti: *Quoniam tu es, qui traxisti me de ventre, spes mea, ab uberibus matris meæ, in te proiectus sum ex vtero: de ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris à me.* Præterea ex psal. 30. *In de Domine speraui, nõ confundar in æternum, in iustitia tua libera me. Inclina ad me aurem tuam: accelera, vt eruas me. Esto mihi in Deum protectorem & in domum refugij, vt saluũ me facias. Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu, & propter nomen tuum deduces me, & enutries me. Educes me de laqueo hoc, quem abscondérunt mihi, quoniam tu es protector meus. In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me, Domine Deus veritatis.* Et alibi psal. 26. *Si consistant aduersũ me castra, non timebit cor meum.* Et ps. 22 *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Et Iob 17. *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet cõtra me.*

Amplius spes per modum desiderij æternæ salutis (quæ est illius obiectum præcipuum) exercetur vsurpando illud Psal. 83. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Quod desiderium in infirmo accendi potest commemoratione bonorum, quæ continentur adeptione æternæ gloriæ: quę sunt, liberatio a peccato & omni miseria, ac seruitute Diaboli: sũma expletio desideriorum, requies, honor, gaudium sempiternum, cum clara Dei visione & conuersatione suaui cum Angelis Sanctisque alijs; atque beatissimæ Virginis omnium Reginæ frui iucũdissimo conspectu: adeoq; Christi Iesu, qui sedet ad dexteram Patris, solus Dominus & solus altissimus, quem & oculis à mortuis suscitati, visuri sumus, iuxta illud Iob 19. *In carne mea videbo Deum Saluatorem meum, quem visurus sum, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.*

Quæ cum ita sint, quid restat infirmo, nisi vt spe tantorum bonorum se fulciens, audito de morte sibi imminente nuntio, cum exultatione dicat illud Psal. 121. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Dicat tamen sine præsumptione, & cum corde contrito & humiliato.

§. 6.

§. 6. De exercitio Charitatis.

QVOD attinet ad charitatem; ad illius exercitium, quod est amare Deum super omnia, & proximum sicut nos ipsos propter Deum, inflammanda est voluntas ponderatione titulorum, quibus ad illud omni iure obligamur.

Primus est, Dei bonitas & maiestas, qua dignus est amari amore infinito. Cuius præstandi, quia capaces non sumus, finitus nobis imponitur supra omnem amorem creatarum, seu, vt dici solet, qui sit super omnia, ita vt nō modò nō amplius, sed nec tantum quantum ipsum vllam creaturarū amemus: vt dicere liceat cum Dauid in Psalm. 72. *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

Secundus titulus est, quòd Christus prior dilexerit nos, iuxta illud Ioan. 15. *Nō vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Et illud in Epist. 1. eiusdem Ioannis cap. 4. *Nos ergo diligamus Deū, quoniam Deus prior dilexit nos.* Quam, quæso, indignum esset tantum amatorem non redamare ex toto corde, & tota anima, & omnibus viribus! Id igitur studeamus obtinere ab ipso Christo illâ affectuosâ D. Bonauenturæ oratione. *Transfige dulcissime Domine Iesu Christe, medullas & viscera animæ meæ, suauissimo ac salutiferrimo amoris tui vulnere, vera, serenaq; & Apostolica sanctissima charitate; vt langueat & liquefiat anima mea, solo semper amore & desiderio tui: te concupiscat & deficiat in atria tua: cupiat dissolui, & esse tecum, &c.*

Tertius titulus est, beneficiorum à Deo acceptorum magnitudo & multitudo, tam communium, creationis, prouidentiæ, redemptionis iustificationis & futuræ gloriæ (quibus alia innumera continentur;) quàm particularium cuiuscunq; personæ. Quis enim talē ac tantū benefactorē non amet toto affectu, ac dicat ex Psal. 102. *Benedic anima mea Dominum & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima mea Dominum, & noli obliuiscī omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum.* Vnde cauendum est, ne

in

in nos tanquam bestijs deteriores quadret illa exprobratio horrenda apud Esaiam c. 1. *Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.*

Quartus titulus est, Christi passio, quâ maius amoris erga nos sui argumentum desiderari non potest, iuxta illud Ioa. 15. *Maiorẽ charitatem nemo habet, vt animã suam ponat quis pro amicis suis. Sic Deus dilexit mundum vt Filiũ suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam:* quàm indignum est aliquid præ illo amare? Eia, bone Iesu, misericorditer mihi concede, vt amore tui moriar, qui amore mei dignatus es mori. Eia & tu mater misericordiæ, fonsq; amoris, fac vt ardeat cor meum in amando Christum, vt sibi complaceam. Atque mihi viuere Christus ipse sit, & mori lucrum, imitatione D. Pauli, *ex cap. 1. ad Philippenses.*

Quintus titulꝰ est, Dei in nos amoris perpetuitas; de qua Ieremię c. 31. *Charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miserans tui.* Et Psal. 102. *Misericordia Domini ab æterno: & vsq; in æternum, super timentes eum.*

Sextus est, necessitas eiusdem amoris. Namque non nisi præceptorum diuinorum obseruatione conceditur in regnum cœlorum ingressus, dicẽte Domino Matt. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Atq; eorũ primũ & maximum (*ex sequenti c. 22.*) est de amando Deo ex toto corde, ac tota anima, omnibusq; viribus. Neq; opus vllum meritorium esse potest, nisi fiat amore Dei, *ex priori ad Corinth. c. 13.* In spiritu humilitatis igitur, & animo contrito per merita sacratissimæ passionis Christi obnixè petamus à Deo, talis amoris inæstimabile donum, per quod non iã viuamus nos; viuat verò in nobis Christus.

Vrgeri debet infirmus, vt amori Dei adiungat amorem proximi, condonando omnibus à quibus læsus est, ac pro eis oret, imitatione Christi in cruce orantis pro suis crucifixoribus; & D. Stephani precantis pro lapidantibus, ne statuatur eis illud peccatum.

§. 7. *De oratione.*

QVOD attinet ad orationem, illius exercitium opportunum est in primis in vltimo conflictu ineundo cũ

Dæmone. Atque si infirmus vsum eius habeat familiarem, non est in illo facilè interrumpendus per cohortationes prolixiores: sed sinendus perseuerare in ipsa oratione, D. Martini imitatione, qui, vt habetur in ipsius vita, oculis ac manibus in cœlum semper intẽtus inuictum ab oratione spiritum non relaxabat. Interea ad memoriam dominicæ Passionis crux illi proponenda est venerãda & osculanda, petendo liberationem ab insidijs diaboli, verbis illis: *Per signum crucis, de inimicis nostris, libera nos Deus noster.*

Alios verò infirmos, qui ad eundem vsum sunt parum idonei, iuuare oportet exercitio orationum iaculatoriarũ, quas dirigant: siue ad Deum Patrem ad hunc modum. *Pater noster, qui es in cælis. Sanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum,* &c. ex oratione dominica; aut sic: *Pie Pater noster, aspice, Deus, respice in faciem Christi tui, quẽ pro nobis in cruce mori voluisti, vt credentes in eum non pereamus, sed habeamus vitam æternam.*

Siue ad Christum ipsum, sic: *Qui in pretium redemptionis nostræ pretiosum sanguinem tuum fudisti, miserere mei: Saluator mundi, perfice, quod moriendo in me cœpisti opus meæ salutionis. Subueni famulo tuo, quem pretioso sanguine tuo redemisti, Anima Christi sanctifica me. Corpus Christi, salua me. Sanguis Christi, inebria me. Aqua lateris Christi, laua me. Passio Christi, conforta me. O bone Iesu exaudi me. Intra tua vulnera absconde me. Ne permittas me separari à te. Ab hoste maligno defende me. In hora mortis meæ voca me, Et iube me venire ad te, vt cum Sanctis tuis laudem te in sæcula sæculorum. Amen.*

Siue etiam ad Spiritum sanctum, sic: *Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. Deficit virtus mea: & ecce sponsus venit, cui debeo ire obuiam. Ne permittas meæ lampadi deficere oleum tuæ gratiæ, sine qua non patebit ingressus ad cœlestis agni nuptias. Consolator optime, dulcis hospes animæ, laua quod in illa est sordidum, riga quod est aridum, flecte quod est rigidum, rege quod est deuium. Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium, Amen.*

Siue ad Sanctos in cœlo regnantes, peculiariter ad beatissimam Dei Matrem, sic: *Monstra te esse matrem sumat per te preces, qui pro nobis natus tulit esse tuus Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.*

suscipe. Eia, aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte: Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. O clemens, ô pia, ô dulcis virgo Maria.

Siue etiam ad proprium Angelum custodem, sic: *Angele Dei, qui meus es custos, pietate superna Me tibi cõmissum serua, defende, guberna, Vt tecũ valeam cœlestia scandere regna.* Itemque ad sanctum Michaelem Archangelum, sic cum Ecclesia in eius solemnitate: *Veni nobis in auxilium, Præposite Paradisi, cui Deus tradidit animas Sanctorum, vt perducat eas in Paradisum exultationis. Sancti Dei omnes, intercedere dignemini prò nostra omniumque salute.*

Cæterùm, quando infirmi adeò crescit infirmitas, vt nequeat, ne quidem Sacerdote dirigẽte orationi incumbere, non est ideò cessandum: sed oportet recitare ea, quæ in Rituali ecclesiastico præscribuntur pro commendatione animæ moribundi.

Porrò tam multa in medium allata non sunt, vt omnia omnibus indifferenter: accommodentur: sed nõnulla his, nonnulla illis, prout Sacerdos prudenter, consideratis circunstantijs, imploratoque Spiritus sancti cœlesti lumine, iudicabit cuiuis infirmo expedire, ad dirigendum ipsum in viam pacis, salutisque æternæ.

Monita danda moribundo ex Rituali Romano, iussu S. D. N. Pauli V. edito.

VT firmiter credat omnes articulos fidei, & quicquid sancta Romana Ecclesia Catholica & Apostolica credit & docet.

Vt speret Christum Dominum nostrum, pro sua immensa clementia sibi fore propitiũ & merito eius sanctissimę Passionis, & per intercessionẽ beatæ Mariæ Virginis & omnium Sanctorum se vitam æternam consecuturum.

Vt toto corde diligat, & maxime diligere cupiat Dominum Deum, ea dilectione, qua illum diligunt Beati, Sanctique omnes.

Vt ob amorem Dei doleat ex corde, de omni offensa qualitercunque contra Dominum & proximum commissa.

Vt ex corde ab amorem Dei pareat omnibus, qui sibi quoquo modo fuerint molesti, aut inimici.

Vt ab ijs veniã postulet, quos aliquãdo dictis, aut factis offendit.

Vt quem patitur dolorem & morbi moleſtiam propter Deum in pœnitentiam peccatorum ſuorum toleret.

Vt ſi Dominus ſibi ſalutem corporis præſtare dignabitur, proponat de cætero pro viribus ſuis à peccatis cauere, & eius mandata ſeruare.

IESV, eſto mihi IESVS.

MODVS CONCIONANdi & ſtudendi Theologiæ, à quodam magni nominis Theologo, & concionibus ſcriptiſque celebre, ſtudioſis antè aliquot annos propoſitus.

TAMETSI ad artem concionandi & docendi populum pertineat, vt futurus Concionator in arte Rhetorica diligenter exerceatur; vt docte & diuicè dicat: puto tamen exiguum hoc eſſe in hoc artis genere, quam etiam multi putant, hanc artem diuino inſtinctu magis doceri, quam humano auxilio. Proindeque videtur locum habere hic, quod dicitur in definitione Rhetoris, qua Rhetor dicitur eſſe vir bonus, dicendi peritus.

Duo ergo requirũtur in Cõcionatore. *Primò*, vt diſcat, quo pacto ſe habere debeat erga ſe; hoc eſt, quo pacto ſe gerere debeat in ſeipſo. *Secundò*, quo pacto ad populum. Concionator enim eſt inſtrumentum, quo Deus vtitur ad lucrum animarum. Inſtrumentum autem duabus conſtat partibus. *Vna* pars eſt, quæ attingit artificem. *Altera* quæ rem ipſam, ſicut etiam in inſtrumentis Mechanicis, verbi gratia, in ſecuri eſt capulus, attingens artificem, & eſt acies, attingens & ſecans lignum. Sic in inſtrumentis Muſicis eſt concauitas intus, & nerui extenſus, inſtrumentum ipſum, & manus artificis. Inſtrumentum non per ſe operatur, ſed requiritur manus artificis.

Iuxta has duas partes, duo requiruntur in Concionatore

cionatore. *Primò*, vt bene cõiunctus sit cum Deo. *Secundò* vt bene coniungatur cum proximis. Et hoc vsu venire solet Concionatori, quod vsu venire solet artifici, quantumuis bene peritus sit artifex, oportet Instrumentum bene esse aptatum ad manum artificis. Nam vt bene possit tenere, & regere manu instrumentum suum, rectéque operari, oportet vt capulus bene aptatus manui congruat. Deinde vt acies benè possit secare ligna, vt vtrumque posset quis aptare pro sua voluntate; vt si quis scribat calamo malo, norit tamen manu calamum sic moderari, vt benè pingat.

Primò ergò necesse est, vt concionator bene coniungatur cum Deo, & benè se cum Deo componat, sic enim Deus facile aptabit instrumentum suum. Sed quo pacto hoc fiet? Ante omnia requiritur in bono concionatore, præcipuè, vt diligenter expurget à peccatis conscientiam, & vt timoratè viuat, seque in statu gratiæ custodiat, sed neque hoc sufficit; nam secundo requiritur vt sit frequens in oratione, & meditatione cum Deo, vt intellectum & voluntatem semper coniunctam habeat cum Deo.

Officium enim concionatoris est docere populum, sed duobus modis docetur populus. *Primò*, vt intelligat. *Secundò*, vt moueatur & afficiatur. Nec sufficit, vt sic doceatur populus, sicut in Schola discipuli, qui sic docentur vt optime intelligant, quæ à præceptore dicuntur; sed requiritur in concionatore, vt non solum intellectum instruat, sed vt etiam affectum accendat. Imo diuersum fit à concionatore, quam in præceptore: Nam præceptor hoc efficit, vt ametur à pueris, vt hoc modo facilius instillet doctrinam. Concionator non tantum vt discat populus, ideò concionamur: sed vt incipiat affici erga ea, quæ dicit. Nostra scientia & intellectus dirigitur ad voluntatem auditorum, vt intellectus assentiat, & voluntas adhæreat dictis & auditis, vt autẽ hoc commodè faciat concionator, necesse est vt frequenter versetur cum Deo, assiduus sit in oratione & meditatione, hoc modo facit, vt seipsum exciter frequenti contemplatione & meditatione, vt cum fructu doceat populum, & cum zelo & spiritus feruore.

Sunt qui existimant se tunc optimè dicturos, cum benè studuerint, vt tunc palam effundant ea in populum, quæ ipsi priuatim mente concepterunt. Sed non satis est, inquit Bernardus, vt concionator sit canalis, sed requiritur, vt sit concha; necesse est vt primò multa bona attrahat ad se, deinde ea effundat in populum. Ita concionatores pij olim facere solebant, qui per pias meditationes accendebant amorem Dei in se, quem sequitur fastidium rerum temporalium. Talis Concionator fuit B. Paulus Apost. D. Joannes Chrysost. B Vincentius & alij multi. Talis est qui hodie adhuc supereſt Ludouicus de Granada, Ordinis Prædicatorij, vt patet ex eius scriptis spiritu & pietate plenis. B Bernhardus hoc modo nõ tam studijs quam meditationibus profecit. Talis fuit B. Gregorius, vt patet ex scriptis & concionibus, & alij plures.

Sed præter hæc, opus est, vt Concionator fugiat magnam familiaritatem habere cum populo; sit tamen eius sermo priuatus, semper amabilis. Sic B. Chryso. ne quidem vocatus voluit venire ad prandia. Optimum est seruare suum secretum, neque per familiaritatem se nimis effundere, vt semper plus recondat in pectore, quam gerat in ore. Quia nimia familiaritas & affabilitas parit contemptum. Facilè notant homines leuem defectum in concionatore, qui nimis familiaris est populo, vnde & contemptibilis.

Curandum ergò est Concionatori, vt rarissimè ad conuiuia accedat, idque propter duas causas. *Prima*, vt quod in alijs viua voce reprehendit, ipse suo exemplo damnet. *Secunda*, vt minus sit, vnde ipse reprehendi possit. Nunquam etiam in priuato colloquio se prorsus effundat, sed semper aliquid retineat, vt diximus, vt videatur semper aliquid habere residuæ scientiç, & reconditæ sapientiç. Nõ tamen ad fastum, sed ad ædificationẽ: recte facit, qui plura abscondit, quã profundit. Adde, quod qui facilè admiratur, ostendit se ignorare, quæ admiratur. Per risum & cachinnum homo perdit authoritatem. Proinde quod ad mores attinet, sit grauis moribus, ita tamen vt cum grauitate non sit coniuncta superbia, neque superbiæ aliqua significatio, sed in humilitate composita grauitas. Sic

Pau-

Paulus Apostolus. Ego vt parvulus in medio vestrū, &c.

Hæc dicta sint pro priore parte, quomodo Concionator se habere debeat in seipso, & proximis. Frequens ergò sit in oratione, meditatione, frequens & ardens in sacrificio, hoc sit primum & præcipuum fundamentum concionatori. Multi forte parum hæc prodesse putant, cum tamen hæc magis prosint, quam studia, licet illa his etiam coniungi debeant. Sed meditatio non prodest, si anima non sit purgat à vitiorum sordibus. Spiritus enim sapientiæ non habitat in corde subdito peccatis. Et non solum caueat sibi à peccatis, sed fugiat etiam nouitates & nugas, quæ nihil prosunt, sed magis distrahunt mentem à deuotione. Qui in Hypocaustum & cubiculum ingreditur, non facile egreditur, ne ventus aut frigus irrepat, cum egreditur diligenter claudit ostium, ne calor diffipetur. Ita concionator cubile cordis cui diligenter obseruet, ne calor charitatis effluat, ne quis ventus vanitatis subintret. Qui hæc non æstimat, bonus aut felix Concionator nunquam erit.

Sequitur vt de Inuentione, Dispositione & Elocutione aliquid dicamus.

Nihil absurdius, quam concionator indoctus; multum studij oportet cum literis impendere, vt ipse prius rem ipsam plenè & fundamentaliter intelligat, quàm populo proponat: nam si dicēdum sit de Iustificatione, de Eucharistia, & similibus arduis materijs, quomodo poterit bene dicere, si ipse rem non satis intelligat.

Studium ergo futuri concionatoris versari debet circa scripturam & scholasticam Theologiam. Optimum est legere in scholastica Theologia B. Thomam Aquinatem, & illi studio impendere certas horas in die. Consultum erit vnum articulum meditatè legere in corpore, quo bene intellecto, argumenta in contrarium cum responsionibus ex ordine attente legere & ruminare, nec ad sequentem procedere, nisi cum hunc probe incorporaueritis. Impossibile est vt sine hac scholastica Theologia vtiliter versemini in studio S. Scripturæ, aut in concionibus, & fidei controuersijs.

Quia ergo duæ partes sunt studij Theologici, nempe Sacra scriptura, & scholastica Theologia. *Primo*, Matutinum

rinum tempus impendetis Lectione Sacræ scripturæ.

Modus procedendi sit iste, vt quotide mane vnũ legatis caput ex nouo testamẽto & diligenter aduertatis, an aliqua sint, quæ non intelligatis, cuius interpretationem requiretis, ex comment. vel viuis Doctoribus. Vesperi ex veteri testamento vnum aut duo capita leges. *Secundo*, vt pomeridiano tempore, vt diximus, ex S. Thoma vnum articulum absoluas. *Tertio*, vt quotidie ex prouerbijs Salomonis vnam sententiam memoriæ commendes. Sunt enim ibi pulcherrimæ sententiæ, quę multum vobis proderunt ad docendũ. Deinde vtile esset, vt ante dixi, quotidie vos exercere in meditatione aliqua sacra. Tradidi vobis meditationes de vita Christi, vbi ordine Harmonia Euangelica comprehensa est, in qua secuti sumus Jansenium, qui doctissimè scripsit.

Hic sit modus progrediendi in studijs pro studiosis, qui sic studeant, vt semper gustum ex studijs eliciant. Iurisprudentia, Medicina, & aliæ facultates fere solum instruunt intellectũ, sed Theologia non tantũ in intellectu consistit, verum etiam in gustu & affectu. Cum quolibet libro sacro habeatis & legatis vnum, probatum, breuem, & dilucidum commentatorem, viteris varietatem & copiam, quia hæc pariunt confusionem, & non solidam eruditionem. Quotidie à prandio semper B. Thomæ summa legatur, vt supra. Post duos aut tres annos, peractis his, de quibus dixi studijs, ad Patres poteritis transire. Et ante omnes commendo vobis B. Chrysost. quia maxime popularis est, & futurum concionatorem recte instruit. Singulari quoque diligentia videtur legendus B. Gregorius, propter singularem ingenij profunditatem, in meditando, in quo ipse præcipuę excelluit in lib. 15. Moralium, in quibus mirabilem suauitatem deuotionis inuenietis. B. Gregorio perlecto, Chrysostomum legito, deinde reliquos cum delectu, erunt ista successu temporis studioso, qui literis afficitur, facilia.

Diximus de Concionatore. *Primo*, de ipsius moribus, quomodo cum Deo & cũ proximis se habere debeat, tum de præparatione materiæ, & eius occasione diximus etiam de studio Theologiæ. Dicendum nunc restat de Inuen-

uentione. *Secundo*, de Dispositione. *Tertio*, de Elocutione.

Et quod ad primum attinet de Inuentione, necesse est, vt Cõcionator totius Theologię scientia non leuiter tinctus sit. Nam si in Oratore omnium rerum cognitio requiritur, multo magis in concionatore, qui verbi Dei Minister est, requiritur rerum Theologicarum exacta cognitio. Diximus de præparatione in genere, nunc de ea in specie dicemus. Instruximus studiosum Theologum quoniam ille progredi debeat in studijs suis, sed quia studium non erit perpetuum, dicendum est quid post cursum studiorum concionatori faciendum est. Scitis auditores quorsum studia vestra dirigere debeatis, nempe ad gloriam Dei & proximorum vtilitatem, non vt vobis tantum studeatis, sed vt proximos adiuuetis. Cogitare debetis vos esse Instrumenta Dei ad lucrifaciendas animas aptata & ordinata. Ante omnia in concionibus vestris initio forti animo esse debetis, non timidi, non meticulosi, non vitiosa verecũdia præditi. Euangelium enim quod annunciabitis virtus Dei est, in salutẽ omni credẽti. Non erubesco, inquit Apost. Euangeliũ sci. annũciare inter tot doctos Philosophos & oratores qui Romæ sunt. Ac proinde quia functio Legationis Cõcionatoris tã insignis est, non cuiuis temere hoc munus committendum est, est enim Apostolicum, quod ad Episcopos pertinet. Sed quid concionatori in pręparatione faciendum est. Quid? confidam ingenio meo, & profundam ego in populum quod in buccam venerit? Nullo pacto hoc consultum est agere. Est quidem verum quod Christus Apostolis suis dixit. Cum steteritis ante reges & præsides, nolite cogitare quid dicturi sitis, Spiritus enim sanctus suggeret vobis in illa hora, quæ loquamini, vt in hac parte nihil tribuerent sibi, sed solum gratiæ ascriberẽt. Cæterum ordinariè in hoc munere requiritur ante omnia in concionatore diligens studium, vt diligenter intendat Materiæ de qua dicturus est. Nam & Apostolus Paulus licet à Spiritu sancto edoctus esset, legitur studuisse, cum ad Timoth. scribens, libros & membranas sibi mitti cupiat. Ergo Concionator studere debet, & ante omnia cogitare, apud quos dicturus sit, vt pro ratione Auditorum temperet ser-

lares dicendum est. Alia apud Hispanos, alia apud Italos, alia apud Germanos dicenda sunt, & quæ conueniunt vni nationi, non conueniunt omnibus, & quæ apud Germanos dicuntur, non expediret apud Hispanos vel Italos dici: Rursum, non eadem natura hominum, non iidem mores sunt omnium. Debet ergo se attemperare Concionator, ad ingenia & mores hominum, & cogitare quæ illis conueniunt. Tum exemplo B. Pauli, Chrysosto. & insignium Concionatorum. *Primò*, quidem quædam didactica proponat, quæ ad cognitionem & instructionem fidei pertinent. *Secundò*, Ethica proponenda sunt, quæ ad mores formandos faciunt, vt instruatur intellectus, & moueatur affectus. Hæc enim duo facere debet Concionator. *Primò*, docere populum. *Secundò* mouere; ad doctrinam pertinet explicatio Mysteriorum fidei nostræ. Ad effectus mouendos, proponenda sunt, quæ ad mores pertinent. Exempli gratia.

Primò loco aliquid erit dicendum quod facit ad fidei instructionem, vel ex controuersijs, vel ex Symbolo, vel de Sacramentis, secundum materiam Euangelij quod tractabitur.

Secundo, Ex Euangelio doctrinam eliciet, quam applicabit ad mores populi, vt simul moueat affectum postquam intellectum instruxit. Sic Beatus Paulus in Epistola ad Romanos, initio à 1. capite vsque ad duodecimum caput agit de fide.

In posterioribus de moribus. Igitur Concionator initio prospiciat cum quibus acturus sit. Secundo, doceat & afficiat, hoc est instruat intellectum & affectum. Tertio, habeat in materia tractanda non multa, sed selecta, valde bona, & solida; Nam populus non vult folia verborum, sed rem ipsam, quam ornare debet coloribus & similitudinibus & exemplis illustribus. Sic tamen, vt auditores rem ipsam intelligant, & non inuoluantur multitudine verborum, quia dum nimis multa dicuntur, auditores nihil referunt domum.

Deinde obseruandum est, vt in Dispositione seruetur bona Methodus: nam Methodus bona est, quæ hominem valdè delectat & docilem reddit. Et initio con-

constituetis vobis aliquot puncta tractanda. Et in punctis istis facietis aptam diuisionem, vt ad hæc referatis omnia quæ dicturi estis. Tertium est, in Dispositione, vt adferamus & condiamus nostra scripturis, non quidem multis, sed paucis & optimis. Sunt enim qui multas scripturas adferunt, quas neque ipsi, neque populus aliquando intelligat. Sicut si volo ostendere, quod opus sit, vt conuersio hominum sit dura, & vt homines cogantur vt se conuertant. Proferam ex Esaia authoritatem hanc Sacræ scripturæ. Vexatio dat intellectum auditus. Vexatio facit, vt quod antea non intelligebatur, iam intelligatur. Explicemus hoc exemplo adolescentis admoniti à suo præceptore vt diligenter studeat, & ne tempus suum inutiliter perdat, reddendam enim esse aliquando rationem temporis neglecti, qui non inuenit hunc textum in se, & non intelligit, quia mauult ludere quam studere. Quid agit Dominus? immittit illi morbum, & facit vt ista intelligat, quæ alias non intellexerat, & videbantur illi dura. Accedens itaque morbi afflictio facit, vt melius intelligat præceptoris admonitionem. Talibus similitudinibus illustratur mirificè scriptura Sacra. Et non opus est multitudine scripturarum inuoluere auditores, vt hodie Concionatores faciunt, sed sit vna (vt dictum est) bene explicata. Et quia multæ scripturæ sunt, quæ deseruiunt ad vnum locum communem, vel similem propositionem, nunc hunc, nunc illum adferetis & explicabitis, vt dictum.

Porrò ad res obscuras similitudinibus illustrandas, iuuat versatum esse in Patribus maximè Græcis. Beatus Basilius infinitas habet similitudines, & similiter Beatus Chrysostomus. Ad similitudines faciunt figuræ veteris testamenti. Sic Beatus Gregorius sæpè vtitur illis figuris, quæ maximè res illustrant.

Hæc de Dispositione, vt ista bene fiant, putarem expedire, vt qui vult dicere totam concionem suam, demonem. Aliter enim apud Religiosos, aliter apud Seculares

scribat in quãtum fieri potest bono ordine. Nam duplex commoditas inde sequetur. *Primò*, quod multa occurrunt scribenti, & longe plura quam cogitanti. *Secundò*, Quod homo hac ratione memoriã localẽ habeat proponẽdi populo quæ concepit. Dicam ego quomodo meam memoriam iuuẽ, dum concionem meam describo, Pono *Primò* certa capita. *Secundò*, distinguo eadem capita. *Tertiò*, ad ea capita refero quæ dicere statui. Hæc mihi memoriam constituunt, & si occurrant quędam addenda, ea in margine adijcio. Ponunt alij memoriam localem in diuersis angulis domus, alij aliter. Hæc mihi videtur optima ratio adiuuandi memoriam. Quando autem hoc modo descripseris concionem tuam, per 2. vel 3. dies mane & vesperi videbis & leges tua puncta, quæ hac ratione memoriæ commendabis. Qui diu concionatus est, & non constituit sibi ista puncta, & confidit sibi, aliquando sine distinctione multa confusè dicit,

Nunc de elocutione dicemus. Ego animaduerti magnum vitiũ esse in Italia, Hispania & Germania superiori, quod non est in Belgio, nimirum in delectu verborum, vt verba quæ proferuntur sint ornatissima. Ego puto quod ista vehemẽter obsunt. *Primò*, quod hac ratione Concionator magis solicitus sit de verbis, quam de re ipsa. *Secundò*, facit vt Auditores magis sunt attenti ad verba, quam ad rem.

Atque ita vsu venire solet, vt auditores rogati de concione, respondeant: Reuera bene dixit, sed quid dixit, nescio. eleganter dixit, sed quæ, ignoro. Pulchra verba habuit, sed de quibus, non intellexi. Intelligite. Dominus Deus dedit Apostolis donum linguarum, sed non eloquentiam, neque fuit in Apostolis Eloquentia secundum artem Rhetorices, sed secundum Rhetoricam Spiritus sancti mouebat hominum mentes. Neque B. Paulo cura fuit vt eleganter loqueretur, ac propterea vocabatur σπερμόλογος. Ac proinde non fuit in Apostolis Ciceronis aut Demosthenis eloquentia. *Primò*, ne populus à re ad verba vocaretur. *Secundò*, Ne conuersio totius mundi attribueretur potius eloquentiæ verborum, quam Spiritui sancto. Habet Spiritus sanctus etiam suam eloquentiam, qua nouit corda hominum mouere, & hæc

fuit

fuit in Apostolis. Mihi videtur hic magis condito & graui sermone opus esse, quam magna eloquentia. Nolo tamen hic balbos & elingues habere: Sed hoc faciant concionatores ; Quærant non tam eloquentiam prophanam Ciceronis, quam diuinam Spiritus sancti. Ferunt B. Franciscum aliquando requisitum fuisse, vt coram Pontifice & collegio Cardinalium diceret, latino sermone, cum autem ille latinæ linguæ esset rudis, composuit orationem pro sua scientia, quam mandauit memoriæ. Cum autem eo ventum esset, vt diceret, non potuit eorum quæ collegerat vnum verbum proferre, qui implorata gratia Spiritus Sancti dixit. Sanctissime Pater, & vos illustres Cardinales, placuit altissimo vobis manifestare meam superbiam, necesse est vt vobis confitear meam culpam. Dicturus in hoc amplissimo consessu, composueram mihi breuem orationem, quam memoriæ mandaueram, cum verò huc ventum sit, non possum vnum verbum proferre ex his quæ conceperam, accipite proinde ea quæ Spiritus sancti gratia suggeret. Et sic dixit B. Franciscus ex Spiritus sancti Rhetorica, ita vt admirationi & stupori fieret omnibus. Et quam quæso eloquentiam habet Sacra scriptura? Sunt ibi tot Hyperbata & contra artis ordinem posita, quod ideo factum est, quia Spiritus sanctus per talem scripturam voluit nobis suam eloquentiam dare, vt scriptura hoc modo moueret affectum. Ac proinde non est Iota vnum, aut apex in scriptura Sacra, aut verbum vnum quod est superfluũ, & quod non habet suam efficaciam. Et quare ista barbara translatio qua vtimur, accepta est ab Ecclesia? Nimirum, quia Spiritus sanctus qui adfuit Petro & Paulo & Euangelistis qui eam scripserunt, etiam nostrũ interpretem direxit. Eloquentiam ergo quæramus Spiritus sancti, quæ corda mouet, & non humanam illam & vanam. Cæterum post dispositionem concionis, opus est vt Concionator seipsum accendat, priusquã dicat, vt alios igne charitatis accendere possit. Quod fiet hac ratione. Postquã se Concionator ad dicendum præparauit, priusquam Cathedram ascendat, conferat se ad aliquem locum seorsum, vbi se offerat, & suum concionandi munus Deo, eum rogans, vt ipse infusione sancti Spiritus cor suum

& ita-

& auditorum præparare velit, quatenus aptum instrumentum esse mereatur, per quod diuina gratia audientibus instilletur. Postquam hoc modo recollectus fuerit, magno spiritu accedat suggestum.

Hic de Pronunciatione & gestibus aliquid dicemus; Et primò qui vitandi sunt, quique fere tales sunt quales in Rhetorica describuntur, & in his qui de Rhetorices artificio scripserunt; ex quibus facile cognoscetis quales debeat esse compositio in gestibus, & pronunciatione. Et quidem primò absit vitiosa verecundia & pudor inutilis, quæ facit vt homo minus suum officium faciat. Sit audacia cum modestia secundum Deum, cogitet secum se esse vicarium Christi. Dominum per os eius loqui & linguam eius mouere, qui eius gloriam purè quærat in proximorum salutem.

Secundò, adsit præterea grauitas dictionis, nec futiliter agat in re tam seria. Sit sermo grauitate compositus, non vt in priuato colloquio esse solet, hic enim puerilis & nullus fructus esset. Sit autem sermo ita compositus, vt homo intelligat se publicè agere & loqui, tanquam superiorem. Præterea non semper eodem tono vtatur, atque si ad mensam legeret: sed pro rei & materiei varietate mutanda est vox.

Si materia exigat exclamationem, exclamandum erit. Si affectus indignantis, si laudantis, admirantis, expri-mendus. Ita confirmanda est pronuntiatio, vt semper varietur vox & gestus pro varietate rerum. Rursus non sit nimis clamosa, maximè in principio. Tunc maximè clametur, quando aliquid indignum profertur. Vt quando loquimur de Gehenna, ponderanda sunt verba cum quodam tremore. Ite maledicti in ignem æternum, vt vox ipsa & res incutiat timorem auditoribus. Rursus authoritates scripturæ cum grauitate sunt proferendæ, non cum clamore, exempli gratia. Audite quid Apostolus ad Romanos nobis dicit. Omnis creatura ingemiscit & parturit expectans redemptionem corporis sui. Singula verba cum grauitate & pondere sunt proferenda, vbi distinctione aut diuisione opus est, ibi ea semper adhibenda est, secundum materiæ subiectæ rationem. Vt, non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam,

quæ

quæ reuelabitur in nobis. Atque ita vox mutanda eſt pro varietate rerum.

Geſtus autem varij præſcribuntur. Nos affingemus quædam breuiter. Sunt qui ad vnum locum oculos dirigunt. Alij claudunt oculos, alij ſtant immobiles eodem ſemper corporis habitu, quæ non conueniunt concionatori, qui ſe ad omnes conuertat, quemadmodum omnibus loquitur. Sed cũ grauitate moueat corpus, nunc ad hos, nunc ad illos ſeſe conuertens.

Præterea minus gratioſum eſt, ijſdem ſemper vti geſtibus, vt pueri noſtri faciunt, neque geſticulationibus omnibus vti debet, vt ſolent mimi, neque omnino ſine geſtibus eſſe oportet, ſed pro ratione affectuum mutandi ſunt geſtus. Opus eſt aliquando cum vultus grauitate manum aliquando in altum tollere, aliquando dimittere. Nunc tota manu, nunc vno digito aliquid demonſtrare, ſed rarius ſiniſtram ſoluere, aliquando ambas manus in altum tollere, nunc hoc, nunc illo modo. Ita tamen, vt geſtus accommodentur rebus de quibus dicimus. Vt ſi de cœlo loquamur, oculis & manibus in cœlum ſumus intenti. Si de inferno, inferiora demonſtramus. Ducat aliquando manum ſurſum, ſi de gaudio rerum cœleſtium aliquid dicatur. In enumeratione partium, dextera manu digitos ſiniſtræ tangat, ita tamen, vt omnia cum grauitate fiant. Si iſta benè ſeruetis, eritis boni Concionatores. Rogate Dominum, vt iſta per gratiam ſuam in vobis perficiat.

Lectio, Meditatio, & Oratio.

Tria hæc Concionatori neceſſaria, ſiquidem ex Lectione materia, ex Meditatione forma & ordo dicendi, ex Oratione efficacia ſeu virtus prædicationis habetur.

FINIS.

TRACTATVS AVREVS

DE RATIONE ADMINISTRANDI SACRAMENTVM Confessionis,

A S. CAROLO BORROMAEO Cardinali editus.

EX BIBLIOTHECA R. P. ANTONII Possevini, Soc. Iesv, *in gratiam Confessariorum huic operi, sc.* Medvllae Casvvm Conscientiae, *haud incongruè adiectus.*



Coloniae Agrippinae,
Apud Petrvm Henningivm.

Anno M.DC.XXVIII.

AVREVS TRACTATVS

de Ratione administrandi Sacramentum Confessionis, à S. Carolo Borromæo Cardinali editus, & ex Bibliotheca P. Antonij Posseuini in gratiam Confessariorum excerptus, ac huic operi haud incongruè adiectus.

Notent Confessarij & sapiant.

VT Confessarij pœnitentiæ *Sacramentum* administrent, eo cum fructu, qui maximus esse possit (is verò in sincera vitæ emendatione positus est) neue in tanti ponderis negotio cum propriç conscientiæ summo onere conuenientem non adhibuisse diligentiam videantur (id quod sumopere timendum est multis, ne scilicet in grauem reprehensionem incident eorum industria, cùm de tanto numero confitentium, tam exiguam emendationem videamus in ijs, qui toties, & tam multis abhinc annis hoc Sacramentum frequentarunt) præceptiones, & admonitiones nostras omnes iam prîdem diuersis temporibus hac de re datas in vnum contulimus, atque alias quasdam ijs adiunximus, quas in hunc finem vtiles, & necessarias esse sumus arbitrati. Quamobrem per viscera misericordiæ Domini Nostri IESV CHRISTI eos exhortamur, vt quemadmodum eorum officium, & vocatio requirit, hac in causa, & negotio, quod ad animarum salutem vsque adeò pertinet, summa cum diligentia nostræ sollicitudini cooperari velint, nostramque intentionem in eo positam, vt populus Christianus,

ſtianus, quem Dominus nobis regendum tradidit, in viam ſalutis commodè dirigatur, promouere pro ſua virili ſtudeant.

Nullus ſine approbatione Confeſſiones audire poteſt, ne puerorum quidem.

Nullus igitur neque ſæcularis, neque regularis Sacerdos Pœnitentiæ Sacramentum aggredi præſumat, ſi non approbationem, & licentiam antea noſtram in ſcriptis habeat, vt rite Concilium Tridentinum ordinauit; ſin aliter fecerit, excommunicationis pœnam ipſo facto, iuxta primi Concilij noſtri Prouincialis decretum, incurriſſe ſe nouerit, & ſi Sacrum Miſſæ officium poſtea celebret, irregularis erit.

Caueat autem ſibi quiſque hac in re, ne prætextu minoris ætatis, ſe abduci a recto patiatur, quaſi pueri ſint, qui nondum ad vſum rationis peruenerint, quorum audit confeſſiones: ſolet enim vſu venire, vt in pueris etiam, quamuis in ætate ſint adhuc tenera, peccata mortalia inueniantur. Ac vero nemo per ſpeciem neceſſitatis alicuius ſe falli ſinat, ac neceſſitatem interpretetur pro quauis ægritudine, etiam ſi grauis, & periculoſa illa ſit, cum ad proprium paſtorem, aut alium confeſſarium à nobis approbatum recurri potuiſſet. Immò nullos huic ſe negotio pergat interponere, quamuis à paſtore eius, qui confiteri cupit, vel Vicarijs noſtris conſenſum obtinuerit, niſi tales ij ſunt, qui ſpecialem à nobis acceperint poteſtatem, vt eam alteri concedere deinde poſſint.

Sacerdotes autẽ, qui confeſſiones audiendi licentiam à nobis obtinuerint, cum definita temporis, loci, certarumque perſonarum limitatione, videant, ne poteſtatis conceſſæ limites vllo modo excedant.

Confeſſariorum Catalogus.

Prima cum opportunitate regularium Superiores catalogum confeſſariorum, quos ad hoc officium elegerint, quiue in hac Ciuitate, vel diœceſi noſtra habitant, nobis exhibeant, quo eorum nomina, cognomina, & natale ſolum habeantur.

Sed quia sæpius contingit, vt per suorum obedientiam mutẽtur, iccirco bis in anno prædictum catalogum nobis offerent; primum quidem ad primam septimanam Aduẽtus, secundum deinde primis feriis Quadragesimæ: Confessarij autem qui in nostra diœcesi versantur, Pastoribus, aut Vicarijs foraneis, testimonium admissionis suæ, qua ad huiusmodi munus idonei esse iudicati sunt, quotiescunque ab eis exigetur, ne recusent ostẽdere: in templis verò, in quibus plures sint confessarij, in foribus sacrarij tabula suspensa habeatur, quæ omnes eius templi confessarios à nobis approbatos contineant, quæ toties mutanda erit, quoties alij deligentur.

Cõfessarij, qui à censuris & casibus reseruatis absoluendi potestatem à nobis habent, summa cum prudentia eam exerceãt, vt sit ædificationi potius, quàm destructioni locus: quamobrem si in vtilitatem & auxilium pœnitentis, qui in aliquod eiusmodi peccatum inciderit, iudicent expedire ad nos eum remittere, admoneatur, vt id facere debeat.

Confessarij quamuis approbati, Casibus conscientiæ studeant.

Omnes confessarios, quamuis à nobis vt idonei semel admissi fuerint, tamen ob graues & diuersos scrupulos, qui pœnitentibus in dies occurrunt, & plurimas difficultates sibi cohærentes habent præmonitos, volumus, vt bonos, & classicos auctores nonnullos, qui Casus conscientiæ ex Professo tractant, manibus continuè terant, quod si non videantur sibi satis iudicij, & doctrinæ comparasse, vt possint quæstiones obiectas resoluere, meminerint adire doctiores, & in talibus melius versatos. Sciant aut nos in hunc finem dedisse speciatim eas partes Pœnitentiario maiori Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, vt cum Theologis, & iuris Canonici peritis, si quę dubia, & cõtrouersiæ circa res conscientiæ in hac nostra diœcesi obueniant, & de ijs conferat, & diligenter discutiat, vt postquam res grauiores nobis communicarit, omnem dubitationem oximat ijs, qui ad ipsum consulendi causa accedent.

Examinent præterea vires ingenij, & scientiam, quam habent,

habent, nec se temerè ad confessiones audiendas eorum ingerant, quos censuris ita quibusdam inuolutos esse suspicentur, vt sese inde satis explicare nesciant.

Bonam habeant notitiam censurarum, & Casuum reseruatorum, particulatim autem Bullæ in Cœna Domini legi solitæ: similiter Canones Pœnitentiarios, & nostras has admonitiones sæpius legant.

Confessariorum bonitas.

Cùm dubium non sit, quin is qui peccato mortali infectus, Sacramentum quoduis administrat, nouo se scelere rursus obstringat; diligenter obseruent, qui Confessarij partes agunt, ne cum peccati mortalis conscientia confessiones audiant, multò verò minus id audiãt, si qua censura teneantur Ecclesiastica ligati.

Qui verò feruidi animi confessarius est, animarumque salutis studio tenetur, vt eas ad virtutes inducat, diuinisque remedijs adiuuet, quibus contra peccata vel pœnitẽs vtatur, vel ab ijsdem abstrahatur, qui doceat itidem dæmonis astutias perspectas habere, qui demum pœnitentem exuere veterem hominem, & nouum induere laboret, ac confingere in eo formam aliquam speciemque perfecti Christiani, non satis id sibi habere debet, si nulli peccato mortali obnoxius Sacramẽtum Pœnitentiæ ministret, sed cùm facilè cognoscat magnopere referre ad præstandum ea, quæ dicta sunt, prius in seipso exprimere, quæ in altero videre desiderat (quandoquidẽ plus exempla, quàm verba commouent animos, neque quis aliorum animis ingenerare virtutem potest, quã ante non in se possideat) idcirco perfectionis suæ totus amore ferueat, necesse est, atque ijs in virtutibus acquirendis operam diligentem ponat, quibus ipsa perfectio acquiritur.

Sed quoniam Regulares, cùm ad confessiones audiendas emittuntur, solũ examinari solent sint ne sufficientes, & doctrinam iustam habeant, neq; nos aliter perspectos mores eorum, & bonitatem vitæ probatam tenere possumus, ideo Superiorum eorum conscientias oneramus, vt ad huiusmodi prouinciam non alios nobis in publicũ deducãt, quã qui probitate, atque integritate vitæ tales sint, qui laudabiliter hoc Sacramentũ exhibere queant, cuius

quidem rei scripto nobis fidem dabunt, nec aliter eos admittemus.

Confessarij diligentia.

Prompto, ac parato animo ad confessiones audiendas accedant, euitentque diligenter, non solum ad subterfugiendum laborem, ne submoueant intempestiue venientes ad se confitendi gratia, sed neque signo, aut verbis vllis præseferant, ægrè se, grauatoque animo confessiones eorum excipere; quin potius ita se comparent, vt intelligant pœnitentes eos salutis eorum causa multum solatij, & gaudij ex ijs laboribus haurire,

Confessarij quando maximè Confessionibus audiendis vacare debeant.

Ex hac eorum alacritate nascetur etiam hoc commodi, ne pœnitentes excusationem iustam prætexere possint, se non esse confessos, maximè quibus temporibus ad id tenentur, per speciem quasi commoditatem non habuerint. Præterea autem admonemus Confessarios, si vel ad exequias, vel quæuis alia Ecclesiastica munia illos euocari contingat, nisi causa prorsus sit necessaria, vt ne confessiones ijs diebus propterea vel interrumpant, vel intermittant, quibus frequentiores solent occurrere, maxime octiduo, aut amplius ante diem natalem D. N. Iesv Christi, in Quadragesima, & præcipuè circa medium illius vsque ad octauam Paschæ, nonnullis etiam diebus cum Iubileum promulgatum est, alijsque solennioribus festis, quibus, vt plurimum, populus, vel omnis, vel ex maiore parte ad Confessionis Sacramentum confluit.

Cupimus etiam in hũc finem, Superiores Regularium certiores ea de re redditos, vt prædictis temporibus procurent, quantum poterunt numerum maximum Cõfessariorum, qui doctrina, & timore Domini insignes, atque à nobis approbati in suis Ecclesijs pœnitentes audiant.

Confessiones ægrotorum quomodo excipiendæ.

Quoties regulares ad ægrotantium confessiones excipiendas accersuntur, si necessitas aliud non suadeat,

ex

pastore prius intelligant, quæ conditio, & status sit ægroti, vt tantò diligentius animaduertant, si quid alleuamenti conscientię illius præberi valeat, præsertim in summo temporis illius articulo, in quo velut in cardine vertitur aut animæ salus, aut perditio æterna: quod si temporis breuitas non patiatur ante confessionem id fieri, saltem ab audita cõfessione quàm citissimè fiat, vt tam ipse Confessarius, quam Pastor in procuranda hominis infirmi salute suo officio non arguantur defuisse.

Cùm primum Sacerdos Sacramentum Pœnitentiæ cuipiam ægroto ministrauit, in schedula subscribat; quæ qualis esse debeat, infra dicetur, eaque fateatur se pœnitentis confessionem excepisse. Quòd ideo fit, ne Medici curam suam subtrahere infirmis cogantur, iuxta Bullam fel. mem. Pij V. & Decretum primi nostri Concilij Prouincialis, & ne per negligentiam confessariorum in dicta fide præstanda sumant occasionem excusandi se ab obseruantia præfatæ Bullæ, & Decreti.

Confessones extra templum non audiendæ.

Popularium in domibus confessiones nemo audiat, nec virorum, nec fœminarum, cuiuscunque vel ordinis, vel conditionis illi fuerint, nisi dum ægrotant; quod cum fit, & mulierum confessiones Sacerdos excipit, ostium apertum sit, ita vt ab ijs, qui in vicinis locis agunt, conspici possit.

Extra eam necessitatem confessiones mulierum non audiant, ne etiam si vel leuiter illæ reconciliari tantummodo vellent, præterquam in templo, & sedilibus ad id destinatis, sed neque tum quidem eo loco, nisi post ortum solis, & ante eius occasum audiantur.

In illis ipsis sedilibus quotidiano ritu confessiones audientur, etiam virorum, si qui solent in templo confiteri: Hanc ob causam omnibus in templis sedes huiusmodi tã multæ construantur, quàm multi solent esse Confessarij, sint autem omnes ad eam formam exædificatæ, quemadmodum ordinauimus, generatim eas debere construi.

Constituantur autem prædictæ sedes loco tam aperto, vt ex omni parte conspici possint, quod si præterea locus

haberi talis possit, vt obstaculum aliquod intercedat, & vt dum quis confitetur, interea cęteri à spatijs plus æquo propinquis arceantur, id fiat, vbi verò malus mos aliud obtinet, Confessarij partes erunt sedem ipsam loco mouere, simul & populum nimis vicinum antequam confideat propellere, quod item faciet, dum in confessionibus versatur, si occasio requiret.

Confessarij in audiendis confessionibus scopus.

Confessarius in huius Sacramenti administratione, sic animi sui propositum ordinet, ac dirigat necesse est, vt nullum eum intuitus humanus eo pertrahat, sed sola Dei gloria, & animarum salutis desiderium: quocirca quoties vel euocabitur ad confessiones audiendas, vel ad eas sese conferet, totus in Deum erectus, cum ipso opere mentis oculos in hunc finem conijciat, & diligenter attendat se eo pergere vt pœnitentes prætiosissimo Saluatoris nostri Iesu Christi sanguine abluat, ac mundent.

Sed quia in huius Sacramẽti tractatione multa inueniuntur pericula, ne scilicet errent in varijs quæstionibus, & obligationibus decidendis, quæ in illud forum veniunt, vel absolutionis gratiam re ipsa indignis impertiãt, vel aliquo modo animam suam inquinent, dum multorum inquinamenta, fœditatesque audire necessarium est, nunquam ad tantum hoc officium sese Confessarius accingat, quin prius breui aliqua oratione, prout res feret, lumen & gratiam à Domino petat, vt non solum in nullam reprehensionem vel errorem incidat, verum aliorum sordes sic abstergere valeat, vt se ipse non polluat: simul etiam Deum orabit pro vera emendatione eorum, quorum confessiones auditurus est.

Oratio ante audiendas confessiones faciendas.

Habeant igitur singuli versiculos illius Psal. 50. & orationẽ antiquis temporibus ab Ecclesia vsitatã penes se inscriptis, cuius quidem alterum exemplar in sacrario cuiuslibet templi (in quo sunt Confessarij) deinde, alterum introrsus in ipsis sedilibus, volumus affigi, vt antequam ad confes-

confessiones aggrediantur, eam vt similem aliquam, prout cuiusque pietas feret, apud se legant:

Vers. *Cor mundum crea in me Deus.*
Resp. *Et spiritum rectum innoua in visceribus meis.*
Vers. *Ne proicias me à facie tua.*
Resp. *Et spiritum sanctum tuum ne auferas à me.*
Vers. *Redde mihi lætitiam salutaris tui.*
Resp. *Et spiritu principali confirma me.*
Vers. *Docebo iniquos vias tuas.*
Resp. *Et impij ad te conuertentur.*
Vers. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.*
Resp. *Et exultabit lingua mea iustitiam tuam.*

ORATIO.

DOmine Deus omnipotens, propitius esto esto mihi peccatori, vt dignè possim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam magnam misericordiam, ministrum fecisti officij sacerdotalis, & me exiguum humilemq; constituisti ad orandum, & intercedendum ad Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum pro peccatoribus, & ad pœnitentiam reuertentibus: Ideoque dominator Deus, qui omnes homines vis saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed vt conuertantur, & viuanti suscipe orationem quam fundo pro famulis, & famulabus tuis, qui ad pœnitentiã venerunt, vt des illis spiritum compunctionis, resipiscant à diaboli laqueis, quibus astricti tenentur, vt ad te per dignam satisfactionem reuertantur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum.

Sacerdotes sæculares non nisi toga, & stola decenter amicti, pœnitentes audiẽt: quod etiam tum fieri volumus, cùm ægrotantium excipiunt confessiones, licet id faciant apud eos domi.

Nullorũ accipiantur confessiones, nec in Ciuitate, nec verò in tota Diœcesi nostra, sine nostra, vel Vicariorum foraneorum expressa licentia, post Dominicam Palmarũ vsque ad diem integrum Paschę peractum, nisi eorum qui paulo ante confessi sunt, aut saltem à Quinquagesima præcedenti, excipimus semper ægrotos. Ceterorum verò confessiones infra octauam Paschę differantur, secundum constitutionem nostram Pastoribus datam, idque graues ob causas in ea declaratas.

Confessarius non facile mutandus.

Si quem deprehenderint, qui sine ratione legitima Confessarium suum deserat, qui quidem perappositus erat alioqui ad illum in viam salutis dirigendum, conetur eumdem peropportunè reducere, tum reprehensa pernicioſa hominum negligentia, qui Confessarium doctum & prudentem sibi deligere negligunt, tum quasi noxia, & vitiosa frequenti mutatione Confessarij detestata, quemadmodum enim medici, qui naturam temperamentumque corporis in infirmis perspectum habent, non facile permutari solent, quòd morbis necessaria facilius inuenire remedia norint; sic neque videntur pœnitentes, nisi magno delectu, à medicis suis discedere debere, cùm ij melius animarum vulneribus adhibere opportuna, ac vtilia instituta possint. Si tamen iusta de causa Confessarius aliquem ad se venire permittat, qui pij, & prudentis alterius in confitendo consilijs ante vtebatur, vtile erit id cum illo ipso communicare, vel saltem dare operam, vt pœnitens ab eo abeũdi honestam licentiam nanciscatur.

Confessarij inter se conuenire debent.

Confessarij omnes, pręcipuè si qui in nostra Diœcesi eo munere funguntur, curare debent, vt inter eos, & Parochos locorum, vbi confessiones audiunt, bene conueniãt, siue cùm illorum ibi sint monasteria in propinquo, siue cum ob habitas conciones, siue ob aliam quamcumque causam confessiones audiunt. Itaquè non absoluant eos, qui vel ob exempla vitæ impiæ, & in eo statu perseuerãdi pertinaciam, vel quòd ad pœnitentias publicas, siue legata pia, vel similia quædam tenebantur; atque ideo à Pastoribus suis absoluti non fuerint. Proinde sæpius Regularium Superiores suos admoneant huius rei necesse est: præcipuè autem ad animorum concordiam, quæ ad ædificationem quoque plurimum valet, diligenter eos exhortentur, præmoneantque, si in quæstionis alicuius explicatione inter eos & Pastores sentiendi quædam accidat diuersitas, vt ea cum prudentia sese gerant, ne ad vulgi aures ea perueniãt, quin statim ad nos potius pro rei controuersæ definitione accurrant.

Memine-

Meminerint ad Sacramentum Pœnitentiæ non permittere venire eos, qui sine conuenienti tum exteriore tum interiore animi præparatione volunt accedere, quin magis verbis caritatem spirantibus pro captu cuiusque tales alloquantur, & dicant, vbi sese melius pro dignitate tanti Sacramenti disposuerint, ita demum ad se reuertantur.

Mulieres quæ in confessione audiendæ non sint.

Itaque mulierum earum confessiones non audiantur: quæ cerussatæ veniunt, quæ fucis vtuntur, quæ faciē stibijs depingunt, quæ ex auribus monilia gestant, quæ leuibus, & vanis ornamentis, quæ pannis aureis, alijsue similibus lasciuijs promptè, ac comptè accedunt, &, vt semel omnia dicam, quæ vestes modestas non habent, nec simplici cultu incedunt, nec in capite velum aliquod gerunt, quod notabiliter non transpareat, quæue saltem operimentum ex lino, lanaue confectum, vel peplum sobrij alicuius coloris non habent: sic enim huius Sacramēti reuerentiam decet, & ita prorsus cognitioni peccatorum, & de eisdem dolori intimo consentaneum est, cùm scilicet cogitare debeant, quod ante tribunal, & iudicium Domini Dei sui se sistant, ac quasi peccatrices misericordiam, & veniam suppliciter de eisdem imploraturæ veniant.

Idem necesse est in viris obseruetur, vt videlicet ad confessiones non admittantur, qui vestitu viro indecenti, qui auro intextis pallijs vtuntur, qui lasciuis pileorum ornamentis induti sunt, qui item cum armis accedunt, aut similibus rebus.

Maius multò studium confessarius ponat in interiore animi præparatione, quando necesse est, prudenter inquirenda; ea enim plane ad hoc Sacramentum requiritur, cernitúrque maximè in seria, & solida peccatorum examinatione, quæ ad vnumquemque pertnet, ita vt vniuersi, quantum in se est, eum animi dolorem, qui iure in hoc Sacramento requiritur, habere conentur, cùm firma, ac constanti deliberatione animi, tum præteritis satisfaciendi, tum vitam in posterum emendandi. In quibus igitur

cam

eam præparationem desiderari animaduertent, verbis beneuolis persuadere conabuntur, vt denuò conscientiam suam diligentius examinent, ac rectè sese præparent.

Quomodo malè homines ad confessionem parati accedunt.

Signa autem ex quibus coniectura capi potest, eos sine iusta præparatione ad Sacramentum venire, hæc sunt. Si ad confessionem properant, quasi ab ipsa occupatione rerum suarum auulsi, nullo temporis spatio prius in orationem collato, vel si eos peccatorum nullam habere cognitionem appareat: deinde si Confessarius iam tum præsciat, quòd à confessione nihilo minus, ac ante suis in peccatis sint perseueraturi, siue quod in se peccatũ mortale quodpiam teneant, vel quòd occasionem quæ ad mortale pertrahat, amplexi teneant, nec ei valedicere velint, siue quòd aliena bona, cùm possint, restituere negligant.

Aduertat tamen Confessarius, si pœnitentes studij nonnihil à se præstitisse ad eam præparationem, de qua dictum est, consequendam viderit: & obseruet tamen vel ob eorum ruditatem, vel quid aliud, necessariò aliquid ijs deesse, vt ipsemet quod deest supplet sua industria, & ad cognitionem maiorem eos inducere adlaboret: quod fiet optimè, si peccati turpitudinem & grauitatem ponat illis ob oculos, quippe quod Deo aduersetur vel maximè, ac damnationis æternæ malum peccanti infinitum adferat, atque hoc pacto pœnitentem inflectere, & sic effringere conetur, vt de vniuersis, & singulis peccatis mortalibus; tam acrem animi dolorem persentiat, vt securè eis absolutionis beneficium possit impertiri.

Præterea, pœnitentes, sed eos præcipuè qui rarius confitentur, pro iudicio, & necessitate cuiusque, rationem ac methodum quamdam bene confitendi diligenter edoceant, ac speciatim quantum interfit vt integra sit confessio, aliasque circumstantias quæ ad ea requiruntur, & quam vim itidem habeant exponant.

Pueri

Pueri quomodo audiendi.

Consuetudo honesta est, puerulos, etiamsi quintum, aut sextum ætatis annum necdum excesserint, ante Confessarium adducere, vt sic incipiant paulatim instrui, ac manu quasi in cognitionem, atque vsum huius Sacramenti transferri: caueant tamen accurate Sacerdotes, ne absolutionē cū Sacramento ijs præbeant, in quibus nec idonea materia, nec ea rationis plenitudo reperitur; ac citra controuersiam iudicare possint, eos huius Sacramenti capaces esse: operam tamen maiorem collocabunt cum ijs, qui septimum, aut octauum annum iam attigerunt, quantum puerilis ætas ferre videbitur, vt huius Sacramēti necessitatem & virtutem, necnon modum quo suscipitur, perspicuè intelligant.

Quando communio pueris tradenda.

Qui verò confessiones audiunt puerorum, aut puellarum, qui iam annos decem vel duodecim numerant, quos proinde aptos ad venerabile Sacramentum altaris propediem fore existimant, solerter videant, ne vel sua, vel parentum negligentia, & socordia, absque gustu tanti thesauri Spiritualis eos patiantur adolescere: quin potius quantò minori cum productione temporis, quamque diligentissimè fieri poterit, doceant eos, quæ ad hoc Sacramentum percipiendum necessaria sunt, fructusque numerabiles inde manantes, tum quanta animi demissione, ac reuerentia, quamque magna conscientiæ puritate opus sit.

Cæterum, postquam iterum atque iterum eorum confessiones iam audierint, vel per se venerabile Sacramentum eis porrigant, illiusque rei fidem scripto faciant, vt Pastori suo exhibeatur, quo deinceps in Paschate ad cōmunionem Pastor eos, cum ceteris adiungat, vel ad eam sumendam instructos & idoneos esse scriptis declarēt, atque proprium ad Pastorem amandent.

In ipso aditu confessionis, antequam peccata sua quis enumerare pergat, Confessarius, maximè si cum rudioribus hominibus agit, quiue rarius confitentur, debebit quasdam interrogationes præmittere, quibus

quibus in decursu confessionis omnia commodius cedent: sunt autem interrogationes huiusmodi. Primum si certum non habet, pœnitentem ex eorum numero esse quos absoluere recte possit, interroget, quo modo id sit; si non esse talem inueniat, quàm primum ad alium qui absoluendi potestatem habet, remittat; sin aliter est, & tamen nihilo secius pœnitentem satis non agnoscit, quærat secundo loco: quo in statu res eius sint, cuius ipse conditionis sit, quam professionem, aut artem tractet, quod officij genus, vt plurimum, exerceat: interrogabit deinde, quantum temporis interceßit, postquam confessus est, interim memoriam ei redigens, quam magnum emolumentum parere soleat crebrò iterata confessio: tum petet vtrum pœnitentiæ nuper præscriptæ sibi fecerit satis: quæret etiam, si norit articulos Fidei, præcepta Decalogi, & S. Matris Ecclesiæ: quod si nesciat, tum se geret eo modo cum pœnitente, quem inferius indicabimus.

Quæ sint initio confessionis facienda.

Quærat vtrum diligentiam, atque industriam congruentem in conscientia bene examinanda collocarit; quæ sanè tanta requiritur, quanta in negotio quouis maximi ponderis inesse solet: res enim verè operosissima est ad Sacramentum Pœnitentiæ ritè accedere: atque hoc loco, si necessitas efflagitat, eum de vtili quodam modo examen conscientiæ faciendi instituat, quæ ea ratio sit ad memoriam reuocandi peccata commissa, cum ijs, quæ circumstant omnia; nimirum vt ingrediatur in seipsum, vitæque tempora speciatim percurrat, initio quidem quantum ad ætatum momenta, pueritiam scilicet, iuuentutem, & cetera pertinet: secundo quantum ad status mutationem; quòd si vxorem duxerit, quomodo ante, quomodo post matrimonium contractum sese gesserit: tertio quantum facit ad vicissitudines humanæ vitæ, in rebus prosperis videlicet & aduersis, in sanitate & ægritudine, tempora varia, officia diuersa, quæ exercuit, sodalitia, loca, regiones, in quibus egit & versatus est, circa hæc omnia videat, an corde, lingua, vel opere peccauerit aliquando,

Confessionis conditiones.

Ad hæc conditiones quæ ad confessionem perfectam requiruntur, quanta poterit breuitate, & facilitate illi proponet: poterit verò ad quatuor, vel quinque præcipuas reducere illas sexdecim à Doctoribus sæpè commemoratas, quæ his versibus continentur:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis.
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda.
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Rogabit an recordetur se, vel in casum aliquem reseruatum, excommunicationem incidisse, vel quod aliud impedimentum habere, à quo probabiliter arbitretur, quòd absolui non possit. si quid huiusmodi in exordio, vel in ipso decursu confessionis reperiat, ne procedat vlterius, sed significet pœnitenti, eũ à se absolui non posse, verum necessarium esse, vt aut nobis, aut Pœnitentiario maiori Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, aut alteri, cui à similibus absoluendi potestas collata est, se exhibeat: si tamen ratio aliqua subsit, cur Confessarius non expedire iudicet, vt pœnitens id agat, tum ipsemet ad Pœnitentiarum, vel ad nos, pro absoluendi potestate impetranda recurrat.

Confessarius quomodo se geret cum ijs, quos absoluere non poterit.

Si pœnitens extra ciuitatem sit, taleque negotium sit, vt ipse confessarius à Vicario nostro foraneo, aut alio in ijs locis ad similia decidenda à nobis deputato subdelegari possit, ab eis absoluendi potestatem legitimam impetret, vel pœnitentem ad eos remittat, nisi fortè nec ipsi à casibus reseruatis absoluendi potestatem à nobis haberent, aut casus iste sub eorum licentia comprehensus non sit, hoc tempore si pœnitens Mediolanum venire possit, hortetur eum vt id faciat; quod si ad id inducere non possit, petat ab eo veniam, dictum casum nobis, vel Pœnitentiario maiori literis, aut verbis indicandi, quatenus

tenus absoluendi ab eis potestatem impetret: quod cum faciet, & rem ipsam literis committet, prudentiam, cautionemque summam adhibeat necesse est, ne vllo modo in aliorũ notitiã venire possit: at verò si causa tanti momenti esset, vt si litterę vel perdantur, vel intercipiantur, maius aliquod pœnitenti incommodum immineat, tum Mediolanum Cõfessarius iubeat ipsum proficisci, nisi forte consultum videatur, vt ipso veniat alterius nomine.

Ceterum in negotijs similibus prudentius facient, si recta ad Pœnitentiarium maiorem, quàm quoquam aliò recurrant, vel eo pœnitentes suos dirigant. Specialiter enim à nobis ad id constitutus est ille, cum ampla etiam potestate alios subdelegandi in ijs omnibus negotijs, quæ pro casuum reseruatorum absolutione difficilia occurrunt. Quod si ipse Pœnitentiarius à tali casu possit absoluere, tum modum illi præscripsimus, vel à nobis, vel aliunde vnde necesse sit, remedia talibus negotijs opportuna adhibendi.

Si pœnitentem aliquo excommunicationis vinculo reperiat ligatum, serio commonefaciet eum pœnæ excommunicationis, & quæ grauitas illius, quamque periculosum in ea perseuerare, quantaque cum diligentia fugienda sit excommunicatio: quod commodè fiet, si effectus illi demonstret nonnullos excommunicationis.

Interroget vtrũ sciat hæreticum aliquem, vel de hæresi suspectum, vel simile quippiam, quod iuxta vel nostra edicta, vel eorum, qui Inquisitores vocantur, leges denunciare teneatur. quod si pœnitentem ad tale quid aperiendum cognouerit teneri, curet ab eo satisfieri; vt si negligentia sua factum est, postquam apud eum hæretici, vel suspecti de hæresi alicuius notitia fuit, vt terminus his denuntiationibus præfixus transierit, eo articulo iubebit, vt licentiam impetret, qua absolui possit: non enim satis tempestiuè perfecit denuntiationem vt debebat.

Quando confessio reiteranda.

Circa confessiones antegressæ vitæ, debent eæ interrogationes fieri quæ sunt ad cognoscendum necessariæ; Num aliquo in peccato erratum sit ab integritate confessionis,

fionis, ob quod nullius ponderis, neque virtutis extitissent ceteræ confessiones, ac proinde reiterandæ essent. Exempli gratia, si pœnitens alicui confessus sit, qui eum absoluere nõ potuerit, vel qui legitima absolutionis forma vsus non fuerit; vel Sacerdoti adeo indocto, vt ea quæ ad hoc Sacramentum administrandum requiruntur, nec intellexerit, nec sciuerit; vel etiam si ipsemet aliquod peccatum mortale sciens subticuerit, vel confessionem diuiserit, enumerata parte peccatorum suorum vni Confessario, alteri altera; vel ad extremum, si nullo penitus cum dolore de peccatis suis, nulloue deliberato emendandi proposito, confessus sit; vel, quod etiam contingit interdum, si nullam omnino diligentiam in memoria peccatum refricanda videatur contulisse.

Confessio generalis quando facienda.

Et quoniam cernere est, negligentiam maximam in confessionibus ritè faciendis sæpenumero committi, præcipuè verò eo tempore, quo quidem repudiato à se Dei timore, vel minimam prorsus, vel nullam animæ suæ curam gerere putantur, vt potiùs veniant ad confessionem ex certa quadam agendi consuetudine, quam quòd peccatorum suorum agnitione eo perducantur, & vitam emendandi vera desideria susceperint: in vniuersum quidem ob summam commoditatem, quæ ex confessione generali redundat, tum præsertim cum ex animo quisquam statuerit in posterum vitam in melius commutare, & totum se ad Deum conuertere; Confessarij pro cuiusque personæ qualitate, opportuno tempore, & loco ad generalem quandam cõfessionem pœnitentes exhortentur, vel per hanc, proposita omni præterita vita sibi ob oculos, maiore cum alacritate redeant ad Dominum, ac omnes errores, qui potuissent in præcedentibus confessionibus accidere, resarciant.

Interrogationes Confessarij quomodo necessariæ.

Hisce interrogationibus finitis, quæ confessionis ve-

luti præambula quædam, & præludia sunt, Confessarius pœnitentem inducat, vt ipsemet omnia peccata sua, quæ recordatur, exprimat per se: quod vbi fecerit, si perspiciat adhuc (quod sæpè numero accidere solet) eum alijs interrogationibus indigere, per quas multorum, quæ oblitus sit reducatur in memoriam, vel ea quæ prius confusè dixerat, distinctius consideret; volumus interim prænonere Confessarium, vt peccatorum mortalium numerum semper quàm poterit exactissimè inquirat, & quamuis fieri posset, vt non vsque adeo præcisè, & velut ad vnguem omnia referantur à pœnitente, nihilominus tamen paullò plus, minusue eum numerum indicet, quem ad veritatem magis accedere arbitretur.

In his interrogationibus ordinem sequatur oportet, initio ducto à præceptis Domini, ad quæ tametsi omnia alia, de quibus interrogationes habentur, computari possint, nihilominus si cum personis, quæ rarò ad confitendum accedunt, agatur, vtile erit, etiam per septem peccata capitalia, quinque sensus exteriores, & opera misericordiæ discurrere.

Confessarius non minori vigilantia, ac prudentia pollere debet, in ijs maximè peccatis inuestigandis, quæ homines eius status, conditionisque, cuius est pœnitens, communiter perpetrare solent.

In peccatis verò luxuriæ, summam animi solertiam cum pari circumspectione verborum debebit vsurpare. Itaque cùm in ijs speciem peccati, & circumstantias, quæ multum prægrauant illud, satis intellexerit, vlterius nihil studeat inquirere: in hunc finem circumstantiæ, quæ peccati speciem ab vna in alteram mutant, vel id plurimum deprimunt, plene perfecteque à Confessario sciri debent; quandoquidem hæ duæ circumstantiarum species necessario inter confitendum explicandæ sunt; ideoque ad Summas recurrendum erit, in quibus plerumque hos versus illi continentur.

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Præ cæteris tamen prouidus, cautusque sit oportet, ac modum congruentem sciat, quo pueri, ac puellæ interro-

gen-

gentur, ne forte, quæ prius ignorabant, eos doceat: verbis autem adeo commodis interrogationes suas circumloqui nitatur, vt pœnitentis animus non offendatur: quin etiam dum aurem admouet alicuius confessioni audiendæ, caueat omni modo peccati grauitatem à se auditi, gestu corporis, vel nutu capitis circumstantibus prodere, vel etiam pœnitentem ira terrefacere, vt propterea aliud graue peccatum subticeat, imò animum ei addat, vt omnia, quantumuis enormia, & turpia peccata aperire non vereatur.

Mutatio votorum quomodo facienda.

Confessarius, qui priuilegium aliquod, facultatem, vel auctoritatem habet Pœnitentium vota commutandi, ea non nisi in alia opera pia maiora, Deoque acceptabiliora, vel saltem æqualia commutabit, in quo negotio diligenter attendet expensas, labores, aliasque difficultates, quas sustinere necesse fuisset, si vota à se nuncupata primo modo debuisset persoluere.

Quamuis verò per Iubilæum aut literas Apostolicas Priuilegium aliquod ei concessum sit ab omnibus peccatis, quantumuis enormibus, ac pœnis, censuris que Ecclesiasticis absoluendi, prænonemus tamen, quod dispensare non possit, cum eis qui irregularitatem incurrerint, nisi in ipsis literis expressa huius fiat mentio.

Vt Confessarij plenius instruantur, nec absolutionis beneficium ijs impartiantur, quia eo reuera indigni sunt (id quod vel incuria, vel negligẽtia, vel alia de causa sæpè accidit, ac proinde multi semper in eisdem peccatis hærent cum animarum suarum lamentabili ruina) idcirco ex plurimorum Theologorum, tùm Sæcularium, tùm Regularium diuersorum ordinum consensu, quædam, quæ in frequentiori consuetudine agendi à Confessarijs obseruanda erunt, inferius notauimus: quandocunque verò ab ijs pœnitentes vel absoluent, vel relinquent legatos, volumus, vt secundum id, quod infra dicetur, sua consilia dirigant.

Itaque quandoquidem quilibet, qui iam ad rationis vsum peruenit, sub peccati mortalis periculo, articulos omnes fidei scire, & intelligere (saltem generaliter) tenetur, necnon Decalogum, & S. Matris Ecclesiæ præcepta ad peccatum mortale obligantia, quæ communiter in scholis cum Catechismo doceri solent: si confessarius deprehendat pœnitentem ignorare ea, quæ diximus, nec ad ea quàm citissimè poterit perdiscenda idoneum, non debet eum absoluere: si verò ad ea mandandum memoriæ paratum sese exhibeat, si tamen alias à Confessario (siue ipsemet is sit, siue alius) vel speciatim à Pastore suo hac de re admonitus fuerit, (debebit autem hæc recordari, vt commodius interroget) neque tamen tantùm studij adiunxerit, quantum debuit pro capacitate suæ personæ, eo vsque absolutionem differat, donec aliquo modo satisfaciat: verum si hac de re admonitus à nullo fuerit, postquam eum in supradictis ita generaliter instruxerit, vt cũ tempore reddatur absolutionis capax, poterit eum absoluere.

Patres familias qui non absoluendi.

Si patres, aut matresfamilias fuerint, qui curæ suæ subditos, siue filios, & filias, siue seruos & ancillas, (quæ particulatim interrogare meminerint) cum rudimenta fidei non teneant, addiscere non compellunt, vel non aduigilant, vt Decalogi, & Ecclesiæ Romanæ præceptis obediant, vel quod peius est, ab eorum obseruatione eosdem prohibent, vt faciunt, qui seruos, & ancillas vsque adeo occupatos diebus festis detinent, vt propria necessitate vrgente diebus festis operari quodammodo cogant, vel temporis tantum non tribuant, vt secundum Ecclesiæ præceptum, Sacro officio Missæ interesse queant; aut qui nescientes quinam eorum, qui in familia sua degunt, legitimum habeant impedimentum, promiscuè tempore Quadragesimali, aut alijs ieiuniorum diebus, cœnam, vel tempore ante meridiano escam ante horam debitam in ædibus præbent, vel dari patiuntur: aut si, quando hæc præcepta transgrediuntur, eos non reprehendunt, nec corrigunt; vel si serui corrigi nolint, & cæteris scandalo sint, è domo sua quamprimum eos ablegant.

De

De administratione Familiæ.

In omnibus hic peccatis, nisi re ipsa præstet officium suum, negligentiamque in familię administratione commissam, & quantam ad ea, quæ dicta sunt attinet, in posterum sese emendare promittant, nullo modo eos absoluat. quòd si in se recipiant ea se facturos, nec horum admoniti vmquam à Confessario, vel Pastore præscripto modo fuerint, poterit eos absoluere: quod si sæpius fuerint reprehensi, nec sese correxerint, tamen absolutio differatur, donec promissa appareant, veræque emendationis argumenta aliquo temporis spatio ostenderint.

De luxu vestium.

Confessarius eumdem cum eis modum seruabit, qui contra Conciliorum nostrorum prouincialium, præcipuè verò Tertij Constitutionis, ac alios Canones nostros diebus festis operantur, vel à venditionibus, & similibus, quæ in illis prohibentur, non abstinent. Idem etiam seruetur cum ijs, qui in immoderato corporis ornatu & fastu mortaliter peccant.

Ac verò cùm hac tempestate luxus vestium ad summum, quò conscedere potuit verticem videatur euasisse, idque magna ex parte culpa & negligentia Confessariorum accidat, qui vel ex inconsiderantia, vel fortè dum leuiter pœnitentes peccare existimant, nullo cum scrupulo eos absoluunt, capita quædam in medium adferemus, quibus propter ornatum, & luxum in vestitu, fastumque animi ingentem, plerumque mortaliter hodie peccatur, vt cùm absolutio danda erit, secundum eas regulas, actiones officij sui metiantur.

Qui peccant in vestitu mortaliter.

Si quis igitur vestitu splendidiore induitur, vel eo sese ornat ob finem peccati mortalis, vtique mortaliter peccat: ad hæc qui vestimenti sumptuosi gratia, vel ipse delinquit, vel alij eius nomine præceptum Domini, vel Ecclesiæ transgrediuntur, ita vt, ne vestis non conficiatur, festis diebus sartori operandum sit, vel ipse certè faciat

cum operati, aut Sacrum Missæ officium omittere, vel vt alij omittant præbetur ab eo occasio; vel si causam præstet coniugi, ijsue, ad quos spectat eius sustentatio, vt plus quã priuatæ opes ferunt, in vestitũ impendant, vel si præuidet, vt meritò debet præuidere, aut saltem probabiliter dubitat, quod odia vestium causa gignantur, dissensiones ue in ædibus fiant, vel quòd indumenti causa coniunct aut aliorum quispiam blasphemias euomat, aut lucra, contractusque illicitos exerceant: His addę eos, qui ornatus gratia non sine peccato mortali supersedent eleemosynis necessarijs, aut legata pia non exequuntur, aut similia, quibus obstricti sunt, complere negligunt, vel qui pro veste mercedem operarijs denegant soluere: vel differunt, aut ære alieno sic se obruunt, vt cum tempore soluendo non sit futuri: In hoc etiam ordine ponẽdi sunt, qui vt se splendide vestiant, detrimentũm proximo notabile inferunt; vel ita se exhauriunt, vt filias cum ad ætatẽ nubilem peruenerint, in matrimonio collocare non possint, qua ex re magna damna solent existere: ad extremum cum prudenter colligi possit, quod non mediocria peccata similia ijs, quæ dicta sunt, inde prodibunt, aut dubitatio verisimilis habeatur, quod accidere possent, qualia fere solent sumptuosum & insolentem earum vitam comitari. In omnibus quæ diximus, iudicandum esse peccatum mortale indulgere nimio vestitui.

Ceterum, cum fieri vix possit, vt qui supra quàm suæ copię fuerint, insumit, non animum aduertat ad peccata consecutúra; vel vt minimum possit & debeat aduertere, potest in vniuersum recte iudicari, eos omnes in peccato mortali vitam agere, nisi ex diligenti pœnitentis examinatione certa ratione contrarium existimetur.

Quomodo fiat mortale in vestitu quod per se tale non est.

Neque solum mortaliter peccatur, cùm factæ expensæ in vestes, ordinem, & facultates domesticas excedunt, verùm etiam in modo peccatum committitur sese exornandi, quid enim si ornatus ad lasciuiam pertra-

hat?

hat ? quòd si per se , vel certe ex communi hominum iudicio non sollicitet ad peccatum , potest etiam fieri, vt per se quidem eo non adducat , tamen occasionem ille suspicetur ex eius generis ornamento , quod è sui ordinis hominibus communiter non gestatur, datum iri certæ personæ signum , vt illum in honesto amore prosequatur, vel ne sic accidat, probabiliter timet: denique cum in hoc peccato hæret , ita vitam instituit , vt nullam vel paruam salutis proximi habeat curam ; adeo quidem, vt si quem ex sumptuosis , quibus incedit vestibus , per occasionem misere salutem perdere conspiciat, tamen eũ non studeret deponere. Fit deinde non rarò, vt cultus ipse prima fronte ad varias species amoris inhonesti prodendas concinnè institutus sit , easque amorum affectiones varijs coloribus , dum se comit , & promit, vel alio quocunque modo non perobscure declaret.

Iam verò non solum absoluere eos non possunt, qui peccato mortali valedicere constanter non decernunt, sed nec illos etiam, qui quamuis asserant peccatum se velle deserere , tamen vna dicunt , videri sibi non se commercium illius esse relicturos , nisi ea velint remedia apponere , sine quibus Confessarius iudicat ad vomitum redituros.

Quando absolutio differenda.

Est præterea consultum, absolutionem differre, donec euidens appareat emendatio in ijs, qui tametsi dicant , ac polliceantur, quod se eximent peccato, tamen Confessario probabilem faciunt metum , ne contrarium contingat. Ex hoc esse solent plerique adolescentes , qui in otio vitam agunt, qui luxui dediti , crapulam , & amores inhonestos sequuntur , qui libidinibus pascuntur , verba obscœna proferunt, murmurant, in odijs , ac detractionibus versantur quotidie , & confessionem differunt in vltimos Quadragesimæ dies : Idem faciendum est cum ijs scilicet, vt differatur absolutio, qui cùm multos annos in peccatis suis perdurant , nulla interim adhibita opera in emẽdationem vitæ in eadem peccata iterum atque iterum labuntur.

Deinde, nec eos absoluat, qui cum peccatis mortalibus simul etiam eorum occasiones vitare planè non proponunt. Porrò cùm è re Confessarij vel maximè sit, vt quæ sint eæ occasiones perspicuè sciat, paullò de illis loquemur distinctius hoc loco.

Occasio peccati mortalis quæ.

Sub occasionem peccati mortalis omne illud cadit, quòd peccandi mortaliter causam administrat, eo quod huiusmodi est, quod vel per se in peccatum inducat, vel eius occasione confitens vsque adeo ad peccandum alliciatur, vt certè Confessarius metuere possit, quòd ex peruerso, quem diu induit, habitu in posterum non magis abstinebit, quàm prius à peccato, si in eisdem occasionibus versetur.

Prioris ordinis occasiones, quæ scilicet suapte natura trahunt in consensum peccati mortalis, sunt istiusmodi: aleis ludere, cùm mortaliter certo, vel probabili periculo animarum; domum tenere in hunc finem alijs paratam; aliquam, cum qua sit peccatum, vel apud se, vel apud alium, suo rogatu fouere, vel quocunque modo in eisdem ædibus habitare, persistere in assidua collocutione, aspectu, quotidiano congressu, & similibus turpium amorum irritamentis.

Itaque si pœnitentem ijs, aut similibus impedimentis irretitum esse perspexerit, ipsaque occasio talis sit, quæ tum etiam re ipsa existat, veluti quòd concubinam alit, vel quid huiusmodi, Confessarius eum absoluere non debet, nisi prius illam ipsam occasionem prorsus abscindat.

In alijs verò, vt in Venereis aspectibus conuersari periculosè cum fœminis, perdurare in tactibus impudicis, si eis nuncium remittere non polliceatur, vel si spondeat, alias tamen, cùm de eodem fidem fecerit, vitam non emendauerit, absolutionem differat, vsque eo dum emendationis quædam argumenta videbit.

At verò cùm vsu venire possit, vt ex omnibus, quæ solers ac circumspectus Cõfessarius excogitauerit, nullum remedium tamen potuerit habere, cur pœnitens absque pericu-

periculo & scandalo magno debeat occasionem præscindere, vtatur Confessarius his vijs.

Remedia contra peccati occasiones.

Primò absolutionis beneficium eò vsque extrahat, donec emendationis indicia videat, maximè, si absolutio citra aliquod illius periculum, vel infamiam procrastinari possit, eaque doloris signa perspiciat, eam animi dispositionem, promptitudinemque suscipiendi omnia, quæ pro eius emendatione necessaria Cõfessarius iudicabit, quo tempore remedia huiusmodi pœnitenti proponet, quæ magis opportuna, magisque necessaria apparebunt: verbi gratia, præscribit ei, ne solus vnquam cum sola versetur, vt orationes augeat, corporis macerationem subeat aliquam, quodque præcipuum est, vt frequenter confiteatur, aliaque similia, quæ si pœnitens recipiat in se, poterit absolui.

Contra verò si ab illa diligentia, quam vel ille, vel alius Confessarius iamdiu adhibuit, non se emendauerit, non absoluatur, donec impedimentum sustulerit, vel nisi quid aliud à nobis acceperit, quod conuenire videatur, ad quos in tali negotio recurret, vt factum nobiscum expendat, ita tamen, vt nulla fiat mentio peccantis.

Occasiones particulares quorundam peccatorum.

Alterius generis occasiones, quæ videlicet ex conditione peccantium sumuntur, ea facta sunt, quæ etiamsi per se licent, tamen probabiliter timetur, ne is qui confitetur, in eadem ipsa, quæ olim admisit, peccata relapsurus sit; si in eisdem operibus, in quibus antea versatus est, perseueret: tales ob mundi corruptelam plurimi solent in castris esse, mercaturam sequi, Magistratus obire, aduocati, & procuratoris officia exercere, aliaque id genus; quæ dum quis tractat, fit sæpè, vt vocibus blasphemis, furtis, iniustitia, calumnijs, odijs, fraudibus, periurijs, & alijs eiusdem farinæ sceleribus, quibus Deus offenditur,

rantam sibi eorum consuetudinem asciuerit, vt coniectari liceat, si in eisdem officijs maneat, cum se rursus eadem illæ oblaturæ sint occasiones, quod fortiorem animum ad resistendum peccatis non opponet, quàm hactenus fecerit: quodque inde sequitur, in idem lutum ex integro prolabetur: Omnes qui sunt huiusmodi, secundum B. Augustinum, *cap. Consideret de pœnit. dist 5. sumptum ex lib. de vera & falsa pœn. cap. 14. & 15. qui est inter opera Aug.* vel negotium ipsis periculosum deponant, vel saltem absque licentia & obedientia pij, ac probati Sacerdotis non exerceant: qui quidem hominem eo modo constitutum absoluere non debet, si existimat ad eadem peccata rediturum, quamdiu in antiqua occasione perseuerat: sed æquum est, vt vitæ emendatio, & quædam illius approbatio per temporis interuallum expectetur. Atqui hic vigilandum est eo diligentius, quo manifestum est hac in parte Confessarios incuria sua maximam præbere causam, cur in omnibus fere opificijs, & exercitationibus publicis peccata grauissima inueniantur, & abusus intolerabiles, sine quibus multi hodie existimant, nec res etiam per se æquissimas rectè exerceri posse.

Exempli gratia, in Magistratu adeundo, & alijs officijs assumendis, multa iuramenta reperiuntur, quæ seruari debeant: quæ tamen postea non seruantur.

Inter Consiliarios, Aduocatos, Procuratores, clientum perniciei ac damnis incumbitur, contra id, quod propria conscientia dictat faciendum.

Idem fit in bello, vbi duellis locus datur, vbi odijs, homicidijs, plena sunt omnia. Inter ludendum maledicta vigent, rapinæ, quæstus meretricij. Apud mercatores hæc regnant, vsuræ, mercium fraudes, cùm vel eas miscet, vel malas pro bonis in manum porrigunt: multoque pluris quàm pretium iustum est, eas distrahunt; nec desunt periuria, mendacia, vectigalium fraudulenta auersio, aliaque eius ordinis permulta.

Plerique opifices festis æquè, ac profanis diebus ita occupantur, vt nunquam neque cultui diuino vacent, neque conciones frequentent, nec se solum, sed ad similem modum totam distentam familiam habeant.

Quam

Quam ob rem magno numero inueniet Confessarius inter eos, qui talia exercent, omnem vitam ferè in peccatis mortalibus duxisse, qui quidem absolutionis capaces existimari non debent, nisi diligentia prius accedat, qua simul & ab inuolucris huiusmodi liberentur, & fortiores contra peccatum reddantur.

Plurimi numquam vt oportet sunt confessi.

Quòd si Confessarius posuerit maiorem industriam in ijs examinandis, non dubium est, quin plures deprehēdet, qui numquam, vt oportuit Sacramento Pœnitentiæ peccata sua expiarint. quod cum fuerit ab eo animaduersum, ostendat eis præterquam, quod de emendatione maiorem probationem facere debebunt, vel opificij genus in quo sunt, deserere, etiam totius vitæ confessionem instituere, ac studio vehementi in salutem suam incumbere tenebuntur.

Officia quæ relinquenda pœnitenti.

Multò magis Confessarius circa ea officiorum, actionumque discrimina extirpanda adlaborare debet, quæ nullam vel necessitatem Reip. vel vtilitatem secum ferūt; quæ quamuis ex priori ordine rerum non sit (illæ enim per se ad peccatum mortale inducunt, ac propterea necessario à quouis homine quocumque in statu relinqui debent) nihilominus tamen ad male agēdum inflectunt, ac facillimo negotio sæpissime ad diuersa peccata trahunt, vt choreis interesse, agere cum blasphemis, versari cum scurris, malorum se sodalitatibus hominum adiungere, tabernas frequentare, otio indulgere, similesque actiones, in quibus vt plurimū peccare mortaliter homines solēt, qui quidē ante non debent absolui, nisi animo abalienato penitus illa ipsa se deserturos esse polliceantur.

Et quidem si probabiliter sibi Confessarius persuadeat, posse se fidem primæ vel secundæ à pœnitēte sibi promissionis factæ dare, quòd scilicet occasionem auferat, poterit eum promissionis intuitu absoluere, sin autē fidem semel atque iterum fregerit, ac tertiò iam idem polliceatur, absolutionem differat, vsque dum reipsa videat pœnitentem se omni peccato liberasse, in quo prius vixerat.

Con-

Contractus qui deserendi.

Eos præterea, qui contractis nostris Concilijs Prouincialibus nominatim prohibitos, vel per se aliàs illicitos exercent, non absoluat, nisi prius rescindantur, satisfactioque conueniens pro eis præstetur. Si contractus dubij sint, antequam absoluat, ad Pœnitentiarium maiorem rem totam reijciat, qui quidem illius explicationem ampliorem penes nos inueniet: sed hoc tempore si pœnitens sufficientem dederit cautionem, quòd futuræ definitioni sententiæque acquiescet, poterit eum absoluere, & ad communionem admittere.

Iubilæi tempore qui non absoluendi.

Sed ne quidē Iubilæi alicuius tempore, qui ea, quæ ex edicto publico, monitorioue Papali, vel Archiepiscopali notificare tenebantur, subticuerint, nullo modo absoluantur, nisi denunciationem ritè prius fecerint, ac omnibus ad quæ ob damnum inde secutum obligati sunt, satisfecerint. Ceterum, ante restitutionem, debitamque satisfactionem eos non absoluant, qui aliquatenus ad tale quid adstricti sunt, modo id facere possint: eos tamen excipimus, qui ex graui, periculosaque infirmitate decumbunt, quibus tamen præcipiat Confessarius, oneretque vt, quàm primum poterint, satisfaciant.

Postquam Confessarius omnibus his præscriptis remedijs diligenter vsus fuerit, si impedimentum aliquod non videat, ob quod negare vel differre debeat absolutionem; dicat pœnitenti, vt de peccatis omnibus, quæ confessus est, reliquisque in vniuersum, quæ verbo, cogitatione, opere, vel omissione commisit, quorum nō recordatur, culpam humiliter suam dicat, confessionemque claudat.

Quod vbi factum est, Confessarius ei, maximè si talis est, qui rarius confiteri solet, peccatorum grauitatem ostendat, quibus eum nouerit magis inuolutum, ijsque remedijs contra eadem armet & muniat, quæ conuenientissima esse iudicabit. Proderit autem hac in parte Methodum Confessariorum bene tenere, vel Directorium, atque

atque eiusmodi argumenti libros sibi facere familiares.

Deinde si fuerit necessarium, iniunget ei, vt satisfaciat & restituat, rem, famam, vel honorem, quæ proximo abstulerit; tum vbi præscripserit salutarem pœnitentiam, quemadmodum infra dicetur, eum absoluet.

Absolutio excommunicationis quomodo concedenda.

Si fortè pœnitens aliquam censuram incurrerit, à qua eum absoluere possit, antequam conferat absolutionem à peccatis, eam debet, quæ à censuris datur, præmittere, multum autem iuuat ad cautelam, si semper eadem præmittatur, quatenus scilicet potestatem habet, ac pœnitentem indigere arbitratur. Similiter si pœnitens casu aliquo reseruato teneatur, nisi licentiam absoluendi habeat, eum non absoluat; alias enim in excommunicationem incideret à Synodo nostra Diœcesana latam. Nec ipsi Regulares, quamtumuis priuilegio, quod *Mare magnum* vocant, vel alijs quibusuis indultis gaudeant, à prædictis casibus absque peculiari nostra licentia absoluere possunt: quemadmodum Gregorij XIII. Pont. Max. Sanctitas ex Cardinalium consilio, ad quos Concilij Tridentini interpretatio pertinet, declarauit.

Multo minus sese ingerent ad absoluendum à casibus in Bulla in Cœna Domini contentis, vel alijs Sedi Apostolicæ reseruatis.

Atqui vt omnes, qui in nostra versantur Diœcesi, vnam, eandemque absoluendi formam obseruent, hoc quo sequitur modo absolutionem proferent. Sed interim admonemus omnes seriò, ne verba ea omittant, in quibus tota absolutionis vis consistit, videlicet: *Ego te absoluo.* Hic itaque omnibus sit præfixus absoluendi modus.

Absolutionis formula.

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam, Amen.

Indul-

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus, Amen.

Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti si quod incurristi, quantum possum, & indiges.

Deinde.

Ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Passio Domini nostri Iesu Christi, merita B. Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorũ, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, Amen.

In satisfactionibus, vel pœnitentijs Confessarius circumspectus esse debet, ne adeò leues illæ sint, & faciles, vt potestas clauium in contemptum veniat, ipseque particeps fiat, & consors aliorum peccatorum, neque nimis graues, aut longæ iubeantur, vt vel recusent eas exequi, vel etiamsi acceptas habent, postea tamen plenè non perficiant.

Canones pœnitentiales ad vnguem Confessarius teneat.

Idcirco Confessarius Canones pœnitentiales ad vnguem sciat oportet: nam quamuis illi possint & debeant, secundum prudentis, & morati Confessarij arbitrium mitigari, prout pœnitentis contritio, personarum qualitas, diuersaque conditio, aliæque circumstantię ostendẽt, vtilissimum tamen est semper ipsos Canones præ oculis habere, adque eos tamquam ad amussim respicere, quantum conueniens erit: & quidem Confessarius, etsi pro modo antiquo Canonum pœnitentiam non habet sequi, tamen pœnitenti nonnumquam articulos in ijs explicatos tractabit, vt sic ad maiorem dolorem adducatur, pœnitẽtiamq; leuiusculam, quam ipsi dedit, alacrius exequatur: & interim hæc quoque perspicietur vtilitas, quæ proficiscitur ex benignitate, quam hodiè Sancta mater Ecclesia cum pœnitentibus obseruat, quando disciplinæ Ecclesiasticæ rigorem eis tantopere moderatur.

Pœnitentiæ quomodo peccatis respondebunt.

Curet

Curet etiam, vt satisfactiones peccatis commissis respondeant. Itaque aduersum peccata carnis, vigilias, peregrinationes, cilicia, aliaque similia imponet, quæ macerare, ac castigare possunt carnem. Contra auaritiæ peccata, præter restitutiones, quę fieri debent, opponet opera misericordiæ pro facultate & modo cuiusque. Peccata superbiæ, quæ in spiritu hærent, oratio comprimet, quæ sub potenti manu Dei homini humiliato fortitudinem, animique constantiam aequiret. Præcipiet contra negligentiam in ijs ediscendis, quæ ad verum pertinent Christianum, conciones sacras, tum etiam, vt ad certum tempus Scholas, & Catechistas Christianæ religionis frequẽtent. Remissis hominibus, quique in rebus conscientiæ suæ salutiferis frigide se gerunt, præcipiet, vt adeant templa, diuinisque officijs assistant, multasque vsurpent orationes.

Blasphemis quales iniungendæ pœnitentiæ.

At verò blasphemis, & sacrilega lingua in Deum, & Sanctos petulanter maledicis, pœnitentias graues & difficiles iniungẽt, quæque culpæ grauitati respondeant, qua in re Canonibus Sacris, Pontificijs Decretis, Concilio Lateranensi, ac nostrorum Conciliorum statutis sese conformabunt. Verùm hac in parte integro iudicio & personarum delectu vtentur: non enim omnibus omnia conueniunt: quare non mandent pauperibus, vt liberaliter tribuant eleemosynas, neque ijs, qui diurnis sudoribus victum sibi, suisque quæritant, ieiunia prolixa, ac simile iudicium in reliquis pœnitentijs vsurpabunt & sequentur. Videndum est etiam, vt qui publicis vel scandalis, vel sceleribus delinquunt, non absoluantur, priusquam satisfactionem item publicam, ac pœnitentiam peccato congruentem ijs iniunxerint, vt simul cum emendatione vitæ malefacta publica, benefactis resarciant; qua in causa Concilij Tridentini præscriptum obseruabunt, ac institutionem nostram super hac re in Primo, ac Tertio prouinciali nostro latam, qui etiam pœnitentias publicas in alias secretas non commutabunt, nisi expressam à nobis huius rei habeant potestatem.

Sacer-

Sacerdos ab omni auaritiæ suspicione abesse debet.

Vt liberior sit Confessarius in exequendo officio, quod illi cum pœnitente est, maioteque apud eundem in auctoritate habeatur, in decernendis ijs omnibus, quæ ad pœnitentis salutem referuntur, non solum fugiet studiosè auaritiam, sed etiam omnem eius, vel minimam suspicionem. Nominatim autem pecunias, vel aliquid huiusmodi pro confessionum audientia non petet; etiamsi occasio se præbeat: ac ne signum quidem, vel minimum eius ostendat: quin potius voce, & reipsa declaret animum se prorsus ab horrentem à talibus habere. Cum pœnitenti iubebit, vt Missę sacrificium faciat vspiam peragi, nec rectè, nec obliquè significet, quasi velit ipsa celebrare, vel in sua Ecclesia, aut Monasterio curare celebrari.

Idem faciat in satisfactionibus ijs, cum pœnitens, vel debita incerta reddere pauperibus, vel pro votorum commutatione aliquid soluere debebit.

Sed neque pecunias, aliaue, quæ à pœnitente restituenda sunt, proprijs dominis in se prouinciam reddendi assumat, nisi necessitas id requirat, vt videlicet hoc modo pœnitens non prodatur: quòd cùm erit ab eo factum, curet, vt is cui rem restituit, chirographum suum in testimonium ei tribuat, vt illud pœnitenti cõsignet, ac planè eo modo procedat, vt omnem speciem, ac signum auaritiæ subterfugiat.

Confessionis secretum quomodo seruandum.

Præ omnibus autem Confessarius caueat, ne verbis, vel signis, vel quocunque alio modo, peccatorem, vel peccatum ipsum, vel aliquam circumstantiam personæ, cum qua peccatum est, prodat; denique verbum nullum ex ore eius excidat, ex quo aliquo modo in peccati quantumuis leuissimi, quod in confessione dictum sit, notitiam veniri possit.

Cum-

Cumque pro rei alicuius controuersia, quæ in confessionem incidit, clariore definitione consilium ab aliquo petendum erit, summa ad id prudentia adhibeatur, necesse est: tractetur igitur, vel cum ijs hominibus, ac modo tali, vt is, qui peccatum commisit, nullo modo deprehendi possit. Ideoque consultum videtur, vt nullam planè apud alios mentionem faciat vllo tempore peccatorum, quæ in confessione audiuerit: quod si postea necessitate coactus, cum ipsomet pœnitente de peccatis loqui contingat; id quod nisi præfata venia faciat, & ipsum colloquium obtinebit vim confessionis, quantum ad secreti silentium attinet. Si pœnitens à Confessario postulet testimonium sibi dari, quo se eius confessionem audiuisse fateatur, quòd illud dicat se velle Pastori suo ostendere, quod semper in confessione Paschali facere tenetur; eam secundam formam, quæ infrà ponitur, scribat. Atqui eo quòd attestationum harum multa exemplaria impressa singulis dabuntur Confessarijs, curet Confessarius, vt suas præ manibus habeat, nullisque eas tradat, nisi quorum confessiones audiuerit. Attestationis formula hæc erit: *anno, die, talis Mensis, Sacramentum pœnitentiæ administrauit N. habitanti in parochia N.*

Scribat in primo albo diem quo pœnitens confessus fuerit, secundo mensem, tertio nomen & cognomen, quarto parochiam in qua pœnitens habitat. In calce confessarius nomen & cognomen suum scribat cum titulo beneficij, vel officij Ecclesiastici, à quo communiter denominari solet, veluti, Rector, Vicerector, Canonicus, vel Sacellanus Ecclesiæ N. vel si Regularis sit habitans in Monasterio N. Atqui quicquid in attestationum albis scribendum est, totum id ipsiusmet Confessarij manu scribatur, vel saltem dies, mensis, ac ipsius Confessarij subscriptio. Vtile præterea erit si confessarij omnes in tabulis nomen & cognomen scribant eorum, quibus dictas attestationes subscriptas tradiderunt, seruentque eas tabulas penes se, vel post octauam Paschæ nobis, aut si in Diœcesi sint, Vicarijs nostris forensibus exhibeant, idque vt exactius animaduertere possimus, num

fraus aliqua in dictis attestationibus à non confesso quodam facta sit.

Pro maiore confessariorum instructione, atque in iuuandis eorum animabus, quibus Pœnitentiæ Sacramentum administrarunt, vt certa quadam forma vtantur, qua pœnitentes in gratia accepta perseuerare, ac progressum facere doceant, infra scriptas adiunximus admonitiones.

Confessarij erga pœnitentes quales esse debeant.

Confessarij omnes, quemadmodum Patres spirituales decet, circa pœnitentes suos summam prudentiam adhibeant, necesse est, vt instruantur, dirigantúrque paulatim ad virtutes Christiano homine dignas. Peculiariter autem industriam & studium suum erga eos magis explicare debebunt, qui in patres sibi confessarios suos cooptant, vt ad eos in dubijs & controuersis suæ conscientiæ rebus quotidiè, tum pro consilio, tum pro expiandis peccatis possint accurrere. Qui quidem adeum modum filios suos spirituales in bono proposito confirmare nitantur, vt constantissimè sibi proponant potius, quàm diuinam Maiestatem offendant mortaliter, non solum bona ac honores, sed etiam vitam profundere, viuumque præseferant, & salutare desiderium secundum sanctissimam Dei voluntatem totam vitam suam expendere.

Confessarij finem, ob quem sunt creati, suis pœnitentibus proponant.

Quare finem, ob quem creatus est homo, eis ob oculos crebro ponant; qui quidem est seruire & obedire in hac vita diuinæ Maiestati, & in altera in omnem æternitatem eadem frui, aliaque similia; ac proinde debere hominem exsuscitare animum, & vires sibi sumere, salutique suæ cooperari, atque eatenus rebus omnibus vti, vel abstinere, quatenus ad hunc finem consequendum admini-

adminiculo, vel impedimento esse possint; ad extremum, huc se totos actionesque suas, atque vniuersa quæ in hac vita possident destinare, ita vt in victu, vestitu, consuetudine vitæ, negotijs, omnibusque alijs exercitationibus ita sese gerant, vt omnia quasi quædā adiumenta eis esse possint ad vltimum finem, cui conditi sunt, consequendum. Cæterum, ipsi pœnitentes paratos sese exhibeant, non solùm in earum rerum vsu prudentiæ, ac salutari consilio confessarij libenter acquiescere, verùm etiam si ille omnia planè vel aliqua ex ijs quæ habent deserenda esse iudicet, causa salutis eorum semper ei obediant. Confessarius tamen iuxta vniuscuiusque conditionem ac statum ad finem supradictum eos diriget.

Proponat eis etiam modum orandi, vt feret singulorum capacitas, & pro religiosa consuetudine omnes nitantur bis saltem in die facere preces ad Dominum, manè videlicet cùm surgunt, ac vesperi dum cubitum concedunt.

Deinde exhortabitur eos, vt singulis diebus sacrum audiant, & diebus Dominicis diuina officia frequentent.

Particulatim verò modum eis præscribet orationes mentales faciēdi, siue viri, siue mulieres sint, modò tamen capaces sint: rudioribus autem ostendet quomodo Rosarium, siue Corona, officium B. Virginis, septem Psalmi pœnitentiales, aut similes aliæ orationes legi debeant.

Quod amplius est, omnes suæ fidei concreditos eo inducet, vt examen conscientiæ quotidiè faciant: tempus autem huic rei accommodatum erit, dum vesperi signo publico campanæ simul cum tota familia ad preces inuitatur. Admoneat quoque eos de frequenti confessione & communione, & paulatim eos secundum B. Augustini consilium in sanctā eam consuetudinem adducat, vt diebus Dominicis communicent. (*Augusti. epist. 119. ad Ianuar. & in lib. de Eccles. dog. cap. 53. & de consec. dist. 2, cap. quotidiè.*) Quando autem aliquem nacti erunt, quem ad hoc præstandum esse videant inidoneum, conabuntur eum paulatim, ac veluti per gradus quosdam

eò euehere. Primò hortabuntur, vt quando omnes debent percipere venerabile Sacramentum, etiam festis toto anno celebrioribus, præter ipsum diem solennem Paschæ, quo debent omnes communicare, scilicet festo Pentecostes, Assumptiois B. Virginis, Omnium Sanctorum, Natalis Domini: deinde etiam Dominica in capite Quadragesimæ, pro indulgentijs acquirendis, ac præparatione ad sanctum Quadragesimale ieiunium: paulò post superaddat aliquot dies: postea hortetur, vt singulis mensibus semel id præstet. Quod si fiat, facilè ad communionem octiduanam erit progredi.

Quomodo dies festos impendere docere debeat Confessarius.

Speciali cura eos admonebit Confessarius, vt dies festos in honorem seruitiumque Diuinum impendant, quod vt commodius fiat, auctor eis erit, vt alicui Societati sese associent, quæ ex instituto proprio dies festos in orationibus, pijsque operibus expendit: veluti est ea, quam *Scholam vitæ Christianæ* dicunt. In vniuersum autem patres, matresue familias admoneat, vt familiam suam ad Dei honorem instituant, ac liberorum suorum curam eximiam habeant, qui interim dabunt operam, vt visitent scholas, vbi doctrina Christiana docetur, modo ducant vna secum eos festis diebus ad conciones, ad Vespertinas preces, ad prælectiones sacras, modo ad frequentem confessionem, & communionem eos accommodent. Si qui ex filijs vxorem duxerint, curabunt parentes, vt opera maritorum etiam illæ sacramenta frequentent: vel si vxores sint, cum maritis similiter agant: qua in re in memoriam eis reducant quod S. Paulus ait: 1. *Cor.* 7. *Maritus bonus* (inquiens) *sæpè vxorem Christo lucratur, & similiter virum.* Eis qui literas norint, suadebunt, vt libros aliquos pios & sanctè scriptos emant (si modò facultas suppetat) quos & ipsi legant, ac faciant legi à tota familia circa vesperam, præcipuè diebus festis: tales sunt, Vitæ Sanctorum Patrum, Gerson de imitatione Christi, Opera F. Ludouici Granatensis, Exercitia vitæ Spiritualis, & Rosarium Gasparis Loartis, Practica ora-

orationis Spiritualis P. Matthiæ Cappucini, Introductio ad vitam deuotam Francis. de Sales, Androtij & P. Gaudier epist. & alij similes.

Diuites quomodo admonendi.

Sæpiùs diuitibus in mentem redigant, eos dispensatores esse diuitiarum, quas possident, quibus ordinem, ac statum suum sustentare, & alere possint, verùm id Christianè, modestéque faciendum esse, vt non solùm in vsu diuitiarum non suprà quam eorum vires ferunt, sed potius infrà aliquid expendere cernantur, quod etiam Gentiles olim non solùm verbis, sed etiam domesticis exemplis ostenderunt. Porrò in eleemosynis liberaliter faciendis studeant excellere, ad hoc enim obligantur: ac ne fortè aberrent à modo conuenienti, hominum religiosè pieque sentientium consilium in his sequantur.

Postremò secundum vniuscuiusque modum & conditionem, omnibus & singulis ea præscribant adiumenta, quæ maximè necessaria, vtiliaque esse iudicabunt, vt in via mandatorum Dei sui ambulent, ac proficiant.

Collegij Societatis JESV Paderbornæ.

FINIS.


Th
2234
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

